Digitized by Google

37
15 A
10

Digitized by Google

37
15 A
10

TERTULLIANUS PRÆDICANS,

ET

SVPRA QVAMLIBET MATERIAM omnibus Anni Dominicis, & Feſtis non ordinariis ſolùm, ſed etiam extraordinariis ; ſingulisque Quadrageſimæ Feriis prædicabilem ordine alphabetico copiosè diſpoſitam,

SEX AD MINVS FORMANS CONCIONES, ingeniosè adinventas, bellè concinnatas, & trinâ ſubdiviſione illuſtratas.

CVM DVPLICI INDICE, CONCIONVM ſcilicet & Materiarum.

AVCTORE R. P. MICHAELE VIVIEN, Sacræ Theologiæ Lectore, Provinciæ Recollectorum in Aquitania alumno, nec-non antiquo Cuſtodum Cuſtode.

Editio, poſt binas Gallicas, tertia in Germania.

TOMVS SEXTVS.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA



B A

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM WILHELMVM FRIESSEM Bibliopolam. ANNO M.DC.LXXXI.

3Y 15 A 10

PERMISSIO REVERENDI PATRIS PROVINCIALIS.

FRATER Agathangelus Petit Provinciæ Recollectorum in Aquitania Miniſter Provincialis, & ſervus, R. P. MICHAELI VIVIEN ejuſdem Provinciæ alumno, ſacræ Theologiæ Lectori, nec non antiquo Cuſtodum Cuſtodi, ſalutem. Cùm Liber *Tertullianus Prædicans* nuncupatus in ſex Tomos diſtributus, ſit jam maxima ex parte typis mandatus, & fœliciter à Doctoribus quibusque approbatus, licentiam tibi facimus; ut præclarum illud opus perficias, & denuo typis mandes, ſive in quarto, ſive in folio, prout melius tibi viſum fuerit. In cujus fidem præſentem Licentiam propria manu ſubſcripſimus, & parvo officii noſtri ſigillo munivimus. Datum in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ de Gratia Burdigalæ, die 19. Februarii, Anno 1677.

F. AGATHANGELUS PETIT
Miniſter Provincialis.

Approbationes Lectorum Theologiæ.

L*Ibri cui titulus eſt* , Tertullianus Prædicans, *ſecundum & tertium Tomum fruſtra commendarem ; Primus ſiquidem & reliquos & eorum authorem ſatis commendat ; qui illum legerunt videndi quod in lucem edendum ſupererat vehementi flagrabant deſiderio ; neque fallet eos opinio, ibi enim maximam ingenii ubertatem obſervabunt, ac materiarum abundantiam cum præclara methodo, quæ Tertulliani operibus deerat claritate mirabuntur. Hæc ipſe perlegendo miratus ſum, ideoq́; Opus dignum judico quod typis quamprimum mandetur, utpote quod nihil contineat fidei aut bonis moribus contrarium, quin potius futurum ſit utiliſſimum tum cæteris omnibus, tum præcipuè divini verbi Præconibus. Quod teſtor in hoc Conventu Recollectorum ſanctæ Valeriæ propè Lemovicas, die 22. menſis Iulii Anni 1673.*

F. GERMANVS DEYR, Lector ſacræ Theologiæ, & Guardianus Conventus Recollectorum ſanctæ Valeriæ prope Lemovicas.

Ego

EGo infraſcriptus ſacræ Theologiæ Lector, ſumma cum delectatione attentè perlegi librum (cui titulus Tertullianus Prædicans) in quo Tertulliani doctrina licèt ex ſe ſatis commendata, mirè tamen commendatur, tum ob ſelectas Patrum ſententias, quibus adornatur, tum ob ſubtiles Theologorum rationes, quibus ab Authore ſolidatur. Ipſum ergo typis digniſſimum judico, non ſolùm quia nihil in ipſo, quod Catholicæ fidei ſectatoribus adverſetur, ſed etiam quia nihil in ipſo, quod Chriſtianæ veritatis Præconibus non multum patrocinetur, quibus Tertullianus Prædicans, erit Tertullianus docens methodum, clarè, breviter, & nervoſè ſermones conficiendi. In lucem igitur prodeat opus, & prælo quàm citius mandetur tanquam communi Concionatorum bono utiliſſimum, cenſeo & peropto. Datum in Conventu ſancti Leonardi, die 8. Iunii Anni 1673.

F. GABRIEL BARRIERE S. Theologiæ Lector.

LICENTIA ET CENSVRA Ordinarii.

TErtullianus Prædicans, ſive campus floridiſſimus ſelectiſſimorum conceptuum ac Diſcurſuum omni tempore prædicabilium; qui, cùm in Galliâ, non abſque ſingulari fructu binis vicibus impreſſus, & à diverſis Theologis approbatus fuerit, nihilque ab orthodoxâ Doctrinâ alienum complectatur, hiſce pro tertia vice imprimendi facultatem concedimus, Signatum Coloniæ Agrippinæ decimâ ſextâ Februarii.

F. THEODORVS DEGHENS, SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor Ordinarius, Canonicorum Regularium S. Crucis Provincialis ad Rhenum, & Prior Coloniæ, Ordinarius Librorum Cenſor. m. p.



VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA


DABIT VERBVM EVANGELIZANTIBVS VIR TVTE MVLTA.
Psal. 67. v. 12.
VERBVM DEI
à Tertulliano Prædicante
in 6. Tomos divisum

TABULA CONCIONUM

QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

RELIGIO SERAPHICA.

SCHOLIVM.

1.Franciſcus Chriſto configuratur. 2.Bonaventura Eccleſiæ unitatem moderatur. 3. Ludovicus Archiepiſcopali dignitate decoratur. 4.Antonius miraculis commendatur. 5. Bernardus egregius concionator prædicatur. 6.Petrus de Alcantara verus pœnitens demonſtratur.

CONCIO PRIMA.

Franciſcus eſt 1.Judex, mundum condemnans. 2. fulcrum, Eccleſiam ſuſtentans. 3. Imago Chriſtum repræſentans. Fol.2

I. PARS. Franciſeus condemnat mundi ſuperbiam, humilitate. 2,laſciviam, caſtitate. 3. avaritiam paupertate ibid.

II.PARS. Franciſcus Eeclefiam 1.ſuſtentat. 2,reparat. 3 fœcundat 12

III. PARS. Franciſeus repræſentat Chraſtum, 1.naſcentem. 2.viventem. 3.morientem. 19

CONCIO SECUNDA.

Bonaventura magna fecit pro 1.Ordine Seraphico. 2.corpore Eccleſiæ myſtico. 3.ſemetipſo. 24

I. PARS. Bonaventura, 1.ſeraphicam religionem adverſus extraneos hoſtes propugnat. 2. Tepidos fratres ad obſervantiam regularem obligat. 3 Ordinem, juxta ſpiritum patris Franciſci gubernat ibid.

II. PARS. Bonaventura Eccleſiæ unitatem moderatus eſt, 1 corpori Eccleſiæ, caput præbens 2,membra capiti conjungens. 3 capiti & membris doctrinæ lumen & virtutum exempla præbens 28

III. PARS Bonaventura ſuis meritis fuit 1,Doctor ſeraphicus nominatus. 2.ad dignitates ſublimatus. 3.à cunctis exiſtimatus 33

CONCIO TERTIA.

Ludovicus eſt 1.magnus, generis nobilitate. 2.major, Epiſcopali dignitate. 3.maximus, pontificia ſanctitate. 38

I. PARS. Ludovicus nobilitatur genere, 1.humano. 2.Chriſtiano. 3.Franciſcano. ibid.

II. PARS. Ludovicus Epiſcopalem dignitatem eſt aſſecutus, eam 1.non deſiderans. 2.ambitioſe non ſectans. 3.ſed ex obedientia humiliter acceptans. 45

III. PARS. Ludovicus, Epiſcopi 1.ſanctitatem exhibet. 2.auctoritatem ſuſtinet. 3.miniſterium adimplet. 57

CONCIO QUARTA.

Antonius perfecta Trinitatis imago, repræſentans 1.Patris potentiam. 2. Filii ſapientiam. 3.Spiritus ſancti munificentiam. 68

I. PARS. Antonius patris potentiam repræſentat, miraculorum 1.multitudine. 2.magnitudine. 3.ſolitudine. 69

II. PARS. Antonius filii repræſentat ſapientiam, 1.futurorum prædictione. 2.ſecretorum cordis manifeſtatione. 3.verbi Dei prædicatione. 72

III. PARS. Antonius mutuatus eſt ab Spiritu ſancto. 1.bonæ indolis comitatem. 2.ſanctitatem. 3.liberalitatem. 76

CONCIO QUINTA.

Bernardinus Senenſis egregius extitit prædicator, 1.zelo ſufflammatus. 2.ſapientiæ illuſtratus. 3.virtutibus ornatus. 80

I. PARS. Zelus Bernardinum ſufflammavit, ad 1.nominis Jeſu devotionem. 2.Deiparæ devotionem. 3.ſalutis animarum procurationem. ibid.

II. PARS. Bernardini ſapientia eſt 1.lucida & illuminans. 2.calida & ſufflammans. 3.fœcunda & generans. 86

III. PARS. Bernardinus exornatur 1 gravitate. 2.caſtitate. 3.charitate. 91

CONCIO SEXTA.

Verus pœnitens Petrus de Alcantara, 1.ſtatui pœnitentiæ ſe conſecrans. 2.ſenſus ſuos mortificans. 3.carnem macerans. 96

I. PARS. Pœnitens Petrus 1.ſeraphicam pœnitentiæ religionem ſuſcepit. 2.reformationem magis pœnitentem induxit. 3. In reformatione vitam maxime pœnitentem duxit. ibid.

II. PARS. Mortificationem Chriſti in ſuo corpore ferens Petrus mortificat 1.viſum. 2.guſtum 3.tactum. 98

III. PARS. Indeſinenter Petrus carnem ſuam macerat 1.ciliciis. 2.vigiliis. 3.jejuniis. 101

REGU-

REGULARIUM PATRIARCHÆ.

SCHOLIVM.

In hoc Tractatu ſex tantummodo conſiderantur Regularium Patriarchæ, nimirum 1. Antonius. 2. Auguſtinus. 3. Benedictus. 4. Bernardus. 5. Dominicus. 6. Franciſcus de Paula Minimorum pater.

CONCIO PRIMA.

Antonius vicit 1. mundum. 2. ſemetipſum, 3. diabolum. 105

I. PARS. Antonius triumphat de mundi 1. cupiditate, divitiis renuntians. 2. voluptate, carnem macerans. 3. iniquitate, virtutes congregans. 106

II. PARS. Antonius triumphat de amore vitæ 1. politicæ, ſolitudinem captans. 2. ſenſitivæ, paſſiones & ſenſus mortificans. 3. humanæ, mortem deſiderans. 116

III. PARS. Antonius 1. cum diabolo fortiter dimicat. 2. diabolum fœliciter expugnat, 3. de diabolo glorioſe triumphat. 121

CONCIO SECUNDA.

Opponitur Auguſtinus Auguſtino, 1. doctor ſapientiſſimus heretico doctiſſimo. 2. pœnitens illuſtriſſimus, peccatori famoſiſſimo. 3. amans ſacer & ſanctus, amanti prophano. 128.

I. PARS. Auguſtini doctrina eſt 1. lucida & ſplendeſcens. 2. demiſſa & deprimens. 3. fœcunda & vincens. ibid.

II. PARS. In Auguſtino fuit gratia 1. multiformis, de peccatorum multitudine triumphans. 2. fortis, peccatorum reſiſtentiam ſuperans. 3. humilis, peccatorum enormitatem propalans. 136

III. PARS. Auguſtinus Deum diligit amore 1. pœnitentiæ & amaritudinis. 2. juſtitiæ & gratitudinis. 3. benevolentiæ & teneritudinis. 140

CONCIO TERTIA.

In Benedicto reperitur unio, 1. carnis terrenæ, & angelicæ qualitatis. 2. opulentiæ & Evangelicæ paupertatis. 3. Virginitatis & paternæ fœcunditatis. 146

I. PARS Benedictus eſt Angelus ob 1. puritatis nitorem: 2. lucis ſplendorem: 3. dilectionis ardorem ibid.

II. PARS. Benedictus abunde locupletatus eſt divitiis, 1. temporalibus: 2. ſpiritualibus: 3. cœleſtibus 153

III. PARS: Benedictus fœcundatur prolis 1. varietate: 2. multiplicitate: 3. ſanctitate 159

CONCIO QUARTA.

Bernardus eſt 1. columba, ad religionem volans, 2. ſtella, mundum illuminans. 3. columna, Eccleſiam ſuſtentans. 163

I. PARS. Columbæ ſymbolo denotatur Bernardi 1.innocentia, & interna animi venuſtas. 2.cordis dolor & pœnitentiæ auſteritas. 3.contemplatio, & elevatæ mentis ſublimitas. ibid.
II. PARS. Bernardus eſt ſtella 1.fulgidæ prolis propagatione. 2.ſplendidæ doctrinæ prædicatione. 3.lucida miraculorum & virtutum operatione 189
III. PARS. Bernardus eſt Eccleſiæ columna, propugnans ejus 1.unitatem adverſus ſchiſmaticos 2.veritatem adverſus hæreticos. 3.auctoritatem adverſus uſurpatores, & ſceleroſos Chriſtianos 195

CONCIO QUINTA.

Dominicus ſol Eccleſiæ 1.puritate niteſcens. 2.luce ſplendeſcens. 3.charitate exardeſcens. 206
I. PARS. Dominicus trina puritate nitet. 1.puritate carnis, ob virginitatem. 2.puritate animæ, ob ſanctitatem. 3 puritate cordis, ob charitatem. ibid.
II. PARS. Dominicus luce ſplendeſcens, 1.mundum illuminat. 2.Chriſtianas veritates manifeſtat. 3.fidem ab hæreſi diſcriminat. 218
III. PARS. Dominicus ſol charitate ignitus, 1.Dei amore æſtuat. 2.Eccleſiæ cuſtodiæ invigilat. 3.ſalutem animarum zelat. 220

CONCIO SEXTA.

Franciſcus de Paula Chriſto ſimillimus, fulgens 1.charitate, multis virtutibus commendata. 2.humilitate ab hominibus honorata. 3.poteſtate, miraculoſis operationibus manifeſtata. 225
I. PARS Franciſci charitas, Dominicæ charitatis imago commendatur, 1.magna abſtinentiæ auſteritate. 2.nudata terrenorum paupertate. 3 profunda humilitate. 225
II. PARS. Franciſcus Dominicæ humilitatis velut æmulus, fuit à 1.Regibus honoratus. 2 ſummis Pontificibus exiſtimatus. 3 divinis affinitatibus nobilitatus. 233
III. PARS. Magna Franciſci poteſtas 1 elementis imperans. 2.ægrotos ſanans, mortuosque ſuſcitans. 3.regibus dominans libereque increpans. 237

RELIGIOSA MONIALIUM CULMINA.

SCHOLIVM.

Inter religioſa Monialium culmina potiſſimum numerantur, 1.Scholaſtica. 2.Catharina. 3.Clara. 4.Joanna. 5.Urſula. 6.Thereſia.

CONCIO PRIMA.

Scholaſtica 1.à quo edocta. 2.ubi edocta. 3.quid edocta. 244
I.PARS. Scholaſtica à Chriſto edocta 1.nobilitatur. 2.illuſtratur. 3.juſtificatur. 245
II. PARS. Scholaſtica in ſolitudine 1.mundo occultatur. 2.cum Deo converſatur. 3.juſtificatur. 247
III. PARS. Scholaſtica velut columba habet 1.ſimplicitatem cum prudentia conjunctam. 2.charitatem cum pace fœderatam. 3 orationem gemitibus comitatam. 252

CON-

VII

CONCIO SECUNDA.

Mirabilis Deus in Catharina Senenſi, ob 1. ſcientiæ ſublimitatem. 2. admirabilem charitatem. 3. ſtupendam affinitatis nobilitatem. 256

I. PARS. Catharina 1 à Chriſto erudita. 2. à pueritia edocta. 3. de omnibus inſtructa. ibid.

II. PARS. Catharina tota dilectioni conſecrata 1. Chriſtum ardenter amat. 2. converſionem peccatorum zelat. 3. bona pro malis repenſat. 260

III. PARS. Sponſalia Catharinæ cum Chriſto commendantur, mutua 1. dilectione. 2. converſatione. 3. paſſione. 263

CONCIO TERTIA.

Clara eſt 1. aurora niteſcens. 2. luna pulchreſcens. 3. ſol ſplendeſcens. 267

I. PARS. Aurora ſuo rore 1. oculos recreat. 2. aves ad Deum laudandum invitat. 3. diei lucem annuntiat. ibid.

II. PARS. Clara pulchra ut luna, in 1. accretione. 2. plenitudine. 3. diminutione. 269

III. PARS. Clara electa ut ſol producit 1 flores lucis. 2. fructus lucis. 3. filias lucis. 272

CONCIO QUARTA.

B. Joanna 1. invictam patientiam demonſtrat. 2. corpus ſuum per pœnitentiam macerat. 3. pietati ſe conſecrat. 275

I. PARS. B. Joannæ patientia commendatur, 1. ſanctitate. 2. charitate. 3. humilitate. ibid.

II. PARS. B. Joanna corpus ſuum macerat 1. jejuniis. 2. ciliciis. 3. catenis ferreis. 278

III. PARS. B. Joanna magnum Dei demonſtrat amorem 1. mundum aſpernans. 2. pietati vacans. 3. religionem fundans. 280

CONCIO QUINTA.

Urſula 1. Chriſto deſponſatur. 2. numeroſa prole fœcundatur. 3. diademate coronatur. 283

I. PARS. Urſula Chriſto deſponſatur tanquam 1. Chriſtiana. 2. Virgo. 3 Martyr. 284

II. PARS. Urſula fœcunda fuit ut 1. Chriſtiana, virtutibus. 2. Virgo, virginibus. 3. Martyr martyribus. 290

III. PARS. Urſula coronatur trina aureola contexta ex 1. ſtellis. 2. liliis. 3. gemmis. 294

CONCIO SEXTA.

Thereſia Chriſti æmulatur amorem, 1. unione. 2. operatione. 3. paſſione. 299

I. PARS. Amor unit Thereſiam, cum 1. Deo. 2. proximo. 3. animabus exiſtentibus in purgatorio. ibid.

II. PARS. Operans Thereſiæ amor 1. Dei honorem zelat. 2. Carmelum reformat. 3. Eccleſiam fœcundat. 303

III. PARS. Thereſia patientem Chriſti imitans amorem, patitur in 1. honore. 2. corpore. 3. corde. 307

SANCTORUM CELEBRITATES.

SCHOLIUM.

In hoc Tractatu 1. Puerilis innocentia martyrio coronatur. 2. Invicta Laurentii fortitudo, igne probatur. 3. Magna Rochi charitas demonſtratur. 4. Anna, trino theſauro opulenter ditatur. 5. Magdalena, ſacris amoris ardoribus ſufflammatur, 6. Paſtoralis Genovefa conditio ſublimatur.

CONCIO PRIMA.

Innocentes martyres 1. perſequuntur Herodis credulitate. 2. recognoſcuntur Eccleſiæ authoritate. 3. coronantur Chriſti æquitate. 312

I. PARS. Herodes crudeliter 1. Innocentes trucidat. 2. matrum viſcera dilacerat. 3. proprium filium enecat. ibid.

II. PARS. Innocentes 1. Sancti venerantur. 2. Martyres declarantur. 3. immortalitate donantur. 319

III. PARS. Innocentes ſunt ut Chriſti 1. Ephœbi, regiis coloribus ornantur. 2. milites, palma victoriæ coronantur. 3. victimæ, ejus majeſtati immolantur. 324

CONCIO SECUNDA.

Per ignem Laurentii 1. fides probatur. 2. charitas commendatur. 3. victoria coronatur. 332

I. PARS. Laurentii fides fuit igne 1. examinata. 2. probata. 3. propagata. ibid.

II. PARS, Laurentius charitatis igne ſucenſus 1. eleemoſynas pauperibus liberaliter erogat. 2. martyrium ardenter deſiderat. 3. cruciatus patienter tolerat. 338

III. PARS. Laurentius triumphat 1. de timore, Tyranno inſultans. 2. de dolore, mediis in ſuppliciis delicians. 3. de prunarum ardore, ignem igne ſuperans. 342

CONCIO TERTIA.

Rochus magnam demonſtrat charitatem, 1. mundum deſpiciens. 2. ægrotis ſerviens. 3. dolores & anguſtias conſtanter patiens. 350

I. PARS. Rochus contemnens mundi facultates, voluptates & dignitates, amplectitur 1. paupertatem. 2. inſuavitatem. 3. humilitatem. ibid.

II. PARS. Rochus à mundo expeditus, totam ſuam curam erga ægrotos adhibet. 1. ad Xenodochia ſe recipiens. 2. ægrotis ſerviens. 3 peſtiferis ſanitatem impertiens. 355

III. PARS. Rochus invictam demonſtrat patientiam, 1. ardentiori febre ſufflammatus. 2. ſagitta vulneratus. 3. moriens incarceratus. 357

CONCIO QUARTA.

B. Anna eſt 1. dives pretioſo virtutis theſauro. 2. ditior Mariano theſauro. 3. ditiſſima Dominico theſauro, 361

I. PARS. B Anna 1.omnes virtutes congregat. 2.in ſpiritualibus divitiis cunctas veteris Teſtamenti fœminas ſuperat. 3.pietatis operibus abundat. 362
II. PARS. B Anna 1. Mater admirabilis,in conceptione demonſtratur. 2. Mater gratioſa,à filia ſanctificatur 3. Mater honorificata,per filiam honoratur. 364
III. PARS. B.Anna à Chriſto ditatur,ratione 1.propinquitatis. 2. charitatis. 3.authoritatis. 370

CONCIO QUINTA.

Magdalena ad pedes Chriſti in 1.Phariſæi domo pœnitens. 2.in Calvario patiens. 3. in horto diligens, 376
I. PARS. Magdalenæ pœnitentia commendatur 1.celeritate. 2.veritate. 3.æquitate. 377
II. PARS. Magdalena in Calvario patiebatur ob Chriſti 1.compaſſionem. 2.derelictionem. 3 dilectionem. 385
III. PARS. Magdalena in horto diligit 1.fortiter,cunctas difficultates ſuperans. 2.ardenter,nihil aliud præter Chriſtum cogitans. 3.conſtanter,in inquirendo dilecto perſeverans. 391

CONCIO SEXTA.

Genovefa 1,virtutibus ornatur. 2.patientia decoratur. 3.miraculis commendatur. 398
I. PARS. Genovefa ornatur 1.caſtitate. 2 humilitate. 3.charitate. Ibid.
II. PARS. Genovefa patienter pertulit cruces 1.electas. 2.immiſſas. 3.inflictas. 401
III. PARS. Genovefa 1.miracula edit. 2.Lutetiam protegit. 3.ignitum morbum extinguit. 404

SOLEMNIA APOSTOLORVM.

SCHOLIVM.

In hoc Tractatu commendantur, 1.Jacobus. 2.Matthæus. 3.Bartholomæus. 4.Thomas. 5.Mathias. 6.Marcus.

CONCIO PRIMA.

Jacobus major 1.Eccleſiæ decus formoſiſſimum. 2 Hiſpaniæ ſidus ſplendidiſſimum. 3. peregrinorum refugium frequentiſſimum. 407
I. PARS. Jacobus vere magnus 1.virginea puritate. 2.Apoſtolica dignitate. 3.conſummata martyrii charitate. ibid.
II. PARS. Jacobus Hiſpanos 1.illuminat. 2.Deiparæ devotione ſufflammat. 3.adverſus infideles propugnat. 411
III. PARS. Jacobi corpus eſt 1.Compoſtellam miraculoſe delatum. 2.ibi honorifice tumulatum. 3.à peregrinis religioſe veneratum. 416

CONCIO SECUNDA.

Matthæus Chriſti viſu & voce immutatus 1.paupertate decoratur. 2.dignitate honoratur. 3.proprio ſanguine purpuratur. 422
I. PARS. Admiranda prorſus 1.converſionis publicani velocitas. 2.Matthæi hoſpitalitas 3.humilis ejus paupertas. ibid.

II.Pars

II. PARS. Matthæus honoratur dignitate 1. Apoſtolica. 2. Evangelica. 3. Angelica. 428
III. PARS. Matthæus in altari immolatur velut hoſtia 1. virginitatis. 2. crudelitatis. 3. charitatis. 436

CONCIO TERTIA.

Bartholomæus Chriſti imitator 1. orationi vacans. 2. mundum illuminans. 3. invidia ſacerdotum, martyrium tolerans. 439
I. PARS. Bartholomæus in oratione 1 perſeverat. 2. pernoctat. 3. dæmonem expugnat. 440
II. PARS. Bartholomæus 1. Gentiles in idololatriæ tenebris verſantes, luce veritatis illuſtrat. 2. ſceleroſos vitiis aſſuetos, virtutis amore ſufflammat. 3. dæmonibus oracula edentibus, ſilentium imperat. 442
III. PARS Bartholomæus Chriſtum imitatur in martyrii 1. univerſalitate. 2. acerbitate. 3. diuturnitate. 445

CONCIO QUARTA.

In Thoma trina conſideranda eſt abyſſus 1. infidelitatis & nequitiæ. 2. benignitatis & miſericordiæ. 3. credulitatis & conſtantiæ. 451
I. PARS. Thomas reus 1. pertinacis incredulitatis. 2. tumentis temeritatis. 3. imprudentis perverſitatis. 452
II. PARS. Chriſtus miſericordiæ abyſſus Thomam 1 peccatorem immutat. 2. vulneratum ſanat. 3 excæcatum illuminat. 457
III. PARS. Thomas Chriſti miſericordia immutatus eſt abyſſus fidelitatis & conſtantiæ. 1. corde credens. 2. ore confitens. 3. pro fide moriens. 467

CONCIO QUINTA.

Matthias eſt 1. Apoſtatæ ſubrogatus. 2. juſto prælatus. 3. Apoſtolatu donatus. 473
I. PARS. Judas 1. multiplici crimine culpatur. 2. merito reprobatur. 3. ei in Apoſtolatu Matthias ſubrogatur. 474
II. PARS. Mathias Barſabæ juſto præfertur 1 Dei prædeſtinatione, 2. diſcipulorum electione 3. ſortis injectione. 482
III. PARS. Mathias 1. ad Apoſtolatum ſublimatur. 2 virtutibus decoratur. 3. de probe functo munere Apoſtolico commendatur. 488

CONCIO SEXTA.

Marcus 1. tanquam Evangeliſta, veritatem & virtutem manu conſignavit. 2. tanquam concionator, ore propalavit. 3. tanquam martyr, ſanguine confirmavit. 484
I. PARS Marcus Evangeliſta manu conſcriptum nobis offert Evangelium, commendatum 1. majeſtate. 2. veritate. 3. utilitate. 485
II. PARS. Quàm probe Marcus Evangelizatoris functus fuerit officio conſtat ex 1. multitudine populorum, quibus prædicavit. 2. promptitudine, qua tot regiones peragravit. 3. magnitudine fructus quem reportavit. 504
III. PARS. Marcus 1. ab ingratis morte mulctatur. 2. ignominia dedecoratur. 3. magno honore veneratur. 509

IX

SPES THEOLOGICA.

SCHOLIUM.

Spes 1. Mundana depretiatur. 2. Chriſtiana commendatur. 3. Ejus natura declaratur. 4. Trina diſcriminatur. 5. Præſumptionem averſatur. 6. Deſperationi contrariatur.

CONCIO PRIMA.

Homines terreni ſpem ſuam collocant in 1. bonis mundi fallacibus. 2. hominibus mendacibus. 3. operibus ſuis inanibus. 512

I. PARS. Mundani ſpem collocant in bonis ſæculi, quæ 1. titubant. 2. à cœlo avocant. 3. miſere infœlicitant. ibid.

II. PARS. Spes non eſt collocanda in hominibus ob defectum, 1. veritatis. 2. firmitatis. 3. poteſtatis. 515

III. PARS. Qui in ſemetipſis confidunt, 1. Phariſæos ſapiunt. 2. in terra ſuam mercedem recipiunt. 3 ſpem regni cœleſtis amittunt. 517

CONCIO SECUNDA.

Demonſtratur ſpei Chriſtianæ, 1. neceſſitas. 2. dignitas. 3. utilitas. 519

I. PARS. Spes neceſſaria eſt ad 1. humanam converſationem, 2. virtutis exercitationem. 3. cœli acquiſitionem. ibid.

II. PARS. Spei nobilitas deſumitur 1. à potentia, in qua ſubjectatur. 2. ab objecto, à quo ſpecificatur. 3 à cœleſti beatitudine, ad quam terminatur. 522

III. PARS. Spes affert bonum 1. utile. 2. delectabile 3. honorabile. 524

CONCIO TERTIA.

Spes 1. ad futuram beatitudinem terminatur. 2. certitudine ſolidatur. 3. meritis ſublevatur. 527

I. PARS. Spes terminatur ad 1. bonum. 2. arduum. 3 futurum. ibid.

II. PARS. Spei certitudo innititur divinæ 1 liberalitati 2. fidelitati. 3. poteſtati. 530

III. PARS. Spes 1. merito Deus ut nobis bonus amatur & deſideratur. 2. recte ex intuitu mercedis operatur. 3. optime beatitudo ex meritis ſperatur. 534

CONCIO QUARTA.

Trina eſt ſpes, nimirum 1. veniæ. 2. gratiæ. 3. gloriæ. 538

I. PARS. Spes veniæ innititur divinæ 1. miſerationi. 2. pollicitationi. 3. jurationi. ibid.

II. PARS. Spes gratiam expectat à 1 Dei miſeratione. 2. Chriſti paſſione. 3. pœnitentiæ ſuſceptione. 540

III. PARS. Spes gloriæ fulcitur 1. divinis promiſſionibus. 2. Chriſtianis operationibus. 3. toleratis ex juſtitia paſſionibus. 542

CONCIO QUINTA.

Præſumptio eſt rea 1. vanitatis. 2. temeritatis. 3. falſæ ſecuritatis. 547

I. PARS. Præſumptuoſus falſo ſibi arrogat, 1. innocentiam. 2. juſtitiam. 3. perſeverantiam. 548

II. PARS. Præſumptuoſus ſperat 1. abſque pœnitentia, veniam. 2. abſque ulla diſpoſitione, gratiam. 3. abſque ullis meritis, gloriam. 551

III. PARS. Præſumptuoſus falſa ſecuritate ſibi promittit 1. vitæ diuturnitatem. 2 gratiæ opportunitatem. 3. pœnitendi voluntatem. 554

CONCIO SEXTA.

Spes innititur 1. ſanctiſsimæ Trinitatis operationi. 2. Dominicæ redemptioni. 3. cœleſtis Hieruſalem protectioni. 557

I. PARS. Spes ponenda eſt in 1. Patris pietate. 2. Filii charitate. 3. Spiritus ſancti liberalitate 559

II. PARS. Spes innititur 1. Euchariſtiæ inſtitutioni. 2. Dominicæ aſcenſioni 3. glorioſæ Chriſti aſcenſioni 566

III. PARS. Confidere debent peccatores in auxilio Eccleſiæ triumphantis, ubi habent 1. Mediatorem benigniſſimum, patrocinantem. 2. Matrem benigniſſimam, auxiliantem. 3. cœtum fideliſſimum amicorum & proximorum patrocinantem 572

TEMPLA VENERANDA.

SCHOLIVM.

Templa 1. Dedicantur. 2. Venerantur. 3. Dei præſentia honorificantur. 4. Sacrificio commendantur. 5. Profanantur. 6. Vindicantur.

CONCIO PRIMA.

Templa merito 1. conſecrantur. 2. ſanctificantur. 3. ornantur. 577

I. PARS. Templa 1. conſecrantur. 2. ſub Sanctorum nominibus dedicantur. 3. conſecrationis ceremoniæ explicantur 578

II. PARS. Templa ſunt ſancta, ob ſanctitatis 1. deputationem: 2. comprehenſionem. 3. operationem 582

III. PARS. Templorum ornatus 1. vindicatur. 2. exceſſus non approbatur. 3. defectus condemnatur 585

CONCIO SECUNDA

Templum 1. rationabiliter veneratur. 2. quomodo venerandum ſit, declaratur. 3. ejus irreverentia condemnatur. 592

I. PARS. Templum eſt veneratione dignum, ob 1. res ſacras quæ ibi conſervantur. 2. ſacramenta, quæ adminiſtrantur. 3. ſanctas actiones, quæ operantur ibid.

II. PARS. Templum venerandum eſt 1. puritate cordis. 2. ſilentio oris. 3. modeſtia corporis 596

III. PARS. Irreverentia in templis, condemnatur exemplo 1. Chriſtianorum. 2. Judæorum 3. Paganorum 602

CONCIO TERTIA.

In templis Dei præſentia 1. ſapienter recogitatur. 2. humiliter adoratur. 3. inſolenter aſpernatur. 605

I. PARS. Deus ſpecialiter præſens in 1. cœlo. 2. Salomonis templo 3. Eccleſiæ ſacrario ib.

II. PARS. Præſens Dei majeſtas in Templis 1. adoratur. 2. laudatur. 3. formidatur. 608

III. PARS Impii in templo deſpiciunt, Dei 1. majeſtatem, quam colunt. 2. præſentiam, quam credunt 3. perſpicaciam, quam omnia conſpicere certo cognoſcunt 612

CONCIO QUARTA.

Miſſa ſacrificium eſt 1. demiſſe venerandum. 2. ſancte celebrandum. 3. devote audiendum. 615

I. PARS. Altaris ſacrificium eſt humiliter adorandum, ob 1. Dei, cui offertur majeſtatem. 2. Chriſti offerentis ſanctitatem. 3. hoſtiæ oblatæ dignitatem ibid.

II. PARS

II. PARS. Miſſæ ſacrificium eſt celebrandum cum 1. mentis puritate. 2. animæ ſanctitate. 3. corporis caſtitate, 618
III. PARS. Miſſæ ſacrificium audiendum eſt, cum 1. attentione mentis. 2. ſilentio oris. 3. modeſtia corporis. 620

CONCIO QUINTA.

Templum profanatur 1. vanis cogitationibus. 2. injuſtis devaſtationibus. 3. fœdis & obſcœnis actionibus. 625
I. PARS. Templum profanant qui 1. nullam curant animi attentionem. 2. in terrenis occupant mentis cogitationem. 3. habent ſceleroſam cordis affectionem. 626
II. PARS. Templum profanant 1. hæretici deſtructores. 2. Chriſtiani deprædatores. 3. ſacerdotes nundinatores. 628
III. PARS. Templum profanant 1. irreverenter ſe habentes. 2. inſolenter ridentes. 3. impudenter laſcivientes. 629

CONCIO SEXTA.

Juſtitiam oſtendit Deus 1. templi honorem zelans. 2. profanatores reprobans. 3. eos ſuppliciis mulctans. 633
I. PARS. Chriſtus zelo ſuccenſus nummulariorum æs, menſaſque ſubvertit. 2. vendentes & ementes de templo ejecit. 3. illos acriter reprehendit. ibid.
II. PARS. Deus 1. intrantes examinat. 2. ſtantes conſiderat. 3. profanantes reprobat. 635
III. PARS. Punit Deus profanantes 1. ſacram ædem ſibi dicatam. 2. Eccleſiam luce veritatis illuſtratam. 3. animam gratia ſanctificatam. 636

VERBUM DEI CONCIONATORIUM.

SCHOLIUM.

Conſideratur Verbi Dei, 1. Indigentia & neceſſitas. 2. Deſiderium & aviditas. 3. Excellentia & dignitas. 4. Vis & efficacitas. 5. Fructus & utilitas. 6. Contemptus & vilitas.

CONCIO PRIMA.

Sermo Dei eſt 1. appetendus. 2. ſumendus. 3. digerendus. 641
I. PARS. Sermo Dei 1. ſapienter appetitur. 2. miſere faſtiditur. 3. infœliciter rejicitur. ibid
II. PARS. Sermo Dei eſt cibus neceſſarius 1. infantibus. 2. convaleſcentibus. 3. itinerantibus. 642
III. PARS. Sermo Dei eſt 1. in aure recipiendus. 2. ad intellectum tranſmittendus. 3. in corde digerendus. 647

CONCIO SECUNDA.

Sermo Dei eſt 1. ante concionem avide appetendus. 2. tempore concionis devote audiendus. 3. poſt concionem, ſedulo cuſtodiendus. 647
I. PARS. Sermo Dei 1. à malo liberat. 2. bonum præſtat. 3. beatitudinem comparat. ibid.
II. PARS. Sermo Dei audiendus eſt 1. attente & ſilenter. 2. modeſte & graviter. 3. demiſſe & reverenter. 649

III. PARS

III. PARS. Sermo Dei eſt 1.memoriæ retinendus. 2. mente digerendus. 3.ad morum compoſitionem adhibendus. 651

CONCIO TERTIA.

Sermo Dei dignificatur ex analogia cum 1.Trinitatis myſterio. 2. Incarnationis ſacramento. 3. Altaris ſacrificio. 654

I. PARS. Verbum Dei eſt 1.illuminans. 2.ſufflammans. 3.operans. ibid.

II. PARS. Qui audiunt verbum Dei 1.de ejus conceptu glorificantur. 2.Chriſti matres prædicantur. 3 beatificantur. 655

III. PARS. Verbum Dei eſt ſacrificium commendatum, 1. victimæ oblatione. 2.immutatione. 3.oblatione. 657

CONCIO QUARTA.

Sermo Dei eſt verbum 1.inſultatorium. 2.triumphatorium. 3.vitæ extructorium. 658.

I. PARS. Verbum inſultatorium 1.non blandiens. 2.corrigens. 3.nemini parcens. ibid.

II. PARS Triumphatorium de 1.diaboli aſtutiis. 2.mundi fallaciis. 3.carnis blanditiis. 659

III. PARS. Verbum extructorium 1.ad legis obſervantiam inducens. 2.ad virtutem accendens. 3.gloriæ acquiſitionem ſuadens. 660

CONCIO QUINTA.

Verbum Dei 1.ſol appellatur. 2.talentum vocitatur. 3.ſemen nuncupatur. 662

I. PARS. Verbum Dei eſt ſol 1 illuminans. 2.ſufflammans. 3 fœcundans. ibid.

II. PARS. Auditores verbi Dei, 1.pigri. 2.activi. 3 contemplativi. 666

III. PARS. Semen eſt verbum Dei, quod 1.ſecus viam conculcatur. 2.inter ſpinas ſuffocatur. 3.in terram bonam injectum fœcundatur. 667

CONCIO SEXTA.

Verbum Dei ſceleroſi Chriſtiani 1.dedignantur. 2.aſpernantur. 3.averſantur. 668

I. PARS. Verbum Dei dedignantes pravi Chriſtiani, illud 1.parvipendunt. 2.non appetunt. 3 audire negligunt. 669

II. PARS. Verbum Dei eſt 1.attente audiendum. 2.mente percipiendum. 3. ſibi attribuendum. 670

III. PARS. Infœlices Chriſtiani, qui 1.verbo Dei reluctantur. 2.illud dedignantur. 3.averſantur. 671

FINIS.

RELIGIO

RELIGIO SERAPHICA.

SCHOLIUM.

1. Franciſcus Chriſto configuratur : 2. Bonaventura Eccleſiæ unitatem moderatur : 3. Ludovicus Archiepiſcopali dignitate decoratur : 4. Antonius miraculis commendatur : 5. Bernardinus egregius Concionator prædicatur : 6. Petrus de Alcantara verus pænitens demonſtratur.

CONCIO PRIMA.

I*Pſo titulo filii hominis cenſetur Chriſtus*: Chriſtus DEUS eſt Tert.lib.4
& homo, filius DEI in æternitate productus à Patre; fi- adv.Marc.
lius hominis, in tempore generatus à Matre. *Viſus Ba-* 10
bylonio regi in fornace cum Martyribus quartus tanquam fi- Tert. ibid.
lius hominis. Alludit Tertullianus ad Nabuchodonoſor,
qui conſpexit in fornace quatuor viros ſolutos, & ambu-
lantes in medio ignis. *Et ſpecies quarti ſimilis filio DEI.* Non conveniunt in- Dan. 3
ter ſe Doctores, quisnam ſit ille quartus ſimilis filio DEI viſus à rege Baby-
lonico: Tertullianus cenſet fuiſſe ipſummet DEI filium, viſum *in habitu car-* Lib. de
nis nondum natæ, quem adhuc inter Angelos Abrahæ apparuiſſe aſſeverat: Car. Chr.
Atquin tunc quoq; inter Angelos illos ipſe Dominus apparuit Abrahæ ſine nativitate 6
cum carne. Verum omiſſa Tertulliani mente, D. Bonaventura Seraphicum
Franciſcum Chriſto ſimillimum prædicat: *O vere Chriſtianiſſimum virum,* In Vit. S.
qui & vivens Chriſto viventi, & moriens morienti, & mortuus mortuo, perfecta Franc. c. 14
eſſe ſtuduit imitatione conformis, & expreſſa promeruit ſimilitudine decorari; ut ex
profeſſo demonſtrat Bartholomæus Piſanus, toto Conformitatum libro.
Hujusmodi autem ſimilitudo tanta eſt, ut Franciſcus velut alter videatur
Chriſtus. Siſigambis Darii Perſarum regis mater, in prælio capta,

 & ad

& ad victorem deducta, cum Epheſtionem pro Alexandro ſalutâſſet inſcitiæ & erroris ab eo veniam poſtulans: Non eſt, inquit, cur doleas, ô Regina, quia *hic Alexander eſt.* Idipſum de beato Franciſco poteſt dici, qui velut alter videtur Chriſtus: quia *omnibus virtutibus repræſentat Chriſtum*: præſertim, in mundi condemnatione, Eccleſiæ ſuſtentatione, & dominicâ repræſentatione. Franciſcus ſub trino poteſt conſiderari reſpectu: ſcilicet in ordine ad mundum, in ordine ad Eccleſiam, in ordine ad Chriſtum, & ſub trino illo reſpectu, eſt 1. Judex mundum condemnans: 2. Fulcrum Eccleſiam ſuſtentans: 3. Imago Chriſtum repræſentans.

[Quint Cur. — Chryſol. Serm. 88]

Hinc prima judicii, unde delicti origo. Delictum ab homine commiſſum ſumpſit originem à dæmone fœminam tentante; ab Eva à diabolo ſeducta, Adamum ſollicitante, & ab Adamo, dæmonis tentationi, & Evæ ſuaſioni, libere conſentiente. *Inde prima judicii origo*; nam DEUS ſerpentem ad eſum terræ, Evam ab obſequium viro præſtandum, & Adamum ad laborem damnavit & ad mortem. Ex D. autem Proſpero ſerpens tentavit protoparentes concupiſcentiâ carnis, concupiſcentiâ oculorum, & ſuperbiâ vitæ. Concupiſcentiâ carnis, perſuadens eis ut de ligno vetito comederent: Concupiſcentiâ oculorum, falſo promittens: *Aperientur oculi veſtri*: Superbiâ vitæ, mendaciter aſſeverans, *Eritis ſicut Dii.* Eodem modo Adami nepotes aggreditur dæmon. Dilecto namque Diſcipulo teſte, *omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Ab his tribus præſertim *mundialis ſpiritus*, ſuam à diabolo ſumit originem. Mundialem ejuſmodi ſpiritum, ſuâ incarnatione, nativitate, & vitâ judicavit Chriſtus Dominus; mundi condemnans ſuperbiam ſuâ humilitate; laſciviam ſuâ puritate; avaritiam ſuâ paupertate. At *nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Nam Beatus Franciſcus velut alter Chriſtus, jam judicatum & condemnatum à Domino mundum, & mundialem ſpiritum, denuo judicat & condemnat, ſuâ, 1. humilitate: 2. caſtitate: 3. paupertate.

[Tert. l. de Pat: 5 — Lib. 2 de Vit. Contempl. 19 — Gen. 3 — 1. Epiſt. 2. — Tert. l. 4 adv. Marc: 36 — Joan. 3]

I. PARS. 1. Chriſtus Dominus *in humilitate & ignobilitate inceſſit*, ut Chriſtiani ejus doctrinam ſectantes, & converſationem imitantes, *ſuperbiâ elimarentur*; in qua præſertim conſiſtit *vita mundialis.* Siquidem in mundo maxime viget ſuperbia vitæ. Tigurina vertit *faſtus vitæ*: Siriaca, *faſtus ſæculi*: D. Auguſtinus, *ambitio ſæculi*: Vatablus, *Arrogantia, inſolentia, & oſtentatio mundi.* Alii tandem *jactantia, gloriatio, ſui prædicatio*: quæ omnia ſunt ſuperbiæ ſpecies, partes, proprietates vel notæ. Uti autem ſuperbia vitæ, eſt ambitio, faſtus, gloriæ & excellentiæ appetitus: ita ſuperbiæ concupiſcibile ſunt veſtes ornatæ; ampla palatia, ſupellectilia pretioſa, rhedæ deauratæ, dignitates ſublimes, prælaturæ & dominationes, aliaque ejuſmodi quæ ſuperbum efficiũt pavoni ſimilem. Pavo alas ſuas explicans, pompatice incedens, eſt vera ſuperbi imago, mundi pompâ indebite ſectantis. Poſtquam Chriſtus Dominus *gloriam ſæculi alienam & ſibi & ſuis judicavit. Igitur quam noluit rejecit, quam*

[Tert. l. de Idol. 18 — Tert. l. de Pud. 14 — Tert. l. de Reſ. 46 — Tert. l. de Idol. 18]

reje-

rejecit, damnavit; quam damnavit in pompa diaboli deputavit. Non enim damnaſſet niſi non ſua; alterius autem eſſe non poſſunt niſi diaboli, quæ DEI *non ſunt.* Sæculi pompam à Chriſto ſolitam, rejectam & velut ad diabolũ pertinentẽ, damnatam, ſuâ adhuc humilitate judicat & condemnat B. Franciſcus.

Mundi nomine *mundialis vita* denotatur, quam ducunt homines mundani, & ut fatur D. Auguſtinus amatores mundi, impii & iniqui. Qui ad inſtar diaboli qui eſt princeps ſuper omnes filios ſuperbiæ, tument, quos judicat & condemnat humilis Franciſcus Nam illi 1. ſunt *in altum elati*; Franciſcus verò eſt demiſſus & dejectus: 2. Illi præclaros uſurpant titulos, & ut fatur Tertullianus, *nominis phantaſma* affectant: Franciſcus verò nõ ſectatur *nomen grande* magnitudinem ſeu celſitudinem ſapiens, ſed minoris vocabulum; & ut ſui diſcipuli ſedulò humilitati vacent, eos Minores voluit nuncupari. 3. Illi palatia deſiderant, amplamque & ornatam exquirunt domum *: ut campum in quo ambitio decurrat*: Franciſcus verò habitat in cellula, quæ videtur potius mortui ſepulchrum, quàm viventis habitaculum. 4. Illi lautas & opulentas habent menſas; etenim *ciborum ambitio* quâ æſtuant, magnis ſumptibus pretioſas quæque & delicatas ſuis uſibus dapes accomodat: Franciſcus verò fere totam in abſtinentiâ & jejunio pertranſit vitam. 5. In illis apparet *veſtis inflatior*, argento, auro & gemmis intexta: Franciſcus verò eſt *veſtitu incultus*, ſacco potius quàm veſte indutus. 6. Tandem illi faſtum & arrogantiam in vultu, inceſſu, ſupercilio & univerſaliter in cunctis oſtentant, quapropter unum illorum pungit Tertullianus: *Sed tu ſupercilia capitis, nutu digiti accommodato, altius tollens, & quaſi retrò jactans*: Franciſcus verò humilitatem in omnibus demonſtrat, incedens *concreto vultu, ſuſpenſo ſupercilio*, manibus in manicâ occultatis, oculis in terram demiſſis, condemnans ſuâ humilitate tumidos, *mundialiter vivere* per ſuperbiam ſatagentes.

Tert. l. de Reſ. Carn. 46
In Pſal. 54
Tert. l. de Pud. 7
L. 3. adv. Marc 15
Tert. l. de Pall. 3
Tert. lib. 2 ad Uxor. 8
Tert. l. 2 adv. Marc 18
Tert. l. de Pall. 4
Tert. l. de Idol. 18
Lib: adv. Herm. 27
Ter. l. adv. Valent. 1
Tert. l. de Reſ: 46

D. Bernardus tres diſtinguit humilitatis gradus. Cordis ſcilicet, oris, & operis. *Cordis*, quo quis de ſe demiſſe ſentit, aliosque idem ſentire deſiderat. *Oris*, quo nihil in ſui laudem, ſed potius in ſui contemptum & vituperium loquitur. *Operis*, quo demiſſionẽ quam in corde ſentit, & ore prodit, & opere exprimit. Tres illi humilitatis gradus in beato Franciſco refulgent. Et quidem cordis humilitas, quâ ſe peccatorem maximum exiſtimat. Humilitas etiam oris, quâ confitetur quod ſi DEUS mortalium ſceleratiſſimo tantam ac ſibi largitus eſſet gratiam, ſe melior & ſanctior extitiſſet. Tandem humilitas operis, quâ, veſte demiſsâ, fune ad collum ligato, ſeminudus trahi ſe præcipit ad inſtar jumenti, ad inſtar latronis, aut ſicarii ad lapidem in quo collocari, & ſtare ſolerent publicæ deſtinati infamiæ: tum ex illo, velut ex pulpito, altâ voce pronuntians ſe non ut hominem abſtemium & ſanctum habendum: ſed ut guloſum & prophanum, publicâ infamiâ dignum.

Tract. de Grad. Humil.

Ex Divo adhuc Bernardo tres ſunt gradus, ſeu potius profectus humilitatis. *Primus nolle dominari : ſecundus, velle ſubjici : tertius, in ipſa ſubje-*

Ser: 41 de Diverſis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſubjectione quaslibet contumelias & injurias illatas aquanimiter pati. Tres illos humilitatis conſpicio gradus ſeu profectus in B. Franciſco: primum quidem, nam interrogatus ab Hugone Cardinale, eſſentne fratres evehendi ad infulas, & Eccleſiaſticæ dignitatis gradus, uti fuerunt Apoſtoli, licet pauperes cenſu, humiliter reſpondit: *Domine, ideo Minores vocati ſunt fratres mei, ut majores fieri non præſumant.* Secundum etiam, ob illum enim humilitatis profectum, abdicavit generalatum, in Conventu obtemperans Guardiano, in itinere obſequens ſocio; teſtans ſe libentiſſime obſecuturum novitio unius diei. Nec mirum, quia in illo fulgebat trina illa humilitas de quâ fatur melliflu us Doctor; nempe ſufficiens, abundans, & ſuperabundans. Sufficiens, quâ homo ſubdit ſe majori, & non præfert ſe æquali. Abundans, quâ homo ſubdit ſe æquali, & non præfert ſe minori: Superabundans, quâ homo ſubdit ſe minori, & nulli ſe præfert. Tertium tandem humilitatis profectum; nam ingrediens Aſſiſium fame extenuatus, veſte laceratâ indutus, ut ſtultus eſt habitus, verbis deluſus, luto & ſaxis impetitus in patriâ ſuâ, à ſuis concivibus: tot tamen ac tantas contumelias libenti animo eſt perpeſſus ad inſtar Chriſti Domini qui fuit *nullificamen populi.*

Tract. de Statu Virtut. p. 1

Tert. lib. 3 adv. Marc 17

Subjungit D. Bernardus: *Eſt virtus humilitatis in corde, ſpecies humilitatis in ore; labor humilitatis in opere; fructus humilitatis & in perventione.* Franciſcus namque humiliter de ſe in corde ſentiens; humilitatem ore præferens, conſtanter irriſiones & contumelias perferês, meruit occupare ſublimem illam in cœlo ſedem, de quâ Luciferum ejecit ſuperbia. Sic *humiles ſublimitate, ſublimes humilitate mutantur,* ut conſtat ex Lucifero & Franciſco: Lucifer namque *poſitus in monte ſancto DEI, id eſt in ſublimitate cœleſti, de qua ſatanam Dominus decidiſſe teſtatur*; ad eam ſublimatus eſt humilis Franciſcus, ut Fratri Pacifico revelatum eſt, qui in extaſim raptus, vidit aperiri & patere cœli regiam, in quâ aliæ atque aliæ ſedes, quas inter eminebat una, auro, gemmis, & diviniore quâdam luce conſpicua, ſed vacua: quæſivit ecquæ eſſet illa ſedes, & cui ſervaretur; & audivit ex eâ excidiſſe è cœleſtibus geniis unum aliquem, & modo ſervari humili Franciſco; qui *quanto humilior tanto capacior, tanto plenior. Colles enim aquam repellunt, valles implentur,* ut patet in Franciſco qui fuit ſublimatus ob humilitatem, & gloriâ coronatus ob angelicam puritatem quâ mundi condemnavit laſciviam.

Barthol Piſan l. 1 conformit Fructu 8

Tertull. Apol 20

Tert. lib. 2 adv Marc 10

Vading: to: 1. ann. Minor anno 1212 num. 40

D. Auguſt Serm. 74 de temp.

2. *Habuerint priſtina tempora, omnis impudicitia etiam poteſtatem. Luſerit ante Chriſtum caro, imò perierit antequam à Domino ſuo requiſita eſt. At ubi Sermo DEI deſcendit in carnem, qua ad lignum, non incontinentia, ſed tolerantia accederet; qua non dulce aliquid, ſed amarum aliquid inde guſtaret; qua non ad inferos, ſed ad cœlum pertineret; qua non laſciviæ floribus, ſed ſanctimoniæ frondibus præcingeretur; qua munditiis ſuas aquis traderet; exinde caro quæcunque in Chriſto reliquas ſordes priſtinas ſolvit, alia jam res eſt, nova exurgit jam, non ex ſeminis limo, non ex concupiſcentiæ fimo, ſed ex aqua pura & ſpiritu mundo.* Humana caro ante Verbi

Tert. l. de Pudic. 6

Incar-

Incarnationem ludebat, gulæ & impudicitiæ vacabat; ad quod induceba-
tur tum ſceleroſa orci doctrina, tum depravato falſorum deorum exemplo.
Gentiles concupiſcentiæ fomite ſufflammati, Jovis, Veneris, aliorumq; nu-
minum libidinibus auctorati, tot immergebantur cœnoſis impudicitiis
quod Tertulliano teſte, *haud facile has purulentias civitatis quis eliciet, & exſup-* L. de Pall.
perabit, niſi ſermo palliatus. Id eſt, Dei Filius humana carne indutus, qui ſuo 5
adventu humanæ carnis damnavit laſcivias, & homines tam verbo quàm
exemplo ad caſtitatis ſuccendit amorem. Quanto verus Deus eſt falſis no-
minibus dignior, tanto exemplaris ejus puritas præponenda eſt Jovis, Ve-
neris, Martis vel Apollinis impudicitiæ. *Perfectior Chriſtus: eo quoque nomine* Tert. l. de
perfectior, quo integrior. Neque ſolùm ſuo exemplo ſed etiam cœleſti ſua do- Mon. 5
ctrina, mundi condemnavit laſciviam, & homines ad caſtitatem ſtimula-
vit, quam ideo Tertullianus nuncupat *principalem Chriſtiani nominis diſcipli-* L. de Pud.
nam. At proh dolor! quantumvis edocta à Verbo humanato pudicitia, quã- 1
tumvis poſt Dei humanationem Chriſtiani teneantur fugere libidinem, &
ſtudere caſtitati, hac tamen tempeſtate ita à mundo exulat pudicitia, & im-
pudicitia graſſatur, ut vere dicat Evangeliſta Joannes: (Omne quod eſt in
mundo, eſt concupiſcentia carnis.) Sicut autem concupiſcentia carnis eſt
luxuria, ita concupiſcibile carnis ſunt mulieres, reſque venereæ, quas libidi-
noſi equorum more inſequuntur. Carnis namque concupiſcentia *eo uſque* Tert. l. de Pud. 1
jam exolevit, ut non ejuratio, ſed moderatio libidinum, pudicitia credatur; iſque ſatis
caſtus habeatur, qui minus caſtus fuerit.

Nunc judicium eſt mundi; nam condemnatam à Chriſto laſciviam bea-
tus Franciſcus denuo condemnat. Tria potiſſimum ſufflammant ad libidi- Tert. l. de
nem. 1. Gula. *Monſtrum haberetur libido, ſine gula.* Ideoque ſunt *fundamenta* Jejun. 1
mœchiæ ab Apoſtolo effoſſa, cum ebrietates & comeſſationes compeſcit. 2. Mulieris Tert. l. de
aſpectus. *Chriſtianus ſalvis oculis fœminas non videt.* 3. Carnis concupiſcentia, Pud. 17
ideoque tentatio illa *potentiſſima eſt, quæ venit de concupiſcentia carnis.* Beatus Tert. Apol. 46
Franciſcus adverſus tria illa incentiva libidinis, tria validiſſima oppoſuit re- Tert. l 1. ad Ux. 4
media. 1. Gulæ continuum oppoſuit jejunium, pro cibo utens pane aſperſo
cinere, pro potu verò, aqua frigida. *Rejecta ſane gula, & ſpurcitia* rejicitur. Tert. l. 2 ad Nat. 8
2. Adverſus *preſtigias formæ* muliebris, oculorum adhibuit cuſtodiam, ini-
ens fœdus cum illis ne quicquam cogitarent de fœmina. Licèt enim fratri Tert. l 2 de Cult.
Leoni fuiſſet revelatum Franciſcum annumerandum fore in cœlo inter Fœm. 8
virgines mente & corpore raro cum fœminis converſabatur, neque
unquam in earum faciem injiciebat oculos, corpore & *animo adverſus libidi-* Tert. Apol. 48
nem cæcus. Tandem 3. ut *occideret in ſe concupiſcentiam libidinis*, carnem aſſi- Tert. l. de
duis domabat afflictationibus: cubile illi, aut dura humus, aut durius lig- Exh. Caſt.
num, & lapis pro cervicali: veſtis aſpera & rudis, intexta intrinſecus nodulis, 11
ut durior appelleret carnem: funiculis & catenulis corpus ſingulis diebus
& noctibus diverberabat, dilaceratoque & edomito ſic corpuſculo dice-
bat: (Eia frater aſine, ſic te decet manere, ſic ſubire flagella.) Corpus tanta

pœnitentia affligebat; ut morti proximus, ab eo poſtulaverit veniam; quòd in illud nimis ſeverus & quodammodo ſævus fuiſſet. Et ne cunctas carnis afflictationes ſingillatim perſequar, inter vepres ad inſtar Benedicti corpus dilaniavit; adulta hyeme, auraque perfrigida, in aquam à gelu, rigidisque aquilonibus concretam, ad inſtar Bernardi ſeſe immerſit; in gelidam nivem, nudo ingreſſus corpore, in eaque tandiu volutatus, quoadusque frigore ſuperaſſet ardores libidinis. Et cum dæmonis aſtutia, venuſta mulier, adhibitis pretioſis veſtibus, colorum pigmentis, adorta eſſet Franciſcum blandis ſermonibus, laſcivisque actionibus, eum ad laſciviam inducere niteretur: Franciſcus multo Martiniano conſtantior, Venereæ mulieris haud blanditiis acquieſcens, magnam carbonum ardentium copiam ſupra pavimentum expandens, omnibus ſe veſtibus exuens, ſuper prunas corpus verſans, impudicæ dicens mulieri ut ſi ſuum ambiret concubitum, ſuper ignitos illos carbones eum attentaret: tali ſpectaculo ſtupefacta mulier aufugit.

Tert. l. de Pud. 22 — Franciſcus his aliisque afflictationibus *titillatam deprimens carnem*, Angelica ſua puritate mundi condemnat laſciviam, non ſecus ac avaritiam alta & eminenti paupertate.

Tert. l. de Pat. 7 — 3. Chriſtus Dominus *ſemper pauperes juſtificat*. Pauperes ſpiritu beatos

Tert. l. de Pat. 11 — prædicat, eisque cœlorum pollicetur regnum. *Beati pauperes ſpiritu, illorum eſt enim regnum cœlorum.* Divites verò increpat de divitiis tumentes, eisque in

Tert. li. 4 adv. Marc. 15 — malum abutentes: *Sic & in filias Sionis invehitur per Eſaiam, cultu & abundantia divitiarum inflatas.* In quos adhuc maledicta vibrat: *Væ divitibus. Quoniam*

Tert. ib. — *inquit recepiſtis advocationem veſtram, utique ex divitiis, de gloria earum, & ſæcularibus fructibus.* Tandem Salvator *divites prædamnat*, id eſt, etiam ex tunc

Tert. l. de Pat. 7 — ante ſupremum vitæ diem, ſempiternis pœnis deſtinatos declarat. Neque

Tert. l. de Idol. 18 — duntaxat verbo, ſed etiam exemplo Chriſtus divitias depretiat, & paupertatem commendat. *Nam filius, inquit, hominis non habet, ubi caput collocet.* D.

Ser. 1. de Virg. Nat. Dom. — namque Bernardo, *Paupertas non inveniebatur in cœlis, porro in terris abundabat, & neſciebat homo pretium ejus: hanc itaque Dei Filius comprimens, deſcendit, ut eam obligaret ſibi, & nobis quoque ſua æſtimatione eam faceret pretioſam.* Inde

L. de Pat. 7 — divitiarum contemptum colligit Tertullianus. *Nec major ad pecuniæ contemptum exhortatio ſubjacet, quàm quòd ipſe Dominus in nullis divitiis invenitur.*

D. Bern. ſer. 4 in Rā. palm. — Verum licet Zacharias Propheta Hebreæ genti *ſignum dederat intelligendi Salvatorem, ipſam qua ſuperbis viluit, paupertatem*: Ipſe, inquit, pauper, & a-

Zachar. 9 — ſcendens ſuper aſinum. Licet hoc ſigno dignoſcendus fuerit Chriſtus, cujus regnum non eſt de hoc mundo, quia ſubjungit D. Bernardus; *ad debellandam ſuperbiam qua regnat in mundo, paupertatem evangelizavit, ſicut verbo ſic etiam exemplo*: A tamen omne quod eſt in mundo eſt oculorum concupiſcentia. Porro ſi ut oculorum concupiſcentia eſt avaritia & curioſitas, ita concupiſcibile oculorum eſt aurum, argentum, gemmæ, prædia, opes, res curioſæ & pretioſæ, quas concupiſcit avaritia ſeu avarus.

Damnatam à Chriſto ſæculi avaritiam, denuo condemnat beatus Franciſcus

ciſcus,amicus pauperum,paupertatis amator. *Adminiſtratio probat pauperum* D. Bern.
amatorem;quibus liberaliſſime eleemoſynas erogabat. Ad munificum & Ep. 100
perfecte liberalem ſpectat,*in donando valde excellere:*hoc eſt,exuberare , & L.4. Ethi.
quodammodo fluviorum inſtar, munificentiæ amore & ſtudio,extra ripas
velut diffluere.Proprium eſt Chriſtianorum *indigentibus refrigerare*; hoc eſt Tert l. ad
cibos & alia neceſſaria largiri,ad conſolandam & reficiendam eorum ino- Scapul.4
piam.Hanc pro viribus ſublevabat Franciſcus;qui cùm quadam vice nego-
tiis occupatus,denegaſſet eleemoſynam egeno poſtulanti, mox pœnitentia
ductus inſecutus eſt eum,largitus eſt ei eleemoſynam , voto ſe adſtringens
nunquam denegaturum inopi pro Dei amore petenti.Nonna GregoriiNa- Orat.19
zianzeni mater *immodico amore largiendi* ducebatur. *Habes ex iſto fomite æ-* Tert.l. de
ſtuantem Franciſcum.Munificentiſſima in egenos fuit Paula Romana,cujus Pall.4
ut fatur D.Hieronymus,*Liberalitas ſola excedebat modum*.Franciſcus quoque Epiſt.22
nullum in largiendo ſervabat modum,paternas divendens merces, equum
etiam cui inſidebat:indeque provenientem pecuniam fuſe pauperi largiens
Sacerdoti ; tum ut ſibi ſubveniret, tum ut ſancti Damiani repararet Eccle-
ſiam; Martinus partem chlamidis qua operiebatur,pauperi *nuditate algido* Chryſol.
dedit.Franciſcus non dimidiatam chlamidem,ſed integram veſtem,non ſe- ſer.16
mel,ſed multoties dedit pauperibus.Proprium eſt liberalis,ait Philoſophus,
non reſpicere ad ſeipſum,ſed minora ſibi relinquere. Hanc doctrinam ad praxim L.4.Ethic.
redigens Franciſcus,pallium & indumentum largiebatur egenis , quorum
laceratas deferebat veſtes;& dum dono aliquid accipiebat, à datore pete-
bat licentiam illud magis inopi denuo largiendi. *Qui pauper eſt & ægrotat,* Gregor.
duplici laborat paupertate. Binam illam paupertatem ſublevare nitebatur Nyſſ.orat. de Benef.
Franciſcus,largiens egentibus,& ægrotantibus miniſtrans pauperibus;præ-
ſertim leproſis quorum detergebat & oſculabatur ulcera. *Fac calamitoſo ſis* Gregor.
Deus,Dei miſericordiam imitando, & Chriſti pietatem, qui leproſos ſanavit. Naz.orat. 16
Chriſtianus nec in pauperem ſuperbit; quia Chriſtum in paupere recognoſcit, Tert.A-
cùm *ſe Deus amore pauperis ſic deponat,ut non adſit pauperi, ſed ipſe ſit pauper.* pol.46
Inde Chriſtianum hortatur D.Chryſoſtomus : *Cùm vides pauperem, corpus* Chryſol. ſer.16
Chriſti,aram Chriſti,te vidiſſe puta;& reverere. Quemadmodum qui paupe- Hom.20
rem honorat,Chriſtum Deum in paupere reveretur ; ita *qui pauperem deſpi-* in 2. Cor.
cit,Deo injuriam facit; juxta iſtud Proverbiorum: (Qui contemnit paupe- D. Bern. l.
rem,exprobrat factori ejus.)Tumidos & arrogantes Chriſtianos *ſplendidos* de Mod.
eſſe cenſu criminis ſui,cenſet Tertullianus,quos *inſolentes præſtat opulentia* , ex ben.viv. cap.37
qua contemnendi pauperes ſumunt occaſionem.Qui ſunt hujuſmodi,mul. Cap.17
tum à Franciſco diſcriminantur,tanta veneratione egenos proſequente,ut Lib de
cùm aliquando vidiſſet Fratrem quemdam , pauperis eleemoſynam poſtu- Spect.7
lantis importunitatem ægre ferentem;mandaverit illi ut ſe ad pauperis pe- D.Hier. in Pſal 37
des dejiceret,ab eoque inurbanitatis veniam deprecaretur : quia cùm pau-
peres Chriſtum ejuſque Matrem pauperem repræſentent,modeſte,urbane
& humiliter tractandos dicebat.

D Bern. Ep 95

Verum, *aliud eſt reficere ventrem eſurientis, aliud ſanctam zelare paupertatem: ibi enim ſervitur naturæ, hic gratiæ.* Inde patrem Vilhelmi Monachi Clarevallenſis ſic alloquitur D. Bernardus:

Epiſt. 103

Volo te eſſe amicum pauperum, magis autem paupertatis amatorem. Ille gradus proficientium eſt, hic perfectorum: Amicitia pauperum regum amicos conſtituit; amor paupertatis, reges. Quia, ut ſubjungit D. Bernardus pauperes ſpiritu humanata *veritas beatos clamat, & reges*

Epiſt 100
Serm. 1. in Feſt Omn. Sanct.

pronuntiat cœlorum. Ut autem acute animadvertit D. Bernardus, prædicantur *beati pauperes, non rebus, ſed ſpiritu.* Ex melliflo namque Doctore diligenter attende, *quòd non ſimpliciter pauperes nominat, propter plebeios pauperes, neceſſitate miſerabili, non laudabili voluntate.* Sed eos qui voluntariam aſſumunt

Pſal. 53

paupertatem, qui poſſunt dicere cum Propheta: (Voluntarie ſacrificabo tibi.) Sed nec omnis voluntaria paupertas laudem habet apud Deum: nam & Philoſophi omnia ſua reliquiſſe leguntur, ut expediti mundialibus curis, ſtudio vanitatis poſſent vacare liberius, & nolebant cenſu abundare terreno, ut abundarent magis in ſenſu ſuo. *Vox diſcernit quod dictum eſt ſpiritu, id eſt, ſpirituali voluntate.* Beati ergo pauperes ſpiritu, *ſpirituali ſcilicet intentione, deſiderio ſpirituali propter ſolum beneplacitum Dei, & animarum ſalutem,* quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. *In aliis virtutibus promiſſio futuro tempore indicatur: paupertati non tam promittitur, quàm datur.* Verum ſciſcitatur

D Bern. ſer. 4 de Advent. Dom.
Ser. 1 in feſt. omn. Sanct.
D. Bern. ſer 1 Feſt. Omn. Sanct.

D. Bernardus: *Quid ſibi vult, quod eadem promiſſio facta eſt pauperibus & martyribus, niſi quia veri martyrii genus paupertas voluntaria eſt. Quod martyrium gravius eſt quam inter epulas eſurire, inter veſtes multoties pretioſas algere, paupertate premi inter divitias quas offert mundus! Quas oſtendit malignus, quas deſiderat noſter ipſe appetitus?* Et ne dubites Chriſtiane *paupertatem eſſe beatam*, recogita quòd incarnata *Veritas loquitur, quæ nec falli, nec fallere poteſt: & ipſa eſt quæ dicit,* quoniam beati pauperes ſpiritu. Paupertatis beatitudinem indubitatam merito prædicat D. Bernardus, quia Chriſti Dei veracitati, ejuſque poteſtati innititur. *Sed quis eſt, qui ſic loquitur, qui ſic beatificat pauperes, & ſic ditat? putas poterit verum eſſe? Erit ſine dubio: Siquidem verax & potens eſt qui pro-*

Jacob. 2
Gregor. Naz orat. 28.
Epiſt. 34
D. Bern: Ser: 1 in Dedic. Eccleſ.

mittit; qui ſibi (elegit pauperes in mundo;) ſed *pulchre inopes*, quia caducarum rerum curam depoſuerunt ut divinis rebus *ſine ulla diſtractione* vacarent. (Divites in fide) ſubjungit Jacobus, ſeu ut expendit D. Hieronymus, *ditiores & magis inclyti,* quia *pro Chriſto pauperes & inhonorati,* nihil habentes, & omnia poſſidentes: quia relinquendo quidquid habere poterant in ſæculo, *proprii eſſe meruerunt auctoris ſæculi & eum habere propriam poſſeſſionem, qui ſine dubio portio & hæreditas eſt ſuorum.*

Chryſol ſer. 28
Luc.

Ex his colligitur quàm *Deo chara ſit electa paupertas.* Cujus Franciſcus fuit exiſtimator, amator, & zelator: 1. Exiſtimator, & merito: Tum quia evangelicam complectitur perfectionem: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Tum quia eſt inſigne diſcipulorum Chriſti. *Niſi quis renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

Tum

Tum quia *regnum cœlorum pauperum eſt; & eſt regia poteſtatis beare pro volun-* D.Bernar. *tate amicos.* Facite vobis amicos, qui cùm defeceritis, recipiant vos in æter- Ep.103 na tabernacula: Luc.16 *Vides quia magna dignitas ſancta paupertas ſit: ut non modo pa-trocinium ipſa ſibi non quærat, ſed & ferat indigentibus.* Tum quia *nobilis revera* D.Bern. *titulus paupertatis, quam ipſe Deus commendans ore prophetico:* Ego ſum, ait, vir Ep.23 videns paupertatem meam, quam adhuc Christus ſuo auctoravit exemplo. Thren.3 Itaque, fratres, *clarum ſatis inſigne tenemus, ipſam nunc paupertatem noſtram: ſuper omnes regios theſauros, hic nos titulus nobilitat & reddit illuſtres.* D.Bern. Ep.23 Tanti faciebat Franciſcus Evangelicam paupertatem, ut eam altiſſimam nuncuparet, quia ſummo in pretio illam habebat, & adhuc virtutum reginam prædicaret, majorique ejus æſtuans amore, quam avarus divitiarum cupiditate. *Non paupertas virtus æſtimatur, ſed paupertatis amor.* D.Bern. Ep.100 Quanto in gradu fuerit in Franciſco paupertatis virtus, ex amore quo illam 2. diligebat, colligendum eſt. Ex ardenti paupertatis amore procedebat, tum *ſæculi totius con-temptus*, Tert.l. de Spect.29 tum abdicatio paternæ hæreditatis; nam Aſſiſiis coram Epiſcopo adſtante patre cunctis renuntians fortunæ bonis, exuens quoque veſtimenta quibus induebatur, alta voce dixit: Nunc verè dicam: Pater meus qui es in cœlis, corde verſans, & ore premens iſtud: *Deus meus & omnia.* Paula Romana *hoc habebat voti, ut mendicans moreretur.* D.Hier. Epiſt.28 Franciſcus Paulæ votum executus mendicans mortuus eſt, accipiens à fratribus per eleemoſynam habitum, quo indutus eſt poſt mortem, qui dum viveret adeo fuit paupertatis amator, ut eam continuo corde volveret. Et cùm iter ageret tres illi occurrerent puellæ in magnitudine, ætate & forma ſimillimæ, (quibus Obedientia, Caſtitas, & Paupertas voluntaria denotabantur;) ſic ſalutavit paupertatem. *Salve Domina Paupertas*: quo dicto ſtatim evanuerunt. Paupertatis amor Franciſcum velut in ipſam transformavit paupertatem, cujus fuit 3. zelator. Sciſcitatur ſanctus Zeno quare fiunt Chriſtiani in aqua, juxta celeberrimum Tertulliani effatum: *ſed nos piſciculi ſecundum* ἰχθῦν *noſtrum Jeſum Chri-ſtum, in aqua naſcimur.* Serm.10 in Exod. L.de Bapt. 1. Mox reſpondet Veronenſis Antiſtes: *Ut cœleſtes effe-cti, terram non deſiderent.* Franciſcus audiens iſtud Evangelicum à Domino dictum diſcipulis quos mittebat ad prædicandam per orbem Chriſtianam diſciplinam: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta.* Matth.10 Cœleſtis effectus calceamenta depoſuit, pecuniam procul tanquam rem deteſtabilem projecit, parva tunica contentus cordâ ſe cinxit, duodecim ſibi adunans ſocios, ut duodenarium Apoſtolorum repræſentarent numerum, quos miſit in mundum prædicandæ pœnitentiæ & crucis grâtia unicuique dicens: Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet; nullum alium eligens ſuæ Religionis fundamentum, quam Evangelicam paupertatem. Ideoque Fratres Regulæ obſervatores nihil ſibi appropriant ſive in communi, ſive in particulari: neque uſum juris habent alicujus rei, ſed uſum duntaxat facti, ipſum-

ipſumque adhuc moderatum. Hac de cauſa, Portiunculam quæ eſt velut totius Ordinis caput à Religioſis ſancti Benedicti dono accepit. Paupertatis zelo ſuccenſus religionis habitum denegavit cuidam diviti, facultates ſuas non pauperibus eroganti, ſed parentibus largienti. Interdum evertebat monaſteria nimis ſuperbe ædificata. Fratres ad mendicandum oſtiatim mittebat, ipſemet etiam ibat ad eleemoſynam: & generatim in cunctis ſeſe paupertatis æſtimatorem, amatorem, & zelatorem demonſtrabat.

Ex prælibatis tria ſunt inferenda. 1. Redarguendi ſunt Chriſtiani, qui divitias avide deſiderant, & opulentos beatos propalant, poſtquam veritas quæ nec falli nec fallere poteſt beatam prædicavit paupertatem: Quos ſic
Serm. 1 in feſt. Omn. Sanct. increpat D. Bernardus: *Sic vos inſenſati filii Adam divitias quæritis, divitias deſideratis uſque adhuc: cùm jam beatitudo pauperum divinitus commendata, prædicata mundo, credita ſit ab hominibus. Quærat eas paganus, qui ſine Deo vivit, quærat Judæus qui terrenas poſſeſſiones accepit. Sed qua fronte, magis autem qua mente, Chriſtianus divitias quærit, poſtquam Chriſtus beatos eſſe pauperes prædicavit? Quouſque filii alieni, quouſque vanitatem loquetur os veſtrum, ut beatum dicatis*
D. Bern: Ser. 1 in Dedic. Eccleſ. *populum cui hæc ſunt, hæc viſibilia, hæc præſentia; cùm Filius Dei os ſuum aperiens locutus ſit veritatem, beatos eſſe pauperes, & væ divitibus?* 2. Non divites, ſed pauperes ſpiritu eſſe beatificandos. *Neque enim, ſicut dixerunt filii iniquitatis:* Beatus populus cui hæc ſunt; *temporalia ſcilicet quæ præmiſerat:* ſed, Beatus
Pſal. 143 populus cujus Dominus Deus ejus. *Videte ergo ſi non dignum ſit, ut feſtum agamus diem, quo nos aſſumpſit in proprios, & inveſtivit ſe per miniſteriales & vicarios ſuos*, ut nos veris abunde ditaret divitiis. Inde exclamat Divus Bernar-
Ser. 1 in Epiphan. dus: *O dives paupertas! ô locuples nuditas! ſi tamen Chriſtiana & voluntaria. Quibus enim divitiis non abundas*, dicente Domino: In viis juſtitiæ ambulo, ut
Prov. 8 ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam? *Nec deeſt ei, unde id poſſit:* ſubjungens: Mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperbæ, & juſtitia. *Bona opes prorſus divitiæ ſalutis, in quibus ita ſuperbitur, ut juſtitia non deſeratur. Fratres, ſuperbia iſta eſt gloria exultantium in Domino, & inſultantium mundo, quod nihil habeat tam pretioſum, ut paupertati valeat comparari Sanctorum. Superbiam iſtam non damnat, ſed remunerat magiſter humilitatis: ſi videlicet ita magnanimus ſis in contemptu mundi, ut omnem gloriam ejus quaſi de ſublimi deſpi-*
2. Cor. 1 *cias, & nihili pendas, præ amore & gloria tuæ nuditatis. Omnino dives es, ſi in paupertate gloriaris, & de te quoque gratias agit congratulatio Apoſtoli.* Gratias ago Deo meo, quòd in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo & ſanctitate, ut nihil vobis deſit in ulla gloria. *Longe aliter illum alloquitur Domi-*
Apoc. 3 *nus, qui ſibi applaudebat de affluentia mundi hujus:* Tu dicis, quia dives ſum, & nullius egeo: & tu miſer es, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. 3. Paupertatis voluntariæ ſectatores, non triſtitiam, ſed lætitiam debent demonſtrare in inopia, dum eis etiam victui neceſſaria deſunt. Nam ut ratio-

tiocinatur Divus Bernardus, *Sufficere poteſt ad ſalutem ſuperflua non requirere, ſed nec propter ipſa, ſi fortè deſunt, neceſſaria murmurare : ſed cumulus eſt etiam exultare, & libenter quærere, quomodo alius magis habeat neceſſaria, & ipſe penuriam patiatur.* Cujuſmodi erat Franciſcus, qui egeſtatem non ſolùm patienter tolerabat, ſed etiam de ea gloriabatur & gaudebat, ſibi viliora & pauperiora eligens : unde dum veſtem ſuam meliorem, magisque novam fraternis veſtibus conſpiciebat, ſtatim indumentum cum illis commutabat, & ob hanc cauſam prælati Ordinis prohibuerunt, ne ullus cum Franciſco mutaret veſtem, ejuſque acciperet indumentum. Ser. 15 de Diverſis.

Anaſtaſium ſummum Pontificem nuncupat Divus Hieronymus virum *altiſſimæ paupertatis.* Vir altiſſimæ paupertatis fuit Franciſcus ob demiſſionem & humilitatem qua pollebat, ob amorem inopiæ & mendicitatis, quo æſtuabat; ob lætitiam quam in egeſtate & neceſſitate demonſtrabat. Viri altiſſimæ paupertatis non ſunt Minores à Franciſcana perfectione degenerantes; 1. abundantiam in mendicitate quærentes: 2. inopiam & egeſtatem ægre ferentes; & 3. ſub humilitatis & paupertatis habitu ſuperbe tumentes. 1. Franciſcus de inopia & neceſſitate gaudebat, & ipſi mœrent & triſtantur, quando neceſſaria deſunt. *Videmus pauperes aliquos, qui ſi veram haberent paupertatem, non adeo puſillanimes invenirentur & triſtes, utpote reges, & reges cœli. Sed hi ſunt qui pauperes eſſe volunt, eo tamen pacto: ut nihil eis deſit, & ſic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur.* 2. Franciſcus non ſolùm terrenis renuntiavit poſſeſſionibus, ſed etiam omnem projecit habendi cupidinem; ipſi verò vel terrena quærunt bona, vel inter paupertatem ſunt ſpiritu & affectu divites. Unde D. Bernardus ſic unumquemque monet Religioſum. *In paupertate caveas cupiditatis ſcrupulum.* Nam qui volunt divites fieri, *non ait, qui ſunt, ſed qui volunt fieri* : incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli. *Sed & illud quid refert, ſi forte, quod abſit, non quidem divitias, ſed ea ipſa quæ paupertatis ſunt, tanto affectu deſideres, aut etiam ardentius; quàm divitias cupiant homines ſæculares?* 3. Franciſcus omni ſe humilitate dejiciebat. non alta ſapiens, nec dominatum, ſed obſequium quærens; probe ſciens quàm ſit *famulatoria mendicitas*: ipſi verò imperium ambiunt, & ſub humilitatis habitu, vanitate tument. Quibus probe competit quod de Diogene refert Tertullianus. *Lutulentis pedibus Diogenes, ſuperbos Platonis thoros, alia ſuperbia deculcat.* Illorum ſuperbiam intolerabilem exiſtimat Divus Bernardus : *Quis non tolerabiliorem in divite ſuperbiam, quam in paupere ducat?* Qui in paupertate ſuperbiunt, non ſunt pauperes ſpiritu. Nam ut vult Tertullianus, *Nullus profectò ſpiritu pauper, niſi humilis.* Nam ut belle ratiocinatur Divus Bernardus : *Vera & beata paupertas ſpiritus, plus eſt in humilitate cordis, quàm in anguſtia rei familiaris; plus conſiſtit in abdicatione ſuperbiæ, quàm in contemptu ſubſtantiæ. Subſtantia nonnumquam uti-*

Epiſt. 8 — D. Bern. ſer. 4 in Advent. Dom. — Ser. 35. de Diverſis. — 1. Cor. 10 — Tert. l. 2 ad Nat. 14 — Apol. 46 — Ser. 54. in Cant. — L. de Pat. 11 — Serm. in feſt. omn. Sanct.

utiliter habetur, ſuperbia nunquam niſi damnabiliter retinetur. Diabolus nihil in mundo poßidet, aut poßidere deſiderat quem ſola vel maxime ſuperbia damnat. Parum igitur prodeſt renuntiare ſaculi poſſeßionibus, niſi renuntietur & moribus: imo ſtultum ac ridiculum eſt, nudari divitiis, & divitum implicari vitiis: pauperem fieri rebus, nec ditari virtutibus: relinquere omnia, nec ſequi Chriſtum, ſed magis forſitan in caſtris Chriſti, juvare partes Antichriſti. Plane Antichriſti partes adjuvat, quiſquis ſuperbia militat, nomenque ſanctum quod verbis vel habitu profitetur, moribus impugnat. Vexillum Chriſti humilitas, Antichriſti ſuperbia, vel potius capitis ejus diaboli, qui ſuper omnes filios ſuperbia regnat, & ab initio per ſuperbiam peccat. Gloriemur igitur, Fratres, quia pauperes ſumus pro Chriſto, ſed operam demus

Tert. l. de Idol. 18

ut humiles ſimus cum Chriſto; qui ut fatur Tertullianus, *pleniſſime dedit formam ſuis dirigendo omni faſtigio & ſuggeſtu tam dignitatis quàm poteſtatis.*

D. Bern. in Declam. 557

(Antiquorum ſane Patrum diebus, donec in terris videretur & converſaretur inter homines Dominus majeſtatis, non erat Evangelicæ forma perfectionis; ſed ſpiritum Deum ſolo interim ſpiritu ſequebatur. At ubi Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, jam nobis in eo tradita eſt imago vitæ, & converſationis exemplar, quod oportet etiam corporaliter imitari.)

D. Bern. ſer. 4. in Advent.

Quapropter, fratres, *illam virtutum formam teneamus, quam verbo & exemplo commendavit Chriſtus præſens in carne.* Niſi formam quam nobis demonſtravit Chriſtus, tenuerimus, falſo nobis Evangelicam arrogamus perfectionem. Nam ut ſubjungit D. Bernardus, *omnis itaque virtus noſtra, tam*

Tert. ibid.

longe eſt à vera virtute, quàm longe eſt ab ea forma, quam imitatus eſt Franciſcus, & *ex Dominica forma agens* tanquam judex mundum condemnat, & tanquam fulcrum Eccleſiam ſuſtentat.

II. PARS. Tert. l. 5 adv. marc. 6 L. 4. adv. Marc. 10 L. 3. adv. marc 21 Epheſ 2

Chriſtus nuncupatur *fundamentum credentium:* quia Eccleſiam in qua vera reperitur fides, ædificavit. Ad hujuſmodi autem officium elegit Apoſtolos. Nam ut fatur Tertullianus, *fidem Apoſtoli induxerunt;* ideoque ut docet aliorſum Afer, *in confuſione ipſorum fundatur Eccleſia.* Quod aſſeverat vas electionis Chriſtianos alloquens: *Vos eſtis domeſtici Dei ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu.* Uti autem Chriſtus tum per ſe, tum per ſuos diſcipulos Eccleſiam fundavit, dilatavit, fœcundavit: ita Franciſcus velut perfecta Chriſti imago, ſive per ſe, ſive per ſuos fratres, Eccleſiam 1. ſuſtentat: 2. reparat: 3. fœcundat.

1. Viſiones interdum accidunt inter ſomniandum; aliquando in extaſi eveniunt; nonnunquam à Deo per revelationem immittuntur: Viſiones quæ in ſomniis eveniunt, perſæpe veræ & fideles ſunt: Nam

Tert l. de An. 46

quis tam extraneus humanitatis, ut non aliquam aliquando viſionem fidelem ſenſerit? Quod pluribus exemplis comprobat ibidem Tertullianus. *Aſtyages Medorum regnator; quod filiæ Mandane adhuc Virginis veſicam in diluvionem Aſiæ fluxiſſe ſomnio viderit, Herodotus refert. Item anno poſt nuptias ejus ex iiſdem locis vitem exortam toti Aſiæ incubaſſe. Hoc etiam*

Cha-

Charon Lampſacenus Herodoto prior tradit. Qui filium ejus tanto operi interpretati ſunt, non fefellerunt. Siquidem Aſiam Cyrus & merſit, & preſſit. Philippus Macedo nondum pater, Olimpiadis uxoris naturam obſignaſſe viderat annulo: leo erat ſignum, crediderat præcluſam genituram opinor, quia leo ſemper pater eſt. Ariſtodemus vel Ariſtophon conjectans, filium & magni impetus portendi Alexandrum: qui ſciunt, leonem annuli recognoſcunt. Ephorus ſcribit. Sed & Dionyſii Siciliæ tyrannidem Himeraa quadam ſomniavit Heraclides prodidit. Et Seleuco regnum Aſiæ Laodice mater nondum eum enixa prævidit, Euphotion promulgavit. Mitridatem quoque ex ſomnio Ponti potitum, à Strabone cognoſco. Omitto multa alia exempla quæ fuſe refert Tertullianus concludens ex Stoicorum mente, *DEUM providentiſſimum humanæ inſtitutioni, inter præſidia divinatricum artium, & diſciplinarum, ſomnia quoque nobis indidiſſe, peculiare ſolatium naturalis oraculi.* In extaſi etiam haberi viſiones nemo dubitare poteſt niſi mendacem exiſtimet Paulum, qui ſe raptum in tertium cœlum proclamat, ubi intuitus eſt ea quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt. Extaticæ viſionis illuſtre refert Tertullianus exemplum *At hodie ſoror apud nos revelationum chariſmata ſortita: quas in Eccleſia, inter Dominica ſolemnia per extaſim in ſpiritu patitur, converſatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt & audit Sacramenta, & quorundam corda dignoſcit, & medicinas deſiderantibus ſubmittit: Jam verò prout Scripturæ leguntur, aut Pſalmi canuntur, aut allocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materia viſionibus ſubminiſtrantur.* Tandem 3. per revelationem in eos qui ſpiritu prophetico præditi ſunt, immittuntur viſiones à DEO, *pollicito ſcilicet & gratiam Spiritus ſancti in omnem carnem, & ſicut prophetaturos, ita & ſomniaturos ſervos ſuos, & ancillas ſuas, ea deputabuntur, quæ ipſi gratia comparabuntur, ſi qua honeſta, ſancta, prophetica, revelatoria, ædificatoria, evocatoria; quorum liberalitas ſoleat, & in prophanos deſtillare. Siquidem & Nabuchodonoſor divinitus ſomniat, & major pene vis hominum ex viſionibus DEUM diſcunt.* Acute illuſtratus Innocentius tertius Pontifex maximus, vidit in ſomnis, vel potius in altiore mentis exceſſu, Franciſcum humili quidem & paupere habitu, at ſuis humeris, Eccleſiam Lateranenſem ruinam minitantem, ſuſtentare. Videt, inquam, & illicò conquiri juſſit, & accerſitum benigne excepit altâ voce coram omnibus clamans: *Ecce vir, quem vidi in viſione,* à DEO vocatus ad fulciendam Eccleſiam ruinæ jam proximam. Hâc de causâ inſtitutum à Franciſco confirmavit Ordinem.

L. de An. 4

Tert. l. de An. 47

Ter l. adv Jud. 8

Neque hæc duntaxat objecta eſt ſummo Pontifici viſio: præceſſerat enim altera, ſublimem denotans vocationem, ad quam à DEO fuerat accitus humilis Franciſcus. Venerat hic Romam, imò & in curiam Lateranenſem, & pontifici in porticu, cui nomen *ſpeculum* inambulanti, & meditabundo forte occurrerat, ab eoque quod ignotus eſſet, repulſam paſſus fuerat; at repulſam diu cœlum non eſt paſſum; nocte quippe inſequenti, eidem pontifici hæc objecta ſpecies. Videbat ille ad pedes ſuos ſuccreſcere palmam, &

ad pedes ſuos ſuccreſcere palmam,& mox in arborem pulcherrimam aſſurgere, quam dum mentis contemplatur oculis, ſimul etiam audit, eâ palmâ [D. Aug. Ser. 13. de Verb: Do:] deſignari, pauperculum illum pannoſum, *in ſe parvum, in DEO magnum*, quem die præcedenti, à ſe repulerat; quem mox urbe totâ conquiri jubet,& in ſancti Antonii hoſpitali inventum,adductumque in conſpectum paternè [Ter.l adv Jud: 8] excipit, & attentè audit. *Cogita in verbo & intellige in viſione.* Quid amabo deſignat illa palma niſi Franciſcum,qui palmæ ad inſtar, in viridario Eccleſiæ & creſcere, & elevari habebat, & velut ſpatioſiſſima arbor, ramos hoc eſt ſtirpem ſuam,undequaque orbe toto diffundere. Quod pulchrâ ſimili-[L.de Reſ: 52]tudine à Tertulliano mutuatâ declaratur. *Seritur enim ſolummodo granum, ſine folliculi veſte, ſine fundamento ſpica. ſine munimento ariſta, ſine ſuperbia culmi, exurgit autem copia fœneratum, compagine ædificatum, ordine ſtructum, cultu munitum, & usquequaq; veſtitum* omni ſtatu quo ornatur & decoratur Eccleſia. Palma namque illa ad tantam excrevit magnitudinem,ut ſub ejus ramis adumbrentur quatuor ſumi Pontifices,viginti duo Reges,quadraginta & duo Cardinales, plusquàm quadringenti Epiſcopi & Archi-Epiſcopi, Confeſſorum verò, Virginum, Doctorum, & Martyrum, numerus ſine numero.

Verum nihil magis facit ad Franciſci laudem, quàm ſimilitudo cum [Ter.l.adv Prax: 16] Chriſto, per viſiones denotata,Chriſtus *ab Adam usq; ad Patriarchas & Prophetas, in viſione, in ſomnio, in ſpeculo, in ænigmate, Ordinem ſuum præſtruens, ab initio ſemper quem erat perſecuturus in finem.* Franciſcus quoque fuit ab abbate Joachimo in viſione conſpectus, etiam antequàm naſceretur,in ipſo ſuo religionis habitu, quo erat Romanam ſuſtentaturus Eccleſiam. Chriſtus ſuo [Tert.l.adv Jud: 8] adventu ſignavit propheticam viſionem. *Quid eſt autem quod dicit, ſignari viſum & prophetiam? Quoniam omnes Prophetæ nuntiabant de ipſo quod eſſet venturus, & pati haberet: igitur quoniam adimpleta eſt prophetia per adventum ejus, propterea ſignari viſionem & prophetiam dicebat, quoniam ipſe eſt ſignaculum omnium prophetarum, adimplens omnia quæ retro de eo prophetæ nuntiaverant.* Signata eſt adhuc viſio abbatis Joachimi de habitu Franciſci, & viſio etiam quam habuit Innocentius tertius de ſuſtentatione Eccleſiæ à Franciſco facta. Nam eam detulit habitûs formam,quam præviderat præfatus abbas,& extitit de facto fulcrum Eccleſiæ,uti in viſione ſummo demonſtratum fuerat pon-[Tert.lib.5 adv.Marc 9]tifici. *Myſtice factum eſt, ut nocte Chriſtus naſceretur, lux veritatis futurus ignorantiæ tenebris.* E Divi Franciſci fratribus unus, magnâ de pietate comendatus, vidit innumeros prope mortales,durâ cæcitate percuſſos,facie in cœlum erectâ, flexis genibus, extenſis ad aſtra manibus, voce lachrymabili, opem à DEO poſtulare, amiſſumque lumem oculorum deprecari. Vidit, inquam, illos ad ſacra limina ædis Beatæ MARIÆ, cui nomen à Portiuncula, in qua Franciſcani Ordinis jacta ſunt fundamenta. Ab hâc autem æde manabat ingens quædam vis divini luminis,quæ ſeſe per miſeros illos effundens, & lumen optatum reddebat, & opem tot votis expetitam ſubminiſtrabat.

ſtrabat. Hâc objectâ tunc viſione denotabatur beneficium quod cæcis & miſeris mortalibus, à Franciſco obventurum erat; lumen ſcilicet fidei, quod per ſe, perque ſuos aliquando erat allaturus, & ardor charitatis, quem in frigidis Chriſtianorum cordibus, excitaturus & accenſurus erat.

Signata eſt viſio & prophetia, & dimiſſa ſunt peccata. Chriſtus namque in mundum veniens, Patris vindictæ ſeſe oppoſuit, ejus iracundiam mitigavit, & ad miſericordiam peccatoribus exhibendam concitavit. Non abſimiliter Franciſcus iratum ergà mortales pacavit DEI filium: Spectans namq; mentis oculo, Chriſtum à dextera Patris ad quam conſederat ſurgentem, ſed irato vultu, & incenſo ut videbatur ad pœnas animo, quas exigebant, imò & extorquebant, immania mortalium ſcelera, præſertim inſolens ſuperbia, inſatiabilis avaritia, beſtialis libido; ad hæc punienda facinora, tria jacula, in manu tenebat, mox vibraturus æquus humani generis judex Chriſtus: & quidem unum in ſuperbos, alterum in avaros, tertium in libidinoſos. Dum hæc ab irato Domino tremebundus ſpectat Franciſcus, & orbi mox perituro ingemiſcit: Ecce illi, imò & orbi univerſo à Deipara ſolatium, & ſpes plena ſalutis, accidit enim illa ad Filii genua, ſupplexque rogat, ut impendentem miſeris mortalibus vindicem manum ſuſpendat, jaculaque excutiat: eſſe ſibi in terrâ famulum, à quo atrociſſima illa crimina erant expugnanda. Ad hæc paucula Virginis Matris verba, viſus eſt ejus Filius primum iram deponere, tunc etiam inquirere ecquisnam ille, & ubi locorum: Tandem à matre audire, eum eſſe Franciſcum, à quo ſuſtentanda erat Eccleſia, reformandus orbis, expellenda ſcelerum monſtra, amœnaque virtutum omnium facies inducenda. Ad hæc & Filius acquieſcere & parata ſceleribus deponere jacula viſus eſt; ad Deiparæ preces, & Franciſci conſpectum, qui velut alter à Chriſto mundi Salvator, Eccleſiam reparat. Tertul. adv. Jud. 8

2. *Secundus Adam, Chriſtus* primi Adami redemptor, originalis culpæ elimator, & humanæ naturæ reparator: Franciſcus velut alter Chriſtus, ad reparandam DEI domum ſuperne vocatus, etiam ipſa Crucifixi voce: cum enim in Eccleſia ſancti Damiani ante illum pronus in terram oraret, hæc ab illo, & non ſemel, neque iterum, ſed tertio, audivit: *Vade Franciſce, repara domum meam, quæ labitur.* Tria potiſſimum concurrebant Franciſci tempeſtate ad DEI domum concutiendam, ſcilicet hæreſis, Imperatorum, ſummorumq; Pontificum diſſenſio & depravati Chriſtianorum mores. Perniciosiſſimæ ſunt *hereſes doctrinarum perverſitate Eccleſiam laceſcentes*, & qui eas profitentur nihil magis curant quàm veritatis expugnationem, fidelium everſionem, & Eccleſiæ Catholicæ ruinam. *Cum hoc ſit negotium illis, non ethnicos convertendi, ſed noſtros evertendi; hanc magis gloriam captant ſi ſtantibus ruinam, non ſi jacentibus elevationem operentur: quoniam & ipſum opus eorum non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de veritatis deſtructione.* Quando Franciſcus fuit ad domum DEI reparandam vocatus, Tert. l. de Car. Chr. 22 Tert. l. de præſc. hær. 4 Tert. l. de Præſc. hær. 42

ma-

maxime laceſcebant Eccleſiam tres hæreſes, nempe Vualdenſium, Humilium, & Albigenſium: *Vualdenſes*, inter alios errores, poteſtatem conficiendi corporis Chriſti, & abſolvendi à peccatis tribuebant etiam laicis. *Humiles*, ab omni politiore & ſacrâ litteraturâ abhorrentes, præſumebant pulpita conſcendere, & frequentes ad populum habere conciones. *Albigenſes*, jam diu tumulatos Manichæorum ſuſcitabant errores, quibus novos addebant ex orci ſcholâ edoctos. 2. Apoſtolus *diſſenſiones & ſchiſmata increpat, quaſi ne dubio mala ſunt:* Quia ſi non fidei veritatem, ſaltem Eccleſiæ ſcindunt unitatem. Diſſenſio Imperatorum & ſummorum Pontificum, fere totum Eccleſiæ corpus ſciderat in duas factiones, ſub furioſis Guelphorum & Gibellinorum titulis. Guelphi pontificium tuebantur jus, Gibellini verò ab Imperatorum ſtabant partibus; & quoniam *ſchiſmata & diſſenſiones ab unitate divellunt*. Fridericus I. Imperator, à ſanctâ ſede deficiens Alexandrum III. Pontificem perſecutus eſt, eum à Româ fugavit, ſeſe ad Gallos recipere coegit, & auſu temerario ſucceſſive quatuor Antipapas creavit ad Eccleſiæ ſtragem, Italiæ & Germaniæ ruinam & calamitatem: at nihil perniculoſius Eccleſiam concutit, quàm 3. depravata Chriſtianorum vita, quæ *de vitiis peſſima* efficitur: & hic erat Eccleſiæ fatiſcentis ſtatus, eo tempore, quo ad illam reparandam de cœlo vocatus fuit Franciſcus.

Tert. l. de Præſc. hær. 5

Tert. ibid.

Ter. l. adv Valent: 16

Qui ſupernæ reſpondens vocationi, mandatum à cœlo exequens miniſterium: 1. Hæreticorum tenebras luce veritatis diſſipavit: nec mirum, cum à DEO fuerit vocatus, ait in bullâ ſolemnis canonizationis Gregorius nonus, ut eſſet *quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna perfecta in diebus ſuis, & ſicut ſol in Eccleſia DEI fulgens*. Stella matutina terris feliciter aſſurgit, feliciusque nitet in medio nebulæ, quam feliciſſime diſſipat, atque ex Eccleſiâ fugat, ut ſit illi in poſterum amœna dies, & quaſi ſtella matutina noctem expellens. Et quaſi non ſatis commendet lucidum reparatoris Eccleſiæ officium, Franciſcus prædicatur adhuc luna perfecta in diebus ſuis, non inſtabilis luna, quæ creſcit atque decreſcit, obſcuratur & ecclipſim patitur: ſed luna perfecta, id eſt luna plena luce ſanæ doctrinæ, plena luce veritatis, plena fide, quæ nullum ſui luminis patiatur detrimentum, nullam veritatis defectionem, nullam fidei eclipſim. Tandem Franciſcus eſt in medio Eccleſiæ ſicut ſol fulgens. Sol ſuos emittens radios orbem univerſum illuſtrat. Ex Jacobo à Voragine Epiſcopo Jannenſi, & illuſtri Dominicanæ familiæ ornamento: *Venit ſanctus Franciſcus portans ſecum tres radios; ſcilicet radium doctrinarum, per quem illuminavit obſcuros; radium exemplorum, per quem inflammavit tepidos; radium miraculorum, per quem convertit obſtinatos*. Radio autem doctrinæ illuxit hæreticis in obſcuris ignorantiæ & erroris tenebris, & Eccleſiam veritatis luce perfudit; ejusque 2. unitatem propugnavit, Honorio III. ſummo adhærens Pontifici ejusque ſucceſſoribus canonicè electis ſuam ſubmittens regulam tanquam viſibili Eccleſiæ capiti, ſucceſſori

Serm. 1 de S. Franciſ.

ceſſori principis Apoſtolorum, & Chriſti Vicario. Tandem 3. Franciſcus ſuarum virtutum exemplo depravatos Chriſtianorum reformavit mores. *Exercitata vitia, & uſu vitioſa confudit.* Et ut fatur S. Bernardin. Sen. *DEI nuntius fuit ad renovandũ in mundo Evangeliũ Chriſti.* Eccleſiã novâ prole fœcũdãs. Tert. l. adv Valent. 16

3. DEI Filius eſt fœcundus ad intrà, & ad extra. Ad intra, quia ſimul cum Patre ſpirat Spiritum ſanctum, & ob internam illam fœcunditatem ex vi ſuæ proceſſionis eſt Patri ſimillimus, ejusque productio dicitur generatio, in quo à Spiritu ſancto diſcriminatur, qui non generatur, ſed duntaxat ſpiratur, quia licet ſit ſimilis principio à quo producitur, hanc tamen ſimilitudinem non habet ex vi ſuæ proceſſionis, cum ſit ſterilis ad intra, ſed aliunde; ſcilicet quia eſt DEUS, eandemque habet cum Patre & Filio eſſentiam. DEI Filius eſt etiam fœcundus ad extra: dilecto namque diſcipulo teſte, omnia per ipſum facta ſunt; quod multi ex priſcis nõ ignoravêre Philoſophis. Unde poſtquàm Tertullianus hâc ſuprà re Chriſtianorum protulit mentem: *Jam ediximus DEUM univerſitatem hanc mundi verbo & ratione, & virtute molitum*; eandem veritatem ſtatim ſapientum comprobat teſtimonio. *Apud veſtros quoq́, ſapientes, Logon, Sermonem atq́, rationem conſtat artificem videri univerſitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorem, à quo cuncta in diſpoſitione formaverit; quem Cleanthes permeatorem univerſitatis affirmat; & nos etiam Sermoni, atque Rationi, itemq́, virtuti, per quæ omnia molitum DEUM ediximus.* Franciſcus Filii DEI æmulatur fœcunditatem tam ad intra, quàm ad extra: Fœcunditatem ad intra recognoſcit Eccleſia in hâc oratione ad ejus laudem concinnata: *DEUS qui Eccleſiam tuam B. Franciſci meritis fœtu novæ prolis amplificas*; cum hoc tamen diſcrimine, quod terminus fœcunditatis quam habet ad intra DEI Filius, unicus eſt, nimirum Spiritus ſanctus, qui cum ſit infinitus exhaurit fœcunditatem voluntatis quæ eſt in Patre & Filio principium formale, à quo producitur: Franciſcus vero multiplicem habet terminum ſuæ fœcunditatis, ſub trino Ordine ab illo inſtituto, contentum: ſcilicet ſub ordine Fratrum Minorum, Clariſſarum, & Pœnitentium. DEI Filius inceſſanter ſpirat cum Patre Spiritum ſanctum: Franciſcus quoq; continuò ſuam prolem multiplicat, quæ ad tantum pervenit numerum ut innumerabilis videatur. Cui aptari poteſt à DEO facta Abrahæ pollicitatio: *Multiplicans multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine.* Quis enim poſſet numerare Conventuales, Cordigeros, Obſervantes, Pœnitentes, Capucinos, Reformatos, Diſcalceatos, Recollectos, Clariſſas, alioſq; Franciſcanæ Religionis Ordines qui ſunt in Italia, Hiſpania, Germania, Francia, Aſia, nec non in America, ſeu Novo-Mundo? Pater & Filius producendo Spiritum ſanctum, cunctas illi divinas & eſſentiales perfectiones communicant, & Franciſcus Eccleſiam novâ prole fœcundans, largitur ei ſpiritum pœnitentiæ & mortificationis, orationis & contemplationis, humilitatis & dejectionis, inopiæ & paupertatis, fidei & pietatis, doctrinæ

Joan. 1

Apolo. 21

Gen. 16

& prædicationis. Tædioſum foret referre cunctos Franciſcanos, qui illis coruſcârunt virtutibus. Spiritus pœnitentiæ & mortificationis elucet in Petro de Alcantara; ſpiritus orationis & contemplationis in Seraphico Bonaventura; ſpiritus humilitatis & dejectionis, in humili, & demiſſo Didaco: ſpiritus fidei & pietatis in Joanne Capiſtrano; ſpiritus inopiæ & paupertatis, in Jacobo de Valentia; ſpiritus prædicationis in Antonio Paduano, & Bernardino Senenſi; ſpiritus ſapientiæ & ſcientiæ in Lyrano, Aureolo, Alexandro Alenſi, ſubtili Doctore Scoto, Ochamo principe Nominalium. Omitto innumeros alios omni doctrinarum genere conſpicuos.

DEI Filius ad extra fœcundus tum per ſe, tum per diſcipulos ſuos Eccleſiam ampliavit, dilatavit, fœcundavit, & hoc trina potiſſimum ratione. 1. Per verbi DEI ſeminationem: ſiquidem *Verbum DEI, ſeminis ſimilitudo eſt.* 2. Per ſacramentorum Baptiſmi & Pœnitentiæ adminiſtrationem. In Baptiſmo enim naſcuntur Chriſtiani: Chriſtus autem eſt hujus *nova nativitatis dedicator.* In pœnitentia verò, peccator de morte ad vitam revocatur; quia *pœnitentia vita eſt* animæ per peccatum emortuæ, ſupernaturalem gratiæ largiens vitam. 3. Per ſanguinis effuſionem: nam *ſemen, ſanguis eſt Chriſtianorum.* His tribus viis Franciſcus ejusque filii Eccleſiam propagârunt & fœcundârunt, Verbum DEI ſeminantes, Sacramenta adminiſtrantes, ſanguinem fundentes in cunctis fere orbis partibus. Nonne Franciſcus poſt verbum DEI annuntiatum in Italia ad Syriam convolans, Sultano Chriſtianā religionem prædicavit, in cujus fidem, plura miracula edidit, ſubeundi martyrii æſtuans ardore? Nonne Daniel cum ſuis ſociis Marochium progreſſus, annuntiato Miramolino Chriſti Evangelio pro tuenda ejus veritate, glorioſam reportavit Martyrii coronam? Nonne Petrus cum multis aliis fratribus, Japoniam appulſus crudele paſſi ſunt martyrium? Nonne Fratres Minores primi poſt Thomam Apoſtolum in Indiam orientalem navigârunt, innumeroſque Indos ſacri Baptiſmatis unda regenerârunt? Nonne Americam ſeu Indiam occiduam peragrati Franciſcani fidem Chriſtianam verbi DEI prædicatione & ſanguinis effuſione propagârunt. Itaque eorum miniſterio, & paſſione *Chriſtum hodie invocant nationes quæ eum non ſciebant, & populi ad Chriſtum hodie confugiunt, quem retro ignorabant.*

Tert. l. de præſc. hær. 31 / Tert. l. de Car. Chr. 17 / Tert. l. de Pœn. 4 / Apol. 50 / Tert. l. 4 adv. Marc. 20

Illuſtres illos Franciſci filios qui Apoſtolorum inſtar perluſtrârunt orbē, verbum DEI in Aſia, Africa, Europa, & America prædicaverunt, pro Chriſtiana religione mortem conſtanter ſubierunt, jubet vocitare *Generis noſtri primitias, fidei coronas, egregia Eccleſiæ complementa,* ejus veritatem defenſantes adverſus hæreticos, unitatem propugnantes adverſus ſchiſmaticos; & ſanctitatem oſtentantes adverſus ſceleroſos Chriſtianos. Nam 1. exemplaris eorum virtus, criminoſam peccatorum confundit vitam, pietatem & ſanctitatem *ipſe habitus ſonat, ſub cujus recogitatu improbi mores vel erubeſcunt.* Neq; 2. minus efficaciter adverſus hæreticos propugnârunt fidei veritatem, tum

Gre: Naz: Orat. 6 / Tert. l. de Pall: 5

ſoli-

ſolidiſſimis libris, ab ipſis compoſitis: tum privatis converſationibus; tum publicis diſputationibus. Quis admirabilem illam methodum, quæ Calviniſtas cogit ad probationem confeſſionis ſuæ per ſolum verbum DEI ſine additione, diminutione & immutatione allatum, adinvenit, niſi à capite fontium totius Ordinis miniſter generalis? Quis glorioſius verbo & ſcripto triumphavit de Calviniſtis, quam Victorinus Poulior provinciæ Recollectorum in Aquitania alumnus? Verbo quidem: nam ferè per annos quadraginta interfuit ſynodis in provinciis Pictavienſi, Sanctonenſi, Agennenſi, Baſatenſi, Petracorenſi & Bearnenſi habitis, conciones Miniſtrorum confutavit, prædicantes falſitatem fateri cogit. Scripto etiam, nam plures typis mandavit controverſiæ libros; præſertim memoriale controverſiarū, in quo confeſſionem Calviniſticam ex Scriptura ſacra & Calviniſtarum doctrina confutat. Tandem 3. Franciſcani pro tuenda adverſus ſchiſmaticos unitate Eccleſiæ, & auctoritate pontificia, crudeliſſima paſſi ſunt tormenta. Quot hac de cauſa fuêre trucidati in Germania à Lutheranis & Zwinglianis, in Belgio à Geuſis, in Anglia à Puritanis; in Francia ab Huguenotis, ut ſuum imitarentur patriarcham, qui eſt imago Chriſtum repræſentans?

Philippus videndi Patris deſiderio æſtuans, dixit ad JESUM: Oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis: Reſpondens autem Dominus, ait: *Qui me videt, videt & Patrem.* Quod quomodo intelligendum ſit, tripliciter declarat Tertullianus. 1. Quia Pater & Filius cum unam tantum habent eſſentiam, ſunt unus DEUS: ſcilicet *Ego & Pater unum ſumus.* 2. Quia cum Filius ſit perfecta Patris imago, repræſentat principium à quo producitur: *Ut & Filius repræſentator Patris haberetur.* 3. Quia Filius humanatus, in nomine Patris loquens & operans, Pater in Filii ſermonibus audiebatur, & operibus videbatur, non ſecus ac cauſa in ſuo conſpicitur effectu. *Secundū hæc enim, vicarium ſe Patris oſtenderat, per quem Pater, & videretur in factis, & audiretur in dictis, & cognoſceretur in Filio, facta & verba Patris adminiſtrante.* Non abſimiliter proportione ſervata, qui videt Franciſcum, videt & Chriſtum. Non quod Franciſcus ſit idem in eſſentiâ divinâ cum Chriſto, neq; adhuc quod ſit perſona divina à Chriſto genita, ſed duntaxat quia eſt Chriſto perquam ſimilis. Hujusmodi autem ſimilitudo ut ſit perfecta, non debet *niſi de totius hominis repræſentatione conſtare.* Itaque Franciſcus repræſentat Chriſtum, 1. naſcentem: 2. viventem: 3. morientem.

III. PARS

Ter. l. adv Prax. 24.

Tert. l. de Reſ. Carn. 14

1. *Chriſto edito, nemo nativitatem alicujus de cœlo interpretetur.* Hoc docet Tert. ut damnet Aſtrologiam judiciariam: Tum quia *ſtellam Saturni, & Martis, & cujusq; ex eodem ordine mortuorum obſervat & prædicat:* Tum quia Aſtrologia ejusmodi nō multū à magia differt. *Scimus Magiæ & Aſtrologiæ inter ſe ſocietatē.* Verū ſicut abſq; ullo crimine *primi ſtellarū interpretes natū Chriſtū annūtiaverūt, hoc nomine Chriſtū ſibi obligaverūt;* quia ſtellā Chriſti, nō Jovis, Martis,

Tract. de Idol. 9

tis, Veneris, aut Mercurii obſervaverunt: ita abſque ullo peccati metu *eſt matheſis hodie* de Franciſco; cujus nativitas Chriſti aſſimilatur nativitati. Chriſtus in ſtabulo, in præſepio eſt natus: quapropter Tertullianus Marcio-

Lib. de Car. Chr. 2

nem Chriſto carnem natam denegantem ſic pungit: *Aufer hinc moleſtos ſemper Cæſaris cenſus, & diverſoria anguſta, & ſordidos pannos, & dura præſepia.* Chriſti nativitas longe diverſa eſt à nativitate infantium hujus ſæculi: hi enim ſi nobiles ſunt, naſcuntur in purpurâ, ſi divites in molli plumâ: at DEI Filius in duro præſepio naſcitur, ſordidis pannis induitur. Franciſcus etiam velut alter Chriſtus natus eſt in ſtabulo. In ejus namque partu, cum plures jam dies laborâſſet mater, nec adhuc appareret, quis ex utero exiret infantulus, ad limen domûs accedit unus aliquis, facie quidem & oculis ſpectabilis, ſed habitu peregrino, opportune monens fœminam, non in aulâ, ſed in ſtabulo, non in purpurâ, ſed in fœno parituram. Bene monenti pia obtemperans mater, illicò ſeſe in ſtabulum deferri voluit, hoc uno læta, ſi & ipſa cum Virgine Matre, & cum infantulo JESU, filio filiolus conſentiret, & vere conſenſit; mox enim ut intravit ſtabulum, enixa parvulum, in fœno depoſuit, multo felicius quàm in purpurâ Reges ac Cæſares, ob conformitatem cum Chriſto quem naſcentem, & viventem repræſentat.

Tert. l. adv Prax. 24 Gre. Nyſſ.

2. *Repræſentator Patris* DEI Filius *totum in ſe monſtrat genitorem.* Nulla eſt enim eſſentialis perfectio in Patre, quæ non ſit in Filio, & quam non repræſentet Filius. Franciſcus quoque totum repræſentat Chriſtum. Patriarchæ & Prophetæ velut dimidiatum duntaxat præfigurârunt & repræſentârunt Chriſtum: Præfiguravit Adam, imperium ejus in creaturas, Abel innocentiam, Iſaac obedientiam, Joſeph caſtimoniam, Job patientiam, Moyſes potentiam, David manſuetudinem, Salomon ſapientiam, aliique ſingulas perfectiones: at Franciſcus ſolus cunctas illas perfectiones repræſentat; imperans creaturis non ſecus ac Adam in ſtatu juſtitiæ originalis; innocentiâ fulgens ut Abel; obedientiâ conſpicuus ut Iſaac, caſtimoniâ decorus ut Joſeph; patientiâ præditus, ut Job; in patrandis miraculis non minorem demonſtrans potentiam quàm Moyſes, in mititate Davidi æqualis, neque minori quàm Salomon ornatus ſapientiâ.

Tert. l. de Car. Chr. 2
Ter. l. de Car. Chr. 16
Tert. l. de Idol. 18
tert. ibid.
Tert. l. de Car. Chr. 4

Neque duntaxat Chriſti virtutes repræſentat Franciſcus, ſed adhuc eſt illi valde in operationibus pe. ſimilis. 1. Angelus Chriſti annuntiat nativitatem Mariæ: *Plane nativitas à Gabriele annuntiatur*; Angelus quoque in foro peregrini apparens matri Franciſci, nativitatem ejus annuntiat. 2. Chriſtus etſi ſanctiſſimus apparuit *in ſimilitudine carnis peccati*; Franciſcus ſanctitate commendatus peccator haberi voluit. 3. Chriſtus paupertatem elegit *domicilio incertus: Nam filius, inquit, hominis non habet ubi caput reclinet*: Franciſcus ita fuit paupertatis amans, ut eam ſuam dominam nuncuparet. 4. Chriſtus fuit *veſtitu incultus*; Franciſcus vili & pannoſo indumẽto veſtitus. 5. Chriſtus *omni ſe humilitate dejecit*; Franciſc⁹ humillimâ vitâ duxit. 6. Chriſtus in deſerto mā-

ſit

fit *quadraginta dierum jejunia emenſus*; Franciſcus quadraginta diebus in honorem ſancti Michaelis jejunabat. 7. Chriſtus ex diſcipulis *duodecim præcipuos lateri ſuo adlegerat deſtinatos nationibus magiſtros*; Franciſcus duodecim ad prædicandum Evangelium elegit ſocios 8. Chriſtus propria veſte exutus nudus moritur; *Veſtitum plane ejus militibus diviſum, partim ſorte conceſſum*; Franciſcus ſimiliter ſuper nudam tellurem nudus moritur. 9 Chriſtus *extra civitatem crucifixus eſt* in monte Calvario; Franciſcus in monte Alverno perſenſit in pedibus & manibus ſigna redemptionis noſtræ. Tandem 10. Chriſtus fuit in latere vulneratus, *Scit lancea militis*: Franciſcus quoque habuit latus perfoſſum, ut Chriſtum repræſentet non ſolum viventem, ſed etiam morientem, imo & mortuum. Tert. l. de Bapt. 10 Tert l. de Præſc. Hær 20 Tert lib. 4 adv. Marc. 42 Tert. l. adv Jud. 14 Tert. l. de Bapt. 10

3. *Stigmata Chriſti in corpore ſuo geſtare ſe* gloriatur Apoſtolus, ſed potiori jure gloriari poteſt Franciſcus, ſigno redemptionis ſigillatus. Paulus ſtigmata Chriſti nuncupat plagas & cicatrices, ex verberibus, vulneribus, & afflictionibus propter Chriſtum ſuſceptis, corpori ſuo impreſſas; at Franciſcus *ſtigmata corporalia oſtendit* quam ſimillima Chriſti crucifixi vulneribus, cujus effigiem referebat non ſolùm in corde per amorem & compaſſionẽ, ſed etiam in corpore, per impreſſionem ſibi à Seraphino ignito factam: (Statim namque in manibus & pedibus ejus apparere cœperunt ſigna clavorum, ipſorum capitibus in inferiori parte manuum, & ſuperiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus exiſtentibus ex adverſo; dextrum quoque latus, quaſi lancea transfixum rubra cicatrice obductum erat, quod ſæpe ſanguinem ſacrum effundens tunicam ac fœmoralia reſpergebat.) Deſuper *ſculpta illa cicatrices, & ſic quoque glorioſa*; quia non ſolùm reddunt Fránciſcum Chriſto crucifixo conformem, ſed adhuc quia Franciſci cicatrices videntur Chriſti vulneribus præſtantiores. In infligendis enim Chriſto vulneribus concurrunt amor & odium: amor ex parte Chriſti recipientis: odiũ ex parte agentis populi Judaici Chriſtum hoſtiliter inſequentis, & crudeliter & injuſte crucifigentis. At ſtigmata imprimuntur in corpore Franciſci, abſque ulla mixtione boni & mali, amoris & odii, ex puro amore tam ex parte agentis, quàm ex parte paſſi. Agens fuit ipſemet Chriſtus in forma Seraphini apparens, & ex dilectione in paſſione Franciſcum ſibi ſimilem efficiens. Patiens fuit Franciſcus amore Chriſti æſtuans, & toto corde martyrii palmam deſiderans. (Poſtquam igitur novo & ſtupendo miraculo claruit, cum ſingulari privilegio retroactis ſæculis non conceſſo inſignitus apparuit: Sacris videlicet ſtigmatibus decoratus, deſcendit de monte ſecum ferens crucifixi effigiem non in tabulis lapideis, vel ligneis, manu figuratam artificis, ſed in carneis membris deſcriptam digito Dei vivi. Tert. l. 5 adv. Marc. 5. Tert. ibid. D. Bonav. Tert. l. de Pud. 22 D. Bonav.

Verùm licet Franciſci ſtigmata nibil redoleant, niſi ardentis charitatis fragrantiam, illa ex animadverſione & odio inſequitur infernus, quantumvis cicatrices in corpore ſuo apparentes ſint glorioſæ, in illas *adhuc & diabolus ipſe ſuſpirat*. Beza namque ejus diſcipulus & miniſter, Franciſcum ſacris Tert. l. de Pud. 22

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In c.6 Ep ad Galat. ſtigmatibus inſignitum nuncupat (Idolum ſtigmaticum horrendum idque falſum,& confictum.) At mendacem & impium demonſtrant Bezam,ſummorum Pontificum teſtificatio, miraculorum operatio, Eccleſiæ declaratio,omnium Catholicorum veneratio. Ubi à monte Alverno ſacris Stigmatibus decoratus ad ſuos rediit Franciſcus,id unum operoſe cavit, ne aut illa ſtigmata hominum paterent oculis,aut lateris vulnus cuiquam appareret. Verum quamvis omni id caveret ſtudio , quamplurimis manifeſtata ſunt fratribus,imo & multis aliis,quibus ſtupendum illud facinus celari nec potuit,nec debuit. Inter hos fuit Alexander quartus ſummus Pontifex , qui deinde publice pro concione dixit,ea ſtigmata in Franciſco adhuc vivo à ſe conſpecta,non ſine magno &amabili ſtupore: Nicolaus quintus etiam Pontifex Maximus ſummo æſtuans deſiderio inviſendi corpus Franciſci jamdiu tumulatum,votis annuens, vidit illum erectum,lateris vulnus inſpexit, & pedum cicatrices oſculatus eſt. *Cùm autem ſub tribus teſtatio fidei pignoretur,* Gregorius nonus ſtigmata manuum & pedum credens, de vulnere lateris dubitans; Franciſcus primum ei in ſomnis apparuit, & quidem vultu ſubirato deinde dextrum brachium extulit, vulnus detexit; tum phialam petiit, ut defluentem exciperet ſanguinem, quam & offerre viſus Pontifex & manantem inde ſanguinem largius excipere. Ad hæc ſibi redditus Pontifex,ſacro vulneri fidem dedit,quam probatio miraculoſum confirmat, quæ Dei providentia orbi dedit,ut oſtentaret impreſſa corpori ſtigmata: (Quia Dei eſt ad gloriam ſuam,magna revelare quæ facit Dominus ipſe, qui ſignacula illa ſecrete impreſſerat,miracula quædam per ipſa aperte monſtravit, ut illorum occulta & mira vis ſtigmatum manifeſta pateret claritate ſignorum.) Brevitatis gratia omitto plura miracula in annalibus Minorum contenta, quæ Franciſcana *omnis deinceps poſteritas hereditaria religione cuſtodit.* Adde,pontifi cumdepoſito, miraculorũ teſtimonio,Eccleſiæ venerationẽ (Porro rem admirabilem,ac tantopere teſtatam, atque in pontificiis diplomatibus,præcipuis laudibus & favoribus exaltatam, Benedictus Papa undecimus anniverſaria ſolemnitate celebrari voluit , quam poſtea Paulus quintus Pontifex Maximus,ut corda fidelium in Chriſti crucifixi accenderentur amorem ad univerſam Eccleſiam propagavit.) *Totum Chriſtiani nominis pondus & fructus,mors Chriſti*;quam in cruce ſuſtinuit, in Franciſci autem ſtigmatibus *ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani,magna veneratione celebratur.*

Tert.l. de Bapt.6 — D.Bonav. — Tertul. de Jejun.13 — D·Bonav. — Tert.li. 2 adv. marc. 8 — Tert.l de Jejun.13

In Pſal. 31 — Tert.Apol.16

Ex D. Auguſtino Chriſtiani ſunt *filii Calvariæ,filii paſſionis Chriſti, filii Crucis*: at id peculiariter Minoribus competit: *Sed & qui crucis nos religioſos putat conſecraneus,erit noſter.* Cuncti Chriſtiani tanquam filii Calvariæ & diſcipuli Chriſti, crucem ferre tenentur, ejuſque ſtigmata portare in corporibus ſuis per macerationem & afflictationem carnis, per patientiam & reſignationem ad voluntatem Dei, in jacturis,morbis, perſecutionibus, propinquorum mortibus : ſed multo magis Franciſcani ad crucem tenentur tanquam

quam filii Calvariæ, diſcipuli Chriſti, & adhuc Franciſci ſectatores : *Si vis Chriſti diſcipulus eſſe, crucem tuam tollas, & Dominum ſequaris, neceſſe eſt* : id eſt, *anguſtias, & cruciatus tuos, vel corpus ſolum quod in modum crucis eſt.* At proh dolor! quàm pauci ſunt hac ætate filii Calvariæ, filii paſſionis, religioſi crucis, ſacerdotes crucis, *crucis antiſtites*, qui vere poſſint dicere cum Paulo: *Ego ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto* Stigmata ſunt in triplici differentia. Quædam ſceleroſa, nonnulla probroſa, alia glorioſa. Sceleroſa ſunt *ſtigmata delictorum*, quæ animam maculant. Probroſa ſunt ſtigmata corpori mancipiorum inuſta, quæ hominem infamant : ſervorum etenim *carnes ſtigmatibus obnoxia* ſunt, ut his notis dignoſcatur dominus ad quem ſpectant. Glorioſa ſtigmata ſunt vel plagæ quas pro veritate paſſi ſunt Martyres, vel macerationes pro Chriſti amore ultro ſuſceptæ. *Illa cicatrices Chriſtiano prælio ſuſcepta, & utique invidioſa apud Chriſtum, quia viciſſe cupierunt, & ſic quoque glorioſa.* Cujuſmodi fuerunt ſacra Franciſci ſtigmata, qui martyrii æſtuans deſiderio, Martyr effectus eſt: ſed martyr *de ſingularitate famoſus*; plagatus & vulneratus non de manu ſatellitum & carnificum; ſed ab ipſomet Chriſto: Nonnullos video ſtigmatibus probroſis inuſtos, & in miſera ſervitute viventes; plures conſpicio ſceleroſis ſtigmatibus notatos, criminoſam vitam ducentes; at perpaucos reperio ſtigmatibus glorioſis inſignitos. Qui enim ſunt hac ætate, qui pro Chriſto velint ſubire martyrium, vel cruentum, vel incruentum ? Qui ſtudeant conformes fieri Chriſto patienti, qui ad inſtar Franciſci cruces deſiderent, quærant & ferant? *Sicut beatus Franciſcus fuit vexillifer Jeſu Chriſti in Eccleſia militante, ſic poſt reſurrectionem, remanentibus in corpore ſuo prædictis ſignis, vexillifer erit in Eccleſia triumphante.* Chriſtiani, Religioſi, eſtote vexilliferi Chriſti, ſi minus corpore, ſaltem animo deferte ſacratiora Chriſti ſtigmata. Deferetis ſane, ſi vobis crux ſit in amoribus & deliciis, ſi in honore & veneratione; uti fuit Franciſco, qui Chriſti imitatus paſſionem, dominicæ gloriæ eſt particeps.

Tert. l. de Idol. 12

Tert. l. 1 ad Nat. 12

Galat 6

Tert. l 2 adv. marc. 9

Tert. l. de Rel. Car. 58

Tert. l. de Pud. 22

Tert. l. de Ref. Car. 13

Bern. Sen. ſer. 17 de S. Franciſ. a. 2. c. 3

CONCIO SECUNDA.

OPeratione *Dei univerſa conſiſtunt.* Non eſt in præſentiarum ſermo de operationibus internis , ſive eſſentialibus & tribus Perſonis divinis communibus , ſive notionalibus , quæ Patri ſoli competunt, ut dictio , qua dicit & producit Verbum : vel ad Patrem & Filium ſimul pertinent , cujuſmodi eſt ſpiratio activa, qua Spiritus ſanctus producitur; ſed de operationibus duntaxat externis loquimur , quæ ſpectant productionem vel hominis , vel univerſi ex variis creaturarum generibus compoſiti. Non eodem autem modo operatur Deus dum producit homi-

Tert. l. adv. Hermog. 45

Ter. lib. 2 adv Marc. 4 minem,ac cæteras mundi creaturas. Hominem enim *Dei bonitas,& quidem operantior operata eſt,non imperiali verbo,ſed familiari manu, etiam verbo blandiente præmiſſo:Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Reliquas verò creaturas non producit Deus velut conſultando,dicens: Facia-
Tert. ibid. mus,neque verbo blandiente,ſed voce imperante: *Et dixit Deus: Fiat: & factum eſt.* Hujus differentiæ perpulchram rationem ſubminiſtrat alioſum
L. de Reſ. 5. Tertullianus. *Magna ſine dubio differentia ratio, pro conditione ſcilicet rerum. Minora enim,quæ fiebant,eo cui fiebant. Siquidem homini fiebant, cui mox à Deo addicta ſunt. Merito igitur,ut famula, juſſu & imperio,& ſola vocabili poteſtate univerſa proceſſerant.Contra,homo,ut Dominus eorum,in hoc ab ipſo Deo exſtructus eſt,ut Dominus eſſe poſſet,dum fit à Domino.* In productione autem operis
Tert. l. 2. adv. marc. 4. cujuslibet, *Vidit Deus quia bonum,non quia neſciens bonum,niſi videret*; ſed trina potiſſimum de cauſa,ut animadvertit ibidem Tertullianus, 1. Quia *maledicere adhuc ſermo non norat,quia nec malefacere.* 2. Quia *bonum ideo videns, honorans, & conſignans, & diſpungens bonitatem operum dignatione conſpectus.* 3.Tandem; *Sic & benedicebat quæ bene faciebat,ut tibi totus Deus commendaretur bonus,& dicere,& facere.* D.Bonaventura velut divini exemplaris imago totus commendatur bonus & dicere & facere. Quam bene dixerit,conſtat ex tot libris typo mandatis,quæ mentem ſapientiæ luminibus irradiant, & voluntatem cœleſtium & divinorum amore ſufflammant. Quam bene fecerit comprobatur ex innumeris ſanctuariis operibus, & virtutibus ad praxim redactis,præſertim ex iis quæ fecit,& operatus eſt, pro 1,Ordine Seraphico: 2.corpore Eccleſiæ myſtico: 3.ſemetipſo.

I. PARS. Inter varios Ordines Regulares,quibus decoratur Eccleſia *quæ potior re-*
Tert. l. de Bapt. 5 *ligio quàm* Seraphica,quæ conſilia ſectatur Evangelica, vitam activam ſi-
Tert. l. de mul & contemplativam complectitur,*ex forma Dominica* agere nititur,pœ-
Idol. 18 nitentiæ & mortificationi die noctuque vacat, mundo renuntians, cœlo &
Tert. Apol. 39 Deo vivere omni ſtudio ſatagens? *Reliquum ordinem diſciplinæ æſtimate qui ſit,de religionis officio.Nihil vilitatis,nihil immodeſtiæ admittit.* Verum, quantumvis Seraphica religio perfectioni ſtudeat,tempore D.Bonaventuræ,extranei quidam in illam inſurrexerunt;nonnulli fratres ab ejus obſervatione defecerunt,alii de regulæ expoſitione jurgia concitaverunt: Bonaventura, ut tot occurreret malis, 1. Seraphicam Religionem adverſus hoſtes extraneos propugnavit: 2.Fratres tepidos ad obſervantiam regularem obligavit: 3.Ordinem juxta ſpiritum ſancti Franciſci gubernavit.

Tert. Apol. 7 1. *Cum odio ſui cœpit veritas, ſimul atque apparuit inimica eſſe. Tot hoſtes ejus quot extranei, & quidem proprie ex æmulatione Judæi,ex concuſſione milites, ex natura, ipſi etiam inimici noſtri.* Nomine veritatis Religionem Chriſtianam intelligit Tertullianus, quæ mox ut apparuit in mundo, multos experta eſt inimicos nimirum Gentiles, Judæos, milites,& ſceleroſos Chriſtianos. Gentiles idolorum cultores à diabolo mendaci paren-

parente ad iram concitati, ſævitia illam aggreſſi ſunt: Judæi ex livore & invidia: Milites ex concuſſione & avaritia : ſceleroſi Chriſtiani, ex pravitate naturæ & nequitia: Non diſſimiliter Minorum *profeſſa paupertas*. Quantumvis *virtutibus cognata paupertas virtutum parens , virtutum ſocia, amica virtutum , Deo cara ſit, electa paupertas*, cum odio ſui cœpit, ſimul atque apparuit plures ſuſtinuit inimicos : inter quos, majorem paſſa eſt perſecutionem à quodam Geraldo, Doctore Sorbonico, & à Guilhelmo ab iniquo quàm à ſancto Amore verius nuncupato , qui adverſus Mendicantium paupertatem librum in lucem produxit. Verum uti major, nempe Eſau, ſervivit minori, Jacobo ſcilicet; *non obediendo, ſed perſequendo*: & quemadmodum Idolorum cultores ſævientes in Chriſtianos miniſtraverunt gloriæ eorum, ut ipſimet exprobrant ſatellitibus : *Crudelitas veſtra, gloria eſt noſtra*; ita Geraldi invidia, & Guilhelmi à ſancto Amore animadverſio in Mendicantes Bonaventuræ ſervierunt gloriæ, qui pennam & calamum aſſumens, libellum Guilhelmi à ſancto amore confutavit , tum in libro adverſus Ordinis calumniatorem edito: tum in duplici Apologetico; uno, contra inimicum Franciſcanæ regulæ ; altero, in defenſionem paupertatis Evangelicæ compoſito: tum in Opuſculo in quo tractat de paupertate Chriſti Domini, qui *ſacram in ſuo corpore dedicavit paupertatem*, in ſuos Apoſtolos eligens, homines *pauperes cenſu , ſed innocentia locupletes.* Nam ut fatur D. Hieronymus, *Affatim dives eſt, qui cum Chriſto dives eſt.* Evangelicam Chriſti, Apoſtolorum, Franciſci, & Mendicantium propugnavit Bonaventura paupertatem, & ſicut B. Martinus de monacho Epiſcopus factus, *fidem exemplis, & dictis fortibus armat*: ita Bonaventura in ſuis libris hoſtes paupertatis Evangelicæ fortiter debellat, & tam ſcripto, quàm exemplo tepidos Franciſcanos reformat, & ad exactam regulæ obſervantiam concitat.

Chryſol. ſer. 18
Gen. 25
D. Aug. ſer. 28. de Temp.
Tert. l. ad Scapul. 3
D. Bern. ſer. 4. de Nat Dñ.
Chryſol. ſer. 18
D Hier. Ep. 1
D. Paulin. Ep. 12

2. Hoc eſt proprium Beatorum in cœlo regnantium, in ſtatu ſuo firmos perſiſtere, viatores verò qui inſeparabiliter non ſunt cum Deo uniti, neque adhuc ad Dominum pervenerunt, poſſunt & in virtute proficere, & à perfectionis ſemita deviare. Et ob hanc cauſam ſuperiores Religionum zelo ſuccenſi defectus *quotidie reformant*. Quod ſi ad humanam fragilitatem attenderent Zoili & Ariſtarchi, de reformatione Regularium non ſcandalizarentur, ſed potius ædificarentur. Quorum cenſuram argumento ut dicitur ad hominem redarguit Tertull. *Nunc religioſiſſimi legum & paternorum inſtitutorum protectores & cultores, reſpondeant velim de ſua fide, & honore, & obſequio erga majorum conſulta, ſi à nullo deſciverint? ſi in nullo exorbitaverint? ſi non neceſſaria, & aptiſſima quæque diſciplinæ obliteraverint.* Franciſcana Religio à Patriarchæ pietate deſciverat: Minores tepidi effecti, ab ſpiritus fervore defecerant, in conventibus deerat obſervantia regularis, in provincia Piſana erant concitata jurgia & diſſenſiones; & fere tota commota Italia circa regulæ paupertatem. Quare Religioſi regularitatis ſtudioſi deſiderabant Generalem *tutelarem reformatum* qui deviantes Fratres reduceret, tepi-

Tert. lib. 4 adv. Marc. 5
Apolog. 6
Tert. lib. adv. Valent. 13

tepidos ſuccenderet, & religioni Seraphicæ acceptum à Franciſco devotionis ſpiritum reſtitueret. Quorum votis annuens cœlum, dedit illis in totius Ordinis Miniſtrum Bonaventuram, qui meritò *debiles reformaſſe*, & fervidos in pietate confirmâſſe gloriatur.

Tert.l. de præſc: hær 44

Quod quatuor potiſſimum viis executus eſt, 1. U Fratrum in Italia pacaret animos circà obſervantiam regulæ, quam quiſque pro ſuo arbitrio intelligebat & obſervabat : *Ut quis ſenſit ; ita & intulit, aut reformavit*. Duo compoſuit Opuſcula : Unum, de modo reformandi profeſſos ; alterum, de modo reformandi novitios ; inſuper expoſitionem dubiorum regulæ, Religioſorum alphabetum, tractatum de vanitate & contemptu mundi, multosque alios libros, *quendam juſtitiæ characterem poſteritati delineans* : ſuaque ſcripta. 2. virtutis exemplis, & pietatis ſermonibus auctorans. *Adhibet operi bono, optimum etiam miniſtrum ſermonem ſuum*, fratres ad virtutem adhortans. 3. Capitula convocans, in quibus eſſent *aut emendanda, ſi adultera, aut agnoſcenda, ſi integra*. Sol perpetuo motu ſeſe rotans, eſt verum perfecti Generalis ſpecimen, qui ſe conferre debet ad quemlibet locum, ubi præſentia ejus eſt neceſſaria : Bonaventura & ipſe *reformatus*; cunctis Fratribus reformationis ſpiritum ingenerare deſiderans, varia diligenter perluſtrabat regna, ut introductos jam abuſus à conventibus tolleret, novorũ irreptioné impediret, & reformationem ſuâ præſentiâ auctoraret, quam in tribus generalibus Capitulis, Piſis, Romæ, & Lutetiæ habitis confirmari voluit.

Tert;Apol: 47 — Baſil: Seleuc: Orat: 14 — Tert. lib. 2 adv. Marc 4 — Tert. lib. 4 adv. Marc 5 — Tert. l. de Pud. 20

Apolog. 4

Tandem 4. Statutorum & Conſtitutionum obſervationi ſedulò invigilans. Senatores Romanos nuncupat Tertullianus, *Tutores legum*: tenebantur enim opem ferre, ut in totâ Republicâ obſervarentur : Leges velut pupillas conſiderat Tertullianus, quas magiſtratus & principes tanquàm tutores tueri & conſervare debent : Orphanus ſub auctoritate tutoris exiſtens voluntatem ſuam ad tutoris debet conformare voluntatem ; & tutor pupilli bonũ cuſtodire, & perſonam defendere debet. Ordinum regularium ſuperiores, ſunt tutores legũ: quæ in illis ſtabilitæ & promulgatæ ſunt, toto conatu ſatagẽtes, ut à ſuis obſerventur inferioribus: Bonaventura legum Seraphicæ Religionis tutor, nihil omiſit, ut exactè cuſtodirentur à fratribus. Ob hunc finem adhibuit Regulæ explanationem, exemplarem virtutum exhibitioné, *cujus converſatio lex fuit*; multiplicem habitam concionem; benignam & ſuavem ſermonum converſationem, *nam ſummum jus, malitia eſt*, juſtam delinquentium caſtigationem. *Eſt autem lex pædagogia puerorum inſolentium*: ideoque magna requiritur ſuperioris prudentia, ut eos rectè gubernare valeat. *Summopere neceſſe eſt antiſtitem ſimul & ſimplicem eſſe, & quammopere varium ac multiplicem*. Simplicitas illi neceſſaria eſt ob intentionis puritatem, quâ reſpicere debet non ſuum commodum, ſed DEI honorem ; non ſuam gloriam, ſed Ordinis profectum & incrementum ; non paſſionem, ſed inferiorum ſalutem. Varietas illi neceſſaria eſt, quia varia inferiorum temperamenta, humores, inclinationes, affectus, conſiderare debet, ut eis proſit; non

S. Zeno Ser. 3. — Pet: Dam: Serm. 55 — Cle. Alex l. 1. pæd. 11 — Gre: Naz: Orat. 1

enim omnes eodem modo tractandi ſunt. Quidam ſunt obſtinati in malo, nonnulli fragiles, alii ferventes: Feverè erga obſtinatos eſt agendum: *Duritia vincenda eſt non ſuadenda*: Serventes ſunt de zelo quo æſtuant comendandi, quorum virtus laudata creſcit; debiles *poſt reformationem* ex infirmitate non malitiâ cadentes, ſunt benigne tractandi. Bonaventura quamopere varius & multiplex, obſtinatos ſeverè puniebat, ferventes ſapienter ad profectum monebat, fragiles paterne ſublevabat, præſertim erat illi *angelica urbanitas* quâ ſecundùm Franciſci ſpiritum religionem Seraphicam gubernabar.

Tert. Scor. 8

Tert. l. de pud. 20

Chryſoſt: in c. 1 Joſ.

3. Moyſes populi Iſraelitici regimine gravatus poſtulavit à DEO multo illo exonerari pondere, qui famuli annuens votis, dixit ei: (Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael quos tu noſti, qui ſenes populi ſint, ac magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciesque ibi ſtare tecum, ut deſcendam, *auferamq́, de ſpiritu tuo, tradamq́, eis, ut ſuſtentent tecum onus populi.* Hujus loci trinam expoſitionem ſubminiſtrat: D. Auguſtinus. 1. Auferam de ſpiritu tuo, id eſt, *de anima tua*, tradamque eis; quaſi anima Moyſis, qui ſenum extiterat ſuperior omnium ſimul informatura eſſet corpora, eaſdem haberent inter ſe mentis cogitationes, voluntatis affectiones, & corporis operationes. 2. Auferam de ſpiritu tuo, id eſt, *de ſpiritu ſancto* in te inhabitante, communicaboque illum ſenibus, ut ab illo illuſtrati, & regulati, eandem ſimul habeatis gubernationis formam. 3. Auferam de ſpiritu tuo, id eſt *de gratia tibi data*, ut omnes ejuſdem gratiæ ſpiritu afflati eundem teneatis regiminis modum. Inde concludit Cajetanus: *Non ergo ſignificatur ablatio alicujus partis è ſpiritu Moyſis, ſed extenſio ſpiritus.* Franciſcus Religionis Seraphicæ fundator, eam auctoritati ſubdidit Generalis Miniſtri. Bonaventura ad id officium aſſumptus in Capitulo generali Romæ habito adſtante Alexandro IV. Pontifice Maximo, quod ut dignè poſſet exequi, DEUS largitus eſt ei Franciſci ſpiritum, & parenti & filio probè competunt hæc Tertulliani verba: *Quale jugum fidelium duorum, unius ſpei, unius voti, unius diſciplinæ, ejusdem ſervitutis: ambo fratres, ambo conſervi, nulla in eis ſpiritus diſcretio.* Bonaventura namque eodem quo Franciſcus ducitur ſpiritu. Spiritus quippe quo animatus fuit Franciſcus, fuit ſpiritus humilitatis & demiſſionis, ſpiritus pœnitentiæ & mortificationis; ſpiritus innocentiæ & ſimplicitatis; ſpiritus orationis & contemplationis; ſpiritus zeli ſalutis animarum & converſionis, ſpiritus virtutis & ædificationis: *Fuerunt enim illi animata exemplaresq́, leges.* Annon in Bonaventura idem relucet ſpiritus ſeſe vilioribus conventus officiis occupante, mediationi & contemplationi indeſinenter vacante, ſalutem animarum, & peccatorum converſionem ardenter procurante, pœnitentiam & mortificationem exercente & prædicante; virtutum exemplo & ſanctâ converſatione ad DEI amorem ſi fflammante, Franciſci ſimplicitatem & innocentiam ita repræſentante, ut ab irrefragabili Doctore Alexandro Alenſi prædicatus fuerit verus Iſraelita in quo vix Adamus peccaverat.

Num. 11

Quæſt: 18 ſup. Num.

Lib: 2. ad Uxor: 9

Philo l de Abraham

Pau-

ſtatus toto triennio quo ab invicem diſſenſerunt Cardinales circà electionem ſummi Pontificis, qui ut imminentem Eccleſiæ vitarent jacturam, decreverunt cunctorum vota uni deferre Bonaventuræ, illumque eſſe absque ullâ controverſia verum ac legitimum Pontificem, quem ipſe nominaret, etiamſi ſemetipſum eligeret. Tam glorioſa commiſſa poteſtas evidenter demonſtrat, in quanto fuerit Bonaventura apud Cardinales honore.

Qualis quæſo neceſſaria erat doctrinæ excellentia, & morum probitas ad tantum digne exequendum munus, in quo agebatur de re maximi momenti, de nominatione ſummi Pontificis, capitis viſibilis Eccleſiæ, ſucceſſoris Petri, Vicarii Chriſti? Cardinales eligentes ſummum Pontificem univerſalem repræſentant Eccleſiam, & cuncti fideles eorum ore velut ſuffragantur. Bonaventura Cardinalium agens vices, fuit *totius religionis aſſertio*; quia ob auctoritatem nominandi ſummi Pontificis ſibi à Cardinalibus demandatam viſibile caput dedit Eccleſiæ. Extitit adhuc *lingua fidei*; nam Cardinales per ejus os locuti ſunt, & Pontificem à Bonaventura nominatum tanquàm legitimum, & verum habuerunt & agnoverunt. Petr Dam. Ser. 33 Pet. Dam.

In hujusmodi autem nominatione Bonaventura fuit, 1. amore ſui deſtitutus, non ſibi ſed alteri ſublimem illam ſedem vindicans; & *meriti prærogativa, fuit honoris repulſa*. 2. Omni reſpectu humano & adulatione deſtitutus, eligens non aliquem è Cardinalibus præſentibus, à quibus acceperat tantam honoris prærogativam, ſed Theobaldum Vicecomitem Placentinum Archidiaconum Leodienſem, & hunc abſentem & longe diſtantem tunc temporis Hieroſolymitano regno adſtantem. Neque 3. temere & absque conſultatione, ſummum nominavit Pontificem, ſed *de luminis conſilio* quaſi celebri parlamento, conſultato, omniumque ſenatorum collectis ſigillatim ſuffragiis *de luminis conſilio*: quaſi Bonaventuræ nominatio, ſit diſcuſſa & concertata Concilii Oecumenici determinatio, *de luminis conſilio* implorata à Deiparæ ſapientiâ quæ habitat in Concilio, & eruditis intereſt cogitationibus. Tandem *de luminis conſilio*, ſcilicet Verbi divini, quod procedit ab æterno Patre, *lumen de lumine*. Divinum illud lumen à quo Bonaventura ad crucifixum genuflexus ſcientiæ poſtulabat illuſtrationem; divinum illud lumen quod in altari ſingulis conſultabat diebus, ſive ſacrum offerens ſacrificium, ſive duas miſſas audiens, quarum una præparationi, altera gratiarum actioni, inſerviebat; divinum illud lumen, ſine cujus ope nihil cogitabat, nihil volebat, nihil executioni mandabat conſultatum fuit à Bonaventura dum Bonaventuræ commiſſum eſt nominandi ſummi Pontificis munus. Ecquisnam in tanto negotio potiori jure conſulendus erat, *quam ille magni conſilii Angelus*; *ille admirabilis conſiliarius, unigenitus DEI filius*, uniuscujusque capacitatem probe cognoſcens; tanquàm *vivorum habens mortuorumq; judicium, arbitriumq; meritorum*? Æquo illo meritorum arbitro conſultato, *de luminis conſilio* Bonaventura unâ die operatus eſt quod viginti duo Cardinales trium annorũ ſpatio exequi non valuerunt. Poſt hæc ſi ſciſcitatur

Euſe. Emiſ Hom. de S. Maximo.

Tert. l. de Pall. 1

Prov. 8 Ter. Apol 21

D. Chryſo Hom. 8 in Gen. D. Ambr. in c. 12. Luc.

Gre:Naz: Orat: 1 annorum ſpatio exequi non valuerunt. Poſt hæc ſi ſciſcitatur à nobis: *Quis eſt ille qui veritatis antiſtitem, unius diecula ſpatio velut ſimulachrum ex argilla finxit?* Reſpondebimus, Bonaventura præbens Eccleſiæ caput, membraque capiti conjungens.

Tert. Apol 39 2. *Corpus ſumus de conſcientia religionis, & diſciplina unitate*: quæ unitas tamdiu ſervatur quamdiu membra capiti unita remanent. Ab hac Eccleſiæ unitate receſſerant Græci ab ejus capite ſeparati, & hujus ſeparationis duplex erat cauſa: Una, quia volebant Spiritum ſanctum à Patra duntaxat; non autem à Filio procedere. Altera, quia nolebant recognoſcere Romanum pontificem, in viſibile caput univerſalis Eccleſiæ. Ad tollendum ejusmodi ſchisma Gregorius decimus in ſede Apoſtolica ſedens, Lugduni generale convocavit Concilium, ad quod convenerunt Epiſcopi ſexcenti, Abbates quingenti, priores aliiq; Eccleſiaſtici mille. Affuerunt Michael VII. Orientis Imperator, Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Græciæ Prælati, innumerique tam ex Oriente, quàm ex Occidente ſæculares. Ad id Concilium à ſummo Pontifice vocatus fuit Bonaventura, tunc Seraphici Ordinis Generalis Miniſter, & ut majori polleret auctoritate, creatus fuit à Papa Cardinalis Epiſcopus Albanenſis, antequàm eſſet Crdinalis presbyter; Bonaventura tali inſignitus dignitate Concilium adaperuit, in quo ſtuporem ingeneravit adſtantium mentibus, & cunctorum ſibi conciliavit amorem, cũ Græcis diſputavit, qui Bonaventuræ rationibus ſuperati, agnoverunt Romanum Pontificem in caput viſibile totius Eccleſiæ, & ſuum abnegantes errorem confeſſi ſunt Spiritum ſanctum à Filio non ſecus ac à Patre tanquàm ab uno & eodem principio ſpiratum, & in ſuæ fidei teſtimonium ſimul cum Patribus occiduis tum Græcè tum Latinè cecinerunt hæc Concilii Nicæni

Lib. 1. in Cant. verba, de Spiritu ſancto loquentis, *Qui à Patre Filioq; procedit.*

Rupertus Abbas ſic Virginem Deiparam alloquitur: *Vox tua, vox fuit Spiritus ſancti.* Tale præconium meritò competit Bonaventuræ, qui capiti Eccleſiæ dedit membra, Græcos ſchismaticos Romano Pontifici ſubdens & conjungens, & in egregio illo facinore, *Vox fuit Spiritus ſancti.* Spiritus ſanctus Conciliis præeſt Oecumenicis, Patresque in illis congregatos divinitus illuminat: ſimulque cum eis ſanctiones determinat; Eujusmodi decreta non procedunt à Spiritu ſancto ſolo, neque à ſola Patrum ratiocinatione, ſed à Spiritu ſancto ſimul cum ratiocinatione Patrum, cum hoc diſcrimine quod inſpiratio Spiritus ſancti eſt primum veritatum in Conciliis decretarum principium, Patrum verò diſcurſus eſt conditio ſine qua Spiritus ſanctus non inſpiraret. Quod Apoſtoli in primo Concilio Hieroſoly-

Actor. 15 mitano congregati fatentur, dicentes, *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.* Patres in Concilio Lugdunenſi congregati decreverunt Romanum Pontificem eſſe Patriarcham univerſalem Eccleſiæ, & tertiam Trinitatis perſonam à Patre Filioque procedere. Et quia ratiocinatio Bonaventuræ fuit potiſſima conditio ad inſpirationem Spiritus ſancti adhibita, nonne illi congratulandum eſt

eſt cum Ruperto: *Vox tua, vox fuit Spiritus ſancti*, donans Eccleſiæ viſibile caput, conjungens Græco Romano Pontifici, largiensque tum capiti, tum membris doctrinam tuam, ut ſit Eccleſiæ clypeus & tutamen.

3. *Ad tutelam* Eccleſiæ non parum ſervit Bonaventuræ doctrina: *Eſt quidem veritas opinione major, utramq; tamen ſua bona fortuna ſequitur.* (Tert. l. de Fug. in Perſ. 13) Suſpecta eſt veritas in ore Calvini, Lutheri, & aliorum hæreticorum. Qui licet fuerint magna de litteratura commendati; attamen depravata eorum vita, multum veritati nocet, dum ex putido illorum ore egreditur. (Philo Judæ l. de Migr. Abrah.) At veritas in ore Doctorum quos non ſolum doctrina, ſed adhuc ſanctitas commendat, ſubmiſſe recipitur, certa & infallibilis creditur, veritatem à ſcelerato viro propalatā infauſta fortuna ſequitur, quoniam *malum virum non eſt fas eſſe interpretem numinis*: (Philo Jud.) veritatem verò à doctore morigero & probato bona fortuna comitatur, *qui ſolum quidem guſtavere Scripturas, ſunt fideles; qui autem ulterius proceſſerunt, in iis quæ ad vitam pertinent, ſunt perfecti Gnomes veritatis.* (Clē. Alex. l. 7. Strom.) Romanæ Reipublicæ uſurpator ut nautas ad vincendam maris procellam concitaret, jactitando dixit: Cæſarem cum ſua fortuna defertis, attamen quantumvis de vanitate tumens remeavit, ne irati maris ſepeliretur fluctibus. Navis Eccleſiæ absq; ullo naufragii periculo navigat, quia pro ea ſua bona fortuna militat, nimirùm Bonaventura, cujus *Angelicam doctrinam vita authoritas armat.* (Ennod. l. 9 c. 2.)

Malus author optimè animadvertit, de Baſilio Magno & Gregorio Nazianzeno loquens; *Hos duos viros una tulit ætas apud Græcos, pietate pares, nec diſpares eruditione, ſed dictionis charactere diſſimiles.* (Eraſm. in Præf. oper Naz.) Apud Latinos quoq; una & eadem ætas protulit Thomam & Bonaventuram; illum Angelicum, iſtū Seraphicum Doctorem, quos absque ulla adulationis umbra poſſumus nuncupare *propria religionis pignora.* Sanguis Martyrum eſt velut fidejuſſio Chriſtianæ fidei, infallibile Chriſtianæ religionis teſtimonium reddens: (Tert. l. de Cor. Mil. 7) doctrina Thomæ & Bonaventuræ martyrii æmulans probationem eſt veritatis fidejuſſio religionis myſteria ſuo teſtimonio certa & indubitata demōſtrans, quos vocitare lubet *divini Numinis famulos, fidei coronas, columina Eccleſiæ.* (Gre. Naz.)

Gregorius Nazianzenus & Baſilius Philoſophiæ & eloquentiæ Athenis vacantes tantâ fuerunt inter ſe amicitiâ conjuncti, ut unus & idem eſſe viderentur; *cum vere jam uterq; alter quodvis eramus.* (Gre. Naz. Orat. de laud. Baſil.) Æmulatio, quæ ut plurimū eos qui eidem vacant ſcientiæ ſeparat, eos arctiori vinculo conjunxit. Non diſſimiliter Thomas & Bonaventura, Lutetiæ fuere profeſſione, neceſſitudine, morum probitate conjunctiſſimi, quibus aptari poſſunt ſequentia Tertulliani verba: *Ambo fratres, ambo conſervi, in Eccleſia DEI pariter utrique, neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis eſt.* (Lib. 2. ad Uxor. 8) Pariſiis ſimul Theologiæ ſtuduerunt ſub Alexandro Alenſi irrefragabili Doctore, ambo ſimul doctoratus ſuſceperunt inſignia; ambo ſimul in Univerſitate Pariſiēſi Philoſophiā & Theologiā docuerūt; ambo ſimul Magiſtrū ſentētiarū comētati ſunt; ambo ſimul conciones ad populū habuerunt, ambo ſimul multos libros

bros doctrinam & pietatem ſapientes ediderunt, ambo ſimul ad Lugdu-
nenſe Concilium vocati ſunt, in eoque fato-functi; ambo ſimul ſunt Ange-
D. Auguſt. li Eccleſiæ tutelares: *Ambiunt Eccleſiam Angeli, & murum faciunt.* Ambo rum
In Pſ. 124 ſcripta ſervierunt ad ferenda Conciliorum decreta, Patres etenim Concilii
Tridentini habebant præ manibus ſummam Thomæ, & Patres Concilii
Florentini libros ſententiarum Bonaventuræ. In laudem Eunuchi Canda-
Lib: de cis Reginæ prædicat Tertullianus quod fuerit *Scriptura divina impreſſus*, nec
Bapt: 18 minus ad Bonaventuræ gloriam ſpectat quod ejus doctrina fuerit in Con-
Act: 10 cilio Florentino comprehenſa, & quod Patres tam Græci, quàm Latini illi-
us præſtantiam decantaverunt non ſemel, non iterum, ſed tertio; juxta illam
Tert. l. 2 ſanctiones ibi latas regulantes tandem *ſonant inter duos Pſalmi & Hymni, &*
ad Uxor: 8 *mutuo provocant quis melius DEO ſuo cantet.*

Multum commendatur Bonaventura, ex ſimilitudine cum Thoma in
profeſſione regulari, doctoratu, ſcientiâ, pietate, aliiſque fortunæ, naturæ,
& gratiæ dotibus: at ejuſmodi conformitas inchoat tantummodo Bona-
venturæ elogium quod ad ſui complementum deſiderat, ut *par ipſe ſibi præ-*
dicetur: quo præconio Gregorius Nazianzenus Baſilii Magni laudem con-
ſummat, in hac ſuiipſius ſimilitudine, & diſſimilitudine ab aliis Bonaventu-
Lib: de ra æmulatur DEI perfectionem; qui ut fatur Philo Judæus, *eſt ſui ſimilis, alio-*
Opif: Mun *rum diſſimilis.* Quantum verò Bonaventura ab hujuſce ætatis Doctoribus
ſit diſſimilis evidenter comprobatur. 1. Bonaventura, ait Joannes Gerſon,
Gre: Nazi erat novitatis oſor, & ipſi *rebus novandis famam aucupantur.* 2. Bonaven-
Orat: adv: tura proprios conceptus edebat in lucem quos mutuabatur à Chriſto ante
Græcos crucifixum orans, quem oſtendens Thomæ Aquinati, *En librum, inquit, unde*
omnia excerpo, quæ lego in cathedris aut in libris ſcribo. Ipſi verò nihil proprium
Sen. Ep: 23 inferunt, ſed quaſdam duntaxat traductiones vertunt: *Nunquam auctores*
ſemper interpretes ſub aliena umbra latentes. 3. Bonaventura ſuam ſententiam
validis propugnabat rationibus, neque aliorum mentem acriter & con-
Caſſiod: l. tentioſè impugnabat; ipſi verò aliorum adoriuntur opiniones, & dum ra-
1. Var: Ep: tionibus eas evertere nequeunt, authores conviciis laceſſunt. *Ad injurias*
17 *nunc proſiliunt cum ſe ſuperiores turpiter erubeſcunt.* 4. Bonaventura tum in
ſuis diſputationibus tum in ſcriptis, humilitatem, & benignitatem ſapit; ipſi
Gre: Nazi verò ambiunt in diſputationibus victoriam, & in libris præeminentiam tur-
Orat: 22 piter ſibi vindicant: *Turpe eſt profectò in divinis diſputationibus principatum &*
tyrannidem ſibi uſurpare, nec cuiquam omnino fauces ſubmittere. Bonaventura
Lib. de E- doctrinam ſuam variis Scripturæ ſacræ locis, & Patrum authoritatibus ſo-
xam. Doct lidabat. Nam, ut fatur Cancellarius Univerſitatis Pariſienſis: (Recedit à
curioſitate quantum poteſt non immiſcens poſitiones extraneas, vel do-
ctrinas ſæculares Dialecticas, aut Phyſicas terminis Theologicis obumbra-
Philo Jud. tas, ſed cum ſtudet illuminationi intellectûs, totum refert ad pietatem &
l. de Abrah. religioſitatem affectus.) Ipſi verò multa profana congregant *ſpiritu vul-*
gari & collectitio. 6. Scientia Bonaventuræ eſt lucens & ardens, mentē illuſtrat

cœleſti

cœleſti ſapientia, voluntatem ſufflammat charitatis ardore; ipſi verò doctrinam ſterilem & frigidam præbent, quæ ignem charitatis non accendit. Ut autem ait D. Chryſoſtomus, *ſcientia ſine charitate extollit ad inſolentiam.* At proh dolor! quantumvis excellens, lucens, & ardens ſit Bonaventuræ doctrina: *Factum eſt, ut ab indevotis ſcholaſticis ipſe minus extiterit frequentatus, cum tamen nulla ſublimior, nulla divinior, nulla ſuavior, pro Theologis ſit doctrina;* quàm ad praxim redigens Bonaventura, pro ſe feliciter operatus eſt. Hom. 20 in 1. Cor. Joh Gerſ. l. de Exam Doct.

Scilicet patriæ, & imperio, reiq; vivendum eſt. Nullus tamen ita Reipublicæ & Eccleſiæ debet invigilare bono, ut ſuiipſius obliviſcatur; quia, ut belle ſubjungit Tertullianus, *Nemo alii naſcitur moriturus ſibi.* Bonaventura magna fecit pro Ordine Seraphico, majora adhuc operatus eſt pro corpore Eccleſiæ myſtico, maximè ſuiipſius curam egit, virtutibus ita ſtudens ut meritò fuerit, 1. Doctor Seraphicus nuncupatus: 2. ad dignitates ſublimatus: 3. ab omnibus univerſaliter exiſtimatus. III. PARS. Tert. l. de Pall. 5

1. Bonaventura meritò in cœlo collocatur *inter lapides igneos, inter gemmantes ſiderum ardentium radios.* Nimirùm inter Seraphinos ob amorem DEI quo ardent ſic vocitatos. Nonne talis ei debebatur locus qui dum viveret Doctor Seraphicus eſt nuncupatus? Ejuſmodi autem honoris titulus illi convenit, tum ratione doctrinæ, tum ratione vitæ. Ratione doctrinæ: nam ut fatur Sixtus V. in diplomate quo Seraphicus Doctor eſt declaratus, *ea de divinis rebus ſcripſit; ut in eo Spiritus ſanctus locutus videatur.* Ab Spiritu ſancto edoctus Bonaventura, (Brevi temporis ſpatio gratiâ Spiritus ſancti tantos progreſſus fecit, & ad tantam doctrinæ perfectionem pervenit, ut Doctoris & Magiſtri inſignibus in celeberrimo Pariſienſi gymnaſio ſolemni more decoratus, ſacram Theologiam ibidem publice profeſſus ſit.) Spiritus ſanctus proprio charactere amor eſt, qui ardentem & ignitam doctrinam docuit Bonaventuram: Nam ut ſubjungit præfatus pontifex Maximus: (Fuit in ſancto Bonaventura id præcipuum & ſingulare, ut non ſolum argumentandi ſubtilitate, docendi facilitate, definiendi ſolertia præſtaret, ſed divinâ quâdam animos promovendi vi excelleret. Sic enim ſcribendo cum ſummâ eruditione parem pietatis ardorem conjungit, ut lectorem docendo moveat, & in intimos animi receſſus illabatur, ac denique Seraphicis quibusdam aculeis cor compungat, & mira devotionis dulcedine perfundat.) Summo Pontifici aſſentiens Trithemius Abbas ait: (Bonaventura ſcripſit multa & profunda, & devotiſſima opuſcula quibus ardentia verba proferés, non minus affectum legentis in Chriſti amore accendit, quàm intellectum doctrinis ſanctis illuminat: omnes enim ſui temporis Doctores utilitate operum facile præcellit, ſi ſpiritum divini amoris, & Chriſtianæ devotionis in loquentem attendas. Si ergo & doctus vis eſſe & devotus, illius opuſculis eſto intentus.) Ratione etiam vitæ Seraphicus eſt nuncupatus: Tum ob morum innocentiam; ideoque ut refert D. Antoninus Archiepiſc. Floren- Tert. lib. 2 adv. Marc 10 Sixt. 5 De Script. Eccleſ.

tinus, Alexander Alenſis *Bonaventura ſanctam vitam conſiderans, ipſum ab omni vitio mundum aſſerebat & de eo ſolitus erat dicere: Iſte eſt verus Iſraelita, in quo Adam videtur non peccaſſe*: Tum ob ardorem cha itatis quâ æſtuabat: etenim *divini amoris fervore inflammatus JESUM Chriſtum & patientem ubiq; intueri, & in ejus vulneribus inhabitare videbatur.* Et quia, ut docet Antoninus, *ardens charitas requiritur in cardinalibus ratione ſtatus quem repræſentant, quia ſunt aſſiſtentes primi, inter quos ponuntur Seraphin*; non ſine ſpeciali DEI providentiâ Seraphicus Doctor eſt ad Cardinalis dignitatem ſublimatus.

3. p. tit. 24 c. 8

Sixt. 5.

Ter. l. de Cult. Fœ. 3 Expoſit. ad Galat. 2

2. *Porrò gloria non competit profeſſoribus humilitatis*, mentis demiſſio cunctis in univerſum competit Chriſtianis. Nam ut docet D. Auguſtinus, *humilitas eſt maxima diſciplina Chriſtiana*: at ſpeciatim competit Minoribus ex propoſito humilitatem profitentibus. Bonaventura humilis parentis humilis filius, humilitatem in omnibus ſectatus eſt quamvis ut teſtatur Sixtus V. ſummus Pontifex, (Tantam laudem interpretandi munere, & in univerſæ Theologiæ ſcientiâ ſit conſecutus, ut viri doctiſſimi ejus doctrinam & eruditionem admirarentur.) Quadruplex tantæ humilitatis quam præferebat Bonaventura exiſtebat cauſa. Una ardor charitatis quâ æſtuabat. Ut enim docet ex Apoſtolo Tertullianus, *Dilectio non inflatur, non protervit*, id eſt ſuperbia non tumet, neque ſeſe extollit & oſtentat. Altera, abundans gratiâ, quâ ejus anima decorabatur. Ex Richardo etenim à S. Laurentio, *parva eſt gratia ex effectu, quia facit hominem parvum.* In ſe magna eſt gratia, utpote divinæ naturæ participatio; in effectu verò parva, quia homines quos ſanctificat, humiles efficit, ut conſtat ex Bonaventura, in cujus Officio legitur, (Quod notabilius & admirabilius erat in illo, quo magis ſcientiâ & auctoritate emerſerat, eo magis humilitate mentis deprimebatur.) Totius namque Ordinis cum eſſet Generalis Miniſter, Fratrum cellulas mundabat, ſtratum verrebat, culinæ ollas lavabat, lances, catinos, & paropſides abſtergebat, vilioribusque officiis indeſinenter incumbebat. Tertia, cœleſtium contemplatio. Stephanus protomartyr plenus Spiritu ſancto & gratiâ intendebat in cœlum. *Signanter recollige poſitionem verborum: plenus eſt Spiritu ſancto, & ſic intendit in cœlum.* Bonaventura quoque plenus Spiritu ſancto & gratiâ, humiliter de ſe ſentiebat, vanam terræ gloriolam deſpiciebat, ad cœlum humilibus præparatum mentis oculos extollebat. Nam ut ſubjungit Damianus, *Qui ſpiritu divinitatis afflatur, conculcatis terreſtribus cœleſtibus inhiat & æternis.* Quarta tandem, paupertatis amor. *Nullus profectò ſpiritu pauper, niſi humilis.* Zelo ſervandæ Evangelicæ paupertatis opulentum Eboracenſem Epiſcopatum recuſavit, quem ei ad ſe evocato obtulit Clemens IV. fama virtutum permotus: attamen ſummus Pontifex, (aſſequi non potuit, ut vir ſanctus eam promotionem acceptaret, qui propoſiti conſtans in religione maluit permanere, ut ſibi divitias & dignitates procuraret in cœlis.) Qui opulentos ambiunt Epiſcopatus, multum diſcriminantur à Bonaventura, qui Sixto V. teſte (cum ſe à Seraphicæ paupertatis complexu di-

Bulla 4. in Bullar. Rodr. to: 4

L. de Pat: 12

Lib. 2. de Laud: Vir:

Die 3 infr: Oct: S Bonav. lect: 5

Actor: 6 Pet: Dam: Serm. de S. Steph.

Tert. l. de Pat. 12

Die 6. inf: Oct: S Bonav. lect: 6

diveIli facile non pateretur, oblatam dignitatem modeſte atq; humiliter recuſavit.)

Verum quia *humiles ſublimitate mutantur*, Bonaventura non tam vo'o ſuo, quàm Fratrum, factus eſt Generalis Magiſter, & ex improviſo à legatis Gregorii X. allatus eſt illi Pileus Cardinalitius, & inſuper delatus Albanenſis Epiſcopatus, exiſtens tunc in culinâ ollas tergens, ſcutellas abluens, porrò perrexit, nec legatos admiſit, niſi peracto illo humilitatis officio; & Pileum Cardinalitium tantiſper ex vicinæ arboris ramo appendit, nec admiſit niſi coactus reverentia illius, cui in terris reſiſtere nefas eſt; in quo humilitatem demonſtravit cum patientiâ conjunctam: *quia ſeſe nemo ſubjicere poteſt, ſine prima patientia ſubjectionis ipſius.* Humilem Bonaventuræ obedientiam refert Sixtus V. (Itaque ſanctum Bonaventuram nullos honores appetentem, fugientem potius, ſed Chriſti Vicario obtemperantem, nulloſque pro Eccleſia labores ſubire recuſantem, tanquàm in totius orbis terræ theatro in ſacrum Cardinalium collegium, & in Epiſcoporum ordinem ſtatim coaptavit: nam Eccleſiæ Albanenſi illum præfecit, qui honos antiquioribus presbyteris Cardinalibus tribui ſolet.) Unde ſicut de Magno Baſilio fatur Gregorius Nazianzenus: *Et quod maximum eſt ſacerdos Chriſtianis, ante initum ſacerdotium*: ita ſingulari favore Bonaventura fuit Cardinalis Epiſcopus, antequàm presbyter Cardinalis. Epiſcopatum autem & Cardinalatum acceptavit Bonaventura, non ad delicias & honores, ſed ad humilitatem & labores; Ad humilitatem juxtà Chriſti oraculum, (qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.) Ad labores adhuc edoctus ab Origene: *Qui vocatur ad Epiſcopatum, non ad principatum vocatur: ſed ad ſervitium totius Eccleſiæ: Si vis credere de ſcripturis, quia in Eccleſia ſervus ſit omnium qui præeſt, ſuadeat tibi Salvator, & Dominus, qui talis tantuſque factus eſt in medio diſcipulorum non quaſi diſcumbens, ſed quaſi miniſtrans; in ſervitium igitur vocatur Eccleſiæ princeps, ut poſſit ex ſervitute iſta ire ad ſolium cæleſte.* In ſervitium Eccleſiæ ad Epiſcopatum & Cardinalatum ſublimatus Bonaventura, ab omnibus fuit exiſtimatus.

Tert. apol 20

Tert. l. de Pat: 11

In Epiſt: Decretali pro ejus Feſto § 8

Orat. de laud. Baſil.

Luc. 22

Hom. 6. in Iſa.

3. A multis multum exiſtimatus fuit Bonaventura. 1 Exiſtimatus ab Alexandro Alenſi proclamante ipſum verum Iſraelitam, in quo Adam peccâſſe non videbatur. 2. Exiſtimatus à Thoma Angelico Doctore, qui cùm viſitationis gratiâ, ad cellam Bonaventuræ acceſſiſſet, introſpiciens illum in contemplatione raptum, & à terrâ mirifice ſublevatum, illicò diſceſſit, dicens: (Sinamus Sanctum quia laborat pro Sancto.) 3. Exiſtimatus à Fratribus qui Romæ in Capitulo Generali congregati, eum in Miniſtrum Generalem elegerunt. 4. Exiſtimatus à Clemente IV qui ei Epiſcopatum Eboracenſem obtulit. 5. Exiſtimatus à Cardinalium collegio, à quo nominandi Pontificis munus accepit. 6. Exiſtimatus à Gregorio X. qui eum Epiſcopum Albanenſem, & Cardinalē creavit, mortuumq; videns cum mœrore & lachrymis planxit.

(Gregorius Pontifex qui ſanctum Bonaventuram non modo in hac vitâ, ſed poſt illius obitum tanti fecit, quanti eum feciſſet perſpicuum eſt, ejus mortem intime dolens, non potuit continere quin diceret : Eccleſiam quæ ex tanti viri eruditione tam admirabiles fructus acceperat, magnam ex illius obitu jacturam feciſſe.) 8. Exiſtimatus à Patribus tam Græcis quàm Latinis in Concilio Lugdunenſi congregatis : nam ut fatur Henricus Ubillot : (Sepultus in templo Minorum Lugdunenſium, Domino Papa, & Cardinalibus ſacras exequias celebrantibus, & Græcis unâ conclamantibus; Periit columna Chriſtianitatis.) 9. Exiſtimatus ab Eccleſiâ univerſali & Catholicâ, quæ eum in Sanctorum numerum retulit. 10. Exiſtimatus à cunctis generatim fidelibus, qui Bonaventuram religioſe venerantur.

Hiſt. Seraph. c. 14 §.7

Multiplici autem de causâ tantopere exiſtimatus fuit Bonaventura. 1. Ob magnam ejus ſanctitatem, morumque probitatem : idcircò Patavius coram Sixto IV. Pontifice qui Bonaventuram canonizavit, perorans dicere non dubitavit : (Nunquã legitur fuiſſe auditum de hoc B. Patre aliquod crimen, aut aliqua criminis ſuſpicio.) 2. Ob ardentem charitatem, quâ inter Seraphinorum Ordines eſt collocatus. 3. Ob candidam ſimplicitatem, unde à Petro Tharentaſienſi Epiſcopo, Hoſtienſi Cardinali, in oratione funebri ad ejus laudem propalata, nuncupatus fuit Jonatas, id eſt columba. 4. Ob ejus amabilitatem, gratiâ enim quâ intus ornabatur, exterius apparebat in facie, gratioſum amabilemque omnibus reddebat : unde de eo prædicavit Cardinalis : (Quicunque eum videbant, ſtatim amore ejus capiebantur :) Cui probè competit quod à Lyrano *de amabilitate ſancti Sebaſtiani dicitur, neceſſe erat ut quem DEVS tanta perſuderat gratia, ab omnibus amaretur.* 5. Ob mitem ejus urbanitatem. Joannes gratioſum ſignificat, Bonaventura in Baptiſmate Joannes nominatus toto vitæ tempore gratioſus extitit. Quod teſtatus eſt Octavianus à Martinis oratione coràm Sixto IV. ſummo Pontifice habitâ : (Nec tamen vir ſanctus ulla charitatis officia, ob litterarias actiones prætermittebat, ſed in omnes Fratres oculos intendens, ſi quem forte triſtem, aut profeſſionis pœnitentem intelligeret, tantâ dulcedine in ſermone conveniebat, conſolabatur, monebat, ac confirmabat, ut nullus ab eo diſcederet, quin libens acceptum religionis iter proſequeretur.) 6. Ob doctrinæ utilitatem, librorumque quos excuſſit diverſitatem, quorum ſeptem tomos in folio præ manibus habemus. Primus complectitur initium Scripturæ ſacræ, viginti tres ſermones in Exameron, commentaria in Pſalmos, in Eccleſiaſtem, in libros Sapientiæ, in Lamentationes Hieremiæ, aliosque Tractatus minores. Secundus exponit orationem Dominicam, Evangelium Lucæ & Joannis. Tertius inducit ſermones de tempore, de Sanctis per annum, & de eis in communi. Quartus & Quintus ſunt ſcholaſtici, & conſiſtunt in Comentariis ſuper quatuor libros Magiſtri Sententiarum, ubi adhuc proponit & reſolvit cunctas Theologicas difficultates. Sextus eſt myſti-

Art. 7 part 3. Conc.

In cap. 6 Actor.

§.8

ſticus, comprehendens quidquid eſt magis aptum ad elevationem mentis in DEUM & contemplationem myſteriorum quæ operatus eſt Dominus JESUS. Septimus eſt mellifluus innumera continens documenta pro quolibet hominum ſtatu. Quibus adde quæ dixit Mauritius Breſſus oratione habitâ ad Sixtum Pontificem de Seraphico Doctore. (Beatus autem Bonaventura, non ea tantum quæ ante dixi opera conſcripſit, ſed tam multa inſuper, quorum partim in lucem prodierunt, partim in Bibliothecis Gallicis aliisque, hactenus aſſervata ſunt, ut vel ipſos recenſere eorum indices longum ſit futurum. 7. Ob profundam humilitatem, in qua eum Præcurſori ſimillimum reperio. §.7

Hæc autem ſimilitudo in multis conſpicitur. 1. Uterque Joannes vocatur, quo nomine utriusque gratia & urbanitas denotatur. 2. Joannes ſeſe indignum judicat ſolvere calceamenta Chriſti: Bonaventura à ſumptione corporis Dominici abſtinet, cujus ſeſe exiſtimat indignum. 3. Joannes in tanto fuit honore apud primates Judæorum, ut ad eum miſerint legatos velut ad Meſſiam: Bonaventura tantâ fuit in æſtimatione apud cardinales, ut ejus arbitrio reliquerint auctoritatem nominandi ſeſe in ſummum Pontificem. 4. Joannes oblatam à Judæis Meſſiæ dignitatem humiliter recuſavit. Bonaventura, in ſuâ diſpoſitione poſitam pontificiam dignitatem ſumere noluit: in quo major quàm Baptiſtæ apparet ejus humilitas: non enim erat in Judæorum poteſtate offerre Meſſiæ honorem, neque injuſte oblatum abſque crimine poterat acceptari à Baptiſta: at Cardinales congregati potuerunt offerre Bonaventuræ ſummi pontificatûs honorem, quem Bonaventura potuit abſque ullâ noxâ ſumere, ſed tamen noluit ob ſingularem humilitatem. Verum uti Bernardo Chriſtus quantò vilior tantò charior eſt, ita quantò humilior Bonaventura, tantò majori veneratione eſt dignior; & quia veneratio potiſſimum in imitatione conſiſtit, imitemur egregias Bonaventuræ virtutes, ſimplicitatis candorem, innocentiæ fulgorem, charitatis fervorem, probitatis morem, urbanitatis amorem, gratiæ decorem, ut in cœlo cum ipſo poſſideamus gloriæ ſplendorem.

CONCIO TERTIA.

L. 1. adv. Marc. 1 — Tert. l. 2 adv. marc. 2 — Tert. l. 1 adv: Marc 24 — Tert. l. 1 adv: Marc 4

DEUS ſolus ſumme magnus dicitur. Nam ut profunde ratiocinatur Tertullianus, *Non aliter DEUS, niſi ſummum magnum; nec aliter ſummum magnum, niſi parem non habens; nec aliter parem non habens, niſi unicus fuerit.* Unde quantumvis mentis tumor ambiat magnitudo vocitari, vere & proprie *magnitudo DEUS dicitur*; quia magnitudo in abſtracto omnimodam moris ſeu virtutis denotat perfectionem. Solus autem *DEUS, ſicut æternus, ita & perfectus in omnibus*, & quantumvis adulatio Reges & Imperatores vocitet magnos, nunquam tamen ſummitatem magnitudinis poſſunt ſibi arrogare; quia in uno DEO *neceſſe eſt ſummitas magnitudinis eliquetur, omnibus gradatim per comparationis exitum de magnitudinis ſumma expreßis, & excluſis.* A divinâ magnitudine dimanat omnis creata & participata magnitudo, quæ eo eſt major quò magis ad DEUM accedit. Trina autem præſertim reperitur, Regia ſcilicet, Pontificia, & virtutis ſtudioſa: ob quam homines magni vocitantur. Reges vocitantur magni ratione potentiæ & authoritatis: Præſules dicuntur adhuc magni ratione miniſterii, & dignitatis; Tandem homines pietatis ſtudioſi, nuncupantur magni, ratione virtutis & ſanctitatis. O quàm meritò Eccleſia in honorem S. Ludovici cantat! Ecce ſacerdos magnus; & quidem 1. magnus, generis nobilitate: 2. major, pontificiâ dignitate: 3. maximus, Epiſcopali ſanctitate.

I. PARS. — Tert. l. 1. ad Nat. 12 — Tert. l. de Cor. Mil. 50

Omne omnino genus, cenſum ad originem refert, quantoque genus cenſetur, tanto origo convenitur in genere. Trinum eſt genus à quo cenſendus eſt S. Ludovicus: Humanum ſcilicet, Chriſtianum, & Franciſcanum. Humanum trahit à ſuis progenitoribus; Chriſtianum ducit à Chriſto; Franciſcanum, mutuatur à Franciſco Seraphicæ Religionis parente. Quapropter S. Ludovicus *de originis cenſu* nobilitatur genere, 1. Humano: 2. Chriſtiano: 3. Franciſcano.

Tert. l. de præſc: hær 20 — Ter. l. adv. Jud: 2 — Tert. l. de Exh. Caſt. 2 — Tert. l. de Spect. 6 — Lib: de Salut: Docum. 2

1. *Omne genus ad originem ſuam cenſeatur neceſſe eſt.* Humanum genus trinâ cenſendum eſt origine. Primam habet à DEO *utpote plaſmatore generis humani*: ſecundam ab Adamo trahit qui eſt *princeps generis & delicti*: tertiam mutuatur à propriis parentibus, qui ut plurimum dum proli dant vitã corporalem, communicant animæ ejus mortem ſpiritualem *de reatu generali* originalis culpæ. Prima origo nobilis eſt, in quâ dubius Auguſtinus conſiderat trinam hominis dignitatem. Unam, quia à DEO ſupremo omniũ artifice formatus: alteram, quia conſilio ſanctæ Trinitatis à DEO excellenter conditus eſt: tertiã, quia ad imaginẽ & ſimilitudinem DEI creatus eſt, tresq; habet à Patre, & Filio, & Spiritu S. conceſſas dignitates, id eſt intellectũ, voluntatem, & memoriã. Secunda origo quã humanũ genus trahit ab Adamo,

igno-

ignobilis eſt. *Facit & hoc ad originis maculam*, quod à protoparente ſcelero- Tert. l. de
ſo procedit. A DEO nobilitate donatus fuerat Adamus, juſtitiâ originali Spect. 5
decoratus, & in amœno paradiſi loco collocatus; at peccando *DEI nobili-* Jur. Can.
tatem à ſe dejecit, nobilitate loci privatus eſt, & quia cuncti mortales, exceptis Can Ada.
duntaxat Chriſto & Deipara, ſunt *hæreditarii rei* ob primordialem noxam in Diſt. 40
Adamo contractam; quia *de ſe erat ille qui eſt originis fons.* Tertia adhuc Tert. l. de Orat. 11
origo ignobilis eſt, tum quia homines cujusvis ſint generis naſcuntur pri- Tert. l. de
mæva labe maculati, tanquam deſcendentes ab Adamo criminoſo, qui eſt An. 29
origo totius poſteritatis. Tum quia eorum conceptus in utero matris immun- Tert lib. 2 ad Nat. 11
ditiam & ignobilitatem redolet. *Perora ſpurcitias genitalium in utero elemen-* Tert l. de
torum, humoris & ſanguinis fœda coagula, carnis ex eodem cœno alendæ per novem Car. Chr.
menſes. Tum quia infans nudus naſcitur & inermis, matris pietati aut cru- 4
delitati expoſitus, *horret utique & infantem, cum ſuis impedimentis profuſũ utiq́;* Tert. ibid.
& oblitum: Tum quia mox ut in lucem eſt editus, fundit lachrymas augu-
rantes miſerias quibus toto vitæ decurſu obnoxius eſt. *Plus eſt quod de pro-* Tert. l. de
ſpectu lachrymabilis vitæ quidam augurem incommodorum, vocem illam flebilem An. 19
interpretantur. In primâ origine quam à DEO plaſmatore habent homi-
nes, omnes ſunt æquè nobiles, utpote ad DEI imaginem formati: in ſecun-
dâ imagine quam trahunt à protoparentibus ſceleroſis, omnes adhuc ex æ-
quo ignobiles ſunt: Nam *qualitas poſteritatis à principibus generis oſtenditur*, Tert. lib. 2
qui cùm fuerint ſceleroſi, ſceleroſos genuerunt nepotes. In tertiâ verò na- ad Nat. 13
tivitate homines ſunt æquales & inæquales. Æquales, in contrahendâ ori-
ginali noxâ; æquales in conceptione immunda. Æquales, in nuditate quâ
veniunt in mundum. Æquales in lachrymis quas ſtatim poſt nativitatem
fundunt: Æquales in ærumnis & doloribus qui concomitantur vitam; æ-
quales in moriendi neceſſitate. *Mutuum debitum eſt inter ſe, nativitati cum* Ter. l. de
mortalitate. Æquales, in nuditate & deſpoliatione bonorum ſæculi, quæ Car. Chr. 6
conſequitur mortem. Multimodam hujusmodi æqualitatem homini con- Serm. de
ſiderandam proponit D. Auguſt. *Homo attende quod natus es? Quid eſt no-* Nat. S. Jo-
bilis nativitas? pauperis & divitis æqualis eſt nuditas. An forte, quia nobilis natus an. Bapt.
es, quantumvis vivus es, quando natus es, hanc vitam intraſti; quando non vis,
egredieris. Sepulchra inſpiciantur, & oſſa nobilium inſpiciantur. Inæquales au-
tem in fortunâ, & virtute parentum, à quibus generantur. Trinam nobi-
litatem vel ignobilitatem quam à præfatâ trinâ origine accipiunt homines,
declarat Gregorius Nazianzenus. (Triplex genus eſt nobilitatis. Unum, Orat. 18
quod ſuperne originem traxit, quod quidem ſi conſideremus, omnes per-
æque nobiles ſumus, quippe ad imaginem DEI creati: Alterum, quod à
ſanguine proficiſcitur, cujus ratione haud quidem ſcio, an quisquam nobi-
lis dici poſſit, cum corruptione conſtet: Tertium à virtute, aut vitio agnoſci-
tur, cujus vel uberius, vel exilius participes efficimur, prout opinor divinam
imaginem, vel integram ſervaverimus, vel corruperimus, atque hanc de-
mum nobilitatem complectetur, quisquis vere ſapiens fuerit.)

Ad

Ad veram illam comparandam nobilitatem quatuor potiſſimum concur-
runt: 1. Vetuſta diu ſanguinis celſitudo per majorum retro traduces rite ad
poſteros derivata, & ob hanc cauſam heroes ſe ex diis natos fabulabantur,
Sidon: in panegyr: Anth. ut hâc conſideratione egregia exequerentur facinora. Sic Alexander Ma-
cedo ſe è Jove editum propalavit, & Cæſar Auguſtus ortum ſuum in ſolem
Gre: Naz: Orat. 28 refudit. *Nobili loco natus eſt; probitatem morum generis ſplendori opponet, atque*
ex adverſo ſpectandam producet. Ita, duplici nomine clarus erit, nempe & ma-
Tert. l. de Pall. 1 *jorum imaginibus, & propria virtute, ac privatim inſpectus.* In quo veros & *ve-*
Thom. à Villa Nov. *tuſtate nobiles,* à fucatis nobilibus diſcriminat Valentinus Antiſtes. (Qui ge-
nere ab antiquo nobiles ſunt; magis ſplendeſcunt; nam ſicut ſanguine nobi-
liores, ita & ingenio humiliores, humanioresque ſunt, & apud omnes ho-
mines tractabiles. Nec mirum: non enim ex hoc magnitudinis jacturam
timent; quam tot ſæculis in progenitoribus fundatam radicatamque con-
ſpiciunt: Illi verò qui caſualiter acquirunt nobilitatem, quaſi adventitiam
& novam, in ſua humiliatione periclitari pertimeſcunt, faciliterque poſſe ab
Tert. l. de An. 5 hominibus contemni, quaſi à leni filo pendeat.) 2. Generoſa parentum
indoles, & diu exercitata virtus. *Vult & Cleanthes non ſolum corporis linea-*
mentis, ſed & animæ notis ſimilitudinem parentibus in filios reſpondere, de ſpeculo
In Archela. *ſcilicet morum, & ingeniorum, & affectuum.* Cui attidens Euripides belle ait:
In liberis virtus nobilium concipitur, & generoſæ nuptiæ præſtant opulentiis. Gene-
roſa indoles generatione concipitur, & parentes ſimul cum ſtrenuo ſangui-
Pet. Dam: Ser. 17 ne innatas communicant virtutes. *Veriſimile quippe eſt, ut quidquid virtutis in*
Sanctorum filiis cernitur; totum ab ipſis parentibus traditum fuiſſe credatur: quod
intellige non de gratiâ, quæ eſt donum DEI, ſed bonâ indole & innatâ in-
apud Stobæ. Ser. 20 clinatione ad bonum. Inde Plutarchus Sophiſtas nobilitatis conviciatores
inſequitur. (Abſurda eſt Sophiſtarum contra nobilitatem calumnia; quia
vulgaria etiam, & omnibus notiſſima non conſiderant: nempe quod gene-
randæ ſobolis gratia, generoſi equi, & canes emuntur: item vitium, olearũ,
& reliquarum arborum optima quæque: neque credunt latentia quædam
principia, & ſemina virtutis in generatione liberis communicari, ut Tele-
macho Ulyſſis, de quo Homerus clariſſimo vocabulo dixit, Inſtillata patris
virtus tibi: tanquàm aſſereret ad paucas ſeminum guttas paternæ virtutis
bona confluere.) 3. Educatio non parùm conducit ad componendos mo-
Tert. l. de an. 20 res, & adipiſcendam veram nobilitatem. *Sed Empedocles perfrictum, ac profe-*
ctum de doctrina diſciplinaq́; deducit. Tanti faciebat Alexander Magnus eru-
ditionem à Philoſophorum Principe mutuatam, ut ſeſe magis addictum
Ariſtoteli quam Philippo profiteretur; quia à Philippo acceperat eſſe &
vitam, ab Ariſtotele verò bene eſſe, & morum generoſitatem quæ animam
Tert. l. de an. 9 pulchram efficiunt. *Pulchra anima, juſtitia, & diſciplinis Philoſophiæ.*
4. Paternarum virtutum imitatio: nam ut ait Divus Hilarius ex-
pendens iſtud Matthæi, quo arguuntur Judæi, à fide & probitate Abra-
Cap. 3 hæ degeneres. (Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus

Abra-

Abraham.) *Non enim ſucceſſio carnis quæritur, ſed fidei hæreditas, dignitaſque originis, in operum conſiſtit exemplis, & proſapiæ gloria fidei imitatione retinetur.* Falso de parentum nobilitate gloriatur, qui illuſtres eorum virtutes non imitatur. Quod duplici exemplo ex ſacris paginis deſumpto declarat D. Chryſoſtomus: *Quid filios Samuelis neceſſitudo juvit parentis, cujus non fuerunt virtutis hæredes? Quid etiam Moyſi liberis paterna profecit cura juſtitiæ, cujus non ſucceſſit imitatio? Itaque nec ad illos patris imperium quaſi ex ſucceſſione defertur, qui illum vocabulo tantum ſignificabant parentem; ſed ad eum migrat, qui illius erat filius virtute, non genere.* Vocabulo duntaxat, non re vocabuli filii ſunt Moyſis, qui etſi ab ipſo progeniti, patris virtutes non imitantur: at econverſo pater eſt illius qui licet ab ipſo non genitus, ejus tamen imitatur virtutes. Hom. 9. in Matth.

Hæc omnia in Ludovico coadunata, veram ejus & regiam probant nobilitatem. Nam 1. *Summam originem generis tractando.* Nullum eſt genus illuſtrius eo à quo oritur, ad quod commendandum, *nuptiæ, patria ſedes, regna, cucurrerunt.* Et quidem nuptiæ initæ inter Carolum ſecundum Neapoli & Siciliæ regem, Provinciæ Comitem, & Mariam Hungariæ regis filiam. 2. Parentum ſanctitas. *Docet nos divina Scriptura, non ſolum mores in his qui prædicabiles ſunt, ſed etiam parentes oportere laudari, ut velut transmiſſa immaculata puritatis hæreditas, in his quos volumus laudare præcellat.* Fuit autem Ludovicus *de genere Sanctorum* oriundus. Nam S. Ludovicus Galliarum rex erat Caroli primi, ejus avi germanus frater, & ex parte matris tres numerat avunculos ſanctitate conſpicuos: nempe Stephanum, Ladislaum, & Henricum: Elizabetham quoque de ſanctitate commendatam. Itaq; probe Ludovico competunt encomia, quæ D. Paulinus Epiſcopus Nolanus in laudem Joannis Baptiſtæ prædicat. *Opinor & hoc ad cumulum divinæ gratiæ pertinere quod ad ſanctitatem laudandam, de laudibus generis prædicare ordior.* Mox de Præcurſore loquens ſubjungit: *Vides Evangeliſtam de commemoratione natalium Sancti dictionem feciſſe meritorum, ut iis quos erat de propriis meritis prædicaturus, nomina avita præferret. Auxit meritum ſacerdotis, commemorata nobilitate conjugii; & laudaturus vitam genus ante laudavit; ut venerabilior exiſteret, qui ſanctis parentibus reſponderet ſanctitate ingenita, quaſi quadam juſtitiæ hæreditate.* 3. Sanctitatem quam à parentibus acceperat Ludovicus quaſi hæreditario jure, auxit probæ educationis magiſterio. *Vides quantum polita converſatio, pretiis bene naſcentis adjungat; quod jubar ſanguinis præſtitit, ſuperavit induſtria* egregii magiſtri docentis. Multos habuit Ludovicus magiſtros qui eum docuerunt virtutem; DEUM, à quo in orationibus poſtulabat lumen ut innocuam duceret vitam; parentes, qui eum tum pietatis ſermonibus, tum virtutum exemplis ad bonum incitabant; præceptores, ſub quorum magiſterio non modo in litteraturâ, ſed etiam in pietate proficiebat: Adverſitas patris Caroli ſecundi Siciliæ regis, à Petro Arragoniæ rege, prælio navali victi & comprehenſi, quæ eum docebat patientiam, & ſubmiſſionem ad DEI voluntatem: Tandem quinquennium car-

Tert. l. 2 adNat: 13
Tert. ibid.
D Ambr. in c. 1 Luc
Tert l. 2 ad Nat: 8
Epiſt. 10
Ennod. l. 1 Epiſt. 1

Tert. l. de Jejun: 12

ceris. *Carcer ediſcendus.* Ludovicus enim cum duobus fratribus, Roberto & Raimundo obſes datus pro obtinendâ patris libertate, Barcinonæ velut in carcere per quinque integros annos detentus eſt, toto q; illo tempore vacavit non ſolum Grammaticæ, Logicæ, Philoſophiæ, Theologiæ, ſed etiam orationi, timori DEI, pietati, cunctiſque virtutibus. Carcer Ludovico

Tert. l. ad Mart: 4

fuit *pro paleſtra* in quâ conflictans cum dæmone, mundo & carne, glorioſam de illis reportavit victoriam. Omnes moleſtias omniaq; incomoda quæ

Tert l. ad Mart: 3

patiebatur in carcere, *ad exercitationem virtutum animi & corporis deputabat,* longè plura adipiſcens quàm amittens. *Ipſam interim converſationem ſæculi,*

Tert. l ad Mart: 2

& carceris comparemus. ſi non plus in carcere ſpiritus acquirit, quam caro amittit. Caro amittit libertatem, ſæculi gaudia: *at quæ ſemper utilia fidei, ſpiritus adipiſcitur,* ut conſtat ex Ludovico. qui in captivitate ſpiritalia bona, augmen-

Tert l. de Jejun: 12

tum gratiæ, theſauroſque lucratus eſt meritorum. *In carcerem talis introeat Chriſtianus, qualis inde prodiſſet, non pœnam illic paſſurus, ſed diſciplinam; nec ſæculi tormenta, ſed ſua officia; eoq; fidentior proceſſurus ad certamen è cuſtodia abuſus, nihil habens carnis.* Ludovicus virtutis ſtudioſus ingreſſus carcerem, tormenta non ſuſtinuit, ſed ad Chriſtianam diſciplinam eruditus fuit, vacans in illo, non ſæculi vanitatibus aut carnis blanditiis, ſed mortificationi & pietatis officiis, quibus ſedulò incumbebat, quæque à ſuis domeſticis fervide exigebat, ab eis arcens omne juramentum, ideoque quoties quiſpiam ex famulis in vanum DEI ſumebat nomen, ſtatim eum jejunio panis & aquæ mulctabat, ſuoſque fratres ejuſdem ſceleris reos ut diſcalceati pranderent, condemnabat. His pietatis operibus exercitatus Ludovicus, exivit de carcere ut denuò in virtute proficeret, probos 4. parentum imitans mores. Euripides nobilitatem nuncupat *claram & illuſtrem notam*, quâ præſtantes & illuſtres homines dignoſcuntur, & ab ignobilibus diſcriminâtur, Hac illuſtri no à dignoſcebantur Ludovici parentes, pietate magis quàm ſanguinis vetuſtate & gloriâ commendabiles, quorum exempla imitabatur ne ab illis

Cyril: in Caten.

degeneraret: *Quid prodeſt carnalis generoſitas, niſi conſimilibus ſtudiis fulciatur?* Qui de majorum gloriâ gloriatur, neque probos eorum imitatur mores, ignobilis & inglorius cenſetur à dubio Chryſoſtomo: *Ipſe ſe vacuum ab om-*

Imperf. Hom. 3. in Matth.

nibus bonis actibus oſtendit, qui gloriatur in patribus. Ingloria hæc gloria eſt, quæ in parentum meritis tantum ſita; à quâ devenuſtantur filii, qui non virtutes parentum ſectantur, ſed contrariis vitiis indulgentes, ſeſe majorum nobilitate & gloriâ indignos declarant. Nam ut belle ad propoſitum philoſo-

Lib: de Nobil:

phatur Philo Judæus: (Malis hominibus prognatis ex honeſtis majoribus, nullus locus eſt inter nobiles. Quid enim prodeſt oculis orbato, ſuorum majorum perſpicacitas nequaquam hæreditaria? Quid prodeſt ad dicendum elingui, paterna vel avita eloquentia? Quid conferunt ad vires tabe diuturnâ exſucci aridique, & vix oſſibus hærentis, principes generis propter athleticum robur adſcripti faſtis Olympiacis? Imò quid etiam ſi fuere victores in omnibus ſacris Græciæ certaminibus? Certe nihil

ea

eâ de causâ decedit vitiis corporis, nullam opem ex præteritâ familiæ felicitate ſentientibus. Ad eundem modum injuſtis liberis, juſti parentes; luxu perditis, ſobrii; & in univerſum malis, boni, utilitatem nullam afferunt: ſicut nec jura juris violatoribus, ad quorum contumaciam pœnis coercendam inventa ſunt. Et ſunt leges non ſcriptæ, nimirum vita, exemplaque ſectantium virtutem hominum. Ideò puto ipſam nobilitatem, ſi DEUS ei formam vocemque daret humanam, ſic allocuturam iſtos contumaces poſteros. Nobilitas non ſanguine ſolo æſtimatur apud veritatis judicem, ſed factis ſtudiisque ſimilibus: at vos in contrarium tenditis, quæ odi, amatis; quæ probo, improbatis & averſamini: Apud me honor eſt pudori, veritati, moderationi, modeſtiæ, innocentiæ: hæc in nullo pretio habetis.) Longinscule quidem PhiloJudæus redarguit filios paternâ probitate degeneres. Hujusmodi autem exprobratio non ferit Ludovicum probos majorum mores præ ſe ferentem, & non ſolum avitâ, ſed etiam propriâ virtute glorioſum; paternâ quidem generoſitate nobilem, ſed perſonali pietate nobiliorem. Refertur in Actis Apoſtolorum quod Paulus & Silas Beroam à Chriſtianis Cap.17
miſſi, & in Synagogam Judæorum ingreſſi: (Nobiliores eorum qui ſunt Theſſalonicæ, ſuſceperunt verbum cum omni aviditate.) Græci Patres vertunt *generoſiores*: Oecumenius verò legit *æquiores*; & meritò. Qui enim æquitatem & virtutem impenſius colit, non tantum *nobilior*, ſed adhuc *generoſior* dicitur, qui eſt aliquis veræ nobilitatis faſtus, de quo gloriari poteſt Ludovicus noſter, nobilis, generoſus, & magnus genere humano, ſed nobilior, generoſior, & major genere Chriſtiano.

2. *Nemo major, niſi Chriſtianus.* Tanta eſt Chriſtianorum dignitas, ut omnem longe ſuperet nobilitatem: 1. parentis generoſitate: 2. originis nobilitate: 3. diſciplinæ ſanctitate: 4. ingenuitate: 5. morum probitate: 6. meritorum proprietate. In vanum generis omnem generoſitatem ſibi vindicant nobiles. Horum arrogantiam dejicit Plato vere dicens, (Neminem regem non ex ſervis eſſe oriundum, neminem non ſolum ex regibus. Omnia iſta longa varietas miſcuit & ſurſum deorſum fortuna verſavit. A primo mundi ortu usque in hoc tempus perduxit nos ex ſplendidis ſordidisque alternata ſeries.) At Chriſtianorum genus eſt *genus electum* quod DEUM agnoſcit parentem, qui eos in baptiſmate, ſeu *ſanctiſſimo lavacro novi natalis* regenerat, gratiâ ſupernaturali ſanctificat, *ut nos originis Chriſti conſortes faceret.* Nam quemadmodum Chriſtus eſt filius DEI naturalis ab æterno generatus, ita & Chriſtiani ſunt filii DEI adoptivi, mediâ gratiâ regenerati. Hâc generis nobilitatem quivis Chriſtianus attente debet conſiderare quoties dicit: Pater noſter qui es in cœlis. *Hoc cum dicis, ſic non habeas, quaſi non ſit in terris: ſed intellige eſſe tibi genus è cælo, cujus Pater habetur in cælo.* Admonetur adhuc ſic vivere ut à generoſo illo paréte, nô ſit degener. Nam ut addit Chryſ. *Age ut vivêdo sãcte, sãcto reſpõdeas Patri: Dei Filiũ ille ſe probat, qui vitiis nõ* ob-

Tert. l. de præſc. hær. 3 — Sen. Ep. 44 — 1. Pet. 2 — Tert. l. de Bapt. 20 — Tert. l. de Car. Chr. 22 — Chryſol. Serm 68

obſcuratur humanis, qui divinis virtutibus eluceſcit: neque indignum ſe præbet
tanti parentis dignitate, & ſuæ originis vetuſtate. 2. Plerique mortales, de
Ter l. adv ſe à nobilitate tumentes, ut originem ſuam commendent, fingunt *Fabulas &*
Valent: 3 *genealogias indeterminatas, quas Apoſtoli ſpiritus damnare prævenit*. Verum quan-
tumvis fabulas interminabiles fabulentur, ut originis occultent ignominiã:
nam ut plurimum humana nobilitas eſt vel à populi ſtultitia inducta, vel o-
pibus & corruptione empta, vel latrociniis & injuſtitiis quæſita; vel armis
Panegyri: & ſanguine parta ad inſtar Bulgarorum, de quibus Ennodius: (Hæc eſt na-
ad Theodo tio, in quâ titulos obtinuit, qui emit adverſariorum ſanguine dignitatem;
ric: apud quam campus eſt vulgator natalium; nam cujus plus rubuerunt tela
luctamine, ille putatus eſt ſine ambage ſublimior:) Vel tandem favore prin-
Orat. 18 cipis obtenta. Verum, ut bene animadvertit Gregorius Nazianzenus, *non
noſtrum eſt nec philoſophicum, eam nobilitatem admirari quæ à fabulis & ſepulchris
ac ſupercilio jam pridem putrefacto manat, nec eam quæ ex ſanguinibus & litteris
oritur, quàm noctes largiuntur, ac Regum ignobilium quoq; fortaſſe manus, nobili-
tatem velut quiddam aliud jubentur: ſed quam pietas ac mores notant atq; indi-
cant; & ad illud primum bonum ex quo originem traximus, aſcenſio.* Ut enim
Ter. Apol aqua aſcendit usque ad altitudinem ſuæ originis, ita Chriſtiana religio *ſcit ſe
8 peregrinam in terris agere, cæterum genus, ſedem, ſpem, gratiam, dignitatem in
cælis habere*, quam ſibi comparare nititur. 3. Diſciplinæ ſanctitate. Huma-
na nobilitas, honoribus exaltata, opibus locupletata, potentiâ & indepen-
D. Cypr: l. dentiâ auctorata, eſt nonnullis licentia luxuriandi & delinquendi. *Non illos
de Bon. emollire potuit avita generoſi ſanguinis memoria, quæ in quibusdam licentiæ laſci-
Pud. viæ eſt miniſtra*, vel ſaltem arrogantiæ & violentiæ cauſa. Nam ut fatur non-
nemo, (clarus ſanguis, elationem parit, potentiam affectat, conculcat infe-
riores, pares contemnit, ſuperiores habere dedignatur, loquitur grandia,
Tert: l. de tota tumet alto magnoque ſanguine.) At religio Chriſtiana eſt *ſanctimoniæ
Ref. 47 diſciplina*; & qui eam profitentur nuncupantur ab Apoſtolorum principe
1. Petr. 2 *gens ſancta*; quia ex nobilitate non ſumunt licentiam laſciviendi nec ſuper-
biendi, ſed potius caſtitate nitent, humilitate ſplendent; ut conſtat ex Eu-
ſtochio de quâ ſic ſcribit D. Hieronymus. *Quid Euſtochio fortius quæ nobili-
tatis portas, & arrogantiam generis conſularis virginitati propoſito fregerit, & in
urbe prima, primum genus ſubjugaverit pudicitiæ?* Neque ſolum laſciviam no-
bilium ſuâ pudicitiâ condemnavit Euſtochium, ſed etiam arrogantiam ſuâ
D. Aug. in humilitate Chriſtus. (Et conteret Dominus cedros libani.) *Conteret Do-
Pſal. 28 minus per pœnitentiam elatos nitore terrenæ nobilitatis*; Et confringet eos tan-
quàm vitulum libani, id eſt *amputata ſuperba celſitudine illorum, deponet eos ad
imitationem humilitatis ſuæ, qui tanquàm vitulus per ipſam ſæculi nobilitatem ad
victimam ductus eſt*, ut homines à ſervitute peccati liberaret, & 4. animi in-
D. Ambr: genuitate donaret. Portò *probati viri genus, virtutis proſapia eſt: ſicut enim
l. de Arca hominum genus, homines ſunt, ita & animarum genus, virtutes ſunt.* Ante
& Noe. Chriſti

Chriſti adventum, *illi etiam conditione ſervi erant*; at poſt conſummatam humani generis redemptionem, Chriſtiane, *tu nullius ſervus, in quantum ſolius Chriſti, qui te etiam captivitate ſæculi liberavit*; & de hac ſervitute gloriari debet Chriſtianus. Qui à Chriſti ſervitute ſeſe exiſtimat exemptum, non ſe credit Chriſti ſanguine redemptum; neque Chriſto ſubditum cenſet. *Hoc ferre non patior: ingenuus homo ſum. Jam primum qui ante propoſitum ſe ingenuum eſſe jactat, puto quod adhuc emptum ſe neſciat; qui Chriſtiana militia mancipatus, dicere ſe præſumit ingenuum, prope eſt ut neget ſe Chriſti ſanguine comparatum. Quid eſt aliud liber ſum, quàm ipſi Domino clamare, nihil debeo? De talibus dicit Apoſtolus*: Cum enim ſervi eſſetis inobedientiæ, liberi fuiſtis juſtitiæ. Chriſtiani ſunt ſervi, & ingenui, ſervi Chriſti, qui eos ſuo ſanguine emit & redemit, ſuoque Domino ſubdidit: ingenui, utpote à tyrannide diaboli, & ſervitute peccati liberati. *Propheta ergo videns nos à talibus liberatos, & revocatos ad obſequium creatoris, ad patris gratiam, ad unius boni liberam ſervitutem, meritò exclamat.* Servite Domino in lætitiâ: ſic enim eritis non ſolum ingenui, ſed etiam Regis Regum amici. At (quæ major eſſe nobis gloria poterit, vel ſublimior honor, quam illius Imperatoris eſſe amicos, qui ſuper omnes Imperatores eſt? Et quanto ille ſublimior eſt in omnipotentiâ & virtute, tantò nos majoris eſſe diligentiæ, in ſanctitate, & juſtitiâ, & humilitate, & obſervantiâ mandatorum ejus.) Uti qui Chriſto famulantur, liberam reddunt ſervitutē; ita qui vitiis ſerviunt, etſi ſanguine nobiles: non ſunt ingenui, quia ut ſubjungit Euſebius Emiſſenus, *non bene ingenuus approbatur qui vitiorum ſervitute deprimitur.* Tandem concludit Hieron. *Ille clarus, ille ſublimis, ille ſit nobilis, ille tunc integre nobilitatem ſuam ſe ſervare putet, ſi dedignetur ſervire vitiis, ab eiſq; non ſuperari.* Sceleroſi autem *malis Dominis talibus, tantiſq; exhibent malam & miſeram ſervitutem*, quæ tantò eſt miſerabilior quantò animi ingenuitas eſt major nobilitate carnis & ſanguinis. Quapropter *non eſt quod ſibi aliquis de nobilitate generis blandiatur; ſi ex meliori parte ſit famulus. Multo eſt indignius mente ſervire, quàm corpore.* Inde D. Hieronymus hortatur Demetriadem virginem, de nobili proſapiâ ortam; *Nulli te unquam de generis nobilitate præponas, neque obſcuriores quoque humiliore loco natos te inferiores putes; neſcit Religio noſtra perſonas accipere, neque conditiones hominum, ſed animos inſpicit ſingulorum; ſervum & nobilem de moribus pronuntiat; ſola apud DEUM nobilitas, clarum eſſe virtutibus.* De hâc nobilitate gloriantur Chriſtiani; quæ ſ. in morum probitate conſiſtit. Chriſtiani ſunt cœli cives: nam & *Apoſtolus municipatum in cælis eſſe pronuntians, alicui utiq; civitati cæleſti eum deputat.* Ex Magno autem Gregorio, *nobilis dicitur qui à ſuperna converſatione conſpicuus eſt, & de mundana vita ruſticitate nihil habet; inde enim nobilis, unde civis.* At econverſo ille non eſt nobilis, qui totus terrenis addictus nunquam ad cœlum ſublevat mentis oculos, & cordis affectus, Magno Gregorio ſuffragans Gregorius Nazianzenus de Chriſtianâ nobilitate ſic fatur: *Nobili-*

Tert. l. de Idol. 18

Euſe Emiſſ Hom: 4 ad Monah

Rom: 6

Chryſol: Serm 6

Pſal. 22

D. Aug. l. de Salut Docum: c. 8

Chryſol: ibid.

D. Hiero: Ep: 1 ad Demetriadem

Tert. l. 3 adv. Marc: 23

In l. 4 Reg c. 4

Orat. 18

tas noſtra eſt divinæ imaginis conſervatio, atque Archetypi imitatio, quam ratio & virtus efficiunt, purumq; deſiderium eis qui ſupernarum rerum vere ſtudioſi ſunt, quotidie magis ac magis quantum ad DEUM attinet, informans, ac deniq; cognitum habere, & quidnam, & quam ob cauſam facti ſumus. Facti ſumus ad DEI imaginem, divinũ illud exemplar imitari debemus: facti ſumus ad DEUM cognoſcendum, amandum, & glorificandum, huic fini noſtræ productionis ſedulò ſtudere tenemur; in hoc ſtudio noſtra ſita eſt nobilitas. Tertius nobis patrocinatur Gregorius bellè hâc ſuprà re diſſerens: *Una eſt generis amplitudo, propinquitas cum DEO, quæ non caſu cuiquam contigit, quemadmodum mundana claritudo generis, quæ etiam ad improbos defertur; ſed quæ non aliter ac electione voluntatis acquiritur.* Inter mundanam generis, & Chriſtianam virtutis nobilitatem, hoc agnoſcit Gregorius Nyſſenus, & meritò, diſcrimen, quod illa caſu contingit, & proinde defertur ad improbos. Nam *quid aliud nobilitatem eſſe putamus, quàm opes antiquas, aut veterem gloriam? quorum neutrum in noſtro arbitrio eſt? A duobus igitur alienis ſuperbum iſtud nobilitatis nomen pendet.* At Chriſtiana nobilitas, nonniſi electione & virtute comparatur. Hanc unam nobilitatem ſectandam Chriſtiano proponit Gregorius Nazianzenus. *Obſcuro & ignobili genere ortus eſt, quantum ad ſtatuam, & lutum attinet, (ſi quid tamen magni inter lutum & lutum attinet:) at ſpiritalem nobilitatem illius loco afferret, quâ ſeſe quiſque in melius effingit. Reliquas autem nobilitates, quæ vel feruntur, vel principum diplomatibus comparantur, ut viles & adulterinas, nulloq; in pretio habendas procul ſubmovebit.* Vilis eſt nobilitas, quæ principum favore, aut regum diplomatibus obtinetur, adulterina eſt nobilitas, quæ per generationem duntaxat in poſteros derivatur, degener eſt nobilitas, quæ alieno non proprio merito ſeritur. *Quid prodeſt ei, quem ſordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Quid enim Adæ profuit talis ejus nobilitas, & quod nullus ejus eſſet pater mortalis? Ipſe enim pater hominum turpia quidem prompto & alacri animo elegit.* (Quid Noe filius de patris nobilitate lucratus eſt, qui ex ingenuo factus eſt famulus? Vidiſti certe quam non ſuffecerit ad ſuffragium liberis paterna nobilitas: vitia ſiquidem voluntatis vicerunt privilegia naturæ, & partum non modo de nobilitate patris, verum etiam de ipsâ libertate pepulerunt.) At econtra quid obfuit tot viris ſapientia & probitate conſpicuis obſcura proſapia? (Neminem rejicit virtutis philoſophia, & prope dixerim, nec eligit. Patritius Socrates non fuit: Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus; Platonem non accepit nobilem philoſophia, ſed fecit.) Bellè ad propoſitum Epicharmus apud Stobæum: *Quiſquis ſuapte natura proclivis ad bona fuerit, nobilis eſt, quamvis matre fuerit Æthiope.* Nam ut dicit Euripides, *qui vere non juſtus eſt, licet à patre meliore quàm Jupiter ſit, ignobilis mihi cenſetur.* Quam verè dixit Moralis Philoſophus! *Animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione ſupra fortunam licet aſſurgere.* Belle ad propoſitum quæ-

Greg. Nyſſ. Orat. de Thaumat.

Plutarch: Quid ſit nobilitas

Orat. 28

D. Chryſo. in c. 3 Matth.

Clem. Alex. l. 2 Strom. 8

D. Chryſoſto: Hom. 9. in Matth.

Sen. Ep. 43

Serm. 86

Sen. Ep. 43

quærit D Ambroſius, quare Chriſtus Dominus elegit propagari ex plurimis In c. 3 Luc
fœminis ab impudentiâ, & ignobilitate famoſis. Reſpondet Mediolanen-
ſis Antiſtes: *Vt maculata quoq; originis non recuſaret injuriam : ut beneficium*
redemptionis etiam à ſuis majoribus inchoaret, ne quis putaret originis maculam
impedimentum eſſe poſſe virtuti : nec ſe inſolens de ſui nobilitate jactaret. Dupli-
cem affert Ambroſius rationem, cur Chriſtus in ſuâ genealogiâ voluerit
habere fœminas de ſcelere & impudicitiâ famoſas. Unam, ut deprimeret
eorum tumorem, qui de ſuâ nobilitate gloriantur, quæ ut plurimum igno-
bilitatem ſapit. Nam *quemadmodum lateres figulini ex luto tantum originem du-* Gre. Nyſſ: apud Anton. in Meliſſa
cunt, ſic nobilitas ex obſcuris quoq; parentibus naſcitur. Alteram, ne quis puta-
ret originis maculam impedimentum eſſe virtuti, quæ obſcuros quosque
nobilitat. Quare (Soſtratus, cum ei parentum obſcuritas à quodam obji- Sophocles in Tereo
ceretur: Atqui, dixit, propter hoc ipſum admirationi magis eſſe debebam
quoniam genus à me incipit.) Marius quoque de obſcuro loco natus, egre-
giis tamen facinoribus illuſtris, dicere ſolebat malle *nobilitatem peperiſſe, quam*
acceptam, corrupiſſe. Qui acceptam corrumpunt nobilitatem, ergà parentes
injurioſi ſunt. *Inſpice quanta tuorum laude præcipua decoreris: Culpa genus eſt, non* Caſſiod. l. 5. Epiſt. 5
te feciſſe quod ſummũ eſt, ut tuis etiam parentibus parturias laudem. Qui verò
ſunt ſuæ nobilitatis auctores, non alienâ gloriâ, ſed propriâ commendan-
tur. *Melius eſt enim alicui, ut in eo glorientur parentes, quia talem filium habent,* Imperf. Hom. 9. in Matth.
quàm ut ipſe in parentibus glorietur, qui parentes non glorificat, ſed in paren-
tibus gloriatur; *Malorum & fortuna iſta laus eſt; non ipſorum;* quia ut ait Mo- Philo Jud. l. de Abrah.
ralis Philoſophus, *Nemo in gloriam noſtram vixit, neq; quod ante nos fuit, noſtrũ*
eſt. Hujusmodi namque *nobilitas etiam deterrimis obvenit.* Qui verò probi Sen. Ep 45
ſunt, & virtutis ſtudioſi, non ſolum parentibus qui eos genuerunt, ſed etiã Philo Jud:
ſibimetipſis adipiſcuntur gloriam. 6. De meritorum proprietate. Homi-
nes de mundana nobilitate gloriantes ſolent ſuam originem prædicare, ut
ab *his originis fontibus genere manante,* quod in propriis virtutibus deeſt, in
patrum gloriâ præceſſiſſe videatur: Attamen *turpe eſt alienis ornari decoribus,* Tert. l. de Car. Chr. 22
quem virtus propria non venuſtat. Philo Judæus ſic de Noe fatur: *In tantum*
Scriptura magni facit hunc virtutis amatorem, ut in ſtemmate ejus non more alio- Baſil. Mag. in Caten: Pat: Græc.
rum, avos, proavos, majoresq; cæteros recenſeat, ſive paternos ſive maternos; tan-
tum non diſerte, clamitans, nullam alienam familiam, cognationem, Mariam, ſa-
pientis eſſe præter virtutes, & harum actiones. Chriſtiane, ex parentibus inge-
nuis nobilibus, & probatis originem ducis: *Vindica tibi nobile genus ſimilibus*
moribus, quod non aliunde nobile quàm morum ingenuitate. Nam de ignobilita- D. Bern. l. 2. de Conſid. 6
te notaris dum à probis parentum moribus degeneras, eorumque virtutes
tuis vitiis ſceleroſe & impie devenuſtas. Quod Romanis Gentilibus expro-
brat Tertull. *Laudatis ſemper Antiquos, ſed nove de die vivitis. Per quod oſtenditur,* Apolog. 6
dum à bonis majorũ inſtitutis deceditis, ea vos retinere & cuſtodire quæ non debuiſtis,
cũ quæ debuiſtis nõ cuſtoditis. Nõne hæc exprobratio cadit in plures Chriſtianos
qui

qui de avitâ gloriâ laudes aucupantur, & avitam nobilitatem virtutem & pietatem non imitantur: Pergit Tert. *Vbi religio? ubi veneratio majoribus debita à vobis; habitu, victu, inſtructu, cenſu, ipſo denique ſermone proavis renuntiaſtis.*

Hujusmodi objurgatio non ferit Ludov. cum genere humano magnum, ſed genere Chriſtiano majorem; nobilem ſanguine, ſed nobiliorem ſanctitate; à regiâ proſapiâ terrenam trahentem originem, ſed à DEO cœleſtem mutuantem generationem; de probis parentibus natum, ſed propriâ virtute commendatum. *Quamvis ſplendore natalium conſcientiæ jubar hauſerit, tamen fulgorem ſtirpis, præcipue morum radiis obumbravit, vincens decorem ſanguinis ingenii claritate*, virtutis generoſitate quæ illi majorem contulit, quam avita dignitas nitorem. Etenim *vera nobilitas à probis moribus nata eſt, firmaque & ſtabilis dignitas virtute comparatur*, quam ſi minorem reddidit Ludovicus per votum ſolemne, genere adhuc Franciſcano nobilitatus.

Ennod. in paneg. Antonii

D. Iſidor. l. 2. Epiſt. 291

3. Ludovicus habitum Minorum ſuſcepit: *Sic magnitudinem in mediocritate probari docens*, & contemptus mundi illuſtre exemplum præbens. *Joannes ætatis ſupergreſſus infantiam, & nobilis generis generoſitatem oblitus*, in eremum ſe recepit, & Ludovicus ut pœnitentem duceret vitam, Franciſcanam ingreſſus eſt religionem: *familiæ ſuæ nobilitatem, majori generoſitate pectoris faſtidiens.* Quo major erat Ludovici quàm Joannis humana nobilitas, & quo opulentior hæreditas, eò majorem oſtentat ſæculi contemptum. Joannes erat à Sacerdote ortus: Ludovicus erat de regiâ proſapiâ natus; terrena Joannis hæreditas non erat multum opulenta; at Ludovicus futurus erat hæres regnorum Neapoli, Siciliæ, & Jeruſalem; Joannes petiit ſolitudinem; at Ludovicus Religioni Seraphicæ ſeſe addixit reluctantibus Sæcularibus, Regularibus, ſummis Pontificibus, parentibus ægrè ferentibus; quòd eorum primogenitus, mundo renuntians pauperem & humilem eligeret ordinem. Verum *nemo in cœlis major quàm qui repudiato patrum ſtemmate, elegit ſola Chriſti paternitate cenſeri.* Homines terrena ſapientes, ignobiles, & demiſſos exiſtimant eos qui carnis contemnentes nobilitatem, humilem ſumunt religionis ſtatum. Hos tamen de errore culpat Ludovicus cũ aliis religioſis ſanguine claris: *Nos autem in Chriſto omnes unum ſumus & faſtigium eſt nobilitatis inter DEI famulos computari: nec addere quicquam nobis ad dignitatem; hanc, originis terrenæ decus, niſi contemptu ſuo poteſt.* Terrenam nobilitatem adeò parvi pendebat, & regularem dignitatem tanti faciebat Ludovicus, ut cum ei unus ex Minoribus religionem Seraphicam multum ab illo fuiſſe honoratam, diceret, mox reſpondit: Imò & ego à religione maximum reportavi honorem.

Tert. li. 1 adv. marc. 14

D. Bernar. Serm. de Exaltat. S. Joan.

Galfrid. Abb. in Anniv. Obit Bern.

Galfrid. ibid.

Galfrid.

Divus Bernardus ad Virginem Sophiam ſic ſcribit: *Proinde benedicta in nobilibus, quæ pro gloria certantibus cæteris de contemptu gloriæ, glorioſius ſublimaris, & ſublimius gloriaris. Inſignior atque illuſtrior, quod de paucis facta es, quàm quod orta de magnis; illud namque DEI munere, tuum eſt,*

Epiſt. 113

hoc

hoc tuorum: porrò quod tuum eſt, tantò carius eſt, quantò rarius. Nonne hæc
verba probe competunt noſtrati Ludovico inter nobiles benedicto, quia
cæteri nobiles pro mundanâ gloriâ certantes, ipſe de contemptu mundanæ
gloriæ glorioſius ſublimatur. Illuſtris quidem, quia de magnis ortus & de
regiâ ſtirpe natus, ſed illuſtrior quia de Minoribus factus: & inſignis ille quo
ſublimatur honor eò majori eſt æſtimatione dignus, quò rarior exiſtit. Ve-
rùm uti *Deus tunc maxime magnus quãdo homini puſillus*, ita *quis quãto humilior* Tert. l. 2
fuerit, tantò major ſequetur eum gloria celſitudo; Ludovicus genere magnus *ſibi* adv. Marc
vilis, ante DEUM magnus, factus eſt major Pontificiâ dignitate. 2

Colimus & Imperatorem, ut hominem à DEO ſecundum, & ſolo DEO mino- D. Bern. l.
rem. Sic enim omnibus major eſt, dum ſolo vero DEO minor eſt. Elogium quod de Modo
Imperatori tribuit Tertullianus, Innocentius III. concedit ſacerdoti ob bene viv:
authoritatem quam habet abſolvendi etiam Imperatorem à ſuis ſceleribus, c. 19
in pœnitẽtiæ ſacramẽto, & conficiendi corpus Chriſti in ſacratiſſimo Miſſæ II PARS.
ſacrificio. Ob ſublimem illam miniſterii celſitudinem: *Sacerdos inter DEUM* Tert l. ad
& hominem, medius conſtitutus, citra DEUM, ſed ultra hominem; minor DEO, Scap: 2
ſed major homine. Tanti facit D. Chryſoſtomus ſacerdotalem dignitatem, ut Opuſc. 6
eam Regum majeſtati audacter præponat. *Ne mihi narres purpuram, neque* c. 10
veſtes aureas, umbra ſunt iſthac omnia, vermisque floſculis leviora. Majus eſt & Hom: 5. de
mirabilius ipſo regno ſacerdotum principatus. Multum commendat ſacerdo- Verb: Iſai.
talem dignitatem Os aureum, ſed illam adhuc magis extollit ſanctus Igna-
tius Martyr, aſſeverans: *Sacerdotium eſt omnium bonorum quæ ſunt in hominibus,* epiſt. 10
apex. Verum ſi tanta eſt ſacerdotalis dignitas quanta eſt Epiſcopalis, quæ
ſacerdotali antiſtat? Quod nemo negari poteſt niſi velit ſapere hæreſim, e-
vertere Eccleſiæ hierarchiam & ordinem, & percuti anathemate à Conci-
lio Tridentino vibrato: *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe presbyteris ſuperiores,* Seſſ. 23
anathema ſit. Epiſcopi autem presbyteris antiſtant: in poteſtate tum Ordi- can: 17
nis, tum Juriſdictionis. At quia hæc magis ad Theologum, quàm ad Con-
cionatorem pertinent; Epiſcopalem dignitatem Regum diademati præpo-
nit D. Ambroſius. *Honor & ſublimitas Epiſcopalis, nullis poterit comparationi-* L. de dign
bus adæquari: ſi regum fulgori compares, & principum diademati, longe erit infe- Sacer: c. 2
rius, quam ſi plumbi metallum, ad auri fulgorem compares. Idipſum docet Gre-
gorius Nazianzenus: *Quantum cœlum terrâ pretioſius eſt; quantum anima cor-* Orat. 7 ad
pori; ſpiritus carni; divina humanis præſtant: tantum Epiſcoporum principatus, Cives
omnia civilia regna, & poteſtates antecellit. Ad Epiſcopalem dignitatem regio
etiam ſolio majorem, ſublimatus fuit regius Ludovicus, eam 1. ardenter
deſiderans: 2. ambitioſe non ſectans: 3. ſed humiliter ex obedientiâ acceptãs.

1. *Hinc proxime diſputatio oborta eſt; an ſervus DEI alicujus dignitatis* Tert. l. de
capiat adminiſtrationem. Loquitur Tertullianus de dignitate quæ tem- Idol: 17
pore idololatriæ vigebat, concludens poſſe à ſervo DEI adminiſtrari, mo-
do non adſit idololatriæ periculum, quod Joſephi & Danielis exemplo

confirmat: *Si ab omni ſpecie idololatria intactum ſe, aut gratia aliqua, aut aſtutia etiam, praſtare poſsit; ſecundùm quod & Joſeph & Daniel mundi ab idololatria, & dignitatem & poteſtatem adminiſtraverunt in ornamento praſectura totius Ægypti, ſive Babylonia.* Quod ſi Chriſtiano inter idololatras viventi & converſanti licet licitè humanas dignitates & poteſtates adminiſtrare, modo ido-
Tert. ibid. lolatriæ non faveat; *Cedamus itaque ſuccedere alicui poſſe, ut in quoquo honore in ſolo honoris nomine incedat, neque ſacrificet, neque ſacrificiis auctoritatem ſuam accommodet, non hoſtias locet, nec curas templorum deleget, non vectigalia eorum procuret, ſi hac credibile eſt fieri poſſe*: Quantò magis licitum eſt Chriſtiano adminiſtrare non ſolum ſæculares, civiles & politicas, ſed etiam ſpirituales & Eccleſiaſticas exercere dignitates? Verum licet Epiſcopi ſint ſucceſſores
Tert. l. 5 adv. Marc 9 Apoſtolorum, quos ad munus Apoſtolicum aſſumpſit *Chriſtus proprius & legitimus DEI antiſtes*; Epiſcopalem tamen dignitatem deſiderandam non
L. 9. Civ. 19 vult D. Auguſtinus: *Itaque à ſtudio cognoſcenda veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium: locus verò ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, etſi ita teneatur & adminiſtretur ut decet, tamen indecenter appetitur.*

L. de An. 16 Attamen D. Auguſt. mentem condemnare videtur Paulus vas electionis & Doctor Gentium; nam ut bene animadvertit Tertullianus: *Dat & Apoſtolus nobis concupiſcentiam. Si quis Epiſcopatum concupiſcit; bonum opus concupiſcit: & bonum opus dicens, rationalem concupiſcentiam oſtendit.* Apoſtoli lo-
1. ad Tim. 3 cum tantiſper immutatum refert Tertullianus: (Si quis Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat.) Verum ne quis ex hoc Pauli loco malè intellecto, vano Epiſcopatus ardeat deſiderio, quadruplicem ſubminiſtrant Patres explanationem. 1. Imperfectius perfecte opus à primatu diſcriminat.
Hom. 31 in Matth *Opus deſiderare in ſe bonum eſt, primatum autem honoris concupiſcere, vanitas eſt.* Vanitas nequit deſiderari à Chriſtianis humilitatis ſectatoribus. *Nobis au-*
Ter. l. 2. de Cult Fœm 3 *tem nullum gloria ſtudium eſt, quia gloria exaltationis ingenium eſt: porrò gloria non convenit profeſſoribus humilitatis ex praſcriptis DEI.* Qui Epiſcopatum deſiderat ad honorem & primatum, ſed ad opus, bene deſiderat: qui verò non opus, ſed honorem ſolummodo deſiderat, male deſiderat; & ut fatur unus
L. quæſt. ad Oroſii. quæſt. ult. ex Patribus apud D. Auguſt: *Sciat ſe non Epiſcopum qui praeſſe deſiderat, non prodeſſe.* Nam ut ad Eugenium ſummum Pontificem ſcribit D. Bernardus:
Lib. 2. de Conſid. 6 *Epiſcopi nomine non dominium, ſed officium* denotatur. Epiſcopus enim eſt ſuperintendens, qui curam aliorum gerit, ſubitque onus & laborem docendi
D. Aug: l. 19 Civ. 19 & regendi populum: ideò *nomen Epiſcopatus eſt operis, non honoris.* Inde concludit Divus Hieronymus: Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus
Epiſt. 83 ad Oceanum deſiderat: *Opus non dignitatem, laborem, non delicias; opus, per quod humili-*
D: Hieron *tate decreſcat, non intumeſcat faſtigio.* 2. Si quis Epiſcopatum deſiderat,
apud Alva Pelag. lib. de Planctu Eccl. c. 18 bonum opus, id eſt (Martyrium) deſiderat. Illo tempore ab Apoſtolo dictum eſt, quo quiſquis fidelibus præerat, primus ad Martyrii tormenta trahebatur. Tunc ergo fuit laudabile Epiſcopatum quæ-

rere, quando per hoc non dubium erat ad ſupplicia graviora pervenire.) Tempore Pauli Epiſcopatus erat proximus ad martyrium gradus. Sicut autem tunc multi fideles æſtuabant martyrii deſiderio, ita nonnulli Epiſcopatum deſiderabant ut eſſent, in capeſſendo martyrio duces. *Tunc laudabile fuit Epiſcopatum quærere, quando qui plebibus præerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur.* Ob martyrium igitur ſubeundum non ob dignitatem, honorem, opulentiam, delicias, & otium, tunc temporis Epiſcopatus deſiderabatur. 3. Qui Epiſcopatum deſiderat: opus deſiderat, laborioſum, oneroſum, arduum, formidandum, periculoſum. Laborioſum: *Fratres, veneremur Epiſcopos, ſed vereamur labores eorum: ſi labores penſamus, non affectemus honores.* Oneroſum; nam ut fatur Magnus Gregorius de Epiſcopatu loquens: *Grandis honor, ſed grave pondus eſt etiam honoris.* Arduum & difficillimum: Epiſcopatus enim non eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, ſed perfectionis acquiſitæ ad quem requiritur homo irreprehenſibilis, quod non ſolum difficile, ſed etiam velut impoſſibile videtur D. Hieronymo. *Apoſtolus omnes virtutes uno ſermone comprehendit, & pene rem contra naturam exigit, quis enim ille eſt, qui abſque peccato, & reprehenſione vivat?* Formidoloſum, & ut fatur ex D. Bernardo Concilium Tridentinum, (onus angelicis humeris formidabile,) ob rationem quam redditurus eſt Epiſcopus, non ſolum de ſe, ſed etiam de cuncto populo ſibi ſubdito. *Sanguinem de manu ejus requiram.* Sanguinem Chriſti cujus eſt diſpenſator: Sanguinem animarum, quas verbo & exemplo inſtruere tenetur: Sanguinem pauperũ quos paſcere & tueri debet: Inde ſubjũgit Mag: Greg: Apoſtolus *favet ergo ex deſiderio, terret ex præcepto. Quaſi diceret: Laudo quod quæritis, ſed diſcite prius quid quæratis. Magnus regendi artifex favoribus impellit, terroribus retrahit.* Tandem periculoſũ, ut fatur D. Auguſtin. aſſeverans: *nihil eſſe in hac vita, & maxime hoc tempore, facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi officio, ſi perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: ſed nihil apud DEUM miſerabilius, & triſtius & damnabilius.* Pergit Hipponenſis Antiſtes: *Nihil eſt in hac vita, & maxime in hoc tempore difficilius, laborioſius, & periculoſius Epiſcopi officio; ſed apud DEUM nihil beatius: ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator jubet.* Quis autem iſte ſit modus, nec à pueritiâ, nec ab adoleſcentiâ meâ didici: & eo tempore, quo diſcere cœperam, *vis mihi facta eſt merito peccatorum meorum.* In pœnam ſuorum peccatorum coadjutorem Valerii Epiſcopi ſe factum recognoſcit. *Nam quid aliud exiſtimem neſcio,* ut ſecundus locus gubernatorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.

D Greg: 2 p. c. 8

D. Bern: Ser: 12 in Cant.

Hom. 14 in Evang:

Epiſt: 83 ad Ocean.

Ezech: 3

2 p. paſt: c. 8

Epiſt: 148 ad Valeriũ

Ludovicus è regiâ Siciliæ familiâ oriundus & paterni regni tanquàm primogenitus, futurus hæres, deſiderio fuit accenſus, non dignitatis, ſed humilitatis; non opulentiæ, ſed paupertatis; non deliciarum, ſed mortificationis; non imperii, ſed ſubjectionis; & ob hanc cauſam regali majeſtati renuntians, pauperem & humilem Franciſci ſtatum elegit,

 cum-

cumque à Bonifacio VII. nominatus fuiſſet ad Tholoſatum Epiſcopatum, ad eum acceptandum induci non potuit, niſi prius ſuſcepto Franciſcanæ Religionis habitu,em iſſo ſolemni obſervandæ regulæ vota, inter manus Joannis à Muro, tunc Generalis Miniſtri: Heroicum illud virtutis exemplum eò eſt majori admiratione dignum, quò eſt rarius, præſertim D. Bernardi tempeſtate, in quâ conquerebatur Eccleſia de perſecutione quam à deſideriorum pravitate patiebatur:(Et meritò clamat Eccleſia ſancta hodie: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Multa eſt hodie & longe gravior, quàm credi poſſit perſecutio ſanctæ Eccleſiæ, & talis incumbit, qualis à principio non fuit. Multis modis perſecutus eſt eam diabolus, ſed nunquam gravius quàm hodie: quia nunquam fuit major perditio Chriſtianorum quàm hodie, nec liberior aut ſecurior transgreſſio divinorum præceptorum. Eccleſiam incipientem perſecutus eſt per tyrannos; proficientem perſecutus eſt per hæreticos, jam lætam & florentem, perſequitur per motus illicitos. Tria ſunt in anima, ratio, voluntas, ſenſualitas. Rationis eſt judicium, voluntatis deſiderium, caro debet obſequium. Carnem ergo cruciavit in Martyribus; rationem perturbavit in ſimplicibus, ſed voluntatem hodie depravat generaliter in omnibus. Fuit ergo amaritudo Eccleſiæ, amara quidem in perſecutione tyrannorum, amarior in verſutiâ hæreticorum, *ſed amariſſima hodie per pravitatem deſideriorum.* Hæc querela non cadit in Ludovicum, qui Epiſcopatum non deſideravit, nec ambitioſe proſecutus eſt.

Serm. 1. ad Paſtores Synodo congreg: Iſai. 38

2. *Hac erit ambitio, unde & nomen ejus interpretandum, quod concupiſcentia apud animum ambientem naſcatur ad gloria votum: grande ſcilicet votum, quod non veritas, ſed vitioſa animi concupiſcentia commendavit.* Grande fuit Ludovici votum, Ordinem Franciſcanum ingredientis, quod commendavit Evangelica veritas, animi humilitas, virtutis zelus, non gloriæ concupiſcentia, nec dignitatum ambitio, quæ ambientes Epiſcopatu efficit indignos. Tertulliano teſte in primitivâ Eccleſiâ *præſident probati quique ſeniores, honorem iſtum, non pretio, ſed teſtimonio adepti.* Tunc enim temporis à Præſulum electione exulabat ſimoniæ fœtor, ambitionis labor, principum favor, eligentium odium vel amor, ſola virtus, ſolum meritum, ſola humilitas patrocinabatur. Ut enim ait D. Auguſtinus; *Illum cognoſcimus miſſum à DEO, quem non paucorum hominum laudatio, vel potius adulatio elegit; ſed illum quem & vita optima, & Catholicorum examen commendat Sacerdotum, vel etiam qui univerſorum populorum judicio comprobatur; qui non appetit præeſſe, qui nec pecuniam dat, ut Epiſcopatum acquirat.* Qualis debeat eſſe ad Epiſcopalem dignitatem promovendus jure etiam Cæſareo ſancitum eſt, quia ut decreverunt Arcadius & Honorius, ambo fratres, ambo Imperatores *honoris argumentum non ambitione, ſed labore, ad unumquemq; convenit devenire:* Unde qui in captandâ DEI gloriâ, procurandâ hominum ſalute, comparandâ virtute non laborant, ſunt præſulatûs indigni; & ab Epiſcopali dignitate removendi, juxtà

Tertul. l. de Cult. Fœm. 8

Apol. 39

L. quæſt. ad Oroſ. quæſt.

Leg. contra Codice da te mil.

juxtà edictum Imperatorum Leonis & Antonini : *Caſtus & humilis noſtris temporibus eligatur Epiſcopus, ut quocunq; locorum pervenerit, omnia vita propria integritate purificet. Nec pretio, ſed precibus ordinetur Antiſtes. Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quaratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas. Profectò enim indignus eſt ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.* Quod frequens & uſitatum fuit priſcis Eccleſiæ temporibus, qui enim ad inſulas petebantur, vel ad deſerta confugiebant loca, vel ſeſe in monaſteria recipiebant, vel in ſecretioribus locis latebant, ut conſtat ex ſanctis Martino, Ambroſio, Chryſoſtomo, Simplicio ad Epiſcopatum Bituricenſem deſignato. In cujus laudem prædicat Sidonius Apollinaris: *Maxime ambiendus, quia minime ambitiſus, non ſtudet ſuſcipere ſacerdotium, ſed mereri.* Cujusmodi fuêre & alii quàmplurimi, qui ut aſſeverat D. Auguſtinus, *Cogendi ſunt multi ut Epiſcopatum ſuſcipiant: tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta qua nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni.* Ita capi, ita vinciri, ita detineri debuerunt alias ad inſulas nunquam venturi, eaque maxime ratione qui venirent digniſſimi. Quibus probe competit, quod de D. Cypriano ait Pontius Diaconus: *Magis dignus efficitur, qui quod meretur excuſat.* Veterum exempla plures hâc ætate imitantur, qui ad Eccleſiaſticos aſcendunt honores, non pretio, non ambitu, non precario, ſed inviti, regis imperio, & alienâ vi coacti, memores celebris iſtius D. Auguſtini effati: *Honor te quærere debet, non ipſum tu.* Sed multò plures ſunt honoris cupidi, & Epiſcopalis dignitatis avidi, qui ut obplorat D. Ambroſius, captare ſatagunt infulas, *non pro ſalute populi, ſed pro ambitione ſeculi*; qui ad hunc finem ſeſe in principum inſinuant aulas, curialium gratiam & favorem aucupantur; immemores iſtius dicti Apoſtolici: (Nec quisquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à DEO, tanquàm Aaron:) qui vocatur, non qui ambit, qui invitus aſſumitur, non qui rogat, non qui aut per ſe, aut per alios ſollicitat: *Nam qui rogat pro ſe jam judicatus eſt*, ait D. Bernardus, quia ſuâ voluntate, cæcâq; ambitione *ad honores Eccleſiaſticos pervolat; ſibique applaudit ſanctitatem, veſtis duntaxat mutatione, non mentis.*

Lege ſi quendam Codice de Epiſcopis

Epiſt. 204 ad Donat presbyt.

L. 50 Hom hom. 13

In Epiſt. ad Hebr.

Hebr. 5

Hom 4. ſuper Miſſus eſt

At quâ de causâ veteres tanto ſtudio fugiebant dignitates & infulas? Duplici potiſſimùm de causâ. 1. Ut quiete potirentur, nec cogerentur, *tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati.* Quare Petrus Damianus de ſolitudine in quâ latitabat, à Gregorio X. ad Romanam curiam vocatus, & non ſuâ voluntate, ſed parendi neceſſitate, purpurâ indutus, ſummum Pontificem, perſecutorem ſuum vocitabat. Adrianus quoq; IV. homine, ad ſupremum pontificatum aſſumptus, cathedram in quâ ſedebat, nuncupabat *ſpinoſam*, aſſeverans ex eodem momento, quo Pontificiæ dignitatis detulerat inſignia, fuiſſe *à Domino velut in incude & malleo ſemper dilatatum.* 2. Ob lapſus facilitatem. Hâc de causâ D. Hieronymus ſic ſcribit ad Heliodorum magnâ religione & pietate præditum. *Si te ad ordinem pia fratrum blandimen-*

D. Auguſt. l. de oper. Monach.

Ep. 1

men-

menta ſollicitant, gaudebo de aſcenſu, timebo de lapſu. Sui timoris mox rationem ſubjungit : *Non eſt facile ſtare loco Pauli, tenere gladium Petri, jam cum Chriſto regnantium, ne forte veniat Angelus, qui ſcindat velum templi tui, qui candelabrum tuum de loco moveat.* Lapſus eò magis eſt timendus, quò altior eſt aſcenſio. Sane *quantò fuerit celſior dignitas, tantò ſacerdotis majora ſunt pericula.* Quod probe ſciebat Pius V. è Dominicanâ religione primum evocatus ad purpuram, deinde ad ſolium pontificium ſublimatus, in quo gemens dicere ſolebat; (Ego cum religioſus fui, de meâ ſalute ſperavi, factus Cardinalis cœpi timere; creatus Pontifex de ea prope deſperare.) *Non temere dico, ſed ut affectus ſum & ſentio, non arbitror inter Epiſcopos multos eſſe qui ſalvi fiant, ſed multò plures qui pereant.* Quod autem non temere ſed rationaliter id aſſerat, multis rationibus demonſtrat D. Chryſoſtomus. *In cauſa eſt, quia res excelſum quærit animum* : Tum quia *oportet ut ſit appoſitus ad docendum* : Tum quia *innumeris oculis opus eſt* : Tum quia *oportet ut ſit tolerans laborem* : Tum quia *quòd alii peccant, ei imputatur* : peccata ſcilicet non ſolum populorum, ſed etiam ſacerdotum. *Nec mihi dicas : Peccavit presbyter aut diaconus; omnium horum crimina redundant in caput Epiſcoporum, qui hos elegerunt.*

D. Chryſoſto. Hom. 1 in Epiſt. ad Tit.

D. Chryſoſto. Hom. 3. in cap 1 Actor.

Quàm lugendi ſunt qui tantâ curâ & ſollicitudine ambiunt dignitates neceſſariò amittendas, brevi perituras, de quibus ſupremo Judici exacta reddenda eſt ratio. Dignitates Pontificiæ ſunt 1. neceſſariò amittendæ. Inde unum præſulem alloquitur D. Bernardus : *Non enim ſemper eris princeps;* quia (corona datur à generatione in generationem.) Et ob hanc cauſam ait Apoſtolus, (Plures facti ſunt ſacerdotes, quod morte interveniente manere non poſſent.) *Nec mirum, quòd per vices ſibi ſuccedunt qui ad gerendas æterni vices ſacerdotii accedunt : de quo ſubdit Apoſtolus:* (Jesus autem ideò quòd manet in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium.) *Illis ergò à generatione in generationem corona datur à quibus ejuſdem coronæ ratio exigitur, & in illis invenitur hæc viciſſitudo, quibus vicaria creditur diſpenſatio. Quid autem pro hujus coronæ adeptione ambitio humana non faceret, ſi perpetua foret? nunc autem habet hæc corona terminum, & non habet concupiſcentia modum. Vtinam ſic quæreretur, ſic affectaretur corona vitæ, quam reddet DEVS diligentibus ſe.* 2. Dignitates Eccleſiaſticæ brevi ſunt amittendæ : nam ut ſubjungit D. Bernardus, de præfatâ coronâ loquens : *Sed ſi datur à generatione in generationem, quantæ ſunt hodie iſtæ generationes; ſi non durat in perpetuum? Forſitan durat in longum. Attende quod ſequitur, & quod in dies cernis attende.* (Aperta ſunt prata, & apparuerunt herbæ virentes.) *En pratum gratiſſime vernans glorioſiſſime florens, amœniſſime virens.* Sed ubi tantus viror, quantus eſt vigor? Ante hos annos, herbarum virentium copia magna reſplenduit : Ubi ſunt qui tunc virebant? paucos hodie videmus ex eis, quos tunc vidimus conſediſſe, nec paucas novimus ſedes, quæ plures poſtea mutavêre ſeſſo-

Prov. 17

Hebr. 7

D. Bern. Serm. ad Prælatos in Conc. Gen. congreg.

ſores. Aperta ſunt prata: *Sed quoties ſunt hæc prata detonſa & tondenda adhuc, quoties ſua vellera mutant, quoties jam deſecta ſunt, & adhuc deſecanda à generatione in generationem?* Et apparuerunt herbæ virentes; *Quomodo in quibusdam hodie dignitas, in quibusdam viret authoritas, viret elegantia corporum, opulentia rerum, gratia principum, ſed non viret in longum.* Apparuerunt, inquit, & non apparent herbæ virentes: *Apparere enim tam breve eſt, ut non appareat apparuiſſe quam longum. Apparuerunt, & diſparuerunt; apparuerunt, & præterierunt.* Apparuerunt herbæ virentes, & collecta ſunt fœna de montibus; quia omnis viror exaruit, & humiliata eſt altitudo virorum. *Sufficere quidem hæc debuerant ad contemptum mundi, ſed ſi minus negligimus quæ peritura ſunt, quæ ſunt peremptoria timeamus.* At quid timendum eſt, niſi id quod per Apoſtolum, noſtris auribus intonatur? (Omnes nos aſtare oportet ante tribunal Chriſti, reddituri rationem de cunctis bonis vel malis quæ fecerimus. 2. Cor. 5
Præſertim 3. de Eccleſiaſticis dignitatibus. Nam ut proſequitur D. Bernardus: *Multò magis diſcutiendum eſt in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia quem quiſq; gradum tenuerit, qualiter ad eum, qua intentione, quibus meritis, quibus ſuffragiis introierit, qualiter in eo ipſe vixerit, qualiter aliis forte præfuerit vel profuerit, ſubſtantiam mundi qualiter acquiſierit, qualiter diſpenſaverit acquiſitam,* & in univerſum de cunctis reddenda erit ratio, quæ ſpectant dignitatis Eccleſiaſticæ acquiſitionem, poſſeſſionem, adminiſtrationem. *Hoc ſi ſeriò, uti par eſt, plures attenderent, non ſic quærerent præpoſituras,* non ſic ambirent infulas, ſed Ludovicum imitarentur, qui regno renuntians, humilitatem ſectans, Epiſcopatũ ambitioſe nõ quæſivit, ſed humiliter duntaxat ex obedientiâ acceptavit. D. Bern:

3. De primiceris Chriſtianis loquitur Tertull. tanquàm de hominibus *ab omni gloria & dignitatis ardore frigentibus*: quorum frigiditatem æmulans Ludovicus, non ſolum ſceptrum & diadema abdicavit, ſed etiam Epiſcopatum Tholoſatum à ſumo Pontifice oblatum humiliter recuſavit, & quantò magis recuſabat, tantò ſe eò digniorem oſtentabat. Nam, ut acutè animadvertit D. Auguſt. *Vmbra inſtar gloria eſt, quæ fugientes ſequitur, ſequentes fugit*; ut Ludovici comprobatur exemplo qui fugiens gloriam, ſequebatur à gloria. Verum quo magis eum ſequebatur gloria, eo magis ipſe fugiebat, utq; magis fugeret, humilem Minoris habitum ſuſcepit, & in Ordinem S. Franciſci velut in aſylum ſe recepit. Ludovice, *quid diffugis gloriam, quæ plus additur, dum timetur? Quid honorem quaſi indignus repellis? meriti prærogativa, eſt honoris repulſa*: quo magis te præſulatu indignum cenſes, eò magis Epiſcopatu te dignum præbes, quem non tuo accipies arbitrio, ſed ſumi Pontificis imperio, cui obſequium præſtare debes, ſic gloriam tibi comparabis non tumidâ ambitione, ſed humili obedientiâ. *Sublimium quippe illa maxima gloria eſt; ſi poſſunt maxime ſe ſubmittere.* Ludovicus magnam conſecutus eſt gloriam, regnũ abjiciens, Epiſcopatum renuens; ſed maximã ſibi comparavir glo-

Apol. 38
L. 5. Civ. 12
Euſe Emiſſ Hom de S. Max.
D Chryſoſto Hom. 3 in Matth

gloriam ſummi Pontificis voluntarie ſe ſubmittens, & Epiſcopatum ex obedientiâ humiliter accipiens. *Quamobrem otium ſanctum quærit charitas veritatis, negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ atq; intuendæ vacandum eſt veritati. Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem.* Quæſivit Ludovicus otium ſanctũ in Franciſcana religione, onoroſum Epiſcopatûs negotium fugiens, oneroſam præſulatûs ſarcinam invitus ſuſcipiens, ut ſupremo obtemperaret Pontifici, & diœceſis Tholoſanæ neceſſitati, ex charitate ſubveniret, quæ dignitates fugientem Ludovicum deſideravit. *Primatus fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe fugit & horret.* Quàm pauci ſunt qui onus Epiſcopale reſpuant! *Non recuſant gravedinem oneris, ſed hoc ideò, quia ambiunt gloriam honoris*: qui ad inſtar Ludovici illud tantummodo ex obedientiâ ſuſcipiant.

D. Aug l. 19 Civ: 19

Imperf. Hom: 33 in Matth.

D. Bernar. Serm. ad Paſtor in Synod: con greg: 2.p. Paſt: c 8

Antiquitùs in ſacrâ præſulum inauguratione conſecrãtes à conſecrando poſtulabant, *Vis Epiſcopari?* qui illi reſpondebat, *Nolo*. Et bene ajebant illi, quia *nolentes volumus*. Et meritò, nam ut ait Magnus Gregorius, *deligendus eſt qui invitatus renuit, qui quæſitus refugit; repellendus proculdubio eſt, qui ultro ambit, vel importune ſe ingerit.* Non eodem modo reſpondet baptizandus ac Epiſcopandus. Baptizandus à miniſtro, *Vis baptizari?* interrogatus, mox reſpondit, *Volo*: at Epiſcopandus è contrà interrogatus, *Vis Epiſcopari?* reſpondet, *Nolo*. Eodem modo interrogantur; ſed non eodem modo reſpondent. Talis reſpondendi diverſitas procedit ex eo quod baptiſma neque etiam per accidens ullum affert damnum. Epiſcopatus verò interdum noxius eſt, vel cum pravâ intentione deſideratur, vel cum perverſe adminiſtratur. Hâc de causâ ait D. Auguſtinus; *Illi credatur pontificatus, quem non ambitio humana, quem non favor corruptus adſciverit, nec numerum prophana oblatio ſubrogaverit; ſed meritorum conſcientia, & DEI voluntas aſſumpſerit.* Ludovicus aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Tholoſanum, non ambitione humanâ, regiæ etiam renuntians majeſtati, non favore corrupto, quia contrà placitum regum religioni & Eccleſiæ addictus fuit, non oblatione munerum, quia voluntariam profeſſus paupertatem; non vi aut ſtrepitu armorum, quia renitens; ſed DEI voluntate ei à ſummo Pontifice intimata. Qui ad inſtar Ludovici recuſant dignitates eligendi ſunt, ut Eugenium VIII. hortatur D. Bernardus: *Itaq; non nolentes, neq; currentes aſſumito, ſed cunctantes, ſed renuentes; etiam coge illos, & compelle intrare, in talibus, ut opinor, requieſcit ſpiritus tuus.* In Ludovico requievit Spiritus Domini verè magno generis nobilitate; majori Epiſcopali dignitate; ſed maximo, pontificiâ ſanctitate.

Serm. 98 de Temp:

Lib. 4. de Conſid. 4

III. PARS

Tert. l. de Monog 11

Lib. 4. de Conſid. 4

Apolog. 1

Magna ſane in Epiſcopis requiritur perfectio, *in quos tota diſciplina collata eſt.* Ad Epiſcopale miniſterium vult Divus Bernardus: *viros probatos oportere deligi, non probandos*, id eſt non probandæ, ſed probatæ virtutis: Errant profectò imperfecti, qui ſibi perſuadent, quod ſeſe in Epiſcopatu perficient: *Ibi enim velle diſcere perfectionem*, id eſt ait Gregorius

rius Nazianzenus, ac velle diſcere figulinam in dolio, id eſt velle diſcere artem, cum eam debeas exercere, imò, & docere; cum gravi animarum tibi creditarum periculo & damno. Ut autem animadvertit ibidem Bernardus; difficiliter reperiuntur in curiâ probati illi, cum in ea potius homines deficiant, quàm proficiant. *Non in monaſteriis recipimus ſpe meliorandi: curia facilius recipere, quam facere conſuevit: quod ſi plures in ea defeciſſe bonos quam malos profeciſſe probavimus, quærendi ſane quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur, utpote jam perfectis*: qualis fuit Ludovicus, Epiſcopi 1. ſanctitatem exhibens: 2. auctoritatem ſuſtinens: 3. miniſterium adimplens.

1. *DEUS Deorum ſtetit in Eccleſia Deorum.* Quinam ſunt illi Dii in quorum Eccleſia ſtetit DEUS, niſi præſules qui debent habere *ſufficientiam ſanctitatis, quam ille gradus exigit?* Cum etenim ſint divinæ majeſtatis participes, debent etiam divinæ ſanctitatis eſſe conſortes. *Miniſterium ſanctum*; in miniſtro requirit ſanctitatem, Epiſcopale munus ſanctum eſt; unde in Epiſcopo *ſi vita ſanctitas non præceſſit, ſequatur ſaltem*: vita reſpondeat ſtatui neceſſe eſt. Etenim Epiſcopos *tantum excellere oportet merito, quantum gradu*: ſicut illorum dignitas divinam æmulatur majeſtatem, ita & ſanctitas divinam repræſentet ſanctitatem.

Tert lib.1 adv. Marc 7
Petr: Bleſ. Epiſt. 23
D Bern. Epiſt. 27.
D. Bern. ibid.
Salv. l. 2. ad Eccl. Cath.

DEI ſanctitatem duplici viâ inveſtigamus; via ſcilicet negationis ſeu remotionis; via eminentiæ ſeu affirmationis: his duobus viis Epiſcopi eſt deducenda ſanctitas; unde Tertullianus Epiſcopum ſuo officio non bene fungentem ſic mordet: *Recede & à reliquis titulis diſciplinæ, noli eſſe irreprehenſibilis, ſobrius, bene moratus, hoſpitalis, docibilis, quin vero & vino deditus, & manu promptus ad cædendum & pugnax, & pecuniæ amans, & domum non regens, nec filiorum curans diſciplinam, ſed nec extraneis bonam famam ſectans.* Alludit ad Apoſtolum qualitates Epiſcopi dinumerantem: (Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem: non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum; non litigioſum, non cupidum; ſed domui ſuæ bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate; non neophitum ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat diaboli.) Sedecim recenſet Paulus conditiones Epiſcopo requiſitas, ſex negativas, quæ ab illo removent defectus, decem affirmativas, quæ tot in illo perfectiones expoſtulant. Eodem modo ratiocinatur D. Bernardus deſiderans Epiſcopos à defectibus alienos, & multiplici perfectione præditos. (Qui non ſint attritæ frontis, ſed verecundi, ſed timorati, qui præter Dominum timeant nihil, nihil ſperent niſi à DEO; qui adventantium non manus attendant, ſed neceſſitates; qui ſtent viriliter pro afflictis, & judicent in æquitate pro manſuetis terræ. Qui ſint compoſiti ad mores, probati ad ſanctimoniã, parati ad obedientiam, manſueti ad patientiam, ſubjecti ad diſciplinam, rigidi ad cenſuram, Catholici ad fidem, fideles ad diſpenſationẽ, concordes ad pacem, conformes ad unitatẽ qui ſint in judicio recti, in jubẽdo diſcreti, in diſponẽdo induſtrii, in agendo

L. de Mon 12
1 ad Tim. 3
Lib. 4. de Conſid. 4

ſtrenui, in loquendo modeſti, in adverſitate ſecuri, in zelo ſobrii, in miſericordiâ non remiſſi, in otio non otioſi, in hoſpitio non diſſoluti, in convivio non effuſi, in curâ rei familiaris rei alienæ non cupidi, ſuæ non prodigi, ubique & in omnibus circumſpecti.) Plures recenſet D. Bernardus conditiones affirmativas & negativas Epiſcopo requiſitas, ut exhibeat ſanctitatem ſui ſtatui conformem, Epiſcopatus etenim *hominem multorum expetit meritorum*: Inde colligit Greg: Nazianzenus, *vitium in Epiſcopo eſſe, non quàm optimum eſſe.* D. quoque Chryſoſtomus angelicam in Epiſcopo requirit perfectionem: *Oportet Epiſcopum angelum eſſe, nulli humanæ perturbationi vitiove ſubjectum*: Nec mirum, quia Epiſcopum *prætulit DEUS Regibus & Imperatoribus: imò ut altius loquar, prætulit Angelis, quanta eſt prærogativa*, tanta ejus debet eſſe perfectio.

D. Bern. Ep. 28 Apolo. 1 Hom. 10. in 1. ad Timoth. D. Bernar. Serm: 1 ad Paſtor: in Syno. congreg.

At cur *hanc Epiſcopatûs formam Apoſtoli providentiæ condiderunt?* cur ab Epiſcopo tantam perfectionem requiſierunt? Trinâ potiſſimum ratione. 1. Ut non minus ſanctitatem cujus eſt miniſter quàm ejus majeſtatem repræſentet. Verum ut obplorat D. Bernardus, *Vides omnem Eccleſiaſticum zelum ſola pro dignitate tuenda; honori totum datur, ſanctitati parum, aut nihil.* Qui ſatagunt meliores eſſe quàm altiores, magnam ſibi in cœlo adipiſcentur mercedem. *Alioquin ſi altiorem quàm meliorem eſſe delectat, non præmium, ſed præcipitium expectamus.* 2. Ut ad inſtar Pauli ſanctitate miniſterium ſanctum honorificet. Ad quod eum hortatur D. Bernardus: *Paulum imitari curato in honorificando miniſterium tuum; honorificabis autem gravitate morum, maturitate conſiliorum, actuum honeſtate. Hæc ſunt quæ officium Epiſcopale maximè nobilitant, & ornant.* 3. Ut eos qui ejus auctoritati ſubditi ſunt, longe virtute & pietate antecedat. Ut enim ait D. Chryſoſtomus, *eum qui regendos alios ſuſcepit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut inſtar ſolis cæteros velut ſtellas ſuo fulgore obſcuret.* Et alioſum Conſtantinopolitanus Antiſtes docet Epiſcopum debere eſſe in populo, quaſi Angelum inter homines; & quaſi paſtorem inter oves mutas & irrationales, tantumque ratione & virtute populum debere antecellere, quantum homo bruta antecellit.

Tert. l. de Fug. in Perſec. 13 Lib 3. de Conſid. 2 D. Bernar Ep. 27 Epiſt. 28 Hom 10. in 1. ad Timoth.

Si ullus unquam perfectum exhibuit Præſulem, maximè Ludovicus, ſanctitate fulgens, miraculis famoſus, cui probe competunt ea quæ de ſancto Malachia Hyberniæ Epiſcopo prædicat D. Bernardus: (& meo quidem judicio primum & maximum miraculum quod fecit, ipſe erat. Ut enim taceam interiorem hominem ejus, cujus pulchritudinem, fortitudinem, puritatem, ſatis indicabāt mores ipſius & vita: ipſum exteriorem in uno ſemper modo ipſoq; modeſtiſſimo & decentiſſimo geſſit, ut nihil prorſus appareret in eo quod poſſet offendere intuentes. Quid non ædificans in ejus inceſſu, aſpectu, habitu, vultu? *Totum in eo diſciplinatum, totum inſigne virtutis perfectionis forma.* Malachiam multum laudat D. Bernardus. S. Maximum comendat Euſebius Emiſſenus. Laudes Malachiæ Ludovico conveniunt,

De Vita S. Malach. c. 39

Maximi

Maximi encomia, non minus illi competunt. Nonne fuit *neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, honoris impatiens, pauper in pecunia, dives in conſcientia, humilis ad merita, ſuperbus ad vitia?* Nonne in illo fulgent conditiones quas in Epiſcopo deſiderat Apoſtolus; nimirum pœnitentia, prudentia, modeſtia, humilitas, ſobrietas, hoſpitalitas, domeſticorum cura, caſtitas, ſanctitas? 1. Pœnitentia, corpus ſuum cum catenis ferreis caſtigans. 2. Prudentia, rariſſime cum fœminis converſans. Nam ut teſtatur Joannes XXII. in bulla canonizationis illius, nunquam ſolus niſi cum matre & ſororibus loquebatur, quarum faciem non conſpiciebat. 3. Modeſtia, veſtitu incultus apparens, ſuprà durum lectum cubans, non in rheda, ſed mulo duntaxat inſidens, à domo ſuâ fugans canes, aves, hiſtriones, galeones & adulatores. 4. Humilitas; nam apud Fratres Minores ſe recipiens, in parvâ habitabat cellâ, à quâ appenſa ſtromata, & Franciæ, & Siciliæ arma abſtulit: Epiſcopatus abdicationem meditans, & poſt Religionem Seraphicam anhelans, fato functus eſt, verſus Romam properans, ut à ſummo Pontifice obtineret licentiam ſeſe in conventum, orationis & humilitatis gratia recipiendi. 5. Sobrietas; in ejus namque menſa frugalitas apparebat, & ſacræ legebantur paginæ, ut ſpiritus opipare, caro parce veſceretur. 6. Hoſpitalitas, ſingulis diebus nutriens viginti & quinq; pauperes, quibus miniſtrabat aquam, ſuper menſam apponebat dapes, frangebat panem, porrigebat epulas, & interdum genuflexus fundebat vinum. 7. Domeſticorum cura, quos volebat pietate decoros, nunquam permittens, ut in ſuo palatio quis DEI nomen ſumeret in vanum. 8. Caſtitas quam toto vitæ curriculo magnâ ſollicitudine cuſtodire conatus eſt, tum corpus macerans, tum mulieris conſortium vitans; tum ſorori Galliarum Reginæ oſculum denegans; imò & propriæ matri, quæ volens eum deoſculari, faciem vertit, cumque ei dixiſſet: Fili mi, nonne ego ſum mater tua, quæ absque ullo ſcandalo poſſum tibi præbere oſculum? Mox ipſe reſpondit: Scio equidem domina: ſed etiam fœmina es; quæ non debes DEI ſervos deoſculari. Stupendum illud pudicitiæ exemplum, etiam in terrâ remunerare voluit DEUS; nam in momento obitus Ludovici prodiit ex ejus ore flos, velut roſa purpurea; & unus ex Franciſcanis orationi vacans vidit Angelos ejus animam in cœlum deferentes, & canentes. Sic agit DEUS ergà illos qui ei in mentis puritate & corporis integritate ſerviunt. 9. Sanctitas, quæ in eo tanta fuit, ut ejus meritis, cæci receperint viſum, ſurdi auditum, muti ſermonem, claudi greſſum, ægroti ſanitatem, incarcerati libertatem; in periculo conſtituti tutamen; & ut fatur præfatus ſummus Pontifex ſex ad minus mortui, ſuſcitati ſunt ad vitam: A Ludovico *virtutem diſcamus, & hic honoratam, & in cœlo coronatam.* Ludovici virtus fuit hic honorata, nam humilem religionis ſtatum eligens fuit ad Epiſcopatûs honorem elevatus. *Qui ſibi vilis eſt, ante DEUM magnus eſt.* Fuit etiam in cœlo coronata, recipiens mercedem quam meruit, Epiſcopalem exhibens ſanctitatem, & authoritatem ſuſtinens.

Hom. de S. Max.

Joann. 22. Baſil. Seleuc. Orat 14

D. Bern. l. de modo ben. viv. c. 59

L. de Pud. 20 2. De D. Barnaba tanquàm de *auctoritatis viro* loquitur Tertullianus: Epiſcopus Apoſtolorum ſucceſſor, eſt vir authoritatis, quam debet oſtentare, arguens ſubditos ſceleroſos, corrigens clericos ſcandaloſos, increpans nobiles qui Epiſcopale deſpiciunt miniſterium; audacter ſeſe opponens etiã principibus qui Eccleſiæ leges pervertunt, fidem deſtruunt, & non contenti ſceptro, arripiunt thuribularium. *Nemo te contemnat*, ſcribit ad Titum Apoſtolus, quaſi dicat, tuere authoritatem tuam, ne quis te deprimere & deſpicere audeat, & ad Timotheum ſcribens ait: *Non enim dedit nobis DEUS ſpiritum timoris, ſed virtutis.* Impavidam ejusmodi libertatem, & invictam animi fortitudinem præſtantiſſimi & celeberrimi demonſtrârunt Epiſcopi. Ita magnus Hoſius Cordubenſis Antiſtes Conſtantinum Imperatorem eſt allocutus: *Deſine quaſo Imperator, ne te miſceas rebus Eccleſiaſticis, neq; enim in hoc genere pracipe, ſed potius ea à nobis diſce; tibi DEUS imperium commiſit, nobis qua ſunt Eccleſia concredidit.* Neque minori virtute D. Ambroſius Theodoſium redarguit, Juſtinæ Imperatrici Arianæ reſtitit, & Valentinianum ſic affatur: *Noli te gravare imperator, ut putes te in ea qua divina ſunt imperiale jus habere, noli te extollere, ſi vis diutius imperare: ad Imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotem Eccleſia*: cumque Arianus quidem ei minaretur mortem, forti animo reſpondit Mediolanenſis Antiſtes: *DEUS permittat te facere quod minaris; ego patiar quod ſacerdotis eſt, tu facies, quod ſpadonis eſt.* Sed nemo conſtantior Hilario Pictavienſi Epiſcopo qui ad Conſtantium Imperatorem fidem Catholicam impugnantem, Arianam hæreſim propugnantem, Epiſcopos perſequentem, & in fideles crudeliter ſævientem ſic ſcribit: *Proclamo tibi Conſtanti, quod Neroni locuturus fuiſſem, quod ex me Decius & Maximianus audirent; contra DEUM pugnas; contra Eccleſiam ſavis; Sanctos perſequeris; religionem tollis; Chriſti novus hoſtis es, tyrannus jam non divinorum, ſed humanorum.* Omitto plures, qui exilium, ſupplicia, mortem etiam paſſi ſunt pro tuendâ Epiſcopali dignitate; Eccleſiæ auctoritate; fidei veritate; Chriſti divinitate. Ejusmodi non fures, non mercenarii, ſed veri præſules extiterunt.

Cap: 2

1. Timoth 1.

Athanaſ. Epiſt. ad ſolit. vit. agentes

D. Ambr. Ep. 33. ad Marcellinam ſoror

L. contra Conſtant:

D. Bernar Serm. 1. ad Paſtor: in Syn. congr *Ecce ſacrum Evangelium ſub numero trium perſonarum includit multitudinem univerſam prælatorum. Propoſuit enim nobis bonum paſtorem, mercenarium & furem. Si boni paſtores eſtis, gaudete; quia merces veſtra magna eſt in cœlis: ſi mercenarii eſtis, timete: quia periculum veſtrum grande eſt in terris. Si fures eſtis, ingemiſcite: quia locus veſter magnus eſt in pœnis.* Inter hos tres magnum agnoſcit D. Bernardus diſcrimen; in paſtore etenim abundat charitas, in mercenario verò & fure refrigeſcit charitas & abundat iniquitas; paſtor dat animam pro ovibus ſuis; mercenarius videt lupum venientem & fugit; fur mactat & occidit; bonus paſtor non ſuam voluntatem facit, ſed Domini ſui quærit utilitatem, ipſi ſoli ſervat fidem, ipſi laborat, ipſum honorat, ipſi quærit gloriã, non ſibi. Mercenarius quærit quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti. Alioquin utiq; non fugeret, ſed ſua, imò & ſeipſum ſuperimpenderet potius

Joan. 10

quàm gregem ſuum raptoribus exponeret. Qui ſunt tyranni & raptores ſæculi, qui propriâ tentati concupiſcentiâ, vel ingenitâ compulſi malevolentiâ, incendunt Eccleſias, vaſtant ovilia Chriſti, ſpoliant pupillos & viduas, proſcriptionem inducunt pauperibus, DEUM blaſphemant in ſuis operibus? Hi factis rapinis, fractisque Eccleſiis, cum gladius ultionis in eos exoritur, veniunt vel blandiendo, vel cominando. Fugitq; mercenarius, vel amore blandientis, vel timore perſequentis. Unde fugit? A rectitudine juſtitiæ, à defenſione Eccleſiæ; à liberatione patriæ, ab ultione pupillorum & viduarum. Quo? Ad cuſtodienda quæ poſſidet, imò à quibus poſſidetur, videlicet marſupia, horrea, cellaria, non utique pauperibus reſervanda, ſed evacuanda furibus, aut ignibus conſumenda. Et quid dicam de furibus? Fures ſunt hæretici. Hi ſunt fures & latrones. Fures latenter nocendo, latrones aperte ſæviendo. Hi prava dogmata diſſeminant in populo, & perverſitate doctrinæ ſuæ fidem Catholicam obnubilant, & inducunt ſimplices in errorem. D. Bern: ibid.

HucusqueD. Bernardus, qui demonſtrato diſcrimine quod intercedit inter paſtorem, mercenarium, & furem, veri paſtoris qualitates denotatas vult in ſpecie quatuor animalium, quæ in prophetica viſione apparuiſſe leguntur; nimirum in ſpecie leonis, bovis, hominis, & aquilæ. *Oportet enim ut omnis qui præeſt populo DEI, leonem ſeſe exhibeat, terribiliter corrigendo delicta; bovem, ſtrenue tractando terrena; hominem, benigne hominibus compatiendo; aquilam ſublimiter evolando, & ſubtiliter divina contemplando.* Epiſcopi igitur 1. leones ſeſe exhibeant, terribiliter corrigendo delicta: præſertim quæ absque timore & pudore committuntur. Quæ quia non corriguntur totum Eccleſiæ inficiunt, imò ait Bernardus, interficiunt corpus; ſiquidem (à plantâ pedis usque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Vulnus & livor & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata ligamine, neque fota oleo.) *Vulnus ad culpam, livor ad notam, tumor ad ſuperbiam referatur. Vulnus eſt cum intus læditur conſcientia; livor eſt, cum etiam foris decoloratur vita; plaga tumens, cum additur etiam impudentia:* juxtà illud: Confuſione non ſunt confuſi, neſcierunt erubeſcere. *Vulnus & livor eſt, cum minus providentur bona coram DEO & hominibus. Plaga tumens cum timor DEI de vulnere, nec erubeſcentia ſequitur ex livore.* Sed lætantur homines cum malefacerint, & in malitiâ gloriantur, poſtremo nec DEUM timent, nec homines reverentur. *Vulnus eſt ſine livore nonnunquam, cum etſi minus caſte quid geritur, tamen caute: vulnus & livor ſine tumore, cum cœperint qui exceſſerunt, non altum ſapere, ſed erubeſcere, ſed timere: nihil autem ſic repellit clementiſſimum Samaritanum illum, quomodo tumor iſte, ne vulnus alliget, ne vinum infundat & oleum. Unde etiam ſignanter de eadem plaga ſubjungitur:* Non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Non eſt circumligata, *quod nemo ſit qui coerceat.* Nec curata medicamine, *nemo quippe, qui arguat.* Neque fota oleo *nemo enim qui vel levi admonitione eos convenire præſumat. Quanquam*

Serm. ad Præl. in Conc. Gener. congr

Ezech. 1

Eſai: 1

Jerem: 8

Eſai. 1

foveri forte videbitur oleo quodam reprobo, (oleo peccatoris.) *Fovent enim vitia, qui vitiis favent, ſed ad pernitiem, non ad ſalutem. Plaga fovetur*, cum laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. 2. Prælati ſint boves in operando populos, *quos inſtruunt verbo ſanctæ prædicationis, non deſtruant exemplo prava operationis, efficacius opere, quam verbo prædicantes.* 3. Præſules hominum præbeant faciem, ſibi ſubditos homines benigne tractãdo. Quos ideò ſic alloquitur D. Bernardus: *Audiant hoc Prælati, qui ſibi commiſſos ſemper volunt eſſe formidini, charitati nunquam. Diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere, non dominos: ſtudete magis amari, quàm metui: & ſi interdum ſeveritate opus eſt, paterna ſit non tyrannica: matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis: Manſueſcite, ponite feritatem, ſuſpendite verbera: pectora lacte pingueſcant, non typho turgeant.* Tandem 4. Epiſcopi, aquilæ faciem referentes ſeſe in altum extollant, divinorum contemplationi vacantes, cum DEO in oratione converſantes. Nam ut ſubjungit D. Bernardus eos alloquens: *Statuit vos populus mediatores inter ſe & DEUM, ut vobis loquatur DEUS, & vos ad illum.*

D. Bernar Serm. 1. ad Paſtor: in Syn. congr

Serm. 23 in Cant.

Explanatis variis Epiſcoporum qualitatibus, ſic perorat D. Bernardus: *Utinam nemo hodie in prælatis inveniretur nimis habens de leone, parum de homine, immoderate in ſubditos ſæviens, cum auſteritate & potentia imperans, nec hominem ſeſe erga homines exhibens ſeu cognoſcens. Utinam nemo qui nimium hominis, parum leonis exhibeat, qui ſic ſcilicet compatiatur hominibus, ut nec criminibus indignetur. Utinam nemo qui nimis de bove & de aquila minus habeat, nemo terrenis immoderantius incubans, minus inhians cæleſtibus & divinis? Utinam nemo qui nimis ſeſe aquilam præbeat, bovem minus quàm debeat imitetur, ſic quærendo cæleſtia, ut nolit adminiſtrare terreſtria.* Et ut fatur alior ſum D. Bernardus, Utinam Prælati (Regibus Joannem ſe exhibeant, Ægyptiis Moyſen, fornicantibus Phineem, Heliam idololatris, Helizæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiatoribus Chriſtum. Qui vulgus non ſpernant, ſed doceant; divites non palpent, ſed terreant: pauperes non gravent, ſed foveant: minas principum non paveant, ſed contemnant. Qui Eccleſias non ſpolient, ſed emendent: qui marſupia non exhauriant, ſed corda reficiant, & crimina corrigant: famæ provideant ſuæ, non invideant alienæ. Qui orandi ſtudium gerant, & uſum habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quàm ſuæ induſtriæ vel labori. Quorum ſermo ædificatio, quorum vita juſtitia, quorum præſentia gratia, quorum memoria in benedictione. Qui ſe amabiles præbeant, non verbo, ſed opere: reverendos exhibeant, ſed actu, non faſtu. Qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocentes, duros dure redarguant, malignantes coerceant, reddant retributiones ſuperbis. Qui non de dote viduæ, & patrimonio crucifixi ſe vel ſuos ditare feſtinent, gratis dantes, quod gratis acceperunt, gratis facientes judicium injuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis.)

Serm. ad Præl. in Conc. congr.

Fuſe

Fuſe, ſed belle D. Bernardus dinumerat qualitates Præſuli neceſſarias, ut
dignitatem Epiſcopalem ſuſtineat, quibus excellentiſſime ornatus fuit Lu-
dovicus, referens facies quatuor animalium quæ in viſione apparuerunt
Ezechieli Prophetæ, exhibens leonis fortitudinem; bovis laborem, homi-
nis mititatem, & aquilæ ſublimitatem. Leonis ſeveritatem erga Eccleſia-
ſticos ſui characteris immemores: *Inſolentia enim clericorum cujus mater eſt* D. Bern
negligentia Epiſcoporum, Eccleſiam turbat. Illam reprimebat Ludovicus cle- Epiſt. 152
ricos ſceleroſos ſevere caſtigans, rectores quoque criminoſos ſuis beneficiis
denudans. Sæpeſæpius *dant Epiſcopi ſanctum canibus, & margaritas porcis: &* D.Ber.ibi.
illi converſi conculcant eos: Merito, quales fovent, tales & ſuſtinent: quos ditant
Eccleſiæ bonis, non corrigunt eorum mala, maloſq; gravati portant. Ne Eccleſia
ab ignaris & pravis clericis turbaretur, aut ipſe gravaretur, beneficia confe-
rebat, non ad nutum magnatum, non ad cujusvis deprecationem & ſollici-
tationem, ſed iis duntaxat quos prævio ſcientiæ & vitæ examine inveniebat
bene moratos & doctos, idque agebat absque ulla perſonarum acceptione
nec non diſtinctione inter pauperem & divitem, nobilem & plebejum, ex-
traneum & domeſticum: 2. in puniendo criminoſos hominis benignita-
tem oſtendebat, executioni mandãs quod Eugenio pontifici conſulit D. Ber-
nardus: *Nec auſteritatem tamen ſuadeo tibi, ſed gravitatem. Illa infirmiores fu-* Lib.4.de
gat; hac ſi deſit contemptibilem reddit, In omnibus tamen modus melior. Ego Conſid.6
nec ſeverius velim, nec diſſolutius. Quid hac mediocritate gratius, ut non de ſeve-
ritate ſis oneri, nec de familiaritate contemptus: in palatio Papam, domi te patrem-
familias exhibe? Ludovicus ſeveritatem cum benignitate contemperans, hu-
milis humilibus, ſuperbis gravis & auſterus, ſeſe erga ſuos domeſticos exhi-
bens *& Patrem, & Dominum; patrem clementia, Dominum diſciplina; patrem* Tert.l.2
poteſtate blanda, Dominum ſevera: patrem diligendum pie, Dominum timendum adv.Marc
neceſſarie. Neque 3. bovis recuſavit laborem, tum mirâ devotione Eccle- 13
ſiaſticos Ordines conferens; tum diœceſim indeſinenter viſitans; tum cle-
ro & populo prædicans, ſed adeò efficaciter, ut tepidos accenderet, obſti-
natos emolliret, hæreticos converteret, & Judæos ad Chriſtianam religio-
nem adduceret: Tandem 4. aquilæ imitans volatum, ad divina mentis at-
tollebat oculos, ſacrum Miſſæ offerens ſacrificium, contemplationi & me-
ditationi præſertim dominicæ paſſionis jugiter vacãs, pro populo ſibi com-
miſſo ferventer orans, memor iſtius Bernardi ad Eugenium: *Clerus tuus, &* Lib.3.de
populus tuus; cui ſpecialiter epiſcoparis, ac per hoc ſpecialis cura teneris debitor. In Conſid. 2
illis ſeſe occupans Ludovicus, Epiſcopi miniſterium adimplevit.

3. *Sanctus miniſter* Epiſcopus, miniſterium ſuum adimplere debet, Tert. l.de
quem in perſonâ Timothei hortatur Apoſtolus, *miniſterium tuum imple.* Et Exh. Caſt.
ne quis exiſtimet Paulum uti duntaxat conſilio, Epiſcopus ex obligatione 10
tenetur ſatagere miniſterium ſuum adimplere. Nam ut docet D. Bernar- 2. ad Ti-
dus, illi *incumbit neceſſitas, ex Epiſcopali officio.* Ut autem miniſterium moth.4 Epiſt 315

ſuum

Digitized by Google

D. Bernar l 3. de Conſid. 2 ſuum adimpleat; plura, ſed potiſſimum ſex præſtare debet: 1. Probos & doctos ſacerdotes ordinare, qui ſint *expediti ad officia, idonei ad ſacramenta, ad plebes erudiendas ſollicitì, & ad ſe cuſtodiendos in omni caſtitate.* 2. Domus ſuæ
D. Bern l. 4. de Conſid. 6 ſollicitam curam gerere: *Domum Epiſcopi decet ſanctitudo, decet modeſtia, decet honeſtas, decet diſciplina cuſtos.* 3. Pauperibus eleemoſynas erogare: *Non*
D. Auguſt. Ser. 46. de Diverſis *eſt Epiſcopi ſervare aurum, & revocare à ſe mendicantis manum.* Nobile illud effatum ab Ambroſio audierat D. Auguſtinus: Ex proprio cothurno adjiciens, *aurum Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget.* 4. Verbum DEI prædicare,
Ser. 50. de Diverſis quapropter Timotheum hortatur Apoſtolus ut Evangeliſtæ fungatur
2. ad Timoth. 4 officio: *Opus fac Evangeliſtæ.* Opus Evangeliſtæ vocitat, non ſcriptionem, ſed Evangelii prædicationem.
D. Bern. l. 3. de Conſid. 3 *Evangelizare paſcere eſt, fac opus Evangeliſtæ, & Paſtoris opus impleſti.* Et ut aliorſum fatur mellifluus Doctor expendens hæc Domini verba Petro dicta, Paſce oves meas. *Paſce mente, paſce ore, paſce opere.*
Serm. 2. de Reſ Dom: Ut enim animadvertit Anſelmus, ad Evangeliſtam ſpectat evan-
Matth. 28. gelizare verbum DEI, tum voce, tum ſanctitatis operatione. Gravi autem præcepto mandatum eſt Apoſtolis ut evangelizarent, & docerent Gentes; adeò ut ſi evangelizare neglexiſſent peccâſſent graviter. Quod denotat Pau-
1. Cor. 9 lus ajens, *Væ mihi eſt, ſi non evangelizavero*; væ etenim importat DEI male-
1. Cor. 1 dictionē; quam ſe incurrere fatetur Apoſtolus ſi non evangelizet: *Non enim,* inquit, *miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare.* Hæc duo ſunt præcipua paſtorum officia, prædicatio ſcilicet & ſacramentorum adminiſtratio. Principale Epiſcoporum munus eſt prædicatio Evangelii, quod per ſe, niſi impe-
Seſſ 5. c. 2 diantur exercere debent, ut docet Concilium Tridentinum. Baptiſmum verò aliaque ſacramenta parochis, eorumque adjutoribus, cum Paulo com-
L. de Diſc. & bon. pud. mittere poſſunt. Opus Evangeliſtæ optime fecit D. Cyprian. ut ipſemet teſtatur: *Semper enitor vel maxime quotidianis Evangeliorum tractatibus vobis fidei & ſcientiæ per Dominum incrementa præſtare. Quid enim aliud in Eccleſia Domini utilius geri, quid accommodatius officio Epiſcopi poteſt inveniri, quam ut doctrina divinorum per ipſum inſinuata collataque verborum, poſſint credentes ad repromiſſum regnū pervenire cœlorū? Hoc certe mei & muneris & operis quotidianū votivum negotium, abſens licet obtinere connitor.* 5. Pro ſalute gregis ſibi com-
D. Aug. l. 2 cont. Creſc. 11 miſſi invigilare: *Neq; Epiſcopi propter nos ſumus, ſed propter eos quibus verbum & ſacramentum dominicum miniſtramus.* Quod innuit etiam Græcum Epiſco-
L. 29. Civ. 19 pi vocabulum, inde deductum, ait D. Auguſtinus, *quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur ſuperintendat; curam ſcilicet eorum gerens.* Et ob hanc cauſam
Orat: 7 in Cant. Greg Nyſſ. Epiſcopos nuncupat *oculos*: vel quia ſcientiæ lumen univerſo cor-
D. Aug. l. 2 cont. Creſc cap. 11 pori præſtant, ut vult Origenes: vel quia aliorum ſunt duces, quorum vitam tum verbo tum exemplo ducunt & regunt; vel quia ſicut oculi omnia intuentur. Ita ſubjungit Greg: Nyſſ: Epiſcopi ſunt *oculi ad Eccleſiæ inſpectionem,* tantaque illis vigilantia & ſollicitudo neceſſaria eſt, ut *nonnulli ſancta humilitate præditi viri, propter quædam in ſe offendicula, quibus pie, religioſeque*

move-

movebantur; Epiſcopatus officium non modo ſine culpa, verum etiam cum laude depoſuerunt; conſiderantes duplicem Epiſcopo incumbere curam: Unam, propriæ ſalutis; alteram ſalutis eorum quorum eſt ſuperintendens: *Accedit ad ſollicitudinis cumulum, & pondus timoris, quod cum meam, & proximi conſcientiam ſervare neceſſe ſit, neutra mihi ſatis eſt nota, utraq; mihi nox eſt, utraq; imperſcrutabilis eſt abyſſus, & nihilominus exigitur à me utriuſq; cuſtodia, & clamatur: Cuſtos quid de nocte? Et non eſt mihi dicere cum Cain: Nunquid cuſtos fratris mei ſum?* Enimvero cuſtos ſum, & hinc timor, hinc edaces curæ, hinc etiam dolor mœrorque, quo etiam affici ſolent excelſæ mentes, & inde ab infulâ maxime alienæ, atque abhorrentes, adeoque ab illis longiſſime profugientes, & in hoc certe magnæ atque præcelſæ.) Tandem Epiſcopus tenetur exemplaribus virtutibus bene populum ædificare. *Forma factus gregis* & exemplar recte vivendi. Non ſatis eſt Epiſcopo, ut facie & loco præeat populo, ſed ſtudere debet præire virtute, & pietatis operibus, ut non tam imperio quàm exemplo, ſancte vivendo, vitæ ſanctæ formam, exemplar & typum fidelibus præſcribat. Exemplarem illam virtutem deſiderabat olim Religio in iis quos ad Epiſcopalem ſublimabat dignitatem. Unde Tertull: referens quales tunc temporis ordinari oporteret; ait: *oportebat igitur omnem communis diſciplinæ formam ſua fronte proponi, edictum quodammodo futurum univerſis in profeſſione, quò magis ſciret plebs eum ordinem ſibi obſervandum qui faceret præpoſitos, & ne vel ipſe honor aliquid ſibi ad licentiam, quaſi de privilegio loci blandiretur: proſpiciebat ſpiritus ſanctus dicturos quoſdam; omnia licent Epiſcopis*, belle nuncupat Epiſcopos frontem Eccleſiæ, in quâ elucere debet omnis Chriſtianæ diſciplinæ forma, ut eam conſpiciens populus ſciat quid ſibi ſit imitandum, quid agendum: quomodo Paulus ſe præbuit fidelibus formam & normam vivendi: *Imitatores mei eſtote fratres, & obſervate eos qui ita ambulant, ſicut habent formam noſtram.* Quemadmodum forma dat eſſe materiæ, id eſt eam informando complet & perficit: ita Epiſcopi forma, exemplum & typus, non parum conducit ad formandum in bono populum. Ad hanc vivendi formam cui ſeſe tanquàm animatæ legi conforment fideles, Timotheum hortatur Apoſtolus: *Exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in caſtitate.* In verbo, id eſt in gravi ſermone qualem decet Epiſcopum, in converſatione, id eſt in vita, & vivendi conſuetudine; in charitate, id eſt in amore DEI, & proximi; in caſtitate, id eſt in vitæ totius puritate, & generaliter in cunctis virtutibus præbe teipſum exemplar quod omnes intueantur & imitentur. Optat Apoſtolus *ut Timotheus aut quicunq; Prælatus, ſit ad inſtar archetypi ſive primariæ formæ, ex qua viva virtutum ſimulacra lineamentis vitæ honeſtæ in ſe tranſlatis exprimantur.* Eodem adhuc modo Titum Cretæ Epiſcopum ad præſtandam illam virtutis formam hortatur Paulus: *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate*: ſeu ut explicat ibidem D. Chryſoſtomus:

D. Bern. Serm. 1. de Adv.

1. Petr. 5

L. de Mon.

Philip. 3

1. Timoth. 4

D. Hieron in c. 1. Ep. ad Tit.

Epiſt. ad Titum 2

Sit doctrina & exemplar virtutis tua, ſpeculum vitæ quod omnibus propo itur ad
imitandum, velut archetypus & primitiva quadam imago omnia in ſe habe s, quæ
bona & honeſta ſunt. Duo expoſtulat à Tito Apoſtolus. Unum doctrinam
ſanam, quam per Evangelii prædicationem diſſeminet; Alterum, vitæ in-
D. Athan. tegritatem, quæ ad ſui imitationem ſufflammet; *lingua perſuadeat, vita ju-*
ad Monab *beat.* Ut enim ait D. Auguſtinus, *habet ut obedienter audiatur, quantacunque*
Lib 4. de Doct. Chri *gravitate dictionis, majus pondus vita loquentis.* D. quoque Gregorius ſic ex-
27 pendit iſtud Davidicum quo Propheta hortatur Epiſcopos & Eccleſiæ Ma-
Pſal. 13 giſtros & Prædicatores ut induant juſtitiam: *Veſtimenta ſacerdotis, quid aliud*
quàm recta opera debemus accipere, Propheta atteſtante, qui ait : Sacerdotes tui
induant juſtitiam. Tunc alludens ad Pontificis Aaronici veſtem ex quâ ſu-
ſpenſa pendebant aurea tintinnabula, ſubjungit: *Veſtimenti itaque illius tin-*
tinnabula inhærent ut vita viam cum lingua ſonitu, ipſa quoque bona opera clament
1. Part. Paſt 3 *ſacerdotis*: Ait alio rſum præfatus ſummus Pontifex: *Sit paſtor operatione præ-*
cipuus, ut vita viam ſubditis vivendo denuntiet; & grex qui paſtoris vocem mores-
que ſequitur, per exempla m elius quàm per verba gradiatur. Illa vox libentius au-
ditorum corda penetrat, quàm dicentis vita commendat; & optima ovium paſcua
ſunt, exempla paſtoris. Quod perfectè & breviter declarat Imperfecti s præ-
Hom. 43 in Matth. ſulem alloquens: *Audiant te homines parva mandantem, & grandia videant fa-*
cientem. Prælatus in alto verſatur culmine, ubi ab omnibus videtur, om-
nium in ſe conjectos habet oculos, omnia ipſius facta & dicta à cunctis cō-
Sen l. de Clem. c. 8 ſpiciuntur, examinantur, notantur: *Tibi non magis quàm ſoli latere contingit,*
multa contra te lux eſt; omnium in te converſi oculi ſunt. Præſul non bene lu-
Salv. l. 2. ad Eccleſ. cens Epiſcopalem depretiat dignitatem, & populo noxius eſt. Epiſcopa-
L. de Conſid. 7 lem dignitatem devenuſtat: *quia nihil turpius eſt quàm excellentem eſſe culmine,*
& deſpicabilem vilitate. Et ut fatur D. Bernardus, *monſtruoſa res, gradus ſum-*
mus, & animus infimus: ſedes prima, & vita ima: Deinde populo noxius eſt,
D. Chryſoſtomus l. 2. de Sacerd. quem pravo ſuo exemplo incitat ad malum: *Prodeant qui longe omnibus præ-*
ſtant, quique virtute animi tantum reliquos excellunt, quantum corporis magni-
tudine Saul Hebræorum gentem excelluit, ſed potius multo etiam magis.

Qualis fuit noſter Ludovicus qui probe miniſterium adimplevit; 1. Clericos bene moratos & doctos ordinans; 2. domum ſuam ſanctè & laudabiliter gubernans; 3. reditus ſuos pauperibus erogans, modicam duntaxat ſuſtentationem pro familiâ reſervans. Cui probe competit quod in
Lib. 3 de Conſi 2 laudem Gilberti Londonienſis Epiſcopi prædicat D. Bernardus: *Non magnum fuit magiſtrum Gilbertum Epiſcopum fieri, ſed Epiſcopum Londonienſem pauperem vivere, id plane magnificum, nec enim tanto nomini quicquam augere gloriæ potuit ſublimitas dignitatis, auxit autem plurimum humilitas paupertatis. Paupe-riem æquo animo ferre, virtus patientiæ eſt; ſponte appetere ſapientiæ laus eſt.* Quantò major Gilberto generis nobilitate Ludovicus, tanto majori admi-

ratione

ratione dignus in Epiſcopatu pauperem vitam duxiſſe, præſertim cum à ſūmo Pontifice fuerit admonitus habere curiam non ſolum Epiſcopali dignitati convenientem, ſed etiam regiæ nativitati conformem. At ipſe humilitatem nobilitati ſanguinis anteponēs, Epiſcopale miniſterium adimplevit. 4. Evangelizando verbum DEI non ſolum in ſuâ diœceſi, ſed etiam in Italiâ, Franciâ, Hiſpaniâ, aliiſque regionibus. Multi Prælati *fuerunt, qui ſe totos ovibus paſcendis exponerent, paſtores & opere & nomine gloriantes, non quærentes quæ ſua ſunt, ſed ſuperimpendentes, impendere curam, impendere ſubſtantiam, impendere ſemetipſos.* Si ullus unquam Epiſcopus id egit, maxime Ludovicus, qui 5. tantam impendebat ſuo gregi curam, ut cum quâdam vice vicos Tholoſæ incederet audiens vetulæ pauperis ægrotantis, & confeſſarium expoſtulantis vocem, mox ejus tugurium ad ejus confeſſionem audiendam ingreſſus eſt, reſpondens ſacerdotibus ſeſe ad id munus obeundum offerentibus; ad paſtorem pertinere, ei præbere ſubſidium; quod executus eſt, auditâ confeſſione ſubminiſtrans alimentum quod à ſuo palatio accerſerat, & eleemoſynam in poſterum ſubventuram. Exiens autem de illo tuguriolo pulvere & pediculis coopertus, domeſticis generoſe reſpondit: Pediculi ſunt margaritæ pauperum. Tandem 6. ſicut ex Magno Gregorio ſanctus Martinus Turonenſis Antiſtes fuit *lux gregis*; ita Ludovicus fuit lux gregis ſibi commiſſi quem illuminavit luce doctrinæ, vitæ, & orationis, juxtà iſtud Bernardi: *Paſce verbo, paſce exemplo, paſce ſanctarum fructu orationum.* Nec mirum, ſi poſt Ludovici obitum dum Maſſiliæ exequerentur Ludovici exequiæ, de ejus corpore exierunt radii lucis, & candelæ in itinere vento extinctæ, divinitus reaccenſæ ſunt. Bino illo miraculo denotata fuit, tum lux quâ Ludovicus vivens illuſtravit orbem: tum lux quâ poſt mortem illuſtratur & fulget in cœlo.

D.Ber.l.5. de Conſid.

Lib.7.Ep. 32

Epiſt.201

CONCIO QUARTA.

PRò miſera incredulitas, quæ denegans DEO proprietates ſuas, ſimplicitatem & poteſtatem. Ad miſeram illam incredulitatem redarguendam unus ſufficit Antonius; qui divinæ tum ſimplicitatis, tum poteſtatis particeps, tanta operatus eſt, ut cunctis ſtuporē ingeneret. Natus eſt Ulyſſipone capitali urbe regni Portugalliæ; originem duxit à parentibus non minus pietate quàm nobilitate comendatis: in tenerâ ætate amabilis & gratioſus apparens, infantiā domi ſimpliciter peregit; puer factus tantâ fuit gratiæ abundantiâ repletus, ut vitaverit culpam, vitia habuerit odio; & virtutes in amoribus: proficiens in ætate, ait Surius: (Non ſicut tenera puerorum ſolet ætas, mundi laſciviâ & vanitatem amplexus eſt; cum autem accedentibus annis ſentiret im-

Tert.l. de Bapt. 2

probos corporis motus de carnis corruptione naſcentes, nequaquam ceſſit petulantis ancillæ pravis cupiditatibus, nec fræna libidini laxavit, ſed ſtrinxit habenas, corpus in ſervitutem redigere ſatagens.) Antonius cum eſſet annorum quindecim mundo renuntians, ſtatum regularẽ, velut aſylum adiit, Canonicus Regularis factus, ſub nomine Ferdinandi pie & laudabiliter vixit: De Ordine verò D. Auguſtini egreſſus, Seraphici Franciſci amplexatus eſt Regulam, non temere & animi levitate, ſed mature; & ſerio habito conſilio, ut ſtudioſius virtuti vacaret, facilius animarum ſalutem procuraret, & martyrium toleraret ad inſtar filiorum Seraphici Patris, Berardi & ſociorum, qui Marochyo pro fidei veritate conſtanter ſanguinem fuderant. Et quemadmodum olim D. Auguſtinus, inter mammillas Virginis, & vulnera Chriſti dicere ſolebat; *Poſitus in medio quo me vertam neſcio; hinc lactor ab ubere, hinc paſcor à vulnere*; Idipſum dicere poteſt Antonius, filius Auguſtini, & Franciſci proles, lactatus à D. Auguſt. lacte ſapientiæ cœleſtis, potans cum Franciſco in vulneribus Chriſti; tantam in utroq; Ordine perfectionem aſſecutus, ut perfecta ſit ſanctiſſimæ Trinitatis imago, repræſentans, 1. Patris potentiam: 2. Filii ſapientiam: 3. Spiritus ſancti bonitatem & munificentiã.

Tert. l. 1 adv. marc. 3 *DEVS ſummum magnum, & vi, & poteſtate.* In DEO duplex eſt vis & poteſtas. Ordinatia una, quæ agit juxtà leges naturæ; alia extraordinaria, quæ non attendit ad leges naturæ, ſed ſuprà vires creaturæ ſupernaturaliter operatur. Cuncta quæ elucent in mundo, ſunt *exempla divinæ poteſtatis*, non abſolutæ ſed ordinariæ: opus verò miraculoſum naturales creaturæ vires ſuperans, ab extraordinariâ DEI potentiâ procedit. *Et utiq; hoc à divinis viribus, non à naturalibus legibus perfici præſtariq; conveniet.* Supernaturalis hæc potentia miraculorum per excellentiam donata eſt Chriſto: ut ſuam Divinitatem comprobaret; miſſionem confirmaret; ſanctitatem declararet; & charitatem demonſtraret. *Hanc ſuam & poteſtatem & liberalitatem ſatis jam in Chriſto ſpopondit, imò & oſtendit, non tantum reſuſcitatorem carnis, verum etiam redintegratorem.* Potentiam adhuc illam miraculorum DEUS largitus eſt Sanctis: Tum ut fidei veritatem ſignis demonſtrent: Tum ut miſſioni ſuæ authoritatem præſtent: Tum ut ſanctitatem ſuam oſtentent: Tum ut homines carnales, qui experimento ſenſus duntaxat ducuntur, evidenter cõvincant: Tum ut diabolum debellent, qui *deliteſcens ſub nominibus & imaginibus mortuorum, quibusdam ſignis, & miraculis, & oraculis fidem divinitatis operatur*: Tum ut veris miraculis confutetur *illa ſpecies magiæ quæ miraculis operatur, etiam adverſus Moyſem æmulata*, ſicq; veris miraculis fallacia deſtruant dæmonum prodigia: Tum ut etiam ex hoc mundo remunerentur, humilitas abſcondita eluceſcat; mortificatio carnis accipiat vim largiendi corporibus ſanitatem; & charitas quâ in DEUM feruntur, extendatur ad opitulandum proximo. Ob has aliasq; rationes Sancti efficiuntur divinæ potentiæ participes. Verum ſi in ullo unquam Sancto eluxit divina potentia, maxime

Tert. l. 3 adv. Marc 10

Tert. l. de Reſ. Carn. 42

Tert. l. de Reſ. Carn. 57

Tert. Apol 21

Ter. l. de Idol. 9

xime in Antonio Paduano, ut conſtat ex miraculorum quæ patravit, 1. multitudine: 2. magnitudine: 3. ſolitudine.

1. DEUS *patientia copia*, tot & tam varias producens in orbe creaturas, ſoli Antonio *copiam faciendi ſubminiſtravit* cuncta fere miracula quæ ab aliis Sanctis operata ſunt. De quo idem poſſumus dicere quod de Christo Domino D. Auguſtinus: *Interrogemus ipſa etiam miracula, quid nobis loquantur de Chriſto. Habent enim, ſi intelliguntur, linguam ſuam.* Non diſſimiliter interrogemus operata ab Antonio miracula, & videamus ſi non ipſe ſolus fere tot operatus eſt, ac cæteri Sancti ſimul. 1. Abacuc Propheta à Jeruſalem ab Angelo delatus eſt Babyloniam, ut Danieli in lacu leonum alimenta præberet, & Antonius ab urbe Paduana miraculoſe translatus eſt Ulyſſiponem, ut innocuum parentem de carcere educeret, & ab infami ſupplicio liberaret. 2. Apoſtoli poſt adventum Spiritûs ſancti prædicaverunt Judæis, Græcis, Latinis, Barbaris, & unusquisque audiebat illos ſuâ linguâ loquentes, & Antonius Romæ concionem habens, & linguâ Portugallicâ utens, auditus eſt à variis populis diverſo ſermone loquentibus; & à quovis ita cõcio intellecta eſt ac ſi ſuo fuiſſet idiomate locutus. 3. Magnus Antonius dæmonum viribus reſtitit, & Pſalmum *Miſerere mei DEUS* decantans, tartareas illas fugavit legiones: Antonius quoque Paduanus à diabolo in gutture apprehenſus, fortem illum debellavit hoſtem, dicendo Hymnũ: *O glorioſa Domina!* 4. Deiparæ auxilio, amputata à præfecto Damaſci, Damaſceni manſuit redintegrata, & Antonius ſuis orationibus tibiæ rejunxit abſciſſum adonus, leſcentis pedem. 5. D. Benedictus ſuſpicans venenatẽ eſſe panem & vinum ab improbo ſacerdote miſſum, ut eum toxicaret, quod impedivit corvus tum clamitans circa panem; tum calicem, in quo detinebatur vinum frangens. At Antonius, nullum à belluis experimentum captans, ſuperne cognovit dapes ſibi ab hæreticis paratas eſſe venenatas, quas comedit ob pollicitationem converſionis ab ipſis factam, ſi eas manducaret. 6. Franciſcus Paulanus compeſcit tempeſtates & in tranquillam ſerenitatem convertit; Antonius quaſi aer ſuo obtemperaret imperio, à pluviâ multa millia hominum exemit quibus ſub dio concionabatur. 7. Sancta Clara in lectulo ægrotans, audivit diſtincte Franciſcanos in choro matutinum decantantes, & Antonius duobus milliariis diſtans auditus fuit à muliere quam vir ejus impedierat, ne adiret locum in quo Sanctus concionabatur. 8. Aves tacent, præſtantque auditum Franciſco ad eas concionem habenti, & Antonius ad confundendos hæreticos garrulos, ad littus maris prædicans, accedentes piſces, attente ſermonem audiunt; neque aquis immergunt caput, niſi accepta Antonii benedictione. 9. Chriſtus præſentiam ſuam multiplicat, ſimul in cœlo exiſtens, & Saulo in terra apparens & Antonius ſemel & iterum duobus videtur in locis. Non ſolum hujusmodi præſentiæ multiplicatio denotat quantis fuerit præditus meritis, quia *non clauditur locis, quod diffunditur meritis*, ſed etiam miraculorum quæ operatus eſt magnitudo.

Tert. l. 2 adv. Marc. 6

Tert. l. adv. Herm. 8

Tract. 24 in Joann.

D. Ambr. Serm. 93

Tert. lib. 2 adv. Marc 5 — Ter: l. adv. Herm. 45 — Tert. l. de Reſ. Carn. 14 — Ter. Apol 24 — Tert. l. de præſc. hær 7 — D. Aug: Tract: in Joan.

2. *Opera creatoris, ejus teſtantur potentiam, qua tanta.* Cuncta quæ operatus eſt DEUS, tot ſunt teſtimonia ſuæ infinitæ potentiæ, at quo majora ſunt, eo magis *vires ejus* teſtantur: Non diſſimili modo cuncta miracula quæ operantur Sancti, ſunt argumenta divinæ omnipotentiæ, & virtutis ſuæ indicia: At ſunt quædam in quibus elucet magis divina poteſtas, & Sanctorum virtus ſplendet magis. Miracula ab Antonio patrata, quæ hucuſque retulimus, ſunt duntaxat *divinarum virium lineamenta*; at ſubſequentia quæ per Antonium operatus eſt DEUS, illum *potentiorem* teſtantur. Primum eſt mortui ſuſcitatio. Mortuorum reſurrectio impoſſibilis ſemper viſa eſt priſcis Sapientibus, & quantumvis veteres Philoſophi inter ſe diſſentiant, attamen in negandâ reſurrectione conveniunt; *ut carnis reſurrectio negetur, de ſchola omnium Philoſophorum ſumitur.* Reducere ad vitam quos mors ſuo ſubdidit imperio, eſt negotium adeò arduum, ut Chriſtus nunquam magis ſuam oſtenderit potentiam, quàm revocando Lazarum de ſepulchro. *Tunc vere Chriſtus probatus eſt DEUS: tunc plus fecit quàm auſa eſt ipſa fides ſperare.* Scio Eliam in veteri Teſtamento, & Franciſcum in novo mortuos ſuſcitâſſe, non ſecus ac plures alii Sancti; ſed reſurrectio mortui ab Antonio facta comitata eſt pluribus circumſtantiis quæ opus illius ſplendidius reddunt. Nam 1. ſuperne illuſtratus cognovit falſam patri ſuo factam accuſationem, & ſententiam mortis adverſus ipſum à judicibus latam. 2. Notitiam intellectûs ſubſecutum eſt in voluntate ardens deſiderium eximendi innocuum à pœnâ ſceleroſis debitâ, & liberandi à morte parentem à quo acceperat vitam. 3. A Paduâ in inſtanti delatus eſt in Ulyſſiponem ut inſonti ſubveniret patri. 4. Mortuus Antonii obtemperans imperio egreſſus eſt de ſepulchro, & coram adſtantibus juſtificavit Antonii parentem falſo de homicidio accuſatum, cujus innocentiam altâ voce teſtatus eſt. 5. Antonius eodem modo quo Ulyſſiponem venerat, Paduam eſt reverſus. 6. Quod eſt notatu digniſſimum, noluit adſtringere ſuſcitatum ad vitam, revelare mortis authorem, etſi ad id inſtanter requiſitus. Nec mirum, quia venerat ad abſolvendos innoxios, non ad condemnandos reos & ſceleroſos, ad quorum converſionem mira operatus eſt.

D. Auguſt. Ser: 15 de Verb. Apoſtolorum.

Converſio peccatoris eſt difficilior creatione & mortuorum reſurrectione. In creatione nihilum de quo DEUS producit creaturas, ejus potentiæ non reſiſtit; in reſurrectione, mors ejus imperio obſequitur; at voluntas peccatoris ſæpeſæpius gratiæ motioni reſiſtit, & DEO denegat obſequium. Illum DEUS *fecit neſcientem, juſtificat volentem.* Cunctæ peccatorum converſiones, ſunt magna divinæ poteſtatis opera; at longe difficilius eſt convertere tyrannos feroces & crimino ſos, quàm cæteros peccatores. Tyranni velut monſtra crudelitatis poſt humanam anhelant ſanguinem, ergà ſubditos, non ſecus ac erga miſera mancipia ſe habent: de quorum facultatibus ditantur, adverſitatibus lætantur, qui innoxios æque ac noxios puniunt, quidquid ſuſpicantur, infidelitatem credunt, *quibus ſæviendi fidem facit*

Sen. l. 1. de Clem. 12

inopia

inopia hoſtium. Ultrà tot perverſitates cunctis tyrannis communes, Ezzelinus Veronæ tyrannus, propriâ erat malignitate famoſus. Is erat homo ſuperbus, avarus, libidinoſus, verſipellis & perfidus; homo naturaliter ad inhumanitatem, barbariem, & crudelitatem pronus; homo nullius fidei, nullius legis, nullius religionis, nullius boni; homo ambitioſus, qui Veronam & Paduam invaſerat, libertatem rebuspublicis abſtulerat, & cives ingenuos duræ ſervituti ſubjecerat; homo habitantium ſanguine cruentatus, quos injuſte & crudeliter trucidaverat; homo ſtipatus caterva militum ſeu ſatellitum, qui ad nutum ejus fundebât ſanguinem abſque ullâ diſtinctione ſtatûs, ſexûs, & ætatis. Attamen ferocientem illum & ſævientem tyrannum Veronæ aggreditur Antonius, illi ſeveritatem ſuam exprobrat, imminentem DEI juſtitiam niſi convertatur, intimat, & de ſuâ tyrannide audacter ſequentibus verbis increpat: *Cervicibus tuis tyranne ſæviſſime, & rabide canis, horrenda ſententia DEI imminet; quousq; non temperabis tibi à fundendo inſontium ſanguine?* Ad vocem Antonii adſtantes cives metuunt pro Sancto; ſatellites adverſus illum ſtrident dentibus, expectantes tyranni imperium ut ei necem inferant. At Ezzelinus attonitus & tremens veniam deprecatur, & converſionem pollicetur. Recogita Chriſtiane Attilam Hunnorum regem DEI flagellum nuncupatum, Leonis magni eloquentia territum: imaginare Guillelmum Aquitaniæ ducem ad pedes Bernardi proſtratum: Vel potius Saulum in Chriſtianos ſævientem ad vocem Chriſti in terram dejectum & humiliter dicentem: Domine, quid me vis facere? Sed vide Ezzelinum ante Antonium, flexis genibus, nudo capite, humiliatum, ſeſe peccatorem confitentem; miſericordiam implorantem, pœnitentiam pollicentem, & corda Antonii collum ſuum cingentem. At unde ſubitanea illa tyranni mutatio? quænam fuit tantæ humiliationis, formidinis & timoris cauſa? Scilicet ex quodam divino fulgore ex Sancti vultu emiſſo, tyrannum terrente, & tartareos ignes minitante, niſi obſequeretur Antonio famoſo non tantum miraculorum magnitudine, ſed etiam ſolitudine ſeu ſingularitate.

3. DEUS *ſolitudinem quandam de ſingularitate præſtantiæ ſuæ poſſidens.* Antonius quoque ſolitudinem quandam poſſidens eſt in patrandis miraculis *de ſingularitate famoſus.* Quaſi non ſufficiat DEO patrâſſe per Antonium multa & magna miracula, ſuſcitâſſe mortuos, & rebelles & inſolentes convertiſſe peccatores, voluit adhuc per eũ atrociſſima delere peccata, Deus ſolus principaliter & ex ſemetipſo poteſtatẽ habet dimittẽdi peccata, *Quis enim dimittit peccata niſi ſolus DEUS?* Hujus autẽ poteſtatis participes facit legis gratiæ ſacerdotes. Hanc poteſtatẽ communẽ Confeſſariis acceperat Antonius, quam ad praxim redigebat, quoties vere pœnitentium in pœnitentiæ ſacramento, abſolvebat peccata: At ſingulari miraculo peccata delet etiam non impertita abſolutione ſacramentali. Quidam peccator acceſſit ad Antonium

Tert. l. 1. adv. marc. 4
Tert. l. de Reſ. Carn. 13
Tert l. de Pud. 21

tonium, ut ei ſua confiteretur peccata, quæ non valens propalare, ob dolorem qui cor ejus comprimebat, & abundantiam lachrymarum quæ jugiter ab ejus oculis profluebant; ei præcipit ut in papiro commiſſa ſcribat delicta, & ad ſe afferat: O ſtupor! mox ut in chartâ ſuâ deſcripſit peccata, & inter Antonii depoſuit manus, penitus deleta inventa ſunt: Sive illud miraculum evenerit ex intenſo pœnitentis dolore, vel magno Antonii merito, adeò eſt ſingulare ut nullum ſimile ab aliis ſanctis legatur operatum. In quo Dominici ſanguinis æmulatur virtutem chirographa peccatorum delentis. Solent debitores creditoribus dare ſchedulas, obligatique habentur donec deleta vel reſciſſa ſit ſchedula. Protoparens peccando factus eſt dæmonis debitor, debitumque proprio chirographo confirmaverat: Adami nepotes debitum illud generale quod contrahunt per originalem culpam propriis ſceleribus

Orig Ho. 13. in Gen. incrementant. *Unusquiſq; noſtrum, in his quæ deliquit efficitur debitor, & peccati ſui litteras ſcribit.* Chriſtus Dominus pro nobis debiti pœnam ſolvit, &

Coloſ. 2 ſchedulas propriâ cujusvis manu ſubſignatas delet: *Delens quod adverſum nos erat chirographum decreti.* Peccator ille accedens ad Antonium divinæ juſtitiæ debitor, debiti litteras propriâ manu ſcriptas dedit Antonio, quæ inaudito miraculo deleta ſunt, quaſi Antonius fuerit creditor qui ea gratis dimiſerit; aut velut Sancti merita æquivalentia fuerint Dominico ſanguini, cujus æmulantur efficaciam. Quovis autem modo ſingulare illud prodigium acciderit, evidenter teſtatur Antonii potentiam, quam mutuatur ab æterno Patre, admirabilemque ejus ſapientiam, quâ repræſentat Filium.

II. PARS. Ter l. adv Prax. 6 *Itaq; ſophiam quoq; exaudi, ut ſecundam perſonam conditam.* Sophiæ nomine ſecundam perſonam Trinitatis intelligit Tertullianus quam adhuc vocitat DEI ſermonem. *Quid enim ſapientius ſermone DEI,* ſeu DEI Filio? cui appropriantur omnes perfectiones intellectûs divini? Cum autem ſophiam conditam dicit, intellige non creatam aut in tempore productam,

Eccleſ. 1 ſed generatam & ab æterno productam. Igitur *fons ſapientiæ Verbum DEI,* ab hoc fonte hauſit Antonius aquam ſapientiæ, quæ apparet in 1. futurorum prædictione: 2. ſecretorum cordis cognitione: 3. Verbi DEI prædicatione.

1. Ad DEUM pertinet vel ad illos quos ſuâ ſapientiâ dignatur, cogno-

Tert Apol 18 ſcere futura quæ à cauſis liberis & contingentibus dependent. Ideò *Prophetæ de officio præfandi vocantur*; quia divinitus illuſtrati res cognoſcunt, de eisq;

Tert. Apol 22 prius quàm eveniant loquuntur. Eâdem de causâ dæmones *diſpoſitiones etiā DEI, & tunc Prophetis concionantibus exceperunt: & nunc lectionibus perſonantibus carpunt: & ita & hinc ſumentes quaſdam temporum ſortes, æmulantur Divinitatem, dum furantur divinationem.* Antonius, non Divinitatem ad inſtar dæmonum, per furtum divinationis æmulans, ſed divinâ ſapientiâ irradiatus, Prophetarum inſtar futura proſpiciens nobili fœminæ antequàm parturiret prædixit fore parituram filium qui ſub Regula ſancti Franciſci militaret, & ſanctiſſimam vitam duceret: Notario etiam ſceleroſo & male morigerato

prædixit

prædixit pro fidei Chriſtianæ veritate martyrium fore ſubiturum; quoties enim Antonius in plateis vel in itinere inveniebat, magno eum proſequebatur honore, flexis etiam genibus venerabatur, cumque tabellio id ægre ferret velut irriſionis indicium, Antonius illum alloquens, ait: Non te irrideo, ſed te veneror tanquàm DEI Martyrem. Et licet Antonii verba præbuerint ridendi anſam tum notario, tum adſtantibus, eventus tamen prædictionis probavit veritatem. Nam notarius comitatus Epiſcopum ſuum, ad Mahometanos properantem prædicandæ Chriſtianæ Religionis gratiâ, videnſq; præſulem veritates fidei propugnare non valentem, audacter locutus, Mahometi impietates increpavit, Chriſti doctrinam & divinitatem prædicavit, pro defenſanda Chriſtiana Religione Martyrum conſtanter toleravit: & Antonius ſapientiam à Filio acceptam tum prædictione futurorum, tum cognitione ſecretorum cordis manifeſtavit.

2. *Scimus etiam magia licere explorandis occultis, per catabolicos & paredros, & pithonicos ſpiritus.* *Catabolici* ſunt genii qui fanaticos proſternunt, & ad terram allidunt. *Paredri* verò ſunt dæmones qui perpetuò aliquos comitantur, qualem ab infantiâ Socrates habuiſſe creditur, & Simon Magus à tempore quo circulatoriæ ſectæ operam dedit. *Pitonici* ſunt pithones à dæmone correpti. Verum quamvis hujuſmodi inſpiratione dæmonum detegant occulta quæ ſenſu externo vel interno apparent, ſecreta tamen cordis non agnoſcunt. *Mediocritas humana facti ſolum judicat; quia voluntatis latebris par non eſt.* Cor humanum eſt ænigma hominibus inexplicabile, labyrinthus impermeabilis, abyſſus impenetrabilis. Jeremia namque Propheta teſte *cor hominis inſcrutabile, quis cognoſcet illud?* Quia ut belle fatur ad propoſitum Magnus Gregorius: *Sicut enim res ventura occultatur in futuro tempore: ſic præſens cogitatio abſconditur in latente corde.* DEUS qui ſupremus cordis eſt Dominus, cujus oculis nihil eſt occultum, ænigma illud valet explicare, labyrinthum permeare, abyſſum penetrare, cordis ſecreta propalare: ſiquidem *DEUS conſpector eſt cordis.* At Verbum divinum fecit quòd Antonium ſapientiæ ſuæ participem ad prævidenda futura, ita largitus eſt ei lumen ad dignoſcenda occulta hominibus, & penetranda cordis ſecreta, dæmonibus etiam abſcondita: divinâ illâ luce illuſtratus agnovit dæmonem ſub habitu hominis peregrini occultatum, ut mulierem quandam à prædicatione dimoveret nuntiantem illi abſentis filii capturam. Eâdem luce cognovit cujuſdam religioſi tentationem quâ violenter urgebatur abdicare ſtatum regularem, & redire ad mundum. Eâdem luce ſecreta cordis velut in ſpeculo conſpiciebat, ut patet ex hoc avaro mortuo cujus cor cum ſuo theſauro inventum eſt in theca abſconditum, ſicut aſſeveraverat Antonius, qui acceptam cœlitus ſapientiam in verbi DEI prædicatione demonſtravit.

Tert. l. de An. 28

Tert. l. de Pœn. 3.

Cap. 17

Hom. 1. in Ezech.

Tert. l. 2. de Cult. Fœm. 13

3. *Agnoſcimus per ſapientiam DEUM.* Antonius DEUM cognovit per fidem ſubmiſſe credens religionis myſteria; per rationem, ex creaturis viâ cauſalitatis captans Creatoris notitiam; per ſapientiam, quam ex

Tert. l. 2 adv. Marc. 22

ſacris quotidie mutuabatur paginis. Nam, ut ait Salonius Viennenſis: (Vir Eccleſiaſticus ſapiens & doctus, omnem laborem ſuum habet in ore ſuo, quia omnia quæ in Scripturis ſacris diſcit, quotidie meditatur, prædicat & docet, & anima illius non implebitur, quia non ſufficit ſibi quod diſcit, ſed magis ac magis ſemper diſcere cupit, ac ſtudet.) Verſellis Theologiæ operam dedit ſub famoſiſſimo Theologo, & licet (ſæcularibus litteris minus eſſet imbutus, animi tamen puritate & mentis ardore ſuccenſus, Theologiam captu mentis hauriens, cœlos penetrabat, omnem Phyſicam, myſticam Theologiam, captu mentis, & ferventer deſideravit, & abundanter hauſit.) Abundantem Antonii ſapientiam admiratus Gregorius IX. Pontifex Maximus, illum Arcam Teſtamenti, & armarium Scripturarum vocitare non dubitavit. Quo elogio Apoſtolum Paulum commendat D. Hieronymus: (Tam enim ſubtiliter facundo ore Scripturæ myſteria depromebat, ut Pontifex Maximus ſingulari quâdam prærogativa eum Arcam Teſtamenti, & armarium Scripturarum appellaret.) Sane Antonio probe convenit encomium quod Magnus Alexander Diogeni dedit: *O vas ſapientia refertum*, quam tibi abunde largitus eſt DEI Filius.

In H'ſtor. Seraph.

Abb. Vercell.

Sur.

Stobæ.

At quemadmodum verbum DEI extra effudit ſapientiam, ita Antonius ſapientiæ rivulos emiſit. Nam ut fatur Hiſt. Seraph. (fuit primus prælector in ordine, Bononiæ inſtitutus à Beatiſſimo Patre Franciſco, ut præeſſet ſuis in Theologicâ Facultate. In Ciſmontana enim Religione tunc temporis florebant ſtudia litteratũ, placuitq; Fratribus Antonium tanquã præ cæteris magis idoneũ, illic prælectorem conſtituere.) Ad quod munus obeundũ à Patriarcha Minorũ, tunc primo Generali Miniſtro accepit obedientiã à D. Antonino Florẽtino relatã: *Chariſſimo meo Fratri Antonio, Frater Franciſcus ſalutẽ in Chriſto. Placuit mihi quòd ſacram Theologiam legas Fratribus, dummodo propter hujusmodi ſtudiũ ſanctæ orationis ſpiritum non extinguas.* Antonius Franciſci obtemperans mãdato Theologiã docuit Montiſpeſſulani, Bononiæ, & Paduæ.

3 p. tit. 24 § 8

Verbum divinum cui appropriatur ſapientia, eò quòd ſit terminus intellectûs paterni, nuncupatur à Clemente Alexandrino, *Verbum linguatum*: vel quia ad intra cunctas Patris declarat perfectiones: vel quia carnem ſuſcepit, ut cœleſtem doctrinam terram doceret: vel quia in humanitate aſſumpta religionis veritates annunciavit hominibus: Antonius velut divini illius exemplaris perfecta imago, adhibuit linguam, & in prædicatione Evangelii abſconditos in corde divinæ ſapientiæ manifeſtavit theſauros: & ob hanc cauſam Bonaventura tempore tranſlationis corporis ſancti Antonii, linguã ejus oſculans, & lachrymas fundens devote veneratus eſt. Nam ut refertur in tranſlatione ejusdem Sancti, die 15. Februarii celebrata: (lingua ejus quæ per triginta duos annos ſub terra fuerat, ita integra, recens ac rubicunda reperta eſt, ut viventis hominis eſſe potius videretur quàm mortui; quàm devotus Generalis in manibus reverenter accipiens, irrigatus profluviis lachrymarum coram omnibus his verbis affatus eſt: *O lingua benedicta, quæ*

Die Tranſlat. S. Antonii lect. 6

ſemper

ſemper Dominum benedixiſti, & alios benedicere feciſti, nunc manifeſte apparet quanti meriti extitiſti apud DEUM. Duplici ratione Bonaventura linguam D. Antonii benedictam proclamat. Una, quia ſemper DEUM benedixit; altera, quia alios ad DEUM benedicendum induxit, Prædicatoris Apoſtolici officio fungens.

Antonius ſub humilitatis pallio occultans acceptam à cœlo ſapientiam, iter agens cum ſuo Guardiano, ad unum Conventum ſeſe recepit ad quem confluxerant pro accipiendis ſacris Ordinibus, plures Fratres tum Dominicani, tum Franciſcani. Miniſter loci illius Fratres Dominicanos rogat, ut ſitientibus verbum DEI proponant; qui cum ſe ad concionem habendam imparatos dixiſſent; Miniſter ad Antonium, cujus eruditio latebat, converſus, jubet ut apud Fratres dicat quidquid illi ſuggereret Spiritus ſanctus. Antonius ſuperioris humiliter obtemperans mandato: (tanto verborum ſplendore, tantâ myſticarum ſententiarum altitudine uſus eſt, ut omnes in admirationem adducerentur.) Re ad Generalem Miniſtrum delata, prædicatorem conſtituit Antonium, eique per meritum ſanctæ obedientiæ injungit, ut verbum DEI diſſeminet, quod mirum in modum executus eſt, eximii Concionatoris exercens miniſterium. Ad ejus conciones innumerabilis accedebat populus: ibi nullus ſe comprimentium clamor audiebatur, nulla cernebatur diſſolutio, riſus nullus, nullæ percipiebantur voces, infantinus vagitus nullus, quo vel parùm interpellarentur conciones. Tantâ virtute & efficaciâ concionabatur, quod inimici reconciliabantur, inveterata odia ceſſabant, injuſti alienorum detentores male parta reſtituebant, meretrices caſtitatem amplexabantur, guloſi ſobrietatem, ſuperbi humilitatem, avari liberalitatem, tot peccatores cujusvis generis, ſtatûs, & ſexûs convertebantur, quod magnus Confeſſariorum numerus ad confeſſiones audiendas erat inſufficiens. Sedul. in hiſt. Seraph.

Ex D. Auguſtino *Doctor debet eſſe defenſor fidei, & debellator erroris.* Hæc duo præſtitit Antonius: Nam ad defenſandam fidem, & ſuos auditores ad bona opera inducendos, adhibuit validas rationes, ex Philoſophia & Theologia deſumptas, ponderoſas Scripturæ ſacræ & Patrum authoritates, exemplaria virtutum exempla. Nam ut docet Magn. Grego. *cujus vita deſpicitur, reſtat, ut ejus prædicatio contemnatur.* Ad debellandum errorem maxime hæreticorum, rationibus, auctoritatibus, & virtutum exemplis adjunxit miracula, ut facilius de illorum pertinacitate triumpharet; quomodo Bonovillum expugnavit. Arimini namq; concionem habens, ubi temporis maxime vigebat hæreſis, magnam hæreticorum partem adduxit ad fidem, præſertim Bonovillum quemdam nomine præcipuum, qui pollicitus eſt ſe fieri Catholicum ſi mulus Euchariſtiam veneraretur; mulo autem ante corpus Chriſti genuflexo hæreſim abdicavit, veritatem amplexus eſt, & in fide ad finem usque perſeveravit. Ob victorias quas Antonius de hæreticis reportavit, nuncupatus eſt à Gregorio IX. *malleus hæreticorum*, quos proſtra-

Ep. ad Bulcitium qu. 4

Hom. 12. in Evang.

ſtravit virtute ſapientiæ quam largitus eſt ei divinum Verbum, non ſecus ac Catholicos bonis cumulavit, ob bonitatem à Spiritu ſancto mutuatam.

III PARS. *Bonum DEUM norimus.* Niſi enim eſſet bonus non eſſet omnimode perfectus, ſi non eſſet omnimode perfectus, non eſſet DEUS: illi enim aliquid deeſſet, *ita bonus, dum DEUS*, & licet divina bonitas ſit eſſentialis & communis tribus perſonis, quia tamen ad voluntatem pertinet, ſpecialiter appropriatur Spiritui ſancto qui producitur per voluntatem fœcundam Patris & Filii, quique Antonio utpote divinæ bonitatis participi; trinam largitus eſt bonitatem naturalem ſeu bonam indolem, ſapientiam moralem, ſanctitatem redolens; beneficam, liberalitatem importantem. Bonitas naturalis Antonium reddit cunctis gratioſum & amabilem; moralis, Chriſto gratum & acceptabilem; benefica, invocantibus munificum & liberalem. Itaque trinâ bonitate commendatur: 1. naturali, ſeu bonæ indolis comitate; 2. morali, ſeu ſanctitate: 3. benefica, ſeu liberalitate.

Tert. l. de Rel. Car. 9 Tert. l. adv Herm. 11

Tert. l. de An. 20 1. *DEUS producit ingenia*, ſeu indolis bonitatem. Licet enim cuncti homines ſint ejuſdem eſſentiæ & ſpeciei, non tamen ſunt ejuſdem temperamenti, neque eandem habent indolem. Bona indoles à bonitate Spiritus ſancti procedit, qui eſt *mitiſſimus & manſuetiſſimus, qui non turbine glomeratur, nec nubilo livet, ſed teneræ ſerenitatis, apertus, ſimplex.* Mitiſſimi illius & manſuetiſſimi ſpiritus particeps Antonius ſeſe omnibus amabilem & gratioſum reddidit. *Placere aliquibus eſt poſſibile, placere multis difficile, placere omnibus impoſſibile.* At pace moralis Philoſophi Antonius gratioſus extitit cunctis hominibus, qui eum viderunt. Titus Imperator adeò fuit amabilis Romano populo, ut *deliciæ populi Romani* fuerit nuncupatus: at Antonius non ſolum Romæ, ſed Italiæ totius, imò & Galliæ, & Hiſpaniæ vocitari poteſt deliciæ. Teſte Lucretio, Cato ſenior tantâ erat urbanitate præditus, ut velut magnes omnium ad ſe traheret corda; ita ut *ſuum magis quàm alienum mallent eſſe civem.* Et mira Antonii comitas illum ita reddebat gratioſum, ut eum quivis populus ſibi arrogare conaretur, urbes, provinciæ, regna, quâdam æmulatione Antonium ſibi vindicare volebant, Hiſpania ſuum eſſe dicebat, eò quòd Ulyſſipone fuiſſet natus; Gallia, ad ſe pertinere aſſeverabat, eò quòd apud illam longo tempore fuiſſet diverſatus, Evangelium concionatus, multaque miracula operatus; Italia de tanto bono gloriabatur, eò quòd intrà ſuos limites eſſet mortuus, & illius adhuc poſſideret reliquias. Hujuſmodi æmulatio quæ vivente adhuc Antonio ſumpſit exordium, poſt ipſius mortem religioſe perſeverat. Nulla eſt provincia, in quâ non videantur altaria nomine Antonii conſecrata; nullus populus qui Antonium aliquo non proſequatur honore; urbs nulla quæ eum non veneretur; nullus Chriſtianus Catholicus qui non ſit addictus Antonio, quem bonitas naturalis ſeu bona indoles reddidit hominibus gratioſum & amabilem; & bonitas moralis ſeu ſanctitas præſtuit DEO gratum & acceptabilem.

Tert. l. de Pat. 15

Senec.

2. Spi-

2. Spiritus ſanctus eſſentialiter, perſonaliter & efficienter ſanctus eſt: Eſſentialiter, quia *ſanctitas, propria eſt natura ejus.* Perſonaliter, tanquàm *genitoris genitique ſanctitas ſpiritusque*: Efficienter, quia *habet vim ſanctificandi.* Antonius tantam à Spiritu ſancto mutuatus eſt ſanctitatem, ut per totam Italiã Sanctus duntaxat nominaretur. Unde ſicut intelligitur Ariſtoteles per Philoſophum; Cicero per Oratorem; Paulus per Apoſtolum; Deipara per Virginem, ita per Sanctum in Italia audiebat Antonius, *celebratiſſimus ſanctitate.* Neque duntaxat tempore vitæ, ſed etiam poſt mortem hoc titulo honoratus fuit. Mox enim ut efflavit animam, quantumvis Conventûs Guardianus Antonii interitum occultare conatus ſit, pueri per Paduæ plateas altâ voce clamare cœperunt; *Mortuus eſt Sanctus*, & ſicut moriente Domino terra mota eſt, petræ ſciſſæ ſunt, aperta monumenta, ſol obſcuratus, in teſtimonium divinitatis Chriſti; Ita Antonio defuncto ad teſtandam ejus ſanctitatem, Ulyſſipone novo & ſtupendo miraculo campanæ ſeipſis pulſatæ ſunt. Tert. l. de Mon. 3 D. Ambr. in Symb. Apoſt. 1 Tert. l. de Bapt. 4 D. Chryſo lo. Ser 117

Sanctitas ultrà gratiam juſtificantem quæ hominem efficit DEO gratum & acceptabilem, importat virtutes Morales, Cardinales, & Theologales. In Antonio ſpectari poteſt *collegium ſanctitatis*: nimirum collegium virtutum, quæ gratiam ſanctificantem comitantur. Quales fuêre oratio fervida, humilitas profunda, abſtinentia rigida, patientia moderata, & charitas ſufflammata. Oratio ejus fuit fervida, cui ut liberius vacaret, & Deitatis myſteria attentius meditaretur, in montem ſancti Pauli nuncupatum ſe recepit. Adeò profunda fuit ejus humilitas, ut vilioribus Conventus officiis occuparetur, & ſupernè acceptam ſapientiam ſub idiotæ & indocti facie occultaret. In ſolitudine adeò fuit abſtemius, ut ad Fratres horâ refectionis rediens, præ nimiâ imbecillitate, greſſu nutante ſeipſum ſuſtentare non poſſet. Tantâ patientiâ fuit præditus, ut ægrotans, & doloribus oppreſſus, nullum unquam ex ejus ore planctus & querelæ verbum auditum ſit: Tandem ardorem charitatis quâ æſtuabat ferre non valens, in Africam iter agere decrevit, ut pro defenſione fidei toleraret mortem; at DEO aliter diſponente martyr deſiderio extitit, quia non voluntas martyrio, ſed voluntati martyrium defuit: Tædioſum foret cæteras Antonii recenſere virtutes, quæ collegium ſanctitatis componunt. Sed nihil ita Antonii demonſtrat ſanctitatem ac viſitationes JESU ſub puerili forma crebro apparentis. Abrahamum nuncupat Tertull. *divinæ familiaritatis virum*, quia cum eo locutus eſt Angelus divinam majeſtatem repræſentans. Quantum à fortiori Antonius eſt divinæ familiaritatis vir, cui frequenter apparebat non Angelus, ſed ipſemet JESUS, eumq; viſitationibus, amplexibus & oſculis dignabatur, totque favoribus ſanctitatem incrementabat; Nam ſi roſæ oleo infuſæ ſuum ei odorem & colorem largiuntur; ſi ignis penetrans ferrum impertitur ei igniendi virtutem; ſi lignum crucis ex contactu corporis & ſanguinis Domini ſanctificatum eſt, quam quæſo ſanctitatem mutuatus eſt Antonius ex tot Jesu viſitationibus, contactibus, amplexibus & oſculis? Chryſol. Serm. 146 Lib de An. 18

Sciſcitatur Doctor Angelicus, cur in bullis ſummorum Pontificum effigies Pauli ponitur ad dexteram, imago verò Petri ad ſiniſtram: Locus dexter cum ſit nobilior potiori jure debitus videtur Petro, utpotè ſuperiori, capiti viſibili Eccleſiæ, & in terris Chriſti vicario. Hoc dubium acutè reſolvit

In Epiſt. adGalat. D. Thomas reſpondens: *Petrus quidem qui electus fuit à Chriſto ad Apoſtolatum adhuc in carne paſſibili poſito, ponitur ad ſiniſtram: Paulus verò qui (aſſumpto jam glorioſo) ponitur ad dexteram.* Utrumque Apoſtolum vocavit Chriſtus, Petrum, ut eſſet Eccleſiæ viſibile caput; Paulum, ut eſſet Doctor Gentium. Quando elegit Petrum, erat adhuc paſſibilis & mortalis; quando

D.Aug. vocavit Paulum, erat jamdiu impaſſibilis, immortalis & glorioſus: *Noviſſimus Apoſtolus Paulus vocatur per Chriſtum, jam totum DEUM, id eſt ex omni parte immortalem.* Status Chriſti immortalis & glorioſi, eſt nobilior ſtatu ejuſdem paſſibilis & mortalis, & ob hanc cauſam Paulus ponitur ad dexteram, quæ eſt nobilior ſiniſtrâ; quia ſtatus Chriſti à quo vocatus eſt, eſt nobilior ſtatu Chriſti à quo electus eſt Petrus. Plures fuerunt homines juſtitiâ & pietate commendati, quos ſuâ Chriſtus præſentiâ honorare dignatus eſt. Illum ſenex Simeon habuit in ulnis ſuis; Joſeph ſæpeſæpius detulit, & oſculatus eſt, verum Chriſto adhuc paſſibili & mortali præſtiterunt hujusmodi teneritudinis officia. At Antonium Chriſtus imortalis & glorioſus amplexatus & oſculatus eſt. DEI Filius nuncupatur à S. Zenone Veronenſi, *cor-*

Serm. de æter. gen. Filii. *dis Patris nobilis inquilinus*; & puerulus JESUS gloriâ & imortalitate fulgidus eſt ſinus Antonii nobilis inquilinus: DEI Filius in ſinu Patris producit cum Patre Spiritum ſanctum, & in ſinu quoque Antonii exiſtens producit Spiritum S. à quo Antonius accipit bonitatem beneficam, ſeu liberalitatem.

3. DEI beneficentiam anima rationalis naturaliter agnoſcit; quam ſic

L.deTeſt. An.c. 2 alloquuntur Chriſtiani apud Tertullianum: *De natura quoque DEI nec te latet, DEUS bonus, DEUS benefacit, tua vox eſt.* Beneficentia autem DEI ad Spiri-

Tert l. de Pat. 12 tum ſanctum ſpecialiter appropriatur: Tum quia amor *offert ſua, dum alteri proſit.* Spiritus ſanctus proprio charactere eſt amor perſonalis: Tum quia eſt primum donum, à quo omnia dona dimanant: unde qui Spiritum ſan-

Tert. l. de Pœn. 5 ctum, *negat beneficum,* DEI *beneficium non honorat*: Tum quia cum per voluntatem producatur, & ex amore bonitatis eſſentialis divinitatis, ad eum

Tert. l. de Pat. 2 pertinet boni ad extra largitio. *Nam quod maxime bonum, id maxime penes DEUM; nec alius id, quam qui poſſidet diſpenſat, ut cuiq; dignatur.* Spiritus ſanctus non ſolum bona abunde Antonio largitus eſt: ſed adhuc eum

Tert l de Reſ:Carn: 9 *liberalitatis ſuæ heredem,* fecit beneficæ bonitatis participem, & munificentiæ divinæ velut diſpenſatorem. Quam munificus fuerit Antonius adhuc vivens, ſatis ſuperque ex ejus miraculis demonſtratum eſt. Nec minus poſt mortem beneficus extitit: ut multa etiam teſtantur prodigia.

Eodem

Eodem namque die quo tumulatus eſt, ait Sedulius, (cœperunt miraculorum coruſcare ſigna, ita ut quovis affecti morbo ad contactum tumbæ viri DEI mox revaleſcerent, qui verò præ turba propius accedere non poterant, coràm omnibus etiam in plateas ſani evaderent : ibi revera oculi cæcorum aperiebantur, aures ſurdorum patebant, claudus ſicut cervus ſaliebat, ibi ſolutæ ſunt mutorum linguæ, velociter & plane laudes promebant, deniq; omne genus ægritudinum depellebat, & optata divinitus beneficia impetrabantur.) Quanta poſt Antonii obitum patrata fuerint miracula, in ejus Officio decantat Eccleſia : *Si quaris miracula, mors, error, calamitas, damon, lepra fugiunt, agri ſurgunt ſani, cedunt mare, vincula, membra, resq; perditas petunt & accipiunt juvenes & cani; pereunt pericula, ceſſat & neceſſitas; narrent hi qui ſentiunt, dicant Paduani.* Tot patrata miracula induxerunt Gregorium IX. ſummum Pontificem, ut eum in catalogo Sanctorum adſcribendum duxerit, quod executus eſt anno obitus vix elapſo : renuente etiam nonnullo Cardinale, qui cœlitus admonitus, canonizationi ſeſe non amplius oppoſuit, ſed ut potuit quantocius acceleravit ; revoluto autem anni circulo pro anniverſario defunctorum, feſtum ejus cum maximâ ſolemnitate celebratum eſt. In Hiſtor Seraph. c. 28

Uti miracula cum vita Antonii non receperunt finem ; ita nec beneficentia, ad ejus tumulum reſtricta & limitata eſt. Etenim bonitas ejus benefica ſeſe ad omnem locum extendit, & ad omnes qui devote ejus implorant auxilium : quare meritò Robertus Licius Sanctum alloquitur : (Sileat tuas laudes, ò beate Antoni, qui te devote invocatum in neceſſitatibus ſuis, ſibi meminerit defuiſſe.) Præſertim in omiſſis rebus recuperandis. Quod ſi per merita Antoniii res perditæ quæ fortunam duntaxat reſpiciunt, recuperantur, quantum à fortiori recuperabuntur ejus interceſſione quæ ad ſalutem pertinent ? Interceſſorem igitur imploremus Antonium pro recuperandâ DEI amicitiâ, pro acquirendâ gratiâ, & comparandâ gloriâ. In ejus Ser

CONCIO QUINTA.

P*Rædicatorem annuntiatum Chriſtum* ſacræ teſtantur paginæ. Bernardinum quoq; prædicatorem ominatum, ex ejus vitâ ediſcimus, à teneris namq; annis libenter concionatores audiebat ; eorum conciones referebat, voces, actiones & pronuntiationes imitabatur; & in alto aliquo loco exiſtens, adſtantibus circà ſe pueris concionabatur: cumq; die quâ Senis S. Onuphrii celebrabatur feſtū, tantâ undiq; accurriſſet populi multitudo, ut plures Eccleſiā ingredi nequiverint ; Bernardinus, zelo ſalutis animarum, & amore DEI ſucceníus, pulpitū aſcendens, tantâ audaciâ, ſcientiâ, devotione, & venuſtate con- Ter I. adv Jud. 9

concionem habuit, ut audientes ejus admirantes ſermones, DEUM laudaverint; & licet nonnulli Bernardinum de ſtultitiâ culpaverint; miros tamen concionis conſpiciẽtes effectus; ſeſe de judicio temerario increpantes agnoverunt his lineamentis auſpicari quàm *Prædicator egregius* futurus eſſet Bernardinus, omnia ad perfectum concionatorem requiſita excellenter poſſidens. Tria potiſſimum egregium præſtant Prædicatorem, nimirum zelus ſalutis animarum, ſapientiæ ſtudium; & virtutis exemplum. Hæc tria in Bernardino Senenſi micantius coruſcant; qui fuit 1. zelo ſufflamatus: 2. ſapientia illuſtratus: 3. Virtutibus exornatus.

D. Bern. Serm. 91 de Diverſ:

I. PARS.

Bernardinus zelo ſufflammatus concionans *nomine dilectionis operatur*; ideoque zelus nuncupatur à D. Ambroſio *charitas*; quia ſcilicet à charitate procedit. Ut enim docet D. Auguſtinus, *Zelus bonus eſt de amore veniens.* Subjungit autem Mediolanenſis Antiſtes: *Qui non zelat, non amat.* Inde colligendum eſt, qui zelat amat; zelus enim quo æſtuat, ab amore quo ſufflammatur dimanat. Quod innuit Dionyſius Areopagita zelum nuncupans *amatorium quemdam impetum.* Amatorium quidem, quia ex amore naſcitur; impetum verò, quia non lente, non ſegniter, ſed ſummâ vi, ſūmâ celeritate, & ſummo impetu, fertur; Quantâ charitate ſufflammatus fuerit Bernardinus, conſtat ex ejus zelo, & amatorio impetu, quo ferebatur, ad 1. nominis Jesu devotionem: 2. Deiparæ venerationem: 3. Salutis animarum procurationem.

Tert. l. 1 adv. marc. 23

In Pſ. 118 Serm: 3 in Pſal. 118

De Divin. Nom. 4

1. Gabriel à DEO ad Mariam miſſus Virgini Deiparæ Jesu nomen primus annuntiat. Conveniens etenim erat, ut Angelus *prior Chriſtum & in homines annuntiaret, & JESUM transnominaret.* Quàm admirabile, honorabile, & amabile, ſit ſacroſanctum Jesu nomen, fuſe aliorſum declaratum eſt; nunc ſuperaddendum eſt devotionem divini illius Nominis multum à Franciſcanis fuiſſe incrementatam: præſertim zelo Bernardini Senenſis, qui *alter Paulus*, vocitatur à Roberto Licio, non quod ad inſtar Sauli Eccleſiæ fuerit perſecutor, ſed eò quòd Pauli extiterit imitator: 1. Paulus ardentiſſimus fuit nominis Jesu amator: Bernardinus quoque Senenſis dulciſſimi nominis Jesu amore flagrabat, quod denotat Eccleſia, hanc orationem in ejus feſto apponens: *Domine JESU Chriſte, qui B. Bernardino Confeſſori tuo eximium ſancti Nominis tui amorem tribuiſti.* 2. Paulus Jesu nomen portavit coràm Regibus, Gentibus, & filiis Iſrael: Bernardinus etiam Nominis Jesu præco ſingularis ejus venerationem cunctis ingenerare conabatur. Quod ut melius exequeretur. (Solebat ſub finem concionum ſuarum tabellam ſpectandam proponere, idque imprimis religioſe ac pie, in quâ pictum erat dulciſſimum nomen JESU literis aureis ſolis radiis undique cinctum; porrò populus id ſacratiſſimum Nomen flexis genibus devotiſſime adorabat.) Idipſum aſſeverat Surius; (Bernardinus circino circulo expreſſit, in eoque ſolem pinxit, & in medio ſolis ſacro-ſanctum Nomen Jesu, cujus ita ut par erat præcipuus fuit venerator & cultor.) 3. Paulus

Tert. li. 4 adv: Marc 38

Tert. Præ. tom: 5 tra. de Nom: Conc. 2 Serm. S. Bernardin

Sedul hiſt: Seraph. c. 30

Die 20. Maji

pro

pro Nomine JESU multa eſt paſſus: Bernardinus ſimiliter, pro eodem nomine varias toleravit perſecutiones. Cœleſti namque zelo ſuccenſus, cupiens impedire juramenta queis peccatores ore polluto illud irreverenter depretiabant, in ſuis concionibus ſacratiſſimum JESU nomen devotè proferebat, & ut audientes illud venerarentur, depictum in tabulâ radiis aureis circumdatum oſtendebat. Inde anſam ſumpſit Manfredus Vercellenſis conviciandi Bernardinum velut hæreticum, & hoc vindictæ causâ, eò quòd ipſius errores tum verbis, tum ſcriptis viriliter confutârat. Manfredus ergò ut de Bernardino vindictam ſumeret, cum ſuis ſectatoribus mendaciter & calumnioſe eum accuſat de hæreſi apud Martinum V. ſeu potius Eugenium IV. Acceſſitus à ſummo Pontifice Bernardinus, à Viterbio Romam ſe tranſtulit: ubi cognitâ accuſantium nequitiâ, & recognitâ Bernardini innocentiâ, Pontifex Maximus (copioſiſſimam illi impertiit benedictionem, amplamque fecit copiam libere circumquaque prædicandi Verbum DEI dulciſſimumque Nomen JESU populis oſtentandi.) Addit Surius ſtupendo miraculo accuſantium comprobatam fuiſſe malitiam: Nam *poſtera die Bernardino concionante, ut ſuperioris concionis veritas miraculo indicaretur, Nomen JESV in ejuſmodi forma qualem eum pinxiſſe diximus, ſupra eum apparuit.* Subjungit Vuadingus: (Ut verò in urbe publice Bernardini appareret innocentia, ubi gravis præceſſerat ignominia, juſſit Pontifex ut in honorem ſacratiſſimi Nominis publica totius Cleri fieret ſupplicatio, erecto vexillo, depictis hujus vocis characteribus. Ex quo tempore templorum foribus, domorum frontibus, & poſtibus cœpit affigi, crevitque ubique ergà ſanctiſſimum Nomen veneratio.) Ex his conſtat quàm meritò ſolemnitas Nominis JESU propria ſit Franciſcanorum, qui eam celebrant die 14. menſis Januarii ſub officio duplici ſecundæ claſſis, ut habetur in rubricis Breviarii Franciſcani. (SS. Dominus noſter Clemens VIII. approbavit officium novum ſanctiſſimi Nominis JESU, quod denuò poſitum eſt inter officia noſtri Ordinis, & conceſſit illud tam pro Fratribus, quàm pro Sororibus totius noſtri Ordinis, & pro die 14. Januarii in quâ celebratur prædictum feſtum, conceſſit indulgentias & remiſſiones peccatorum, quæ concedi ſolent Chriſti fidelibus ſacris Officiis intereſſentibus in feſto Corporis Chriſti, & per illius octavam.) Libuit totam tranſcribere rubricam ex quâ evidenter apparet celebritatem Nominis JESU ad Fratres Minores potiſſimum pertinere, & devotionem ſacratiſſimi illius Nominis fuiſſe à Bernardino ingeneratam; qui Deiparæ devotiſſimus fuit, ejus zelans venerationem.

Vuading. anno 1426

Vuading

2. *Siquidem in Filio, & Mater recognoſcitur.* Ex dignitate Filii Mariæ, recognoſcitur Matris dignitas; quæ quo dignior exiſtit, eò majori veneratione eſt digna: Alibi ſum tractavimus; tum de Deiparæ excellentiâ: tum de veneratione ei debitâ quam exhibent fideles; præſertim Franciſcani, qui pro immaculatâ ejus Conceptione validiſſime decertârunt. Uti autem Bernardinus devotionem Nominis JESU acerrime pro- pugna-

Tert. I. de Orat. 2

Tert. Prædic. tom. 4 tract. de Marianis Feſtivitat.

Tom. 3. Tract. de Nom. Con 3

pugnavit, & pro ea multa pertulit; ita Sub illis Doctor Scotus, immaculatam Mariæ Conceptionem fortiſſime propugnavit; & pro ea multis convitiis inſecutus fuit. Quam adhuc noſter Bernardinus fortiter tutatus eſt pro veneratione quâ toto vitæ curriculo erga Deiparam fuit affectus: Ejuſmodi cultus à teneris Bernardini annis ſumpſit exordium: unde converſans quâdam vice cum conſobrina nomine Tobia, materteræ Dianæ filia quam ſæpeſæpius inviſebat, & à quâ ſapientiæ & virtutis recipiebat monita dixit ei: ſe pulchræ Virginis detineri amore, quam adeò deperibat, ut non poſſet vel uno die ejus viſu fruſtrari, absque vitæ diſpendio. His ſermonibus attonita Tobia, ſuſpicata eſt Bernardinum puellæ cujusdam venuſtate captum, etſi modeſta juvenis gravitas contrarium ſuadere videretur. Verum ut hujus rei veritatem comprobaret, Bernardinum diligenter obſervans, & quo progrediebatur ſollicite conſiderans, conſpicit illum ſingulis diebus properantem ad portam Camoliam, Florentiam verſus reſpicientem, ubi erat perpulchra Mariæ Virginis imago, ante quam flexis & nudatis ad terram genibus longo tempore vacabat orationi. Sic agnovit Tobia quænam eſſet illa virgo cujus amore æſtuabat Bernardinus, ut ipſemet conſobrinæ interroganti & ſciſcitanti, ingenue confeſſus eſt. (Captus quippe ſum de B. Virgine DEI Genitrice Maria, quam ſemper dilexi, quam videre toto cordis affectu ejus amoris flammâ ſuccenſus, totis viſceribus concupiſco, ſponſamque caſtiſſimam deſponſavi, in quâ omnis mea ſpes ſtabilita eſt, & firmata, illam ſumme diligo, illam ſemper vellem reverentiâ debitâ intueri.) Hæc Virginis dilectio & veneratio crevit cum ætate in caſtis Bernardini viſceribus, ut teſtatur Joannes Capiſtranus. (Crevit quotidie in ſancti Bernardini tenello ſanctoque pectore, erga Virginem benedictam fervens & ignita devotio; ut cum in feſtivitatibus ejusdem B. Virginis ſermocinaretur ad populos, & laudes explicaret Virginis gratioſæ, tantò accendebatur fervore, quod facies ejus tanquàm alterius Seraphim ſolari videbatur irradiari fulgore, prout ego ipſe, qui hæc dico, propriis oculis aſpexi.) Cumque Aquilæ laudes Virginis deprædicaret, ipſique Joannis viſionem aptaret: *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim*: viſa fuit ſtella fulgens ſuper caput ejus. Tandem Bernardinus extitit ſemper Deiparæ cultor; antequàm ſuſciperet Seraphici Franciſci habitum ſingulis Sabbatis, in honorem Virginis jejunabat; religioſus factus, & magnus præco habitus, diebus Mariæ feſtivis, ejus laudes, magno animi gaudio & fervore prædicabat: Die autem Nativitatis Virginis conſecrata, de cathedra alta voce dixit: *Hac die natus ſum, hac die Seraphicam ingreſſus ſum Religionem; hac die ſolemne profeſſionis emiſi votum; hac die primam decantavi Miſſam; hac die primo Concionem ad populum habui; hac die meritis & interceſſionibus Deiparæ ſpero cœli beatitudinem*; his verbis denotans Bernardinus, ardentem

Apocal. 12

tem

tem zelum, quo Mariam venerabatur; æſtuans adhuc deſiderio ſalutis animarum quam totis viribus procurare nitebatur.

3. *Dilectio nec ſua requirit, ſi offert ſua, dum alteri proſit.* Sacro dilectionis ardore accenſus Bernardinus ſua obtulit, facultates ſuas vendidit, argentum ex eis mutuatum pauperibus dedit; mundum deſerens, habitumque Minorum ſuſcipiens divino cultui ſeſe conſecravit; & quia à Magno Gregorio didicerat: *In quantum vos profeciſſe putatis, etiam vobiſcum alios trahite; In via Domini ſocios habere deſiderate; & ſi ad DEUM tenditis, curate ne ad eum ſoli veniatis.* Bernardinus DEO in religione ſerviens, non ſolus extitit, ſed multos ſecum adduxit, ejus namque exemplo & conſilio (condebantur Xenodochia, pluresque viri & fœminæ, contempto mundo & fallaciis ejus, abjectisque non parvis facultatibus ſuis, crucem pœnitentiæ complectebantur in paupertate, & diverſis monaſticis inſtitutis Domino ſervientes.) Belle Bernardinus nuncupatur à Marulo, *Ordinis Minorum ſecunda gloria*; & ut fatur Marulus: *Franciſci Aſſiſiatis abſtinentiæ & laboris non minus æmulus, quàm profeſſionis cultor.* Addit Sixtus Senenſis: *Labentis religionis ſuæ inſtaurator, & auctor obſervantiſſimæ congregationis*: quia obſervantiæ Vicarius Generalis inſtitutus, religionem reformavit, Fratrum numerum incrementavit, monaſteria ædificare curavit. Ut enim ſubjungit Vincentius: (Multa nova inſtruebantur monaſteria, collapſa inſtaurabantur; tam intus, quàm foris. Quis verò certum poſſit inire numerum, partim nobilium & præclarorum adoleſcentium, partim maturâ ætate, & barbarorum virorum qui ſe in monaſteria receperunt, vitam ſectaturi religioſam, ut DEO fideliorem poſſent exhibere famulatum?) Tempore quo Bernardinus ingreſſus eſt Ordinem Seraphicum, in Italiâ inveniebantur duntaxat viginti Obſervantiæ monaſteria, & centum & viginti religioſi; in ejus verò morte numerabantur ducenta triginta monaſteria cum quatuor millibus Fratrum. (Quod ſi verò ea quoque commemorare velim monaſteria, quæ Reges, Principes, & alii potentes viri, toto orbe, pro Fratribus obſervantiſſimis ædificanda curarunt, in quibus erat copioſiſſimus Fratrum numerus, rem aggreſſurus ſum quæ vires meas longe ſuperat.) *Eſt & magni ac ſingularis meriti, non ſolum ipſum labe non pollui, ſed providere etiam ne unquam alii polluantur. Procurator enim eſt quodammodo ſalutis humanæ, qui non tantum id agit, ut ipſe bonus ſit, ſed efficere hoc nititur, ut alii mali eſſe deſiſtant.* (Bernardinus natione Etruſcus, patria Senenſis, Ordinis Minorum, vitæ ſanctitate, & miraculorum gloriâ clarus,) omni ſtudio homines à vitiis dimovere, & ad virtutes adducere curavit. Ob hanc cauſam tertium Ordinem ſancti Franciſci jam tabeſcentem, ad perfectum reſtituit, ut Chriſto animas lucraretur, juxtà iſtud effatum D. Auguſtini: *Nolite quieſcere lucrari Chriſto, qui lucrati eſtis à Chriſto.* Bernardinus à Chriſto lucratus, plures Chriſto lucratus eſt animas. *Eſt quæſtus plane non modicus, ubi lucrum non pecuniarum, ſed acquiritur animarum. Eſt magna negotiatio, ubi hominis conſtat redemptio.*

Ter. l. de Pat. 12 — Hom. 6. in Matth. — Vincent. — Lib. 1. Dictorum Factorumq; c. 2 — Vincent. — Salv. l. 7. de Gubernat. — Sixt. Sen. — Tract. 10 in Joann. — S. Max. hom. ult. in Iſa.

Gen 14 Devictis quinque Regibus ac ſpoliatis Sodomis, Loth cum pleriſq; aliis captivus à quatuor victoribus Regibus ducebatur: quod audiens Abraham victores audacter eſt perſecutus, & captivos omnes, & ſpolia reduxit; cui obviam veniens rex Sodomorum dixit: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Cum Eugenius IV Bernardino obtuliſſet Epiſcopatum Senenſem, Urbinatenſem, Ferrarienſem, ejusque capiti ſummus Pontifex mitram propriâ manu impoſuiſſet, Bernardinus mitram de capite deponens, reddidit Papæ humiliter dicens; Da mihi animas, cætera omnia, prælaturas, dignitates, infulas, ſceptra, coronas, imperia, imò & mundum omnem tolle tibi. Nam

D. Hieron. *quod majus lucrum eſſe poteſt, aut quid pretioſius, quam ſi humanam animam quis lucretur?* quæ empta & redempta eſt non Crœſi theſauris, non Perſarum divitiis, non Oceani gemmis, non auri & argenti cumulis: hæc enim omnia corruptibilia ſunt, at corruptibilibus emi non poteſt incorruptibilis animus,

1. Petr. 1 *ſed pretioſo ſanguine quaſi Agni immaculati & incontaminati Chriſti?* Quid pretioſius ipſo Chriſti ſanguine; quid animâ pretioſius, cujus pretium eſt Chriſti ſanguis? Quod ſi ex Tertulliano, *nihil tam dignum DEO, quam ſalus hominis;* quid tam pretioſum homini quam animarum procurare ſalutem? D.

L. 2. adv. Marc. 27

In Pſal. 9 Auguſtinus Chriſti attente miracula conſiderans, aſſeverat *mirabilius fuiſſe reſurrexiſſe in anima perſecutorem Paulum, quàm in corpore mortuum Lazarum.*

L. 3. Dial. 37 Hujus rationem accipe à Magno Gregorio: *Conſtat majus eſſe miraculum, prædicationis verbo peccatorem convertere, quàm carne mortuum reſuſcitare. In iſto enim reſuſcitatur caro iterum moritura, in illo verò anima ſine fine victura.* Bernardinus plura edidit tum in vitâ, tum poſt mortem miracula: at majus ejus miraculum fuerunt prædicationis verbo tot lucratæ animæ.

Apud Calam. tom. 4. Serm. de S. Bernardin.

Quàm eximius Verbi DEI prædicator extiterit Bernardinus, uno ore omnes decantant Auctores. Ab Auguſtino etenim Dacho Hiſtorico *præco veritatis inſignis* prædicatur: à Silvio *quaſi alter Paulus* exiſtimatur: à Sabellio vocitatur Demoſthenes Chriſtianus, *vir ſanctitate inſigni, Evangelicaque doctrina Orator.* Cui ait Marulus, (dederat Dominus vocem evangelizandi, dederat vocem virtutis. Erant enim verba illius intima cordis penetrantia, ad ſpiritûs diviſionem usque pertingentia.) Adeò efficax erat in loquendo, præco mirificus, Spiritûs ſancti unctione perunctus, ut ejus verba obſtinata auditorum emollirent corda: Platea illi pro Eccleſiâ erat, tanta aderat

Moral. audientium multitudo, qui (tanquam alterum Apoſtolum à DEO miſſum ſtupore percuſſi, quaſi immobiles mirabantur.)

Quantus fuerit concionum Bernardini fructus, à Joanne Capiſtrano audiamus. 1. (Vidiſſes namque plures, ſicut propriis aſpectibus vidi, antiquatas inimicitias per annos innumeros adeò deletas & extinctas, atque ad veram & Catholicam reconciliationem, & pacem, Chriſtianâ tranquillitate redactas, ut non per hominem ſed per Angelum cœlo demiſſum fieri talia judicares.) Factiones quippe Guelphorum & Gibellino-

linorum quæ tamdiu Italiam devaſtarant, Bernardinus penitus extinxit. 2. (Res omnes præter jus faſque acquiſitæ reſtituebantur.) 3. Frequentationem Sacramentorum inſtituit. (Hinc fiebat ut ſua peccata jam multa contritione confiterentur, & reverenter perciperent ſacroſanctâ Euchariſtiam, qui multo tempore nunquam ad ſacram comunionem acceſſiſſent.) 4. Mulieres à fuco & luxu veſtium abſtinebant. (Ponere torques, & catenas aureas abjicere, ſpecula & unguenta negligere, & capillorum compoſitionem, reſpuere ornamenta quibus antea ceu laſcivæ & impudicæ mulieres perniciofiſſime in ſui damnationem abuſæ fuerant.) 5. Infeliciſſimæ libidinum publicarum victimæ, averſato meretricio quæſtu, caſtimoniam amplexabantur. (Fœminas in lupanaribus flagitioſe viventes ad pœnitentiam ſuis ſermonibus permovit, quibus ad contrahenda matrimonia ex communi ærario dotes liberaliter tribuebantur. Uſurarii, piratæ, & latrones ad meliorem frugem ſe recipientes agebant pœnitentiam, reſtituebantque male parta, quorum ſumma nonnunquam excedebat mille aureos ducatos.) 6. Homines ludo dediti, teſſeras chartasque luſorias in ignem projiciebant. (Inſtrumenta omnium ludorum vetitorum, tabulas luſorias, taxillos, larvas, & alias mundi vanitates maximo numero ad ſanctum virum adducebant; ut faceret illis pro ſuo arbitratu, ille verò in foro igne extructo, ea omnia combuſſit.)

Apud Romanos Quernâ donabatur coronâ qui civem in prælio à morte vindicâſſet, quæ pluris fiebat quàm Muralis, Caſtrenſis, Navalis, cæteræq; aliæ. Majus enim erat vel unum civem à morte ſervâſſe, quàm vel hoſtiles muros, vel caſtra, vel naves occupâſſe. Unde nonnemo ſe vidiſſe teſtatur vetera numiſmata, in quorum una parte facies erat Imperatoris, in alterâ, corona Querna, cum hoc lemmate: *Ob cives ſervatos.* Ad quod alludere videtur moralis Philoſophus, ajens: *Nullum ornamentum principis faſtigio dignius, pulchriuſq́, eſt, quam illa corona, ob cives ſervatos.* Quod ſi Gentiles corona adeò exiſtimata donabantur, ob unum conſervatum civem à morte corporali, quantò major debetur corona Bernardino ob ſervatos tot Chriſtianos ſpirituali animæ morte? Et ſi Apoſtolus Philippenſes ad fidem converſos nuncupat ſuam coronam: *Corona mea*: Nonne cuncti peccatores quos convertit Bernardinus, ſunt ejus corona?

Muret.
Lib. 1. de Clement.
Philipp. 4

Si ſancto Odoni Abbati Cluniacenſi adhibetur fides, in die univerſalis judicii, unuſquiſque ſurget cum illis, quos DEO cœloque lucratus fuerit, iiſque vallatus & cinctus ſeſe Chriſto judici præſentabit: & ut fatur Magnus Gregorius de valle Joſaphat loquens; *Ibi Petrus cum Judæa converſa, quam poſt ſe traxit apparebit. Ibi Paulus, converſum ut ita dixerim mundum ducens. Ibi Andreas poſt ſe Achajam; Ibi Joannes Aſiam; Thomas Indiam in conſpectum ſui judicis converſam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes, cum animarum l[illegible]cris apparebunt, qui ſanctis ſuis prædicationibus DEO poſt ſe ſubditum gregem trahunt.* Quod S. Gregorius de Apoſtolis, idipſum de Apoſtolico Bernardino dicere

Serm. de S. Benedicto
Hom. 17. in Evang.

 debe-

debemus: qui Chriſto adſtabit cunctis hominibus circumdatus, quos cœlo & DEO peperit. Quam numeroſa turma comitabitur, ducens ſecum non unam civitatem, non unam provinciam, ſed totam Italiam, à vitiis ad virtutes converſam! Ex Ruperto namque Epiſcopo Levenſi, (Bernardinus alter Paulus, & vas electionis, Chriſtianam religionem ſuâ doctrinâ reformavit, ipſe Italiæ populos per abrupta vitiorum deviantes, ad ſemitas virtutum & juſtitiæ reduxit, ipſe denique religionem ſacram numero & ſanctitate adauxit.) Quod à ſancto Vincentio Ferrarienſi coram Bernardino concionanti ominatum refert Vincentius Dominicanus (Noveritis chariſſimi inter nos extare fratrem quemdam Franciſcanum, qui paucis ab hinc annis erit inſignis in totâ Italiâ, atque ex ejus tum vitâ tum doctrinâ fructus ubertimi exiſtent, & licet ego illum ætate antecedam, attamen in Romanâ Eccleſiâ ille me honore anteibit, & vos quidem decet hoc homine gratos eſſe DEO; ego verò relictâ illi Italiâ, me ad Gallias, & Hiſpanias recipiam.) Subjungit præfatus auctor: (Poſt annos decem, Bernardini nomen Italiam omnem illuſtravit, & quamvis triginta annis ante illum diſceſſit ex vitâ B. Vincentius, ſex annis ante Vincentium Bernardinus in Sanctos relatus eſt.) Univerſa Italia multum eſt à Bernardino ditata & nobilitata, ſed potiſſimū urbs Aquilejenſis, quam ſic alloquitur Antonius Amicius: (Lætare itaque atque plaude Aquila, non minus nobilis, quàm felix, quòd DEI clementiâ cæteros hoc quoque magno mirabilique noviſſime ſis decorata patrono,) Italiæ ſane gloriâ, Franciſcanæ religionis coronâ, virtutis ſpeculo, ſapientiæ ſole, quo mire illuſtratur.

Præfat. in vitam S. nardin.

II. PARS.

Verbum divinum *primam ſapientiam* meritò nuncupat Tertullianus: Tum quia eſt ſapientia infinita ab æterno genita, *eſt ſapientia DEI, Filius DEI unigenitus*; Tum quia illa ſola ſapientiæ meretur nomen, in cujus comparatione quæ habetur apud homines ſapientia, eſt duntaxat umbra ſapientiæ. *Quæ eſt dicenda ſapientia, niſi quæ DEI ſapientia eſt?* Tum quia eſt ſcaturigo à quâ dimanat humana ſapientia: Verbi autem ſapientia, ſplendore, ardore, & fœcunditate commendatur. Ab hoc cœleſti fonte Bernardinus hauſit ſapientiam, 1. lucidam & illuminantem: 2. calidam & inflammantem: 3. fœcundam & operantem.

Lib 1. ad Nat. 4
D. Aug. l. 7. de Trin. 3
D. Aug. l. de B. Vita Diſp. 3

1. *Cum radius ex ſole porrigitur, ſol erit in radio, quia ſolis eſt radius, nec ſeparatur ſubſtantia, ſed extenditur.* Hâc comparatione utitur Tertullianus, ut Filii DEI explicet generationem, qui à Patre procedit, non ſecus ac radius à ſole; & uti radius à ſole dimanans ſplendeſcit; ſic DEI Filius *in ſplendoribus Sanctorum* genitus, eſt *candor lucis æternæ*, ſeu ut fatur Apoſtolus, *ſplendor Patris*. Concionatores verbi DEI, ſunt participes non ſolum ſapientiæ genitæ, ſed etiam lucis & ſplendoris quo micantius fulget: & ob hanc cauſam vocitantur, tum *lux mundi*, quia ſcilicet luce ſapientiæ cœleſtis coruſcantes mundum illuminant; tum *ſal terræ*, quia ſal ſymbolum eſt ſapientiæ, condit enim cibos ut ſapidi ſint: Sic & Concionatorū ſapiētia condit animas ut altiora ac

Apolo. 21
Pſal. 109
Sap. 7
Hebr. 1.

divina ſapiant. Illos adhuc nuncupat Clemens Romanus, *Doctores cognitionis DEI*; à quâ ſcilicet lumen ad animas emanat, ſuntque adhuc denotati per Cherubinos ab Ezechiele Propheta in exceſſu mentis viſos, qui ibant, & revertebantur ad DEUM, *in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. Fulguris* quidem, quia eâ celeritate quâ fulgur: *coruſcantis* autem, quia eâ luce quam à DEO fonte luminis hauriebant. Hujusmodi tituli probe conveniunt Bernardino. Et quidem lux mundi, & ut fatur Antoninus Florentinus, *Novum ſidus in opaco ſæculo, cœleſtium Charismatum illuſtratione præfulgens.* 2. Deinde ſal terræ, cui probe competit iſtud Davidicum: (Os juſti meditabitur ſapientiam.) *Os, inquam, cordis, cujus unius eſt ſapere & guſtare, quæ DEI ſunt; deinde eadem lingua proloqui.* 3. Doctor adhuc cognitionis DEI, ſapientiam docens quæ eſt *divinarum rerum ſcientia*, & per viam virtutis dirigens; ex D. autem Auguſtino, *recta via vitæ, eſt ſapientia.* Tandem 4. *fulgur vitâ* apparens in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, ob ſplendorem quem tum verbo, tum exemplo emittebat. L. 2. Conſtit. Apoſt. Cap. 1 Pſal. 36 D Aug. D. Aug. l. 1. de Academic. c. 1 ibid. c. 5

Ad lucidam illam & illuminantem ſapientiam duplici potiſſimum viâ pervenit Bernardinus. Unâ, Scripturæ ſacræ ſtudio; alterâ, orationis exercitio. Ex D. namque Auguſtino, Concionator *munus ſuum ut præſtet magis pietate orationum opus eſt, quam oratoris facultate ut orando pro ſe, & pro aliis, quos eſt allocuturus, orator ſit, antequam dictor.* Circà duodecimum annum litteris humanis addictus fuit ſub doctiſſimi viri magiſterio, qui dicere ſolebat, inter omnes diſcipulos quos unquam erudierat acutioris ingenii, & melioris indolis eſſe Bernardinum: qui decimum ſeptimum ætatis agens annum, poſt impletum Philoſophiæ curſum, Juri Canonico operam dedit; præſertim Scripturam ſacram didicit, quam adeò ardenter dilexit, ut ſpretis cæteris ſcientiis totum ſeſe in evolvendo ſacro textu adhibuerit. Ultra ſtudium ſacrarum paginarū, orationi indeſinenter vacabat, probe ſciens quod DEUS ſapientiam largitur iis qui in ſimplicitate cordis illam expoſtulant. Sciſcitatur Bernardus cur Chriſtus Dominus antequàm paſceret turbam, aſcendit in montem orare: *Quid eſt quod priusquam docere inciperet, aſcendit in montem; niſi quod in hoc ipſo docuit neceſſe habere prædicatores verbi DEI; deſideriis animi & converſatione ſanctâ, ad ſublimia tendere, & virtutum conſcendere montem?* Bernardinus antequàm præconis verbi DEI obiret munus, à mundi tumultu recedens, ad tuguriolum ſe recepit, ibique habitavit, lectioni Scripturæ ſacræ & orationi indeſinenter vacans. Chriſtus Dominus in monte Thabor orans, (reſplenduit facies ejus ſicut ſol,) non quod fulgentes faciei ſuæ radios emendicet à ſole, cum potius Chriſtus DEUS ſplendor Patris, cognatâ ſibi luce condat ſolem, eique fulgores quibus micantius ſplendet largiatur, ut acute animadvertit Baſilius Seleucus. *Poſtquam aliquando in monte Chriſtus, aſpectu figuraq; corporis immutata, ſpectabili ſuo lumine ſolem condidiſſet.* Non abſimiliter Bernardinus in Gre: Naz: in laud. Baſil. Lib. 4. de Doct. Chr 15 Serm. 1. In Feſt. Omn. Sanct. Matth 17. Orat. 25.

ora-

D.Aug. in Pſal 36 D.Paulin: Epiſt. 15 oratione ſapientiæ lucem mutuatus à Patre luminum, eruditus fuit corde, *corde tractans verba ſapientiæ*; & quia *ex abundantia cordis os loquitur, & ſapor mentis in ore guſtatur*: Bernardinus concionatoris agens miniſterium, Scripturam ſacram quam in cella didicerat, de cathedrâ eructabat, juxtà Giliberti Abbatis monitum: *Evangelice ex toto loquere, qui vir Evangelicus es: Sermo tuus legem redoleat, Prophetas, Apoſtolos.* Serm:16. in Cant. Sapientiæ adhuc lucem quam à DEO in oratione acceperat ſuis auditoribus comunicabat, tot velut condens ſoles quot verbo DEI illuminabat: continuò mente volvens, & ore verſans iſtud Davidicum: (Lucerna pedibus meis Verbum tuum, & lumen ſemitis meis.) Pſal. 118 Serm: 1 de Purif Ubi Guerricus Abbas; *Sit lucerna in corde, ſit in manu, ſit in ore. Lucerna in corde, eſt pietas fidei; lucerna in manu, exemplum operis; lucerna in ore, ſermo ædificationis*, quem concionando promebat Bernardinus, ſapientiâ lucidâ illuſtratus, & ſapientiâ calidâ ſufflamatus.

Tert. apol. 21 2. Sapientia genita, ſeu DEI Filius procedit à Patre *ut lumen de lumine accenſum.* Pater enim generans Verbum in ſplendoribus, communicavit ei ardorem infinitum, quo infinite ſuum diligit principium; & ſimul cum Patre producit Spiritum ſanctum: ſicut autem in divinis *Pater generat Verbum, non qualecunq;, ſed ſpirans amorem*: ita in humanis ſapientia eſt *fons amoris* menté illuminans, & voluntatem ſufflammans; D.Thom. Guerr. Ser. 1 Purif Itaq, ut ſubjungit Guerricus Abbas, *ejus amplexu incaleſcunt frigidi.* L.de Spir. & An. 11 Nec mirũ, quia ut vere dicit dubius Auguſtin. *Sapientia eſt amor boni, ſive ſapor boni, à ſapore ſiquidem dicitur.* Per illud autem bonum, quod amat & ſapit ſapientia, verus Auguſtinus bonum incommutabile ſeu DEUM intelligit. InPſal. 135 *Non incongruenter intelligimus ſapientiam in cognitione & dilectione ejus quod ſemper, atque incommutabiliter manet; quod DEUS eſt.* Eodem namque modo ratiocinandum eſt de dilectione, ac de cognitione: ſapientiæ notitia ad contemplandas DEI veritates aſſurgit. Ejus etiam amor ad divinas perfectiones tendit: in quo æmulatur Verbi generationem & Spiritûs ſancti proceſſionem. Æternus Pater cognoſcendo ſuam eſſentiam, generat Filium: Pater quoque & Filius, amando divinam bonitatem producunt Spiritum ſanctum. Non diſſimiliter ſapientia eſt divinarum rerum cognitio, & divinarum rerum dilectio.

Magnum autem intercedit diſcrimen inter amorem Verbi ſeu ſapientiæ genitæ, & dilectionem ſapientiæ creatæ. In Trinitate Verbum ſeu ſapientia genita producit quidem Spiritum ſanctum qui eſt amor perſonalis: at lucem quo ſplendet, nõ accipit à Spiritu S. in humanis verò amor ſapientiæ ab ejus ſplendore dimanat, & viciſſim lux à dilectione ſumit incrementum. Nam ut philoſophatur D. Bernardus, Serm. in Nat. S.Joann. Bapt. *Solùs ardor igneus eſt, & cum fervet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic ſapientis ardor internus, foris lucet: etſi non ei datur utrumque, curat ſemper ardere magis*, quàm lucere: qui lucent, nec ardent, umbram duntaxat habent ſapientiæ: qui verò ſimul lucent & ardent, vera

ſapien-

ſapientia ſunt præditi. Nam ut ſubjungit Mellifluus Doctor, *eſt tantum lucere vanum; tantum ardere parum, ardere & lucere perfectum.* Perfecta illa ſapientia pollebat Joannes Præcurſor, Verbi namque humanati teſtimonio (ille erat lucerna ardens, & lucens.) Fervorem ab omnibus exigit Dominus, ajens: Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur? *Cæterum ſingulariter Apoſtolis, & Apoſtolicis viris dicitur:* (Luceat lux veſtra) *nimirum tanquam accenſis, & vehementer accenſis.* A Concionatoribus exigit Chriſtus ſplendorem, ut luce ſapientiæ illuſtrati, auditores erudiant: requirit adhuc fervorem, ut charitatis ardore accenſi, eos ſufflamment. *Ut pariter erudiatur animus, & excitetur affectus.* Eruditur animus per lucem & ſapientiam præconis, excitatur affectus, per ejus charitatem; profectò *tranſibit ſermo in affectum, ſi honeſta loquamur.* Joan. 5 Luc. 12 D. Bern. ibid. Matth. 5 D. Bernar Serm. 3. in Epiph: Senec. in Proverb.

Non abſque myſterio Spiritus ſanctus qui proprio charactere amor eſt, in linguis igneis deſcendit ſupra diſcipulos. *In linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes quos replevit ardentes pariter & loquentes facit.* Prius ardentes, poſtea loquentes. Intus ardentes igne charitatis, foris ſermones ignitos habentes ad inſtar Jeremiæ, in cujus ore poſuit DEUS *Verba ſua ignea.* Concionatores ſint velut Seraphini, qui ſunt igniti & ignientes. Igniti, quia DEI ardent amore, ignientes, quia alios ad DEI amorem accendunt. Subjungit Magnus Gregorius: *Linguas igneas Doctores habent, quia dum DEUM amandum prædicant, corda audientium inflammant: Nam & otioſus eſt ſermo Doctoris, ſi præbere non valet incendium amoris.* Bernardinus ad ſuſcipiendum ſapientiæ ſplendorem, & ardorem, bene erat diſpoſitus. Nam *facilis erat ei intellectus, ſed affectio vehemens.* Luce ſapientiæ illuſtratus audientes erudiebat, & ardore ſuccenſus, charitatis igne ſufflammare ſatagebat; eodem fere quo olim Origenes deſiderio æſtuans. *Unde mihi hoc, ut lingua ignis veniat in cor meum, & de lingua ignea ego quoq; proferam ſermonem, ut ex me velox ſermonibus meis accēdatur ignis in cordibus auditorum?* Votum profectò magno Origene dignum! Exoptat ut lingua ignis (qualis & in Apoſtolos deſcendit) primo veniat in cor; deinde in os & linguam; tum in aures auditorum; denique etiam in animos. Quod Origeni votum aliquando fuit; hoc idem & Bernardino, qui ignem habere exoptavit, in corde, in opere, in ore, in ſermone, ut ſic totus igneus & ignis, auditores poſſet efficere, totos igneos & ignes, quod exequi molitus eſt, *Ardens in ſeipſo vehementi auſteritate converſationis: erga Chriſtum, intimo quodam, & pleno fervore devotionis: erga peccantes proximos, conſtantia libera increpationis.* Zelus enim Bernardini, & ea zeli affectio ignis, erat *bonus ignis, qui calefacere novit, neſcit exurere, niſi ſola peccata;* peccatores de malo in bonum immutans, & ſapientia fœcunda, cœlo & DEO generans. D. Greg: Hom. 3. in Evang: Jerem. 5 Gilibert. Serm. 41 in Cant. Hom. 1. in Pſal. 39 D. Bernar ibid. D. Ambr.

3. Verbum divinum *ex DEO prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium DEI, & DEUM dictum, ex unitate ſubſtantiæ.* Tert: Apol: 21

In divino Verbo, ſeu ſapientiâ genita, duplicem agnoſcimus fœcunditatem: internam unam, externam alteram: ad intra producit cum Patre Spiritum
Tert. ibid. ſanctum, ad extra cum Patre & Spiritu ſancto cuncta creata produxit; *Jam ediximus DEUM univerſitatem hanc mundi, verbo molitum.* Utramque divini
Hebr. 1 Verbi fœcunditatem complectitur Apoſtolus loquens de Filio DEI: *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*: Eſt etenim Patris imago, cui ex vi proceſſionis ſuæ perfectè aſſimilatur accipiens ab eo voluntatem fœcundam; quâ ad intra ſpirat Amorem perſonalem: Subjungit Apoſtolus, *Portansq; omnia verbo virtutis ſuæ*: ſeu ut habetur in Græco, *alens, ſovens omnia*; ducta metaphora ab ave, quæ ovis diu incubans fovet ad vitam, & mox alit & nutrit. Sic DEUS fovet & alit omnia verbo virtutis ſuæ, cui debentur non tantum prima vitæ auſpicia, ſed etiam incrementa. Sapientia creata, ſapientiæ genitæ, ſeu Verbi DEI æmulatur fœcunditatem; ut enim
Prov. 10 ait Sapiens, *Os juſti parturit ſapientiam*: Septuaginta vertunt: *Os juſti ſtillat ſapientiam*, In Hebræo habetur: *Os juſti propagabit*, vel *progerminabit ſapientiam.* Quomodo autem ejusmodi fiat propagatio & progerminatio, docet Cajetanus legens: *Os juſti loquetur ſapientiam*: quaſi qui loquitur ſapientiam, illam ſtillet, & qui ſtillat, propaget, & progerminet.

Binam illam Verbi fœcunditatem imitata eſt Bernardini ſapientia. Internam quidem, tot Franciſco generans filios. Ex Joanne enim Capiſtrano (paſſim in urbibus condebantur nova Fratrum de Obſervantia monaſteria, totoque orbe mire propagati fuêre ſancti Franciſci tres Ordines, ſive tria inſtituta.) Externam etiam, tot peccatores ad pœnitentiam adducens,
Greg. Naz. Orat. 1 tot Chriſtianos ardore charitatis & devotionis accendens: *ut ferrum ſilicem, ſic prægnantem luce dignam mentem*, Bernardinus fœcundavit. Ferrum ſilicem feriens, ex illo educit ignem: ſic Bernardinus ſplendore & odore cœleſtis ſapientiæ in animabus audientium, timorem & amorem virtutis par-
Capiſt. turivit: In tantum, (quod ex B. Bernardini glorioſis laborum fructibus, per totam Italiam, & alia mundi climata, cenſeatur fides Catholica renovata.) Unde Chriſtianis quos externa fœcunditate Chriſto pepererat, poterat di-
1. Cor. 4 cere cum Apoſtolo: *Per Evangelium ego vos genui.* Minoribus verò quos
Galat. 4 Franciſco parturiebat; *Filioli quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis*: per exactam regulæ Franciſcanæ & Evangelicæ perfectionis obſervantiam. Erga utrosque velut Deiparæ obivit munus in illis Chriſtum gene-
Marc 3 rans: ut enim ait D. Chryſoſtomus expendens iſtud dominicum: (*Qui fecerit voluntatem DEI, hic frater meus, & ſoror mea, & mater mea eſt.*) *JESU quidem aliquis mater efficitur prædicando; quaſi enim parit Dominum, quem cordi audientium infuderit.* Uti autem divinum Verbum prius recipit à Patre ſplendorem, amorem, cæterasq; divinas, eſſentiales & perſonales perfectiones quam ad extra producat creaturas, & ad intra ſpiret Amorem perſonalē, quia generatio Verbi (etſi non prioritate temporis) prioritate tamen naturæ

&

& originis eſt prior proceſſione Spiritus ſancti; quia productio per intellectum inſtanti naturæ præcedit productionem per voluntatem; & principium inſtanti ſaltem originis eſt prius termino qui ab illo procedit. Generatio autem Verbi eſt per intellectum; ſpiratio Spiritus ſancti per voluntatem. Verbum ſimul cum Patre eſt principium Spiritus ſancti; Spiritus ſanctus ab illis ut à duobus ſpirantibus & uno & eodem ſpiratore procedit. Similiter Bernardinus antequàm filios generet, vel extra religionem Seraphicã, vel intra religionẽ S. Franciſci, eſt ſapiẽtiâ illuſtratus, & virtutibus decoratus.

III PARS.

Nemo alii naſcitur, moriturus ſibi; eſt enim rationi adverſum, & naturæ quodammodo contrarium, ut qui aliis vacat, ſe deſtituat; qui aliorum procurat ſalutem, ſuam negligat; qui alios ad virtutes ſtimulat, virtutum ſtudio non incumbat: Prima concionatoris cura, præcipuusque labor ſit propriæ ſalutis; alienæ ſtudeat, ſed prius ſuæ invigilet; virtutes quas ab aliis expoſtulat, in ſemetipſo oſtendat; perfectioni ſuæ laboret, prius quàm aliorum perfectionem curet, juxtà tritum iſtud Canoniſtarum proverbium: *Charitas incipit à ſemetipſo.* Profectò carere aquæ *uſu, qua ex fonte juris tui profluat, eamq; ad vicinorum agros irrigandos propagare civilia jura prohibent.* Idipſum ſapit Sapiens, verbi DEI alloquens præconem: *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.* Fontes dicit, hoc eſt purioris ſapientiæ fluenta: & virtutum aquas foras deriva, atque in plateas, hoc eſt in proximos effunde; ſed tamen inſtar fontium, qui tantum aquæ emittunt, quantum recipiunt, tantum ex eis aquarum effluit, quantum affluit: *Si ſapis, concham te exhibebis, non canalem: hic ſiquidem pene ſimul & recipit & refundit: ille verò donec impleatur expectat; & ſic quod ſuperabundat, ſine ſuo damno communicat.* Magnum agnoſcit D. Bernardus diſcrimen inter concham & canalem. Concha aquam non infundit, niſi cum plena eſt; & poſtquàm effudit, manet tamen omninò plena, quia non effundit, niſi quod redundat: Canalis è contra aquam tranſmittit, & ſibi aut nihil, aut parum aquæ retinet: Canalis eſt, non concha, Concionator deſtitutus virtutibus, quas ab auditoribus efflagitat. Non canalis, ſed concha fuit Bernardinus, effundens aquas ſapientiæ, quibus abundabat; docens virtutes, quarum ſtudio invigilabat, opere demonſtrans, quod voce ſuadebat; veri concionatoris adimplens miniſterium, in omnibus præbens ſeipſum exemplum: præſertim in 1. gravitate: 2. caſtitate: 3. charitate.

Tert.l. de Pall. 5.; De Servit. l. 6; Prov. 5; D. Bern. Ser. 18 in Cant.

1. *Vbi DEVS ibi metus in DEVM, qui eſt initium ſapientiæ. Vbi metus in DEVM, ibi gravitas honeſta, & apparitio devota, & proceſſio modeſta.* Bernardinus etiam ab adoleſcentiâ, DEUM religioſe venerabatur, nonniſi coram DEO, & in ejus præſentia converſabatur; DEI majeſtatem venerans, præſentiam honorans, juſtitiam formidans, gravitatem in ſuis actionibus oſtentabat. Devotus apparebat, & cum tantâ modeſtiâ incedebat, loquebatur, & operabatur, ut ex ejus ore nullum exiret

Tert.l. de Præſc. hær 43

verbum otioſum, neque ſocios loqui inhoneſte permittere. Belle dictum à Plutarcho: *Periit decor, cum periit pudor.* At èconverſo conſervatur decor, cum conſervatur Pudor. Ut enim fatur D. Bernardus expendens iſtud Can-
Cap:3 ticorum: Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis *quid amabilius venerando adoleſcente, quàm pulchra hæc & quàm ſplendida gemma morum in vita!* Bernardinus vultu & facie ſpecioſus erat, at ejus genæ pulchritudinis incrementum ſuſcipiebant, ob pudorem quo rubebant quoties coram ipſo ſocii verbum mi-
Plutarch. in Ageſil. nus pudicum proferebant. *Illa pueri diſcant, quibus ſunt ſenes-uſui.* Gravitatem pueri diſcant à Bernardino ſene non annorum numero, ſed ſenſu, ſed prudentiâ, ſed judicio, ſed modeſtiâ. Cui probe competit quod de ſancta
Serm. 90. Agnete refert D. Ambroſius: *Computabatur in annis infantia, ſed erat ſenectus mentis immenſa*: quia non animi levitatem puerorum more demonſtrabat, ſed judicii gravitatem, non ſecus ac ſenes oſtentabat, dicere valens cum
In Pſ. 118 D. Paulino: *Junior fui: etenim ſenui, & non defecerunt in vanitate dies mei.*

Conquerebatur Romanus Orator, quod ſuâ tempeſtate deſtitueretur mundus ſenibus, à quibus inſtruerentur juvenes. *Exemplaria diſparuerunt, ideò nulli adoleſcentes ſunt admirabiles.* At Bernardinus etiam in ſuâ adoleſcentiâ fuit pueris honeſtatis typus; quos ſuâ modeſtiâ avocabat à malo, & concitabat ad bonum. Idcircò coràm ipſo, immodeſtè & loqui & agere verebantur dicentes: *Bernardinus adeſt*: Extitit etiam ſenibus gravitatis exem-
Sabell. plar: ſiquidem *omnia ejus opera intuentium oculos alliciebant*, quod præſtabat vitam ſuam componens, & regulans ſecundùm mandatum quod Tito de-
Tit. c. 2 derat Apoſtolus. *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in gravitate, in integritate*; Bernardinus Apoſtoli mandato obtemperans, præbuit gravitatis & caſtitatis exemplum. Adeò gravis, caſta & honeſta fuit ejus converſatio, ut affirmet Joannes Spoletanus, *ſe nunquam diſcipulum pudicitia, moribus, & virtute præſtantiorem habuiſſe, qui nec quicquam nutu, verbo aut opere, perpetraret*; ſed verbo, nutu, & opere, angelicam caſtitatem demonſtravit.

Tert. l. de Pud. 1 2. *Pudicitia flos morum, honor corporum, fundamentum ſanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis.* Pudicitiam Bernardinus toto vitæ tempore illibatam ſervavit; at quomodo? orationi vacans, corpus caſtigans, & puritatem mentis & corporis, à DEO humiliter poſtulans. Et ob hanc cauſam
Philo Jud. l. de Mundi opificio *Virgo Victoria* nuncupari meretur. Qui corporis integritatem cuſtodit, & mentis puritatem fœdat, eſt plane Virgo, ſed non eſt plene Virgo, neq; Virgo Victoria. Non quidem plene virgo, quia virginitatis plenitudo non ſolum carnis integritatem, ſed etiam animi puritatem importat. Neq; Victoria virgo, quia etſi non corpore, mente tamen ab adverſario vincitur. Ber-
Tert. l. 1 ad Uxor. 8 nardinus autem plenitudine virginitatis decoratus, & Victoria virgo, quia
Tert. l. 2 de Cult. Fœm. 13 tum corpore tum mente hoſtē debellavit, quapropter in illo *virtus coronatur.*

Mandat Chriſtus Dominus: *Probrum veſtrum coram hominibus appareat: Ad quid, niſi ut malitia acceſſum ad vos omninò non habeat?* Bernardinus puri-

taris

tatis præbuit exemplum ne malitia ad eum haberet acceſſum: attamen dæmon ut Virginem Victoriam vinceret, mulierem quandam ætate juvenem, decore formoſam, Bernardini amore adeò inflammavit ut captans tempus, quo caſtus juvenis jam in religione Seraphicâ profeſſus, ad ejus portam eleemoſynam poſtulans accederet; in domum panem erogatura introduxit, ardorem quo æſtuabat aperuit, & tum dulcibus verbis, tum impudicis aſpectibus ad ſtuprum allicere tentavit. Bernardinus mulieris inverecundiâ ſtupefactus, modeſte ei dixit: *Quid ſperatur in me quod averſor? quid? non mores meos habitus pronuntiat, ne ſpiritus per aures ab impudentia vulneretur.* At laſciva mulier caſtis Bernardini ſermonibus melior minime affecta, imò majori laſciviendi flammâ exardeſcens, impudenter dixit: Ne amplius loquaris, citò comple deſiderium meum, niſi mox voluntati meæ conſenſeris, exclamabo te ad meam pudicitiam attentâſſe, mihique vim inferre voluiſſe. Bernardinus tunc majori formidine attonitus, in tanto periculo dignoſcens ſibi *adverſus congreſſus, & ſuſpiciones impudicas providendum omni modo eſſe*, oculos in cœlum ſublevans, cœleſte patrocinium invocans, B. Virginem ad ſuum auxilium venientem proſpexit. Hâc viſione animatus, laſcivienti mulieri dixit: Si vis mecum congredi, pone te ad lectum, nudamque exhibe: mulier lætabunda, mox veſtes deponit, ad lectum ſe recipit, ſeſe nudam præbet: tunc Bernardinus diſciplinam extrahens flagellavit laſcivam mulierem vociferare non audentem, ne ſi nuda fuiſſet inventa, non per vim à Bernardino conſtupratam, ſed potius Bernardini pudicitiam ab ipſa tentatam, omnes credidiſſent: hoc modo Bernardinus evaſit periculum, de diabolo triumphans. Tert. ibid. Tert. ibid.

Admirabilis ſane fuit Joſephi pudicitia, impudicæ dominæ recuſantis libidinem. Neque minori ſtupore digna fuit Bernardini caſtitas, quibus ſimilis fere videtur pugna, & victoria non multum diſſimilis. *Mediis in retibus, pro præda juſtus apprehenditur.* Annon Joſephus cum domina laſciva, & Bernardinus cum impudicâ muliere fuerunt in retibus? Uterque caſtimoniæ & virtutis ſermonibus, laſcivientem fœminam ab ardore libidinis dimovere conatus eſt. Verum ut ſubjungit Seleucienſis Antiſtes de Joſepho loquens, *Talibus temperantiæ amuletis uſus vir juſtus, feræ libidini perſuaſit nihil; illa contra manus in eum injecit armatas libidine.* Impudica quoq; mulier honeſtis Bernardini ſermonibus haud acquieſcens niſi ſuæ ſatisfaciat libidini, illum velut conſtupratorem proclamare minatur, cui aptari poſſunt quæ de Joſepho prædicat Divus Chryſoſtomus. *Quis enim non admiretur Beatum illum qui in ipſo flore ætatis exiſtens, quando maxime fornax concupiſcentiarum accenditur, cum videret dominam ſuam in ſe invadentem, & inſanientem in ſe, tantam oſtendit fortitudinem, & ita ad caſtitatis agones ſe exercuit, ut ab intemperata illa muliere nudus quidem veſtibus profugeret, caſtitatis autem indumentum ſervaret; licebatque videre rem novam & admirabilem,* Baſil. Seleu Orat. 8 Hom. 44 in Geneſ.

 agnum

agnum lupa, imò leana inter ungues incidiſſ., & ſalvari potuiſſe ? Bernardinus quoque ad caſtitatis agones ſe exercens, non fugâ ut Joſeph, ſed pugnâ & diſciplinâ victor evaſit. Subjungi. D. Chryſoſtomus: *Non ſic tam admirabile mihi videtur tres pueros in medio Babylonicæ fornacis ignem viciſſe illæſis corporibus; ut mirabile & rarum eſt, ut Juſtus ille, qui in fornacem hanc Babylonicâ multò graviorem, incontinentiam, inquam, Ægyptiæ incidit, & intactus permanſit, puroq́; caſtitatis indumento ſervato exiit.* Majus adhuc conſpicio miraculum in Bernardino, qui inter laſcivientis mulieris flamas illæſus permanſit, & inſuper impudicam fœminam à luxuriandi voluntate removens, ad caſtitatis amorem allexit. In quo demonſtravit, tum virginalem pudicitiam quâ pollebat, tum ardorem charitatis quâ æſtuabat.

Tert. l. de Pat. 12 — 3. *Dilectio Chriſtiani nominis theſaurus.* Quàm opulenter pretioſo illo theſauro locupletatus fuerit Bernardinus, conſtat ex ardenti zelo, quo animarum procurabat ſalutem, & nominis JESU devotionem incrementare ſatagebat. Apparet adhuc ex eleemoſynis, quas pauperibus erogabat, ex ſollicitudine, quâ avitam nonagenariam debilem & cæcam ducebat; & ex

Tert. ibid: — affectu, quo peſte ægrotantibus inſerviebat: *Dilectio benefica eſt.* Adeò erga pauperes beneficus erat Bernardinus, ut ad eos cibandos, ſeſe libenter privaret pane. Ut enim narrat Sabellius, (cum forte unicus eſſet domi panis, prohibereturque infringere, ſuam petiit portionem, quam precario ad opus mendico obtulit.) Duo pauperes erant: unus, qui propter amorem DEI peteret; alter erat Bernardinus, poſtulans panem, ut erogaret pauperi propter amorem Chriſti. Et 2. avitæ debili nonagenariæ & cæcæ ducatum

Greg. Nyſſ. Orat. 7 in Cant. — præbuit. *Quid inter membra noſtra præſtantius eſt oculis, qui nobis omnium operum magiſtri ſunt & duces* ? Oculos tum de præſtantiâ, tum de neceſſitate comendat Nyſſenus: De præſtantiâ quidem: *quod enim ſol & luna in cælo,*

D. Ambr. l. 6. in Exa. 8 — *ſunt oculi in homine*; homo ergo orbatus oculis, pulchritudine deſtituitur, & deformis apparet: *Quid mirum ſi vultus hominis abſq́; oculis deformis eſt, quan-*

D. Ambr. l. 6. de Noe & Arca — *do ipſum cælum ſine ſole, non habet ſuum decorem* ? De neceſſitate adhuc oculos comendat Nyſſenus, eò quod in homine omnium operum magiſtri ſint & duces, Duplici illâ de causâ *magnum malum homines putans oculorum corporalium cæcitatem, qua lux iſta retrahitur.* Homo terræ & cœli aſpectu & mun-

D. Aug. in Pſal. 9 — di venuſtate privatus, triſtem & ærumnoſam ducit vitam: dicens cum cæ-

Tob. 5. — cato Tobia: *Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Omnes cæci ſunt miſeri, præſertim ſenes & infirmi, qui trinam patiuntur miſeriam, nempe cæcitatem, infirmitatem, & ſenectutem. Quo major eſt illorum adverſitas, eo major eſt charitas eorum qui illis ſubveniunt. Inde colligendum eſt quanta fuerit Bernardini dilectio, avitæ ſeni & debili, (non ſecus ac Tobias parenti,) porrigentis manum, & omni officio ſubvenientis. Magna hæc Bernardini charitas, ſed longe major eſt illa quâ peſte laborantibus inſervit & præſtat auxilium.

Peſtis

Peſtis eſt omnium morborum teterrimus, quia latius graſſatur; civitates & provincias depopulatur; hominum ſtragem miſerabilem edit, atque graviſſima vitæ politicæ affert incommoda. Nam à ſacerdotibus ſacra munia deſeruntur, ab artificibus artes, gymnaſia puerorum intermittuntur; parentibus, affinibus, & quopinquis, mutua auxilia denegantur; Matrimonia, acceſſus, congreſſus, collocutiones non admittuntur; civitates à civibus relinquuntur; commercia conquieſcunt; ſupellex à latronibus diripitur; rerum convectiones tolluntur; vetera nec emuntur, nec venduntur; carceres recluduntur; omniaque metu, timore, mœrore conturbantur. Lues ſupellectilia in ignem conjicit, pauperes conſumit, divites ad egeſtatem redigit, absque exequiis monumenta aperit; & ut fatur Seneca ſenior; *Funeſta peſtis una fax thalamos cremat, fletuq; acerbo, funera & queſtu carent.* Actor. I Sæviebat anno Domini 1400. generalis, rabida, atque contagioſa peſtis, & cum incideret eo anno Jubilæus, innumeri peregrini Romam euntes, atque inde redeuntes, ad celeberrimam illam toto orbe Chriſtiano domum hoſpitalem B. Mariæ Virginis quæ Senis eſt, de la ſcala dictam, confluxerunt: Sabell. Hiſtor. Seraphi. c. 10 augebaturque valde numerus ægrotorum, è quibus plurimi moriebantur, ita ut in tribus menſibus & dimidio quotidie amplius duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, interdum octodecim, vel etiam viginti è vitâ decederent. Præter quos ex ejus domûs familiâ obierunt fratres viginti duo, octodecim fœminæ pauperibus mulieribus inſervientes, novem ſacerdotes, quinque clerici, ſeptem pharmacopolæ, qui morbidis parabant medicamenta, pueri triginta tres in eadem domo nutriti, & famuli ſexaginta eorum miniſteriis deputati. Cum autem multi illi & morbo corrupti jacerent, & è vitâ abirent, locus ille propter fœtorem intolerabilem omnibus inſpectantibus horrori erat, nec quisquam fere reperiri potuit, qui quamvis magna propoſita mercede illic inſervire vellet. Itaque piiſſimus Dominus excitat Bernardini animum, qui jam fere agebat vigeſimum ætatis annum, ut in illâ piiſſimâ domo ægrotorum & pauperum miniſterium ſuſciperet.) Et quia ſolus non valebat tanto labori ſubvenire, hortatur ſocios ut ſecum illud miſericordiæ ſuſcipiant negotium. Quæ & quanta in languentium tum animæ, tum corporis ſalutem effecerit Bernardinus, haud facilè poſſunt enarrari. Tanto affectu applicabat media ad medendam contagionem, tanto ardore ægrotos ad animarum munditiem, & gratiam obtinendam hortabatur, ut videretur velut alter Rochus zelo & charitate ſufflammatus. His exercitiis Bernardinus ſibi paravit viam ad Seraphicam Religionem, in quâ continuò ſeſe in charitate exercens, meruit in Divorum numero adſcribi, & in cœlo æternâ beatitudine potiri.

CON-

CONCIO SEXTA.

Tert.l.de An.18 BEatus Petrus de Alcantara nuncupatus, eò quòd hoc vocabulo appellaretur oppidum, in quo ex nobili proſapiâ ortus eſt; à teneris annis denotavit indolis bonitatem,& futuræ perfectionis velut quoddam ſpecimen dedit. *Facies occultorum ea quæ apparent.* Modeſtia,amabilitas, urbanitas & pulchritudo, quæ apparebat in Petri facie evidenter demonſtrabat quàm

Tert.l.de An.19 apta & prona foret ad pietatem ejus anima. *Inſita ſunt nobis omnium artium ſeu ætatum ſemina: magiſterque ex occulto DEVS producit ingenia. Ex ſeminibus ſcilicet inſitis & occultis per infantiam,quæ ſunt & intellectus. Ex his enim producuntur ingenia.* Inſita erant in Petro etiam ab infantiâ, ſcientiæ & virtutis ſemina: ex quibus DEUS formavit ingenium ſcientiæ & virtutis capaciſſi-

Tert. ibid. mum. A pueritiâ litteris fuit addictus, & labore ac ſtudio, magnum *profectum de doctrina diſciplinaque* ſuſcepit: Mox ut decimum-ſextum ætatis attigit annum, mundi abdicationem decrevit, ut Chriſto in pœnitentiâ famularetur, quod executus eſt, 1. ſtatui pœnitentiæ ſe conſecrans: 2. ſenſus ſuos continue mortificans: 3. carnem indeſinenter macerans.

I. PARS.

Tert.l.de Pœn.11 *Peccator, nec ulli rei niſi pœnitentiæ natus:* Pœnitentiæ operibus vacare debet, Tum ut ſatisfaciat DEO per peccatum offenſo: Tum ut peccatorum ſuorum veniam obtineat: Tum ut in gratiam & amicitiam cum DEO redeat: Tum ut interminabilem cœli gloriam acquirat: ſed religioſi magis quàm cæteri Chriſtiani ſunt pœnitentiæ nati, & ſi minus peccatores, ut Chriſtum imitentur, qui quantumvis innocuus, & à peccatis & peccatoribus ſeparatus, pœnitentiam egit, ſolvens in cruce pœnam noſtris criminibus debitam. Divinum illud exemplar æmulantur Regulares, præſertim Franciſcani, qui

Tert. apol 16 religionem pœnitentem & crucifigentem profitentur. *Sed & qui crucis nos religioſos putat, conſecraneus erit noſter.* Petrus de Alcantara Domino obtemperans qui eum ad tollendam crucem & ad pœnitentiam vocabat, 1. Seraphicam crucis & pœnitentiæ religionem ſuſcepit: 2. reformationem magis pœnitentem induxit: 3. in reformatione vitam maximè pœnitentem duxit.

Tert.l. de Idol.12 1. *Si vis Domini diſcipulus eſſe, crucem tuam tollas, & Dominum ſequaris neceſſe eſt.* Franciſcus Domini diſcipulus effectus, non ſolum crucem ſuam tulit, & pœnitentiam ſuſtinuit, ſed religionem pœnitentem inſtituit. Quan-

Tert. l. de Pall. 5 tum pœnitentiæ ſtudeant Franciſcani, quem deferunt *ipſe habitus ſonat*, nihil niſi crucem & pœnitentiam redolens. Quod probe ſciens Petrus de Alcantara, humilem pœnitentiæ ſtatum, & Seraphicam crucis religionem

Ter.l.2de Cult.Fœ.7 elegit, *habens jam ex parte, divinæ gratiæ patrocinium.* Nam cum ad ſuſcipiendū Minoris habitum properaret ad devotum conventum de Majorates,

in ſolitudine & receſſu à mundi tumultu longe poſitum, perveni ad flumen Hiſpaniæ vocatum *Tietar*, quod niſi cum navigio pertranſiri poteſt. Intumeſcentibus autem fluctibus absque ullâ tranſeundi opportunitate, orans cum fiduciâ miraculoſe ad alterâ fluminis partem translatus eſt Petrus, per *aliquam cœleſtem virtutem documentis dignationis vocatus*. Hoc miraculo demonſtrare voluit DEUS, quam prodigioſa futura eſſet Petri pœnitentia, Tert: ibid.
qui ad præfatum accedens monaſterium, adſcribi ſe filiorum Franciſci numero poſtulavit, ſeſe *votivis crucibus expoſuit*: habitum Franciſcanum ſuſcipiens, Tert apol. 8
annum probationis tanto fervore & virtutis augmento peregit, ut ſolemnia profeſſionis emittens vota, jam Evangelicæ perfectionis faſtigium attigiſſe videretur.

Petrus de Alcantara ſæpeſæpius expanſis manibus, ſublevatis in cœlum oculis orabat, & in hâc corporis diſpoſitione & figurâ per horam ad minus perſeverabat: & hoc multiplici de cauſa. Tum ut Chriſti crucifixi imaginem repræſentaret. *Si ſtatueris hominem manibus expanſis, imaginem crucis feceris*: Tert: l. 1. ad Nat: 12
Tum ut Patrem Franciſcum imitaretur, qui illo more orationi vacare ſolebat; Tum quia nonniſi per crucem in cœlum eundum eſt Chriſtianis & Religioſis. *Illuc ſuſcipientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis*: Tum Tert: Apol: 30
quia ſic facilius dæmonem debellabat; quod in Moyſe præfiguratum ſciebat. Moyſes namque *cum Jeſus adverſus Amalec præliabatur, expanſis manibus orabat reſidens; quia illic ubi nomen JESU dimicabat, dimicaturis quandoq; adverſus diabolum crucis habitus quoque erat neceſſarius, per quam Jeſus victoriam eſſet relaturus*. Tert. l. adv Jud: 10
Tum ut ſeſe paratum demonſtraret ad omnes cruces tolerandas. *Paratus eſt ad omne ſupplicium, ipſe habitus orantis Chriſtiani*. His Tert. Apol. 30
rationibus frequenter expanſis manibus orabat Petrus, novam Diſcalceatorum inducens reformationem, ut ſtatum adhuc magis crucifigentem & patientem obſervaret.

2. Conventus ſancti Franciſci de Maniaretibus, vulgò Maſarates dictus, in provincia Sancti Gabrielis, & ipſe *reformatus*, eò quòd Minores in illo Tert. l de Pud. 20
demorantes, religionis Seraphicæ regulam arctius obſervarent. In eo Petrus de Alcantara eminentiſſimæ virtutis fundamenta jecit. Cujus præſtantia moti Fratres, ad quos ſpectabat eligendi ſuperiores negotium, bis eum in Guardianum aſſumpſerunt: Bis etiam in Diffinitorem, ſemel & iterum in provincialem, quæ munera maximâ cum laude egit. Verum nonnullos Fratres *ad formam ſui componere* deſiderans poſt exornatam pietatis exemplo & ſanctis inſtitutis Sancti Gabrielis provinciam, ad interiora cujusdam montis penetravit, ibique pauperrimum atq; anguſtiſſimum conventum de Petroſo ædificavit, indeque ſancti Joſephi Provinciam fundavit, in Tert. lib. 4 adv. Marc 5
qua ſtrictior Diſcalceatorum obſervantia ſumpſit exordium. Potuit tunc novam inſtituere religionem Petrus, præſertim cum fuerit Commiſſarius Generalis, cum plenitudine poteſtatis à Paulo quarto Pontifice creatus, ſed

humillimus vir noluit obſervantiæ Generali ſe & Diſcalceatos ſubjiciens inter quos maxime pœnitentem vitam duxit.

L. de Pud. 10
Serm. 162
Tert. l. de Pat. 13

3. *Joannes pœnitentiæ erat præco*, quam non ſolum verbo & prædicatione, ſed etiam exemplo & opere demonſtravit. Nam ut fatur Petrus Chryſologus; *Joannes victu, veſtitu, loco totus pœnitentia formatus incedit.* Quod de Præcurſore Domini prædicat Chryſologus, idipſum de Petro de Alcantara dicere debemus, qui in ſtrictiori Diſcalceatorum inſtituto, *victu, veſtitu, & loco, totus pœnitentia formatus incedit.* 1. quidem victu, *anguſtias victus Domino libans, contentus ſimplici pabulo, puroque aqua potu*, tam in juventute quàm ſenectute, nonniſi pauculo veſcens pane, interdum quibusdam herbis quas male conditas & frigidas concedebat, ut ex eis guſtus nullum caperet oblectamentum Et quia *habet abſtinentia vini ſuos titulos, qua & Samuelem DEO voverat, & Aaronem conſecrarat*; Petrus de Alcantara puro aquæ potu utebatur, in tam modicâ adhuc quantitate, ut vix ad extinguendam ſitim ſufficeret.

Tert. l. de Jejun. 9
Tert. l. de Pœn. 9.
Tert. l. de Pœn. 11
Tert. l. de Idol. 18

2. Pœnitentia *de ipſo quoque habitu mandat*: Petrus de Alcantara toto vitæ tempore, habitu, totus pœnitentiæ formatus inceſſit, *in aſperitate ſacci.* Habitu namq; ſacco ſimili induebatur, eoque aſperrimo, & pauperrimo, quem ex veteribus Fratrum indumentis reficiebat, illum interdum lavans, & adhuc madidum inſumens; & cum quâdam vice deprehenſus fuerit huic negotio incumbens, & pallio duntaxat coopertus, à nonnullo fratre Dominicano qui eum temere velut de re indecorâ increpans, Petrus humiliter reſpondit; Si in hâc re aliquod eſt malum, hujus author eſt Chriſtus *veſtitu incultus* incedens & ſuis ſectatoribus præcipiens ut unicâ duntaxat tunicâ eſſent contenti. Tandem 3. loco totus pœnitentiæ formatus videtur, habitans in cellâ, in quadro quatuor ſolummodo pedes cum dimidio habente, in quâ nonniſi curvatus, & reſtrictus ſtare poterat, cum eſſet corporis mole magnus; ibiq; æſtatis tempore calore æſtuabat, & hyemis tẽpeſtate algebat frigore: quod ut acerbius perſentiret, aperiebat portã & feneſtrã, aquilonis auris exagitatus, rigidam illam pœnitentiæ formam detulit quadraginta & ſeptẽ añis, quibus in Ordine Seraphico vixit ſenſus ſuos continuò mortificãs.

II. PARS
Tert. l. de Res. Carn. 44
Exhort. ad Baptiz.

Semper mortificationem Domini JESV circumferentes in corpore noſtro. Mortificationem nuncupat Suidas *Apoſtolicam vitam*, quia illam Apoſtoli detulerunt. Eandem vocitat Mag. Baſilius, *Evangelicam diſciplinam*; quia perfectionis Evangelicæ ſectatores mortificationi ſtudere debent; quam poſſumus adhuc nominare Chriſti Domini imitationem. Quod innuere videtur Tertull: qui poſtquàm ſciſcitatus eſt *cur mortificationem Domini circumferimus in corpore noſtro*, reſpondet cũ Apoſtolo; *Vt & vita ejus manifeſtetur.* In Chriſti autem vitâ videmus mortificationem ſenſuum, præſertim viſus, guſtus, & tactus. Viſus, oculi ejus ſordido velo obtenebrati ſunt; guſtus, felle & aceto potatus eſt; tactus, corpus ejus flagellis dilaceratũ eſt. Petrus de Alcantara mortificationem Jeſu circumtulit, continuò mortificans, 1. viſũ: 2 guſtũ: 3. tactũ.

1. *Chriſtianus ſalvis oculis fœminas non videt, animo adverſus libidinem cæcus eſt.* Cujuſmodi fuit Petrus de Alcantara, qui ex eo tempore quo Ordinis Franciſcani ſuſcepit habitum, nunquam injecit oculos in faciem cujuſquam mulieris, adeò viſus mortificationi invigilabat, ut neſciret ex quanam materiâ compoſitum eſſet tegumen cellæ in quâ habitabat, neq; Eccleſiæ in quâ orationi vacabat. Tribus annis in uno conventu remanſit, nullum Religioſum niſi ex ſolo ſermone cognoſcens, intrà quadriennium adhuc non conſpexit arborem ad januam conventûs plantatam; in refectorio ad medietatem duntaxat tabulæ ante ipſum poſitæ, oculos injiciebat; & cum culinæ ſemeſtris ei commiſſa fuiſſet cura, increpatus à ſuperiore, cur uvas quæ in eâ pendebant, non miniſtrâſſet fratribus, demiſſe reſpondit, ſe illas non conſpexiſſe. Tert. apol 46

At cur tanto ſtudio Petrus de Alcantara viſum mortificabat? Multiplici de cauſa: 1. Quia oculorum modeſtia & mortificatio eſt *præclarum DEI munus.* 2. Ut Sanctos imitaretur & præſertim Seraphicum Franciſcum qui nonniſi demiſſo in terram vultu converſabatur, quod in Chriſti ſcholâ didicerat, qui dicitur ſublevâſſe oculos, *ut diſceremus quod oculos non erigebat huc atque illuc.* Cœleſtem Chriſti doctrinam ad praxim redegit Magnus Baſilius, qui cum Libani ſcholam adiiſſet profeſſoris longe omnium qui tunc extabant eloquentiæ nomine clariſſimi, rogatusque ab illo fuiſſet, ut diſcipulos, ſuâ facundiâ ad bene dicendum erudiret, amici votis annuens, magna corporis gravitate, & admirabili eloquentiâ locutus eſt, adoleſcentes hortans, *pudore ornari demiſſos habere oculos, ſurſum animum.* 3. Ut vetuſtam æmularetur Chriſtianorum modeſtiam, qui ſumpto corpore & ſanguine Domini, uda adhuc labra manu tergebant, eamque ad oculos admovebant, ut eo contactu expiarent oculos, & decore pudicitiæ conſecrarent. 4. Quia magna eſt oculorum velocitas qui quàm citiſſime in labem incurrere poſſunt. *Quam facile poteſt in puncto temporis evagari velocitas oculi, tam ſollicite præcavenda eſt irruentis noxa delicti.* 5. Ob periculum amittendæ caſtitatis, idcirco oculi appellantur à D. Hieronymo *moriturae virginitatis principia:* à ſancto Cypriano, *deſtructores caſtitatis*; à Magno Baſilio *libidinis pronubi & quaſi lena,* 6. Quia dæmon oculis utitur ad capiendas animas. *Oculis prima tentamenta proludens, ludentibus jaculans palpebris retia, quibus pretioſos juvenum animos capit:* & ut fatur ſanctus Cyprianus, *dæmon offert oculis formas illices, ut viſu deſtruat caſtitatem.* Ob has rationes debemus oculorum cuſtodiæ invigilare ad inſtar Petri de Alcantara, viſum, & adhuc guſtum mortificantis. Gre. Naz. Orat. 9 V Bed. apud Amphiloch. Cyril. Hierosol. Catech. 5 Euſe. Emiſſ Hom. 4. de Epiph. D. Ambr. l. de Abel 4 Lib. de Zel & Livor.

2. *Nunc ergo guſtus prævaricationem exprobrabis* Petro de Alcantara quaſi in cibo & potu delicias captet? Plures ſunt molles & delicati Chriſtiani victus aſperitatem metuentes, & in eſcis oblectamenta quærentes. Victus aſperitatem timentes *cum incommoda corporis reformident, quod extra lætitiam oportet deverſari, in horrore cineris, & oris* Tert. l. de An. 17 Tert. l. de Pœn. 11

de jejunio vanitate. Jejunio namque os palleſcit, & nativus ſ[illegible] d[illegible] evaneſcit. Deinde delectamenta quærunt in eſcis, & *condiunt pulmenta, & bene*
Tert. l. de Spect. 27 *ſaporatis, plurimum dulcibus.* Christiane perfectionis amans, *nec tam gulam facias voluptatis, quanti periculum per ſuavitatem*, imitare Petrum de Alcantara, pane duntaxat victitantem, vel ſi interdum adhibebat herbas, eas inconditas, frigidas, & guſtui inſipidas comedebat, metuens perdere inutiliter in nutriendo ventre tempus ad ſalutem animæ deſtinatum. *Tali victu David*
Tert. l de Jejun. 9 *exomologeſim ſuam expreſſit, cinerem quidem edens, velut panem, id eſt panem velut cinerem aridum & ſordidum, potum verò fletu miſcens, utique pro vino.* Tali etiam victu Petrus de Alcantara ſuam exprimebat pœnitentiam, qui dum aliquem ſaporem in alimentis deguſtabat, mox ſuper illa aquam vel cineres injiciebat, quomodo ad tantam devenit guſtus extinctionem, quod omnes eſcæ ſive frigidæ, ſive calidæ, ſive dulces, ſive amaræ, eundem illi ſaporem habere viderentur. Et cum aliquando Fratres ei miniſtrâſſent catinum aqua calida repletum, aceto & ſale condita, velut juſculum fabarum manducavit, adeò mortificatio eum effecerat guſtus alienum, neque minus tactus ſenſum mortificabat.

Tert. l. de Cor. Mil. 5 3. *Natura Dominus DEUS figuravit hominem, & fructibus rerum appetendis, judicandis, conſequendis, certos in eo ſenſus ordinavit, per propria membrorum quodammodo organa. Auditum in auribus fodit, viſum in oculis accendit, guſtum in ore concluſit, odoratum in naribus ventilavit, contactum in manibus extimavit.* Imò ad cuncta corporis membra extendit, quæ ſenſus, paſſionis & do-
Tert. l. de An. 12 loris capacia effecit. *Sentire pati eſt, quia pati ſentire eſt.* Inde concludit Tertullianus de corpore loquens, *ita totum pati eſt.* Petrus de Alcantara cunctis corporis ſui membris aliquẽ intulit dolorem, ſenſum tactus continue mortificans: Tum nudis pedibus ſupra petras, ſpinas, lutum, nivem & glaciem ambulans: Tum diſcooperto capite ſolis ardoribus, frigoris rigoribus, ventis, pluviis expoſitus incedens: Tum toto hyemis tempore ab igne recedens, & ut majori frigore algeret, aquilone exagitatus pallium deponens: Tum diſciplinis & catenulis ſingulis diebus & noctibus corpus flagellans: Tum carnem ſuam afflictationibus indeſinenter macerans.

III. PARS *Quæ igitur negotiatio patientiæ in corpore? Imprimis afflictatio carnis hoſtia Do-*
Tert. l. de Pat. 13 *mino placatoria, cum ſordes Domino libat; cum jejunia conjungit, cum cineri & ſacco inhæſit.* Perfectus Chriſtianus *perdit animam ſuam ſive ponendo eam ut*
D. Bernar. Serm. 30 in Cant. *martyr, ſive affligendo ut pœnitens.* Verus autem pœnitens *veterem hominem cum actibus ſuis, gladio pœnitentiæ enecat.* Perfectus & verus pœnitens Petrus
Guerric. de Pontif. de Alcantara, veterem hominem cum actibus ſuis, gladio pœnitentiæ enecans, carnem ſuam indeſinenter macerans: 1. ciliciis: 2. vigiliis: 3. jejuniis.

Tert. l. de Pœn. 10 1. Pœnitentia mandat *ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere.* Per ſaccum intelligit cilicium, more

Scriptu-

Scripturæ te accommodant, in Græco enim & Hebræo textu, pro cilicio habetur ſaccus: ſaccum autem ſeu cilicium nuncupat D. Ambroſius, *lugubrem veſtem*. E. R. ni . s Epiſcopus, pœnitentiæ & *contritionis indicium*. Hujuſmodi autem pœnitentiæ ſignum uſurpatum fuit tum in veteri, tum in novo Teſtamento. In veteri quidem Teſtamento, ut conſtat ex Achab, qui *operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite*: & hoc pœnitentiæ indicio, DEI ſeveritatem placavit. Patet adhuc ex Regio Vate, qui ad domandos laſciviæ motus, & ultionis appetitum frænandum ſi quando injuriis afficeretur, & comprimendum in ſummo dominatu mentis tumorem, & eluendum domeſticorum & ſubditorum ſcelus, ſuſcipiebat cilicium: *Poſui veſtimentum meum, cilicium*, illo velut thorace utens, & quaſi ad galeam confugiens. *Cum mihi moleſti eſſent, induebam me cilicio*. In Juditha, in Machabæis conſpicitur præſertim in Prophetis, qui ut fatur Apoſtolus, *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus*. Inter quos velut ſol inter ſtellas ſplendeſcit Joannes Baptiſta, qui ut refert Evangeliſta Matthæus, *habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos*. Unde D. Paulinus cilicii uſum & commoda commendans Heliæ & Baptiſtæ refert exemplum, *quorum alterum, hiſpida ſetis zona cingebat, alterum pili camelorum hirto tegmine veſtiebant*. In novo quoque Teſtamento, apud primos Chriſtianos ciliciulus maxime vigebat, ut ipſimet fatentur apud Tertullianum: *Nos verò jejuniis aridi, & omni continentia expreſſi, ab omni vitæ fruge dilati, in ſacco & cinere volutantes, invidia cœlum tundimus*. Et ut ad particularia veniamus, Magnus Baſilius de nocte, ut nemo id ſciret, atque ad vitandam oſtentationem, *cilicinam veſtem aſperamque geſtabat*. Quod teſtatur Gregorius Nazianzenus, qui de ſemetipſo loquens; Somnum, inquit, repello, & *lugubris veſtis ſqualida membra tegit*. Paula Romana à quibuſdã de nimia carnis afflictatione increpata, graviter reſpondit: *Mollia linteamenta & ſerica pretioſiſſima, aſperitate cilicii commutanda*. Nepotianus, non minus pietatis ſtudio quàm generis nobilitate clarus, apud Magnates & Imperatores converſans, *ſub chlamide gerebat cilicium in palatio*. Nicephorus Phocas Imperator adeò erat vitii aversator, & virtutis amator, ut ſub purpura indueretur cilicio, & *veſſicarum in morem pungere*. Sed apud Religioſos cilicii uſus magis eſt communis quàm inter cæteros Chriſtianos. Antiqui Monachi *cingula è melotis*, ſive caprinis pellibus ferre ſolebant, veluti *ſigna & argumenta mortificationis*. Virgines quoque DEO dicatæ nudis corporibus *aſperiora cilicia* imponebãt. Et ne prolixius diſcurramus, Petrus de Alcantara ſub hiſpido & pannoſo habitu deferebat continuò rude cilicium, non minoris quàm habitus quo operiebatur magnitudinis: & ſi S. Thereſiæ adhibeatur fides, viginti annis integris indutus fuit cilicio ſeu pœnitentiæ inſtrumento ex albeſcente ferro compoſito. Imaginare Chriſtiane, Guillelmum Aquitaniæ ducem, lori-

Ad Virg. lapſ.

L. 3. Reg. 21

Pſal 68

Pſal. 34

Hebr. 11

Matth. 3

Epiſt. 10 ad Sever.

Apol. 40

Orat. 20

D. Hieron Ep. 27

D. Hieron Ep. 3

Conſtant. Manaſſ. in Annal.

Iſidor. Peluſ. l. 1. Ep. 427

D. Chryſoſt. in Ep. ad aph.

câ indutum, ut & de ſuis ſceleribus pœnitentiam agat. Minus ſceleroſus,
Tert.l. de Jejun: 12 ſed nô minus pœnitens Petrus de Alcantara fame & inediâ extenuatus, *arida cute loricatus*, carnem melotis, ciliciis, & ferro macerat. Et hoc quadruplici potiſſimum de causâ. 1. Ut rigidiorem pœnitentiam velut hoſtiam DEO placatoriam immolaret. Sic anno ſummæ ſiccitatis & ſterilitatis, pluviam obtinuit, & pauperes ab imminente fame & morte liberavit. 2. Ut faciliùs impetraret à divinâ miſericordiâ ea quæ erant tum corpori, tum animæ
D Hierôn in c.3. Jonas neceſſaria. *Venter & habitus luctuoſus, ambitioſius Dominum deprecantur*; ut ex multis comprobatur qui Petri pœnitentiâ à DEO multa obtinuêre beneficia; non ſecus ac alii pænitentes, qui *ciliciis carni hærentibus ſupplices beneficia*
D.Cypr l. de Jejun: & Tentat. *poſtulârunt*. 3. Ut ſpiritualem animi lætitiam compararet ad inſtar Prophetæ Baruch, qui poſt indutum obſecrationis cilicium, repletus fuit gaudio.
Baruch.4 *Indui me cilicio obſecrationis, & venit mihi gaudium à Sancto*. Ut cœlum lætificaret, & interminabili gaudio in cœlo potiretur. Pœnitentia cœlum læ-
Tert. l. de Pœn. 8 tificat: *Lætantur cœli, & qui illic Angeli, pœnitentia hominis*. Pœnitentibus quoque interminabile gaudium comparat: Unde Petrus de Alcantara poſt mortem apparens B. Thereſiæ, ſeſe inter cœli cives receptum aſſeverans, pœnitentiam felicem prædicavit, quâ tantam aſſecutus eſt mercedem carnem macerans, ciliciis, & vigiliis.

Tert.l. de An. 43 2. *Somnum Anaxagoras, & Xenophantes defetiſcentiam affirmant*. Quorum ſententiam non approbat Tertullianus, cum ſomnus non fatigationem inducat, ſed potius tollat. *Neque enim credendum eſt, defetiſcentiam eſſe ſomnum. contrarium potius defetiſcentiæ quam ſcilicet tollit. Siquidem homo ſomno magis reficitur, quam fatigatur*. Quàm ſit humano corpori utilis ſomnus, imò & neceſſarius, belle declarat Tertullianus. *Porrò ſomnum ratio præit, tam aptum, tam utilem, tam neceſſarium, ut abſq; illo nulla anima ſufficiat; recreatorem corporum, redintegratorem virium probatorem valetudinum, pacatorem operum, medicum laborum cui legitime fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum etiam colorem*. Plures ſomni utilitates refert Tertullianus, qui adeò neceſſarius eſt corpori humano, ut ejus defectum & privationem, inter acer-
L. de Reſu. Carn. 8 biora Martyrum tormenta annumeret Tertullianus. Quorum *caro ne ſomno quidem libera; quippe ipſis etiam cubilibus vincta; ipſiſq; ſtramentis lancinata*. Petrus de Alcantara vigiliis multis Martyrum paſſiones æmulans, per quadraginta annos ſingulis noctibus, unâ duntaxat horâ cum dimidiâ indulgebat ſomno, hoc pœnitentiæ genus, inter præcipuas carnis afflictationes referens; Chriſtiani olim hebdomadam ſanctam, cum pœnitentiâ celebra-
D. Epiph. l.3 Hær.7 bant, *hoc tempore humi cubando*, B. Petri de Alcantara *caro non in ſolo* tempore
Tert l. de Pat. 13 majoris hebdomadæ, ſed ferè toto vitæ curriculo: cujus cubile erat pellis ſupra humum vel ſtramentum extenſa, ubi ut plurimum genibus flexis ſtabat, vel ſuprà talos laſſitudinis causâ poſitus, neque unquam dormiebat niſi ſedens, capite ſuprâ parvam tabulam parieti affixam inclinato, ſic ciliciis, vigiliiſque macerans carnem.

3. Præ-

3. *Præmiſſo jam ſanguinis ſucco, tanquam animæ impedimentis, properante* Tert: l. de An. 12
jam & ipſa, quæ jam ſæpe jejunans mortem de proximo norit. Sæpe & indeſi-
nenter jejunans Petrus de Alcantara præmiſſo jam per jejunium conti-
nuum ſanguinis ſucco, tanquàm animæ impedimentis, totus macilentus ad
DEUM properabat ſemel duntaxat in triduo manducans, & interdū heb-
domadam integram absque eſu & potu pertranſiens, per tres annos victi-
tans pane aquæ intincto, & condimento ſale & aceto condito, quod pro
lautiſſimo habebat convivio.

Timotheum Apoſtolus propter ſtomachum & aſſiduas infirmitates, modico vi- Tert. l. de Jejun: 9
no monens uti, quo ille non ex inſtitutione, ſed ex devotione abſtinebat, hoc ipſo ab-
ſtinentiam vini dignam DEO ſuaſit, quam ex neceſſitate diſſuaſit. Petrus de Al-
cantara ob magnas & diuturnas corporis afflictationes ægrotās adduci non
potuit, ut vinum ſumeret, & ab aſſuetis ciliciis, vigiliis & jejuniis tempera-
ret. *Quanquam ubi abſtinentia vini aut à DEO exigitur, aut ab homine vovetur,* Tert. ibid.
illic intelligatur etiam pabuli preſſura, formam præſtruens potui. Qualis enim eſus,
talis & potus. Veriſimile non eſt ut quis dimidiam gulam DEO immolet aquis ſo-
brius, & cibis ebrius. Cumque fratres ejus ægritudine ſubvenire volentes ei
dixiſſent quod niſi aliquod acceptaret ſolatium, ſuiipſius eſſet homicida, vo-
tis non annuens benigne reſpondit: Nolle ſibi inferre mortem, ſed carnem
duntaxat mortificare: tum ut Sanctos (& præcipue Patriarcham Franciſ-
cum) qui absque ullâ comparatione magis quàm ipſe maceraverant cor-
pus, imitaretur; tum ut de illo domeſtico hoſte victoriam facilius reporta-
ret, cujus auxilio dæmon animam expugnabat. *Ardentes diaboli ſagittæ, je-*
juniorum & vigiliarum rigore extinguenda ſunt. Idcircò etſi jam perſæpe fue- D. Hieron Ep. ad Furiam.
rit à diabolo de carnis voluptate tentatus nunquam tamen fuit ſuperatus,
ſed inimicum ſemper jejuniis, vigiliis, macerationibus detriumphavit: &
cum quâdam vice hyemis tempore fuiſſet gravi voluptatis tentatione exagi-
tatus, in glaciale ſtagnum ſe dejecit, ibique remanſit quoadusque perfectam
de ſeipſo & diabolo victoriam reportâſſet.

Perfecta pœnitentia multas ſecum annexas habet virtutes. Ut enim fa-
tur Tertullianus: *Itaq; exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſ-* Lib. de Pœn. 9
ciplina eſt, converſationem injungens miſericordia illicem de ipſo quoq; habitu atq;
victu mandans, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœ-
roribus dejicere, illa quæ peccavit triſti tractatione mutare. Cæterum, paſtum &
potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſa: plerumque verò jejuniis
preces alere, ingemiſcere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum DEUM
ſuum, presbyteris advolvi, & caris DEI adgeniculari, omnibus fratribus legationes
deprecationis ſuæ injungere. Fuſe refert Tertullianus cuncta quæ olim publi-
ce pœnitentes faciebant, quæ omnia in B. Petro de Alcantara recognoſco.
1. Humilitatem, Caroli V. Imperatoris officium confeſſarii recuſans; ſeſe
hominem nullius meriti, & magnum peccatorem reputans, fratribus de-
miſſe miniſtrans in refectorio agnoſcebat culpam. Et illa Petri demiſſio

tan-

tantò erat major, quantò majoribus potiebatur dotibus: veluti prophetiæ dono, diſcretione ſpirituum, gratia linguarum, extaſi, gloria miraculorum quibus coruſcavit, non ſolum poſt mortem, ſed adhuc vivens, ſiccis pedibus ſuper flumina ambulans & peram quâ fulciebatur in terra plantatam, in ficum fertiliſſimam immutans. 2. Miſericordiam & charitatem in proximum, pauperes viſitans, afflictos conſolans, ægrotis miniſtrans, pro egenis mendicans, peccantes convertens, cunctisque in univerſum ſubveniens. 3. Orationem, quâ alebat jejunia, tanto fervore Miſſæ celebrabat ſacrificiũ, & cœleſtium contemplationi vacabat, ut elevatus à terra conſpiceretur: & quadam vice ante crucem orans, nube lucida fuerit coopertus, emittens fulgidos de oculis ſuis radios. Cunctis religionis myſteriis erat addictus, præſertim ergà Verbi humanationem, & ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, tanta ferebatur devotione, ut mox ut quis de illis loqueretur, vel ipſe

Tert. l. de Pat. 13 divinam cogitaret dignationem, raperetur in extaſim. Et quia *patientia deprecationes affirmat*, miram 4. demonſtravit patientiam, tum in tolerandis variis morborum generibus, tum in ferendis quæ illi acciderunt perſecu-

Tert. ibid. tionibus. Et quia verus pœnitens *in penuria mundi* delectatur, 5. paupertatẽ in cunctis amabat, in victu, veſtitu, cella, quam Evangelii nuncupabat margaritam, & ſuis fratribus præcipuè commendabat. Taceo plures alias virtutes, quibus pœnitentiam ſuam exornavit, & in cœlo gloriæ coronam comparavit.

REGU-

REGULARIUM PATRIARCHÆ.

SCHOLIUM.

In hoc Tractatu ſex tantummodo conſiderantur Regularium Patriarchæ: nimirum 1. Antonius: 2. Auguſtinus: 3. Benedictus: 4. Bernardus: 5. Dominicus: 6. Minorum Pater Franciſcus.

CONCIO PRIMA.

V*Ocati ſumus ad militiam DEI vivi, jam tunc cum in ſacramenti verba reſpondimus.* Magnum ſane eſt diſcrimen inter cœli cives, & terræ incolas. Illi perpetuâ fruuntur pace, nec ullos habent inimicos quibuscum dimicent; iſti è contra multos patiuntur hoſtes, qui eos indeſinenter ad prælium provocant. Hujusmodi diſcrimen innuit Job, ajens: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Ex D. autem Ambroſio, Propheta bene addit, *in terra, quia eſt vita hominis, & in cælo:* non in cœlo ſed in terra duntaxat, militia eſt vita hominis, qui hoſtes habet circà ſe, intrà ſe, & extra ſe. Circà ſe, mundum, qui eum impugnat divitiis perituris, voluptatibus fœdis, honoribus vanis. Intra ſe, hoſtem domeſticum, nempe ſemetipſum, à quo aggreditur carnis blanditiis & voluptatibus, inordinatis paſſionum motibus, ſufflammatis concupiſcentiæ ardoribus. Tandem contra ſe dæmonem, qui malis ſuggeſtionibus, crebrisque tentationibus eum expugnare nititur. Cum tribus illis inimicis, homini viatori pugnandum eſt acriter, vincendum fortiter, & glorioſe triumphandum ad inſtar Antonii, cui DEUS *certamen forte dedit, ut vinceret,* 1. mundum: 2. ſeipſum: 3. diabolum.

Ter. lib. ad Mart. 3 — Cap. 7 — Lib. de Bon. Mort 3 — Sap. 10

I. PARS.

Mundus ſumi poteſt vel phyſicè, vel moraliter. Mundus phyſicè ſumptus complectitur cœlos, elementa, & omnes creaturas quæ intrà illo-

Tert. l. de vel: Virg: 4

illorum ambitum continentur. *Si mundum dixeris, illic erit & cœlum, & quæ in eo, ſol & luna, & ſidera, & aſtra, & terra, & freta, & omnis cenſus elementorum, omnia dixeris, cum id dixeris, quod ex omnibus conſtat.* Mundus moraliter ſumptus, importat vel homines criminoſos, qui degunt in univerſo orbe, vel potius vitia, crimina, pravasque mundi ſeu hominum mundialium leges & operationes, quo ſenſu Apoſtolus aſſeverat ſibi mundum crucifixum & viciſſim ipſum mundo crucifixum. *Mundum enim quantum ad converſationem ejus poſuit, cui mutuo transfigimur, & invicem morimur.* Mundus phyſice ſumptus ex ſe malus non eſt, neque homini noxius, ſed bonus, & amore dignus, utpote DEI opus, quod ad hominis utilitatem produxit, quod per ſe notum meritò aſſeverat Tertullianus: *Nemo negat quia nemo ignorat, quod ultro natura ſuggerit, DEUM eſſe univerſitatis conditorem, eamque univerſitatem tam bonam, quàm homini mancipatam.* Mundus moraliter ſumptus, malus eſt, DEO injurioſus, homini noxius, maximè averſandus: quo ſenſu dilectus diſcipulus proclamat mundum in maligno poſitum; Jacobus Chriſtianum hortatur, (immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo:) & princeps Apoſtolus ſtimulat eum fugere eam quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem. Mundum moraliter ſumptum duplici, eoque non bono elogio commendat Tertullianus: Tum quia *Ægyptus nonnunquam totus orbis intelligitur ſuperſtitionis & maledictionis elogio*: Tum quia nonnulli *de ſæculo exire, de ſepulchro evadere interpretantur; quia & ſæculum mortuorum ſit habitaculum, id eſt ignorantium DEUM.* Tria ſunt potiſſimum in mundo morali, ob quæ & Ægypti, & ſepulchri obtinuit vocabulum; ſcilicet cupiditas, voluptas, & iniquitas, de quibusglorioſè triumphavit Antonius, 1. de cupiditate, divitiis renuntians: 2. de voluptate, carnem macerans: 3. de iniquitate, virtutes congregans.

Tert. lib. 5 adv. Marc 5

Tert. l. de Spect. 2

Jacob: 1. 1. Petri. 1

Tert. l. adv. Jud: 9. Tert. l. de Reſ: Carn: 19.

Tert. l. de Spect: 14 1. Timot: 6.

I. *Concupiſcentiæ ſæculi damnantur*; quibus homo mundo deditus terrenas divitias inordinate deſiderat, easque per fas & nefas comparat. Ut autem docet Apoſtolus, *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli; & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* 1. Non dicit Apoſtolus qui divites ſunt, ſed qui volunt divites fieri: ſunt enim multi divites boni & ſancti qui pecunias habent, ſed eas aſpernantur, rite diſpenſant, & in pauperes diſtribuunt. Ut autem animadvertit D. Auguſtinus, *cupiditates accuſavit, non facultates: avaritia enim eſt velle eſſe divitem, non autem eſſe divitem.* 2. Cunctis Chriſtianis loquitur Apoſtolus, præſertim paſtoribus & præſulibus, non ſuo miniſterio, ſed avaritiæ ſtudentibus, patrimoniaque Chriſti impendentibus, non in ædificandis & ornandis Eccleſiis, non in miſeris & pauperibus ſublevandis; ſed in venatione, luxu, conviviis, ludis, voluptatibus ad inſtar Georgii Alexandrini, qui occupatâ Arianorum vi, Athanaſii ſede, *pietatis adjumenta convertit in impietatis inſtrumenta.* Subjungit 3. Apoſtolus: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem: vel quia negligunt ſacrum, res divinas, & cun-

L. 50. Hom. hom. 13.

Gre: Naz. Orat. pro Athan.

ĉta quæ ad religionem pertinent: Vel quia divitiarum cupido vehementiſſima; imò inexplebilis eſt. *Avaritia quo plura abſtulerit, eo magis inopem ſe eſſe credit; omnibus invida, ſibi vilis, in ſummis divitiis inops, affectu extenuat quod ſenſu abundat: Nullus rapiendi modus, ubi nulla menſura cupiendi; elementa concutit, mare ſulcat, terram effodit, cœlum votis fatigat; nec ſereno grata, nec nubilo; condemnat proventus annuos, fœtumq; terrarum arguit.* Neque ſolum incidunt in tentationem qui inſatiabili divitiarum æſtuant cupidine; ſed 4. in laqueum diaboli. *Advertis laqueum diaboli eſſe divitias, quem tetendit etiam Salvatori?* Per hujusmodi laqueum, D. Chryſoſtomus intelligit infidelitatem, in quam labuntur qui inordinate divitiarum cupiunt abundantiam. *Quam quidam appetentes erraverunt à fide,* ſubjungit Apoſtolus. Alii animi ſervitutem. Avarus enim eſt captivus & ſervus divitiarum: quapropter aurum non debemus vocitare cum D. Auguſtino, *fugitivum ſervum*, ſed imperantem dominum. Alii ſuperbiam: ut enim ait D. Hilarius, *inſolentes præſtat opulentia, & maxime timorem DEI divitiarum fiducia inanis avertit.* Alii cuncta in univerſum vitia, & hâc de causâ divitiæ vocitantur à D. Auguſtino, *deliciarum matres*; quia ſubminiſtrant facultates molliſſime & voluptuoſe vivendi. *Quid ſunt divitiæ? ſerviunt tantum carni, ſunt improbæ abominandæque voluptatis adminiſtræ, & matres arrogantiæ, & radices & procreatrices faſtus, vanaq; gloriolæ.* A Divo Chryſoſtomo dicuntur, *malitiæ ſchola.* Philo Judæus appellat divitiarum appetitum, *arcam omnium iniquitatum*; ex quâ avarus ad ſtragem omnium virtutum, cunctis vitiis ſtipatus erumpit. Ut enim ait ibidem Apoſtolus, *radix omnium malorum cupiditas*: quod intellige diſtributive, non pro ſingulis generum, ita ut omnia peccata quæ unquam ab Angelis & hominibus facta ſunt, ſuam à cupiditate ſumpſerint originem; ſed pro generibus ſingulorum, quia ſcilicet omnis generis mala ab avaritiâ procedunt. Quomodo Apoſtolum interpretatur D. Ambroſius. *Avaritia quia omnia mala poteſt admittere, ideò radix omnium malorum eſt; quia ut deſideria ſua expleat, (quod tamen impoſſibile eſt ut reipſa aſſequatur) & maleficia & homicidia, & obſcœnitatem, & quidquid eſt ſceleris perpetrat,* quæ exequatur incidit 5. in deſideria multa inutilia & nociva; tum aliis, tum ſibi. Nam ut belle fatetur ad propoſitum D. Proſper, *qui habent divitias ſine labore non quærunt, ſine difficultate non inveniunt, ſine cura non ſervant, ſine noxia delectatione non poſſident, ſine dolore non perdunt.* Tandem 6. divitiæ inordinate deſideratæ, anxie quæſitæ, cum ſollicitudine cuſtoditæ, & cum animi dolore amiſſæ, mergunt in interitum & perditionem. In interitum quidem, quia animabus afferunt mortem, & ob hanc rationem Chryſologus auri locũ nuncupat ſepulchrũ, quia in illo velut in ſepulchro mali divitis anima tumulatur. *Aurum de profundo terræ anima de excelſis cœli. Melius proinde eſt ad ſedem animæ deferri aurum; quam in ſepulchro anima mergatur,* & æternam perditionem & damnationẽ in inferno patiatur, ut ipſe cõminatur Deus. *Sic & in filias Sionis* in-

D. Ambr. l. de Cain & abel c. 5

D. Cypr: Serm. 6 in Ora: dom

Serm: 26 de Verb: Apoſt:

In Pſ. 51

D. Cyr: in Soph: num 10

L. de Jud:

L. 2. de Vit contempl: 13

Serm: 22

Tert. l. 4 adv: Marc 15

invehitur per Eſaiam cultu & divitiarum abundantia inflatas, comminabundus ; *& alibi nobilibus & ſuperbis. Dilatavit Orcus animam ſuam, & aperuit os ſuum & deſcendent inclyti & magni & divites (hoc erit Chriſti væ ſuper divites, & humiliabitur homo, utiq; exaltatus divitiis; & inhonorabitur vir; utique ob ſubſtantiam honorabilis.* Ex his conſtat quàm meritò cupiditas vocitetur ab Apoſtolo radix omnium malorum, quia cunctorum vitiorum inſtrumenta ſuppeditat, & perverſos divites in infernum præcipitat.

D. Aug. Serm: 12 de Verb: Dom. Verum *ſicut radix omnium malorum eſt cupiditas, ita radix omnium bonorum eſt charitas.* Illa terrena bona inordinate appetit, hæc generoſe deſpicit; illa viduas, pupillos & egenos ſuis facultatibus injuſte deſpoliat, hæc liberaliter eleemoſynas pauperibus erogat; illa ad terrena duntaxat bona reſpicit, hæc ad cœleſtia bona, mentis oculos & voluntatis affectus attollit. Antonius charitate ſufflammatus, glorioſe de cupiditate triumphavit, paternam vendens hæreditatem, ejusque pretium largiens pauperibus: in templo enim Matth. 19 exiſtens, & audiens verba cuidam juveni à Chriſto Domino dicta: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo;* Mox ut audivit, quaſi ſpecialiter ad eum dirigeretur ſermo Dominicus, hæreditatem à patre mutuatam vendidit, pauperibus erogavit, ut Evangelicam Joan Gerſ Serm. de S. Anton. in pr. toto vitæ curriculo ſervaret paupertatem: *Antonius ad unicam Evangelici vini prægustationem, ad unam ut dicitur guttam;* Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; *Protinus à terrenis ad ſpiritualia; ab imis ad ſumma; à viſibilibus ad inviſibilia; à caducis ad æterna ſeorſum ductus eſt: ſedemque in ſolitudine levavit ſupra ſe.*

Mitridates fortiſſimus & callidiſſimus Ponti rex, à Romanis victus, in fugam verſus, & ſummâ celeritate à victoribus inſecutus, ne in hoſtium incideret manus, aurum, argentum, gemmas, purpuram multam, regiam ſupellectilem, copioſiſſimam & pretioſiſſimam late per viam ſparſit, dum autem tot ac tanta bona avide legiones colligunt, ipſe audacium militum conatus eluſit, in locum tutum ſe recipit, unde poſtea majore vi & contentione bellum denuò incipit. Diabolus ab Antonio per divitiarum contemptum ſuperatus, ſparſit ſemel in itinere ingentem argenti maſſam, non ut Antonium fugeret, ſed ut argenti cupiditate cor Antonii ſufflammaret. Ve-Lact. lib. 6 c. 12. rum Sanctus qui ſua bona DEO obtulerat, *Transfer ad magnum ſacrificium, male peritura,* diaboli aſtutiam dignoſcens, maſſam illam argenti cum contemptu conſpiciens, diabolo audaciter dixit, (Argentum illud hoſtis tartaree tecum ſit in perditionem.) Alterâ vice, magnam vidit auri copiam à diabolo adhuc appoſitam, quam intuens mox fugam quàm citiſſimè capit, fu-In Soph. num. 10. giens aurum, quod belle Cyrillus Alexand. nuncupat fugitivum. *Plutus eſt fugitivus;* nomine autem pluti, veteres aurum & divitias intelligebant.

Serm. 100 de temp. Conqueritur Divus Auguſtinus inter magnam pauperum multitudinem, vix unum pauperem inveniri; *Videte cum abundent pauperes, quærimus pau-*

pauperem & vix inveniemus. Ut ejuſmodi enodetur ænigma, animadvertendum eſt pauperes eſſe in triplici differentiâ. Quidam cenſu duntaxat non affectu, neque ſpiritu; alii non cenſu, ſed affectu & ſpiritu; tertii cenſu, affectu & ſpiritu. Pauperes cenſu duntaxat ſunt mendiculi, inditâ & miſerabili neceſſitate pauperes, quorum paupertas ſi non adſit patientia, & cum divinâ voluntate conſenſio, nullum eſt pretium, præmium nullum, beatitudo nulla, ſed multa miſeria: *Cenſu pauperes, crimine divites.* Chryſol. Serm. 128 Pauperes non cenſu, ſed affectu & ſpiritu illi ſunt, qui in opulento cenſu, & divitiarum affluentia affectu & ſpiritu ſunt pauperes; cujuſmodi fuit Abraham: *dives valde* Geneſ. 13 *in poſſeſſione auri & argenti*: ſeu ut ex Hebræo vertit D. Hieronymus gravis valde: *Abraham gravis vehementer; Ægypti enim pondere gravabatur, & ut videantur eſſe divitiæ pecoris, auri & argenti; tamen ſi Ægyptia ſunt, viro ſancto graves ſunt.* Tandem pauperes cenſu, affectu & ſpiritu, illi ſunt qui divino Spiritûs ſancti afflatu allecti terrenis facultatibus renuntiant, non ut expeditiores ſint ad Philoſophiæ ſtudium, neque ut hominum captent exiſtimationem & applauſum; uti fecerunt Crates, Ariſtippus, Diogenes, aliique Gentiles philoſophi, ſed ex mero DEI amore, zelo Evangelicæ paupertatis, ut Chriſti ſequantur conſilium, & imitentur exemplum, qui cum dives eſſet propter nos egenus factus eſt. *Vis intelligere quis pauper ſpiritu eſt? qui corporalem opulentiam animæ divitiis permutat; qui propter ſpiritum egenus eſt; qui terrenas divitias veluti quoddam onus excuſſit & abjecit, & hoc ut ſublimis ſurſum rapiatur.* Greg. Nyſſ. l. de Beatitudinibus. Ejuſmodi pauperem, *pauperem DEI* nuncupat D. Auguſtinus, quales ſunt religioſi ſtatui ſuo probe reſpondentes: *Monachorum opes in paupertate, qui in mundo nihil habent, & ſupra mundum exiſtunt; qui pro portione DEUM habent; qui propter regnum inopia laborant; & propter inopiam regnant.* Gre. Naz. Orat. 12 Inter quos maximè ſplendet Antonius, divitiis pro DEO, pro Chriſto, pro cœlo renuntians, paupertatem amplexans, tum de cupiditate, tum de voluptate triumphans.

2. *Sicut pecunia vel dignitatis, vel gulæ, vel libidinis, vel gloriæ; ita & voluptatis concupiſcentia eſt.* Tert. l. de Spect. 14 Hanc autem voluptatis concupiſcentiam auctores tam ſacri, quàm prophani uno ore depretiant: apud Platonem, qui cogitatuum ſublimitate meruit nuncupari divinus: *Voluptas eſt malorum eſca, quâ homines capiuntur, ut hamo piſces.* Apud Ciceronem, qui ob miram quâ pollet eloquentiam, vocitatur Orator, *malorum omnium mater voluptas, cujus blanditiis corrumpuntur, quæ natura bona ſunt.* Lib. 1. de Leg. Apud Moralem Philoſophum velut latro habetur voluptas: *Voluptates præcipue ex turba, & infeſtiſſimas habe, latronum more, quos philetas Ægyptii vocant, in hoc nos complectuntur, ut ſtrangulent.* Epiſt. 59 Ab Ænea Gazeo vocitatur voluptas *mors mellea*: à Marco Tullio, *capitalior peſtis*: à Pythagoreis, *malorum omnium fons*: Quia ab eo velut fonte fluunt omnia vitia: quam Clemens Alexandrinus appellat *improbitatis & vitii metropolim*; quia ad illam omnia confluunt ut ad me- In Caton. Major. L. 7 Strom.

L. de Virg. cap. 2 tropolim cives. Gregorius Nyſſenus *patronam*, eò quòd omnium propè vi-
Orat: 6 tiorum ſuſcipiat patrocinium. Gregorius Nazianzenus *flammam*, ratio-
nem fumo ſuo obſcurantem, & ardore ſuo voluntatem ſufflammantem.

Gre: Naz: Orat: 8 Verum quantumvis voluptas rationis *lumini, objecto ſuo adverſetur*; quan-
tumvis ſit flamma virtutes comburens, peſtis animum inficiens; laqueo ſtran-
D. Ambr. l. 2. de Virg: gulans, & mortem afferens; tyrannus in ſervitutem redigens, & vinculis
irretiens; hamus homines capiens; criminum parens, vitiorum metropolis;
Ter. l. de Spect: 28 malorum omnium fons & ſcaturigo; attamen *Philoſophi quidam hoc nomen
quieti & tranquillitati dederunt, in ea gaudent, in ea avocantur, in ea etiam glo-
riantur.* Epicureos tangit Tertullianus, qui in voluptate ſummum repone-
Luc: l. 2 bant bonum; canentes cum Poeta eorum ſectatore, *dux vitæ dea voluptas*;
ſine quâ vix vita expetenda eſſe videatur. Tanti habebatur etiam apud Sa-
pientes, vitæ voluptas; ut in primis Chriſtianæ religionis ætatibus; ſæviente
Tert. l. de Spect: 2 tunc tyrannorum perſecutione: *Plures invenias, quos magis periculum volup-
tatis, quam vitæ avocet ab hac ſecta. Nam mortem etiam ſtultus ut debitam non
extimeſcit, voluptatem etiam ſapiens ut tantam, non contemnit; cum alio non ſit
& ſtulto & ſapienti vitæ gratia, niſi voluptas.* Et ob hanc cauſam exiſtimabant
Gentiles voluptatum abdicatione erudiri Chriſtianos ad mortem fortiter
tolerandam. Gentiles Philoſophi, dolorem avertere ſatagentes, ſtatuerunt
velut dogma ab omnibus recipiendum abdicandas eſſe voluptates ante
mortem, ut hæc dolore careret. Ejuſmodi dogma philoſophicum refert
Sen: Epiſt. 27. Philoſophus Moralis; & quia *ſpecies voluptatis, etiam ſpectacula* putabant. Gé-
tiles putabant dogma illud philoſophicum vigere apud Chriſtianos, abdi-
Tert. l. de Spect: 14 cantes ſpectaculorum voluptates, ut ita paratiores eſſent ad ferendam ſine
Tert. l. de Spect: 1 dolore mortem: *Sunt qui exiſtimant Chriſtianos, expeditum morti genus, ad
hanc obſtinationem, abdicatione voluptatum erudiri, quo facilius vitam contem-
nant, amputatis quaſi retinaculis ejus, nec deſiderent quam tam ſupervacuam ſibi
fecerunt, ut hoc conſilio potius & humano proſpectu, non divino præſcripto definitum
exiſtimetur.* Voluptates nuncupabant vitæ retinacula, quia iis remotis &
veluti conſepultis, mors potius & tumulus ſit deſiderandus quàm vita la-
borioſa, voluptate & oblectamento deſtituta. Male tamen cenſebant Gen-
tiles Chriſtianos duntaxat abdicare voluptates ob dogma Philoſophicum,
ut in martyrio nullum perſentirent dolorem; id enim exequebantur aliâ de
causâ, ut ſcilicet diſciplinam Chriſtianam melius obſervarent, pro religione
fortius dimicarent, DEO liberius ſervirent, & conſtantiores in cruciatibus
forent; Chriſtiani enim voluptatibus dediti nec probe ſuo nomini re-
ſpondebant; neque ſatis erant expediti ad tolerandum pro honore DEI
Tert. ibid. martyrium: *Pigebat ſcilicet etiam perſeverantes in voluptatibus propter DEUM
mori.* Quo argumento utitur Tertull. ut mulieres Chriſtianas à mollitie, &
Lib. 2. de Cult. Fœ: 13 luxu veſtium dimoveat: *Diſcutienda ſunt delicia quarum mollitia & fluxu fidei
virtus effœminari poteſt. Cæterum neſcio an manus ſpathalio circumdari ſolita, in*

du-

duritiam catena ſtupeſcere ſuſtineat. Neſcio an crus periſcelio lætatum, in nervum ſe patiatur arctari. Timeo cervicem, ne margaritorum & ſmaragdorum laqueis occupata, locum ſpathæ non det. Sapphalium eſt ornamentum muliebre, delicias redolens, periſcelio adhuc mulierum exornabantur tibiæ.

Ex his conſtat abdicandas eſſe voluptates, neque niſi magna difficultate vincendas: ab Antonio tamen fuiſſe glorioſe ſuperatas; quæ ſupra diximus ad voluptatum fugam ſtimulant, quibus multa addenda ſunt ad abdicandam voluptatem incitamenta: 1. Quia fucata duntaxat, non vera eſt voluptas. *Delicatus es Chriſtiane, ſi & in ſæculo voluptatem concupiſcis, imò nimium ſtultus, ſi hoc exiſtimas voluptatem.* Tert. l. de Spect. 28. 2. Quia brevis & volatica eſt *inſtar umbræ prætereuntis.* Quid umbrâ fugacius? umbra eſt ſæculi voluptas: Cyr. Alex: Tract: 1 in Pſal. c. 4. Et ut fatur Gregorius Nyſſenus, *phantaſma fallax*: quod cum teneri ab amatoribus creditur, ſubitò evaneſcit. 3. Quia homines mundiales minimè ſatiat: *Semper voluptas famem ſui habet, & tranſacta non ſatiat.* D. Hieron. Ep. ad Damaſum. 4. Quia ex Gregorio Nyſſeno *omnis voluptas conjunctum habet dolorem atque moleſtiam.* De Reſur. 5. Quia inſidioſa eſt; inde Lactantius hortatur Chriſtianum: (Te moneo ut oblectamenta iſta terræ pro magnis ac veris bonis habere ne credas, quæ ſunt non tantum fallacia, quia dubia: verum etiam inſidioſa, quia dulcia;) imò & venenoſa. *Proinde habe, ac ſi ſtillicidia mellis de ranunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per ſuavitatem.* Tert. l. de Spect: 27. 6. Quia neque à morte, neque à fœtore & corruptione liberat. *Quid proſunt divitiæ? quid epulæ? quid deliciæ, & ab his & illis parta voluptas? non liberabunt à morte, non defendent à verme, non eripient à fœtore:* Innoc: 3. imò magis ac magis immergent & immergendo etiam æternum perdent. 7. Quia Chriſtianus ut à Gentilibus diſcriminetur debet eſſe à voluptate alienus, cujus illi ſectatores ſunt. *Non poſſumus cum illis diſcumbere; quia nec illi nobiſcum. Vicibus diſpoſita res eſt; nunc illi lætantur, nos conflictamur: ſæculum,* inquit, *gaudebit; vos verò triſtes eritis.* Tert. l. de Spect: 8. Sic loquuntur Chriſtiani mox ex differentiâ quæ inter illos & Gentiles intercedit ſapienter concludentes: *Lugeamus ergo dum Ethnici gaudent, ut cum lugere cœperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus.* 8. Quia mundana voluptas contemnenda eſt Chriſtiano, qui cœli deſiderat voluptatem. *Dicam velim: non poſſumus vivere ſine voluptate: qui mori cum voluptate debemus? nam quod eſt aliud votum noſtrum, quàm quòd & Apoſtoli, exire à ſæculo, & recipi apud Dominum? Hæc voluptas, ubi eſt votum.* Tert. ibid. Tot conglobatæ rationes evidenter demonſtrant, fugiendam eſſe ſæculi voluptatem, quàm autem difficile ſit illam ſuperare, nunc eſt oſtendendum.

Plura ſunt quæ oſtendunt difficillime ſuperare voluptatem. 1. Quia impreſſa inſertaque eſt penitus in natura corrupta; & ut docet Philoſophus, cum illa à primâ pueritiâ educati ſumus, difficillime autem vincimus quod cum lacte nobis inditum eſt. L. 2. Ethic: 2. 2. Quia anima corporis *libidinibus & concupiſcentiis evigorata*, efficitur ad pugnandum velut im- Tert. Apol. 17.

impotens & inermis. 3. Quia voluptas eſt ſirene blanditiis emolliens; vel Circe poculis incantans. *Malum omne facilius vincitur, quàm voluptas; quia* D. Cypr. de Bon. Pu *illud quidquid eſt, horridum eſt, hoc vero blandum eſt* : adeoque vinci difficillimum. 4. Quia cum hoſte domeſtico dimicandum eſt. Ut enim ſubjungit D. Cyprianus, *qui inimicum proſtravit, externum hoſtem percuſſit : qui cupiditatem depreſſit, hoſtem domeſticum ſuperavit.* Longè autem facilius eſt hoſtem extraneum, quàm domeſticum ſuperare, quia *qui hoſtem vicit fortior fuit, ſed altero: qui libidinem repreſſit, ſeipſo fortior fuit.* Inde concludit ſanctus Martyr, *nulla major eſt victoria, quàm ea quæ de cupiditatibus.*

Inde taxanda eſt Antonii fortitudo, qui de ſæculi voluptate glorioſe triumphavit. At quomodo? Voluptatem ſuperavit non otio, ſed labore; non mollitie, ſed duritiâ; non gulâ & comeſſatione, ſed abſtinentiâ & jejunio: Tert. l. ad Mart. 3 1. Non otio, ſed labore voluptatem vicit Antonius. *Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; ſed de papilionibus expeditis & ſubſtrictis, ubi omnis duritia & imbonitas & inſuavitas conſtitit. Etiam in pace, labore & incommodis bellum pati jam ediſcunt: in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtudinem denſando, ſudore omnia conſtant, ne corpora atq; animi expaveſcant: de umbra ad ſolem, de ſole ad cælum, de tunica ad loricam, de ſilentio ad clamorem, de quiete ad tumultum.* Non otio indulgens, ſed labori vacans Antonius vicit voluptatem, panem in ſudore vultus ſui comedens, magnâ cum voluptate, eo quòd campum laboraverat, granum collegerat, & ſic de fructu manuum ſuarum alimenta ſumebat. Eccleſ. 4 *Stultus complicat manus ſuas;* neque eis ad operandum utitur, ſed in otio conſervat, Caſſian. l. 10. Inſtit. c. 23 quod non parvum eſt malum, pulvinar namque diaboli eſt: *Operans uno dæmone; otioſi multis pulſantur.* Antonius non ſolum ſuos diſcipulos docebat laborem, quo etiam ardua facilia ſunt, ſicut è converſo otia etiam facilia, difficilia videntur. D Chryſoſto. Ho. 15 *Malum eſt otium ut facilia omnia videantur difficilia, ſicut ſtudio & vigilantiâ etiam ardua & difficilia, facilia nobis ſunt:* ſed documentum quod aliis præſtabat, ipſe primus è cælo edoctus ad praxim redigebat. Quem ſic orantem & cum DEO colloquentem inducit S. Ephrem: In apoth. (Domine cupio ſalvari, & non me ſinunt cogitationes improbæ, quid in tribulatione meâ agam; & quo pacto ſalutem conſequar, & exiens foras è cellâ, vidit quemdam laborantem, ceſſantem laborare, orantem, & denuò laborantem, & erat Angelus DEI dicens, Fac hoc, & vives; quo audito valde gaviſus, deniq; ſic faciebat, & ſalvabatur.) Idipſum refert D. Augustinus, Ser. 17. de Temp. aſſeverans Antonium iſtam in deſerto audiſſe vocem: *Antoni, cupis DEO placere? Ora; & dum orare non poteris, manibus labora, & ſemper aliquid facito.* Sic voluptatem ſuperabis, quæ non otio, ſed labore, non mollitie ſed duritiâ vincitur: *Quia virtus duritiâ extruitur, mollitiâ verò deſtruitur.* Virtutem extruxit Antonius, mollitiem verò deſtruxit, Ter. l. ad Mart. 3 manibus operans, orationi die noctuq; vacans, carnē macerans, ciliciū portans, afflictationibus corpus

ſuum

ſuum crucians, longum ſine effuſione ſanguinis martyrium, jejunio & abſtinentiâ tolerans. 3. *Propter Græcia otium, altiles homines oderis*; quia gulæ & ventri indulgentes, voluptatem nutriunt, in quo multum ab Antonio diſcriminantur, jejunio & abſtinentiâ voluptatem vincente; quia ut fatur D. Athanaſius, *vigiliis, jejuniis corpus omne vallabat*. Sane ſtupendum fuit, *Danielem & fratres ejus, leguminum pabulum, & aqua potum, ferculis & œnophoris regiis præferentes, atque exinde formoſiores*. Sed non eſt minori admiratione dignum, Antonium tot jejuniis, vigiliis, pœnitentiis, afflictationibus, macerationibus, etiam centenarium nihil amiſiſſe roboris & decoris. (Obſtupuerunt univerſi & oris gratiam, & corporis dignitatem, quod nec per inquietem intumuerat, nec jejuniis, dæmonumque certaminibus, faciem ejus pallor obſederat; ſed è contrario quaſi nihil tunc temporis egiſſet, antiquus membrorum decor perſeveraverat.) Antonius centeſimum quintum ætatis attigit annum, per longum illud ſpatium, labori, abſtinentiæ, & mortificationi fuit deditus; tot tamen labores, abſtinentiæ, macerationes nihil de naturali ejus decore abſtulerunt. Ut enim aſſeverat D. Athanaſius, in numeroſa illa ætate non magis videbatur decrepitus vel ſeniculus, ac ſi viginti quinque duntaxat habuiſſet annos, eandem conſervans vultûs effigiem, pulchritudinem, teneritudinem, vigorem, ac juvenis inter mundi delicias enutritus & educatus. (Oculorum aciem, & numerum dentium, necnon & pedum inceſſum, totius etiam corporis firmitatem, ita contra jura naturæ, meritorum gratia cuſtodiebat, ut lavatorum corporum, quæ balneis ad delicias confoventur, hilarior ejus caro videretur:) hoc externo corporis decore denotans virtutum cumulum, quibus de mundi iniquitate triumphavit

Tert. l. de Spect. 18
In Vita S. Athan.
Tert l. de Jejun: 9
D. Athan.

3. *Mundialibus elementis* adunatur mundus moraliter ſumptus. Quænam autem ſint mundialia elementa, declarat Antonius Paduanus. Siquidem *terra eſt avaritia, aqua eſt luxuria; aer eſt inconſtantia, ignis eſt ſuperbia*: ſub quibus complectuntur cuncta ſæculi vitia, non ſecus ac intra elementa continentur omnes creaturæ ſublunares. Chriſtiani innocui, in mundo phyſico ſimul cum ſceleroſis commorantur, de mundo tamen morali non ſunt, utpote ab ejus criminibus innoxii. Unde ſic fantur apud Tertullianum: *Non tamen quod in ſæculo ſumus, à DEO excidimus; ſed ſi quid de ſæculi criminibus attigerimus*. Religioſi ſecundùm ſuum ſtatum viventes, tantum abeſt, ut quicquam attingant de ſæculi criminibus, quin renuntiantes etiam ſæculo, Evangelicas perfectiones aſſequi ſatagunt, *quas de ſublimi virtute conceperint deſpectrice mundi*. Si quis unquam Religioſus fuit à ſæculi criminibus impollutus, maxime Antonius, de mundi iniquitate triumphans, vitam ducens deſpectricem mundi, & ſublimium virtutum exercitio decoratam. Nam quemadmodum apis varios luſtrat flores, ex quibus ſuum conficit mel: ita Antonius, ait Divus Athanaſius, velut ingenioſa quædam apis, varias percurrens Monachorum habitationes, *proprias ſingulorum* gra-

Tert. l. de Spect. 9
L. de Spect. 8
Tert. l. de An. 23
D. Hieron

quàmplures ſuâ famâ moti ad eum properarent; Imperatores epiſtolas mitterent; & Eccleſia ſolo Antonii teſtimonio Paulum Eremitam in Sanctorum catalogo adſcriberet. D. Athan.

Nam 1. totius orbis homines ad eum confluebant : Neque duntaxat Chriſtiani & Catholici, (ſed ipſi etiam pagani ad eum venientes ambiebant quoq; ſaltem fimbriam veſtimenti ejus attingere, multum ſibi hunc tactum prodeſſe credentes.) Ad Davidem in ſpeluncâ latitantem: *Convenerunt omnes qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno; & amaro animo.* Ad Antonium quoque currebant omnes afflicti, (ut pro eis precaretur, atque interceſſor apud Magiſtratus fieret:) ad quos defendendos interdum urbes adibat. (Si qui autem à majori poteſtate premebantur, nec poterant obtinere juſtitiam, ita eos obnixe defendebat, ut pro illis pati videretur injuriâ.) Magiſtratus autem & judices (plurimi faciebant, ſi viderent Antonium, ut ſirenem verborum ejus audirent.) Hâc de cauſa, ii quorum cauſa agebatur, (cogebant Antonium legatione fungi apud Judices & Magiſtratus, quorum ſinguli vel videre eum judicabant nimis egregium, loquentem audire, & præcipientem parere, glorioſum.) Quos ipſe hortabatur, (ut in ſententia proferenda, & odio, & gratiæ, DEI timorem anteponerent.) Neque Magiſtratus duntaxat, ſed etiam 2. Imperatores magni faciebant Antonium, ad eumque mittebant epiſtolas. Nam (propter virtutis præſtantiam, germanum ſibi amicum fecit clariſſimus Imperator Conſtantinus, frequentibus ad eum datis litteris, hominem honorans, & ut de inſtitutis ſuis certiorem faceret, rogans.) Idipſum refert Sozomenus : (Imperator Conſtantinus amicum fecerat, & ut pro quibus vellet reſcribere expetebat.) Ad quem reſcripſit Antonius, non eſſe ſpem in purpura ponendam, ſed præ oculis ſummum Judicem habendum; ſe eſſe mortalem ſeriò recogitandum. (Ad poſtremum clementiæ circâ ſubditos, & juſtitiæ, curæ quoque pauperum admonuit.) Hanc epiſtolam Conſtantinus tanquàm ab Apoſtolo miſſam deoſculatus eſt. Filii quoque ejus parentis inhærentes veſtigiis, litteras honoris gratiâ miſerunt ad Antonium. (Nam Conſtantinus Auguſtus, & ejus liberi Conſtans atque Conſtantinus, talia cognoſcentes, crebro ad eum quaſi ad partem miſſis litteris obſervabant, ut reciprocis eos ſcriptis exhilararet.) Quid plura audire deſideratis de magno Antonio, niſi exiſtimationem Eccleſiæ quæ ad ejus teſtimonium 3. Paulum Eremitam Sanctorum numero adſcripſit? Ad Joannem Baptiſtam inter Divos habendum ait nonnemo: (ſufficit ejus canonizatio in Scripturis ſanctis habita.) Pauli Eremitæ vita in ſacris non continetur paginis; attamen Gelaſius Papa in uno Concilio ſeptuaginta Epiſcopis compoſito, vitam Pauli approbavit, relatam à D. Antonio, qui poſt victoriam de mundo reportatam, glorioſe de ſemetipſo triumphavit.

D. Athan. L. 1. Reg. 22 Nicephor. D. Athan. Nicepho. Sozom. D. Athan. Nicepho. D. Athan. D. Athan. Segn. de Relig. c. 2.

II. PARS

Omne regnum vel imperium bellis queritur, & victoriis propagatur. Tert. Apol. 25

Ex Divo autem Ambroſio: *Quicunque proprium corpus ſubegerit, nec abſtra* In Pſ. 118

& aliis paſſionibus turbari animam ſuam, rector ſui congrua vi permiſerit, in bene regia quadam poteſtate ſe exhibens, rex dicitur, quod regere ſe noverit & arbiter ſui juris ſit, nec captivus trahatur in culpam. Qui culpæ mancipantur, vel ab inordinatis paſſionum motibus ſuperantur nec liberi nec ſui juris, nec reges ſunt. Non ingenui, quia vitiis ſerviunt; non ſui juris, quia paſſionum ſubduntur tyrannidi; neque reges, quia ſeipſos regere non nôrunt. Qui verò vitia debellant, paſſionibus dominantur, ſemetipſos vincunt, hi verè ſunt

L.de Leg. liberi, ſui juris, & reges. Ut autem divinè philoſophatur Plato, *Vincere ſeipſum, omnium victoriarum prima, & optima eſt.* Quod trinâ ratione com-

Valer Max l. 2 probatur: Prima deſumitur ex difficultate vincendi. *Multo ſeipſum, quam hoſtem ſuperaſſe, operoſius eſt.* Altera, ex dignitate ejus qui vincitur, naturæ

Quint. Curt. l. 6. Hiſt. dignitate, redemptionis pretio, & nomine Chriſtiano inſignis: *Eò clarior laus eſt, quò clarior ille quem viceris.* Tertia, ex magnitudine gloriæ cœleſtis, quâ coronatur. Nam *ea victoria habet & gloriam placendi DEO, & prædam*

Tert. Apol. 50 *vivendi in æternum.* Inde patet quàm glorioſa ſit Antonii victoria, ſemetipſum vincentis, & de amore vitæ triumphantis. Trina in homine poteſt conſiderari vita. Politica ſeu ſocialis; ſenſitiva, ſeu animalis; humana ſeu naturalis. Ad trinam illam vitam innato amore fertur homo: at Antonius DEI amorem ſuiipſius amori præferens, & animam ſuam pro Chriſto odio habens, triumphat de amore vitæ; 1. politicæ ſeu ſocialis, ſolitudinem captans: 2. ſenſitivæ ſeu animalis, paſſiones & ſenſus mortificans: 3. humanæ ſeu rationalis, mortem deſiderans.

Tert. l. de Spect. 28 1. *Societates Eccleſiarum defende.* Ad fidem Catholicam neceſſariæ, ſocietates quoq; hominum propone, ad vitam civilem & politicam accommo-

Seneca Ep. 95 datæ: Morali namque Philoſopho teſte, *natura nos ſociabiles fecit*, ut in mundo vitam civilem & politicam agamus. Ut enim belle ad propoſitum ait

L. 5. Strom. 7 Clemens Alexandrinus, *vita hominum ratiocinatione, & numero valde indiget.* Vita humana, indiget ratiocinatione; vita politica indiget numero, ut homines mutuo ſibi præſtent auxilium: & ob hanc cauſam Philoſophus auda-

De Vit. Solit. ćter pronuntiat: *Homo ſolitarius, aut beſtia, aut Deus*: Bellua enim fugit ſo-

Tert. l. 1 adv. Marc. 4 cietatem, ſolitudinem captat; DEUS verò nemine indiget, nec ullius rei inopiâ laborat, *ſolitudinem quandam, de ſingularitate præſtantia ſua poſſidens.* Antonius autem de vitâ ſociali & politicâ triumphans *in ſolitudinem procedit*,

Tert. l. 4. adv. Marc 8 non ut belluarum more ferociat, ſed ut Angelicam vitam ducat: *ſeſe ab oculorum ſolitaria concupiſcentia arcere* deſiderans, Neque Antonium adhuc

Tert Apol 54 exiſtimes DEUM, nullâ re indigentem, ſed duntaxat *hominem ſolitarium, atq; nudum*; ſolitarium quidē & mortaliū fugientē ſocietatē, ne eorum conver-

Tert. l. de præſcr. hær 53 ſatione fieret criminoſus; nudum etiam, & multis indigentem, ſed *in penuria mundi* hilarem & lætum; pro magno gaudio & honore reputantem imi-

Tert. l. de Pat. 13 tari Chriſtum, interdum ſolitudinem captantem. Tertulliano namque teſte *ipſe Dominus, in receſſu frequentius agebat, ut liberius oraret; ut ſæculo cede-*

L. ad Mart 2 *ret. Gloriam denique ſuam in ſolitudine demonſtravit*, transfiguratus in monte

Thabor, & miraculoſe quinque millia hominum in deſerto ſaturans.

*A*ntonius Chriſti æmulus in ſolitudinem ſe recepit; 1. ut ſæculo cederet, cui in ſolitudine commoranti probe conveniunt verba, quæ de Chriſtiano ob fidem in carcere recluſo, habet Tertullianus: *Non vides alienos Deos, non imaginibus eorum incurris; non ſolemnes nationum dies ipſa commixtione participas; non nidoribus ſpurcis verberaris, non clamoribus ſpectaculorum atrocitates, vel furores, vel impudicitias celebrantium cæderis; non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt: vacas à ſcandalis, à tentationibus, à recordationibus malis. Hoc praſtat carcer Chriſtiano, quod eremus prophetis.* Quod eremus prophetis, hoc ſolitudo præſtat *A*ntonio deſertum petenti; ut 2. facilius virtuti ſtuderet & orationi liberius vacaret. Ad utrumque munus multum ſervit ſolitudo, ut declarat Magnus Baſilius experientiâ edoctus. *O eremus Sanctorum mentium delectatio, & intimi guſtus inexhauſta dulcedo! O cella negotiatorum cœleſtium apotheca, felix commercium, ubi terrenis cœleſtia, tranſitoriis mutantur æterna! O eremus mundi perſequentium effugium, laborantium quies, mœrentium conſolatio, ab aſtu ſæculi refrigerium, peccati repudium, recluſio corporum, libertas animarum, officina gemmarum cœleſtium, curia cœleſtium ſenatorum, ubi victor dæmonum, ſocius efficitur Angelorum, exul mundi, hæres paradiſi.* Multus eſt Baſilius in eremo commendando, & dinumerandis bonis quæ in illâ habentur, quorum collegium facile in Antonio dignoſcitur: qui ſolitudinem 3. elegit non ut ſuam, ſed ut DEI gloriam demonſtraret, plura operans miracula non propriâ virtute, ſed mutuatâ à DEO auctoritate & poteſtiâ, *ut jā nō propria auctoritate expelleret dæmonē, ſed per creatoris auctoritatē.* Ibid. Tract. de laud. ſolit. Tert. l. 4 adv. Marc 8

*A*ntonii ſolitudo erudit regulares, & ſæculares. Regulares quidem, ut fugiant mundi commercium, admoniti ab ipſomet *A*ntonio apud D. Athanaſium; (quod ſicut piſces ab aquâ extracti mox in arenti terra morerentur; ita & Monachos cum ſæcularibus retardantes humanis ſtatim reſolvi confabulationibus.) Quapropter D. Hieronymus, ut Heliodorum à ſæculo ad ſolitudinem revocaret ad eum ſic ſcribit: *Quid agis frater in ſæculo, qui major es mundo? Quamdiu te tectorum umbra premunt? Quamdiu fumoſarum urbium carcer includit?* Hieronymo urbium tecta, moleſque palatiorum umbræ ſunt, & quaſi obſcura repagula; ipſæ etiam urbes carceris inſtar habentur: nec immeritò. Nam ut ait Tertullianus incarceratos pro religione alloquens Martyres: *Exinde ſegregati eſtis à mundo. Si enim recogitemus ipſum magis mundum carcerem eſſe, exiſſe vos è carcere, quàm in carcerem introiſſe intelligemus.* Errant ergo mundani exiſtimantes regulares in clauſtro velut in carcere recondi. Itaque *auferamus carceris nomen, ſeceſſum vocemus. Etſi corpus includitur, etſi caro detinetur, omnia ſpiritui patent. Vagare ſpiritu, ſpatiare ſpiritu, & non ſtadia opaca aut porticus longas proponens tibi, ſed illam viam quæ ad DEUM ducit. Quoties eam ſpiritu deambulaveris,* L. ad Mart. 2 Tert. ibid.

Tert. ibid. *in carcere nō eris*.neq; in ſolitudine & clauſtro, velut in ergaſtulo detineberis, quia *totū hominē animus circūfert, & quo velit transfert: ubi autē erit cor tuū, illic erit & theſaurus tuus*. Proinde, Fratres, qui in clauſtro ſolitariā vitā ducimus, habeamus cor non in ſæculo, cui renuntiavimus, ſed in cœlo, ubi theſau-
Tert. ibid. rum noſtrum ſperamus: *ibi ergo ſit cor noſtrum, ubi volumus habere theſaurum.*

Antonius adhuc ſuâ ſolitudine, ſæculares ad ſolitudinem invitat. Non quidem corporis & converſationis, ſed cordis & affectionis. Hanc mentis ſolitudinem à Chriſtiano expoſtulat D. Bernardus: *O anima ſancta! ſola eſto, ut ſoli omnium ſerves teipſam, quem ex omnibus elegiſti. Secede ergo, ſed mente, non corpore, ſed intentione, ſed devotione, ſed ſpiritu.* Si ita ſeceſſeris, animam in tuto pones, à terrâ ad cœlum aſcendes; ſæculo renuntians, ad DEUM accedes: hæc autem cordis ſolitudo cuivis competit Chriſtiano. Nam ut ſubjungit toties memoratus Tertullianus: *Chriſtianus etiam extra carcerem ſæculo renuntiavit*: id eſt Chriſtianus extra clauſtrum in ſæculo vivens, ſæculo etiam renuntiavit mentis & cordis ſolitudinem ſectans, ſine quâ corporis ſolitudo non multum proficit. Ut enim ait Magnus Gregorius, *quid prodeſt ſolitudo corporis, ſi ſolitudo defuerit cordis?* Hanc mentis ſolitudinem nuncupat D. Bernardus *cubiculum cordis*; quia anima à tumultu ſæculi evocata, pacate quieſcit. Eandem Magnus Baſilius vocitat *naturale monaſterium*, quod DEUS author naturæ extruxit. D. Chryſoſtomus velut templum conſiderat. *Ubicunque ſis, ora, templum es, ne locum quæras.* Templum dicit, imò & altare, in quo Chriſtianus cordis offerre poteſt ſacrificium. *Ubicunque ſis, potes altare tuum conſtituere, ſi mentem tantum ferventem exhibeas, orationis perfectionem conſummaveris.* Ad hanc mentis & cordis ſolitudinem obtinendam, multum conducit corporis ſolitudo, quam adeptus eſt Antonius, mundum fugiens, vitæ politicæ moriens, in eremum ſe recipiens, ubi *ædificavit ſibi ſolitudinem, in qua tanto purius DEUM cerneret, quanto hunc cum ſe ſolo ſolum inveniret*, de vitâ ſenſitivâ & animali, per mortificationem triumphans.

[Margin: Serm. 40 in Cant. — In cap. 3. Sol. — Conſtit. Monach. c. 6 — Hom. 79 ad Pop. — D Greg: ibid:]

2. *Homo animalis non recipiens quæ ſunt ſpiritus*; eſt ille qui beſtiarum more vivit, tantummodo carni, ſenſibus, paſſionibus, vitiis. *Moritur virtutibus, qui vitiis vivit.* Homo ex corpore & anima adunatus, tunc vitam animalem ducit, cum non ſecundum rationem, ſed ſecundùm paſſionem vivit; tunc verò rationaliter vivit, cum non ſecundùm paſſionem, ſed ſecundùm rationem operatur. Qui ſecundùm paſſionem vivit, moritur rationi, imò & virtuti: qui ſecundùm rationem & virtutem vivit, moritur paſſionibus, moritur vitiis, de quibus generoſe triumphat. Ut autem ait Moralis Philoſophus, *Nulla ſpecioſior victoria, quam virtute vincere*: cujus hanc præbet rationem, quia *bis vincit, qui ſe vincit.* Vincit non ſolum illos, qui paſſiones ſuas concitant, ſed etiam ſemetipſum, quo nihil præſtantius exiſtimat D. Ambro-

[Margin: Tert. l. 2 adv. Marc 2 — Chryſol. Serm. 1 — In Prov.]

Ambroſius. *Quid excellentius, aut magnificentius, quàm exercere mentem, afficere carnem, & in ſervitutem redigere: ut obediat imperio, & conſiliis obtemperet?* L. I. Offic. 36
Tanti facit illam victoriam Lactantius ut eam longe præponat, cunctis quas Hercules retulit, vel de feris, vel de tyrannis: *Non enim fortior judicandus eſt, qui leonem, quam qui violentam in ſeipſo incluſam feram ſuperat iracundiam: aut qui rapaciſſimas volucres dejicit, quam qui cupiditates avidiſſimas coercet: aut qui Amazonem bellatricem, quam qui libidinem vincit, pudoris ac famæ debellatricem: aut qui fimum de ſtabulo, quam qui vitia de corde ſuo egerit: quæ magis ſunt pernicioſa, quia domeſtica & propria mala ſunt, quam illa quæ & vitari poterunt, & caveri.* L. I. Inſtit. 9
Ut enim quis hanc victoriam reportet, debet dediſcere animalitatem, mori ſenſibus & quoddam velut genus ſubire martyrii: *Duo quippe ſunt martyrii genera: Unum in mente, aliud in mente ſimul & actione. Itaque eſſe martyres poſſumus, etiamſi nullo ferro percutiente trucidemur. Mori quippe à perſequente, martyrium in aperto opere eſt: ferre verò contumelias, odientem diligere, martyrium eſt in occulta cogitatione.* D. Greg. Hom. 31 in Evang.
Adde paſſiones cohibere, ſenſus coercere, concupiſcentiam retinere, carnem maceratione reprimere eſſe martyrium etiam ſenſibile, quod pati nequit *ſine carnis paſſionalis facultate.* Ter. l. de Teſt. An. 4
Quàm perfectum eſt bonorum Regularium martyrium, *qui deliciis minime ſtudere, pro deliciis habent: qui etiam in carne extra carnem vivunt.* Gre. Naz. Orat. 12
Inter quos mirum in modum ſplendet magnus Antonius *nihil habens carnis,* ſic vivens virtuti, cœlo ac DEO, ac ſi velut Angelus, carne eſſet exutus; vel ita carnem macerans, affligens, ac crucians, ac ſi ejus caro inſenſibilis eſſet. Ter. l. adv Jud. 12
Inde concludamus cum D. Gregorio. Eſt *ſancta Eccleſia Electorum floribus plena, habet in pace lilia, in bello roſas.* Lilia ſunt animæ à morum nitore & gratiâ, ab innocentiâ vitæ, à caſtitate liliorum inſtar candidæ; & hæc lilia explicantur & florent in altâ Eccleſiæ pace, dum nullus extrinſecus eſt hoſtis, perſecutio nulla, ſicarii nulli, cædes Electorum nullæ. Roſæ verò ſunt animæ à fuſo (Chriſti cauſa) ſanguine purpuratæ, & hæ roſæ patent & nitent, in bello, inter equuleos & catastas, inter cruces & rotas; inter gladios & ignes, quibus dum excruciantur martyres, proprio cruore rubeſcunt, omni regum purpurâ digniore.

Glorioſa ſane victoria quam ſanguinis effuſione de tyrannide reportârunt Martyres, ſed non impar, imò forte major quàm de animali vitâ reportavit Antonius: Tum quia majus eſt viciſſe ſeipſum, quàm alios quoſque: Tum quia breve fuit Martyrum certamen, ad horam, ad diem; at Antonii pugna diuturna fuit, non ad diem; non ad menſem, non ad annum, ſed ad nonaginta ad minus annos: Tum quia etſi liliis coronatus, tamen *utrimque liliis* albis ſcilicet & rubris, & *centenariis roſis* non *in horto Midæ lectis,* ſed inter ſpinas tribulationum, inter acriores inſurgentium paſſionum aculeos; inter ſpontaneas carnis macerationes, inter diriſſimas dæmonum percuſſiones: Tum quia omni ardore martyrium cruentum concupivit de amore vitæ naturalis triumphans. Tert. l. de Cor. Mil. 14

3. Vita humana & naturalis in conjunctione animæ & corporis ſita eſt: Nam ut ratiocinatur Tertullianus: *Si mors non aliud determinatur, quam disjunctio corporis animæque; contrarium morti vita non aliud definietur, quàm conjunctio corporis animæq;. Si disjunctio ſimul utriq; ſubſtantiæ accidit per mortem, hoc debet conjunctionis forma mandâſſe pariter obvenienti, per vitam utrique ſubſtantiæ.* Homo autem naturaliter amat vitam: *Una eſt catena, quæ alligatos tenet, amor vitæ.* Homo adhuc naturaliter averſatur mortem, *quæ tantam animæ & carnis ſocietatem, tantam à conceptu concretionem ſororum ſubſtantiarum divellit ac dirimit.* Unde magna requiritur animi fortitudo, ut quis de amore vitæ naturalis triumphans mortem naturaliter averſatam deſideret.

L. de An.

Senec. Ep. 26

Tert. l. de An. 52

Tert. l. de Cor. Mil. 1

Hæc tamen animi magnitudo in magno elucet Antonio, qui *ruſſatus ſanguinis ſui ſpe, calceatus de Evangelii paratura, ſuccinctus acutiore verbo DEI, totus de Apoſtolo armatus, & de martyrii candida melius coronandus.* De deſerto & ſolitudine egrediens, Alexandriam ingreditur, Chriſtianis pro religione cruciatis ſeſe adjungens, ut ſimul cum illis lauream compararet, quam ut facilius adipiſceretur, fideles ante judices, præſides, & tyrannos comitabatur, eos ad perferenda conſtanter ſupplicia hortabatur; ad locum usque tormentorum ſequens; poſt ſuſceptum martyrium ſepeliens; in his pietatis operibus perſeverans quousque judex cunctis mandavit Monachis, ut quàm citius exirent de civitate; quorum majore fere parte latitante Antonius die craſtinâ ut melius dignoſceretur, apparuit in ſuperiori publico loco veſte albâ indutus. Candidâ togâ induebantur ambientes aliquam dignitatem, à candidâ veſte, dicti candidati. Antonius pro DEO mori deſiderans candidâ martyrii indutus apparuit; valdeque contriſtabatur, ait D. Athanaſius, *quia volenti pati pro nomine Chriſti, martyrium non dabatur.*

Serm. 124

Quàm bene competit Antonio iſtud Chryſologi: *Vivit DEO ſemper, qui ſe ſibi vivere, nec ſcivit in mundo*: Nam pro DEI amore de amore vitæ triumphans, moriens vitæ civili & politicæ, moriens vitæ animali & ſenſitivæ, moriens etiam deſiderio vitæ naturalis & humanæ, & cum voti compos eſſe non potuerit, voluit ſaltem mortuorum inſtar ſepeliri, & in ſepulchro *in illa paupertate lucis*, id eſt in tenebris viginti annorũ ſpatio velut tumulari, mortem continuò meditans, & *aſpiciens habitum ſeneſcentis ſepulturæ*, nimirũ carnem brevi in numero mortuorum collocandã, & in ſepulchro tumulandã.

Tert. l. de Pat. 13

Tert. l. de Ref. Carn. 30

Tert.

Tam peccator quàm juſtus *mortem vivit*; magno tamen cum diſcrimine. Peccator vivens vitiis, DEO mortuus eſt. Quod innuit Apoſtolus ajens: Vidua quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt. Juſtus è contra, moriens vitiis vivit DEO, quomodo Antonius mundo, ſibiq; mortuus vivit DEO: *Tali ergo homo confirmatus exẽplo, offer corpus tuũ, & non ſolũ macta, ſed etiã ſeca per omnia virtutũ membra. Quia toties tibi vitiorũ artes moriuntur quoties à te DEO viſcera fuerint im̃olata virtutũ. Offer fidẽ ut perfidia ſit punita: im̃ola jejunũ, ut voracitas ceſſet:*

Chryſol. Serm. 108

ceſſet : ſacrifica caſtitatem, ut moriatur libido : appone pietatem, ut deponatur impietas : invita miſericordiam, ut avaritia deleatur ; & ut conſumatur ſtultitia, ſemper ſanctitatem convenit immolare. Sic imitaberis Antonium collegio virtutum exornatum, & glorioſe de vitiis & dæmonibus triumphantem.

Prælium eſt nobis non ſolum cum mundo, qui nos cupiditatis ardoribus, III. PARS
honorum ſplendoribus & iniquitatum facinoribus aggreditur. *Mundus eſt* Tert apol. 50
ubi malitia plurimum, ubi ſapientiæ modicum, ubi omnia ſunt viſcoſa, omnia lubrica. D. Bern.
Neq; adhuc cum nobiſmetipſis, nimirum cum inordinatis paſſionum motibus, carnis illecebris, & pravis ſenſualis & animalis vitæ voluptatibus: *Quis hoſtis in quenquã tam contumelioſus fuit, quàm in quosdã voluptates ſuæ ſunt?* Sen. Epiſt: 39
Sed adhuc adverſus dæmonem quem ſpiritualem nequitiã nuncupat Apoſtolus. Magnus etiam Baſilius, *omnis mali promptuarium*; hoc eſt totius Epiſt: 6
malitiæ penum. Illum adhuc vocitat Gregorius Thaumaturgus *malorum* D. Baſil. quod Deus
principem, ſcelerum fontem, vitiorum parentem, malitiæ architectum. Pari non ſit author mali.
mente appellatur à Theodoreto *undique ſceleſtus* omnibus improbitatis velut numeris abſolutus, univerſali malitiæ genere coagulatus. Tandem dicitur Orat. 2. de Ann.
à D. Chryſoſtomo per excellentiam *malus*, ſummum malitiæ attingens gradum. L: 1 Hiſt:
Appellatur adhuc à Tertulliano *malignus*, quia ſemper nocere hominibus ſatagit. 2. Hom. de diab. tenta
Ut enim ait D. Auguſtinus, *eſt inſita malevolentia quædam & pernicies nocendi iſtis malis ſpiritibus : gaudent de malo hominum & de fallacia* L. de Fug: in Perſ. 2
noſtra ſi nos fefellerint, paſcuntur : Antonius fortis Athleta contra mundum In Pſal: 36
dimicavit; contra ſeipſum præliatus eſt, & adhuc cum diabolo inivit certamen. Ob hanc cauſam, ut refert D. Athanaſius, *totius orbis homines ad eum confluebant, & univerſorum Gentium varietas, bellicoſiſſimum contra dæmones virum conſpicere geſtiebant.* Magnam Antonius de mundo reportavit victoriam, majorem de ſemetipſo, maximam de diabolo, 1. cum quo viriliter dimicavit : 2. quem feliciter expugnavit : 3. de quo glorioſe triumphavit.

1. Inſigne profectò certamen Antonii cum dæmone, in quo *præliatur* Ter. Apol 30
omnibus viribus. Dilecto Diſcipulo authore, (factum eſt prælium magnum in cœlo : Michael & Angeli præliabantur cum dracone.) At factum eſt in terra prælium multo majus ; Antonii ſcilicet cum diabolo ſi conſideretur hoſtium Antonii, 1. multitudo & numeroſitas : 2. fortitudo & poteſtas : 3. aſtutia & calliditas : 4. armorum ſpecies & diverſitas : 5. conflictuum frequentia & multiplicitas : 6. prælii longitudo & diuturnitas. 1. In prælio Michaelis cum dracone, Michael nõ pugnabat ſolus, erat enim ſtipatus ſanctis Angelis, quorum numerus excedebat multitudinem malorum ſpirituũ, qui ſteterunt ex parte draconis : at Antonius ſolus cum catervis congreditur, ſolus cum legionibus integris præliatur, ſolus cum innumeris dæmonibus pugnans equitatui Domini aſſimilatur, juxtà iſtud ſponſi ad ſponſam : (Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te amica mea :) ubi D. Bernar-

Ser. 39. in Cant: dus: *Nec miraberis unam animam equitatus multitudini ſimilatam, ſi advertas quanta in ipſa una quæ tam ſancta anima ſit, virtutum acies habeantur, quanta in affectationibus ordinatio, quanta in moribus diſciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta ipſi deniq; cum hoſte conflictuum aſſiduitas, numeroſitas triumphorum.* Nonne hæc omnia in uno Antonio deprehenduntur, meritò equitatui Domini comparato, non ſecus ac Pharaoni diabolo? Nam ut ait ibidem D. Bernard. *ſed inter ſanctam ſpiritualemq; animam, & equitatum Domini plane comparatio, eſt & inter Pharaonem & diabolum, amborumq; exercitus.* Singulare autem Antonii cum diabolo certamen, demonſtrat prælii magnitudinem, quod 2. à fortitudine & potentiâ hoſtium quibuscum decertat, multum incrementatur. In prælio Michaelis cum dracone ſpiritus adverſus ſpiritus pugnârunt, quorum non erant impares vires; at in prælio Antonii cum dæmone homo infirmus ex carne materiatus pugnat cum malo ſpiritu; cujus tanta eſt fortitudo ut

Job 41 poſtquam Job dixit: *Reputabit enim quaſi paleam ferrum, & quaſi lignum putridum æs; non fugabit eum vir ſagittarius*; mox concludat: *non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* Et ob hanc cauſam diabolus vocitatur à principe

1. Petr. 5 Apoſtolorum Petro, *leo rugiens*: Leo autem, ut fatur D. Epiphanius, eſt

Hæreſ. 78 *animal robore ſolidiſſimum*, qui ſuo rugitu cuncta animantia terrore percellit;

Amos 2 juxtà iſtud Amos, *Leo rugit, quis non timebit?* Adeò horribilis eſt ſonitus

L. 2. Epiſt. 284 ab ejus ore egrediens ut Iſidorus Peluſiota vocitet eum *horrendum & intolerandum*; quia ſolo rugitu montes concutit: Seu ut vult Gregorius Nyſſenus,

De Creat: hom. *terram tremefacit.* De leonis rugitu tanquàm de tonitru loquitur Cyrillus

In Sophonum. 29 Alexandrinus; adeò *ut animantes præ timore gelaſcere*, & defigi videantur; ſeu ut ait D. Ambroſius, obſtupefacere, ut prope exanimentur, & commo-

L. 6. Hexa. vere ſe loco non audeant. Rugitus ergo leonis, eſt ſignum roboris valentiæ metuendæ, quo ſymbolo ſapienter denotat quàm potens, & quàm formidandus ſit homini dæmon, quem apud Græcos à timore denominatum

Lib. 4. de præp. Evã 3 vult Euſebius Cæſarienſis, quia ſcilicet eſt formidabilis incutitque timorem, qui niſi *innumerabilibus frænis* cohibeatur; futurum eſt ait Baſilius Seleucus, *ut omnia funditus pereant, nec quidquam reliquum ſit non dæmonum violentia*

D. Chryſoſtomus [illegible] 123 *convulſum, niſi inexpugnabili DEI manu muniatur.* Potentiſſimo illi adverſario reſtitit Antonius, quem diabolus vincere non potuit, nec vi & poteſta-

Orat. 24 te, neque aſtutiâ & calliditate: 3. Hoſtis aſtutia non minus conducit ad prælii magnitudinem quam ejus poteſtas. Nunquam Romani decertârunt, neque majori cum gloriâ, neque cum majori diſcrimine, quàm cum

D. Machar Hom. 27 Hannibale duce callidiſſimo. Hoſtis autem cum quo congreditur Antonius, eſt callidiſſimus, *verſutiſſimus*; ſummâ diſſimulatione præditus, callido artificio inſtructus, quo ad adverſarium accedat, ejusque impetum effugiat. Ideò in ſacris Paginis, ut animadvertit Divus Epiphanius, nuncupatur ſerpens *tortuoſiſſimus*, giris involutus, in quo nihil recti ſit, nihil veri, nihil candoris. Ab Hieronymo habetur *verſipellis*, id eſt vafer

&

& doloſus, fallaciarum & inſidiarum facile princeps, quæ tanto ſunt periculoſiores quantò minus videri & provideri poſſunt. Quis enim valet cognoſcere *ſatanæ cogitationes*, dolos & fraudes, & ut in Græco habetur, excogitationes ad circumveniendum; ſeu ut Vatablus legit: *Aſſultus & inſidioſos congreſſus*, quos *altitudinem ſatanæ*, vocitat Joannes: in Græco *profunditates*. Quas ut exequatur, ait D. Iſidorus, eſt *vigil & inſomnis*, perpetuo vigilans & excubias agens; præſertim de nocte ſuas ſtruit machinationes. Olim Germani *atras in prælia noctes legunt*: Tum furiarum inſtar ferebantur in hoſtes, ipſis etiam tenebris formidabiles, & periculum ubique circumferentes. Non diſſimiliter dæmon noctem objicit, denſiſſimas tenebras ſecum devehens in homines ſpargit. Vere *negotium perambulans in tenebris*; ſeu ut vertit D. Hieronymus, *peſtis in tenebris ambulans*, fraudes, dolos & inſidias moliens. Antonius præliabatur cum verſipelli, verſutiſſimo illo adverſario, cum callido, doloſo, fraudulento, inſidioſo, tenebroſo, & tartareo illo ſerpente quem perfectè deſcribit Tertullianus: *Abſcondat itaq; ſe ſerpens quantum poteſt, totamq; prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, alte habitet, in cæca detrudatur, per anfractus ſeriem ſuam evolvat, tortuoſe procedat, nec ſemel totus, lucifuga beſtia.* His verbis complectitur Tertullianus cuncta quæ ex ſacris paginis & Patribus retulimus de callidiſſimo Antonii inimico, qui eum aggreditur 4. variis machinationibus, & diverſis tentationum generibus. *Lata atq; diffuſa eſt operatio mali, multiplicia ſpiritus incitamenta jaculantis*, hominem debellare ſatagentis: Tum *per immiſſiones Angelorum malorum*, ſeu ut vertit Vatablus, *cacodæmonum incurſiones*, ut multitudine obruat quem potentia & aſtutia ſuperare non poteſt. *Magnis inimicorum circumdamur agminibus, hoſtium plena ſunt omnia.* Tum laqueis cuncta replentis. Ut enim ait S. Paulinus, tota hujus mundi figura eſt *Zabulicis prætenta retibus.* Quod B. Antonio demonſtratum eſt: cœleſti namque luce illuminatus, totum vidit hunc mundum laqueis refertum adeò crebris atque tenacibus, ut vix ulla anima extricare ſe poſſet, atq; in ſublime evolare. Tum varias fraudes, dolos, inſidias; & ut fatur S. Macharius *machinamenta* molientis: Has inſidias nuncupat D. Hieronymus, *multimoda diaboli ingenia*, quibus hominem capere nititur: & ut belle ad propoſitum fatur D. Fulgentius, innumeris utitur argumentis *tanquam diverſis machinis*; *ſeu* bellicis inſtrumentis, quibus victoriam reportet. Tum varia belli ſtratagemata adhibentis. Nam *cum certamine manifeſto cedit, ad hoc ſe victum demonſtrat ut vincat: ad hoc fugam ſimulat, ut perſequentem miſſu poſt tergum ſagittis occidat.* Tum ad varias criminum ſpecies allicientis *alioquin in modico conſiſteret diaboli ingenium de malitia.* Tum oculis varia objecta ad vitia incitantia proponentis. Nam ut ait Lactantius, *objicit oculis irritabiles formas.* Imaginationē quoq; movet figuris criminoſis & fœdis phātaſmatibus: *Mentis quoq; corruptelas agit furoribus, & amētiis fœdis, ac ſævis libidinibus, cum erroribus variis.* Tū horribiles belluarū larvas ſumētis,

[Margin notes: 2 Cor. 11 — Apocal. 2 — L. 2. Epiſt. 364 — Tacit. in Germ. — Pſal. 90 — Lib. adv. Valent. 2 — Tert. l. de Pat. 12 — Pſ. 77 — D. Hieron. Ep. 22 — Epiſt. 2 — Hom. 27 in cap. 6. Epheſ. — Epiſt. 3. ad Probam. — D. Fulgen. ibid. — Tert. l. de Idol. 2 — L. 5. c. 23 — Tert. Apol. 22]

& hoc vel ut decipiat, vel ut terrorem incutiat, vel ut crudeliter feriat. Multis illis modis diabolus aggreditur Antonium: nam contra illum plures dæmonum armat cohortes, pluria illi parat retia. Interdum argentum & aurum in itinere ponit, interdum ſæculi delicias, & deſerti incommoda proponit; mox carnis concupiſcentiam accendit, in ſpecie mulieris venuſtiſſimæ apparens. Statim pietatis pallio reditum ad ſæculum ſuadere nititur, ut ſororis adhuc juvenis educationem curet: Deinde ſub pelle vulpinâ fraudes meditatur Antonii tentans humilitatem, confitens ſe ab illo victum innumerabilium hominum victorem, efferos belluarum habitus induens; nimirum figura gigantis, tauri, leonis, ſerpentis, draconis, tantáque ſævitiâ & crudelitate illum percutiens, ut ſicut ipſe poſtea retulit: *Vulnera fuêre tam gravia, ut univerſa hominum tormenta ſuperarent.* Tot iamque variæ armorum & pugnarum ſpecies belli oſtentant magnitudinem. Quod mirum in modum 5. ex conflictuum aſſiduitate augetur. *Sed enim pervicaciſſimus hoſtis ille, nunquam malitiæ ſuæ otium facit. At quin tunc maxime ſævit, cum hominem plene ſentit liberatum: tum plurimum accenditur, dum extinguitur,* dum vincitur magis ad pugnandum concitatur, ſuperantem ſe ſuperare conatur; *armis quibus eliditur ſurgit, & virtute qua dejicitur, acrior efficitur.* Hoc ipſo quod victus eſt *fortiorem quemque magis aggreditur*, & validiori impetu in illum inſurgit. *Acrius circa robuſtos diaboli certamen eſt, & majoribus copiis illos aggreditur.* Ut ex Antonio comprobatur; à quo toties victus diabolus à certamine non recedit; ſed Antonium de novo ſemper adoritur: & acre hujusmodi bellum, non fuit brevi tempore expeditum: Sed 6. ad longum vitæ Antonii ſpatium extenſum, in quo Sanctus indefinenter congrediens, *nec unquam certamine laſſabatur*, ſemper viriliter pugnans, & diabolū feliciter expugnans.

D. Athan. | Tert. l. de Pœn. 7 | Fulg: Ep. 5 | D. Cypr. Epiſt. 6 | Ennod. in Vit. S. Ant. | D. Athan.

2. Adverſus Antonium dæmones *in bello armati & ipſi ex eadem feritate certantes in bello cadunt*, & victoria quam de diabolo & Angelis ejus retulit Antonius, eſt multo glorioſior ea quam de Pharaone reportavit Moyſes: *An non tibi multò fortius longeq; glorioſius eſſe videtur, diabolum proſternere quàm Pharaonem, atq; aerias debellare poteſtates, quàm currus Pharaonis ſubvertere? Ibi pugnatum eſt adverſus carnem & ſanguinem*, hîc adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. *Ibi populus eductus de Ægypto, hic homo de ſæculo. Ibi proſternitur Pharao, hic diabolus*, quem expugnat Antonius *orationibus crebris, jejuniis, vigiliis*, macerationibus, paupertate, fiduciâ in DEUM, ſigno crucis, & cunctis in univerſum virtutibus, ut ipſemet fratribus ſuis aſſeverat Antonius. *Mihi credite, fratres, pertimeſcit Satanas piorum vigilias, orationem, jejunia, voluntariam paupertatem*, cæteraſque virtutes quibus ipſe debellavit diabolum.

Tert. l. 4 adv. Marc 39 | D. Bern. Serm 39 in Cant. | Epheſ: 6 | Tert. l. de Bapt. 20 | D. Athan.

1. Orationibus dæmones expugnantur. *Hic eſt habitus gloriæ noſtræ*; nimirum homo orans manibus ad modum crucis expanſis. Ex D. Athanaſio Antonius ſæpiſſime in oratione pernoctabat 2. jejuniis; Chriſtus namque Dominus

Tert. Apol.

minus *docuit etiam adverſus duriora dæmonia jejuniis præliandum.* ExSoſomeno Ter. l. de Jejun. 8
autem Antonius (frequenter duos vel amplius dies, ſine cibo manebat.) 3.
Vigiliis. *Hinc eſt quod rex in procinctu pervigil callidi hoſtis præcavet & evitat inſidias ; tunc in caſtris miles ſupervenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione* Chryſol: Serm. 24
propellit. Antonius autem ſemper excubias agebat, magnâ cum ſollicitudine vigilabat : (Vigiliarum in tantum patiens erat, ut credulitatem viribus
vinceret.) *Non die ſolo, ſed de nocte tota clamabat ad Dominum,* Domine DEUS D. Athan. Chryſol: ibid.
ſalutis meæ, in die clamavi, & nocte coram te. 4. Macerationibus & afflictationibus : etenim *conflictationes ſigna ſunt regni, ſicut fructificationes æſtatis.* Pſal. 87
Antonius afflictationibus paſſiones regebat, carnem domabat, DEO ſatisfaciebat, & diabolum vincebat. *Simul enim de priſtinis ſatisfacimus conflictatione carnis & ſpiritus, & ſubſecuturis tentationibus munimenta præſtruimus.* Tert. l. 4 adv. marc. 39 Tert. l. de Bapt. 20
Unde cum Antonio nonnullas imperfectiones in ſæculo commiſſas objicerent dæmones, quibus eum in ſublime ferri impedire ſatagebant, reſponderunt ſancti Angeli, jamptidem pro eis DEO ſatisfeciſſe Antonium, ſi quæ peccata ſcirent ex eo tempore com̃iſſa, quo eſſet factus Monachus, & DEO ſe conſecrâſſet, licet proferre.) 5. Paupertate, quia *maligni ſpiritus in hoc mundo proprium poſſident, nudi ergo cum nudis luctari debemus.* Antonius autem D Greg: Hom. 9. in Evang:
fuit cunctis fortunæ bonis denudatus, & ſolitariam & pœnitentem vitam,
in illa penuria mundi egit. Ex Morali autem Philoſopho *in inſuperabili loco* Tert l. de Pat. 13
ſtat animus, qui externa deſerit, & arce ſua ſe vindicat : infra illum omne telum Epiſt. 82
cadit. 6. Diffidentia ſui, & in DEUM fiducia, quia (non in multitudine L. 1. Mach 3
exercitus fiducia belli, ſed de cœlo fortitudo eſt.) A ſui diffidentiâ, & à fiduciâ in DEUM enaſcitur victoria. Ut enim ait D. Bernardus : *Opus eſt* Serm. 85 in Cant.
virtute, & non quacunq; : ſed qua induaris ex alto : ipſa enim facile victorem & in- D. Bern
clitum reddit. Hâc fiduciâ armatus Antonius dæmones expugnavit, dicens : Sermi 9 in Pſal.
Tu es Domine ſpes mea, &, ſi exurgant adverſum me prælia ; ſi ſæviat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro adverſus ſpiritum concupiſcat, in te ego ſperabo. Et
quia ut docet D. Damaſcenus, crux Chriſti *clypeus, armatura, & trophæum eſt* Lib. 4. cap
adverſus diabolum, ſacro crucis ſigno Antonius vincebat dæmones, ſuosque 12
monebat Monachos, ut crucis ſignaculo eos fugarent. (Quos cum videritis, tam vos, quàm domos veſtras expugnare, armate ſignaculo, & confeſtim ſolventur in nihilum, quia metuunt illud trophæum, in quo Salvator aereas expolians poteſtates, eas fecit oſtentui.) His armis victor Antonius, in D Athan.
gratitudinis monumentum DEO decantabat : (Benedictus Dominus DEUS Pſal. 14
meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellũ.) Quaſi dicat, ait Euthymius, Proſperari dicuntur manus in prælio adverſus dæmonẽ, dũ puro corde elevantur, & ad virtutes extenduntur, præſertim ſi humilitas mentis & corporis adhibeatur. Unde Fulgoſius Antoniũ ſic differentẽ inducit ; (Vidi cunctos inimici laqueos ſuper terram expanſos ; ſuſpiransq; aje- Lib. 9

bâ: quis ſuperabit illos? dictumque eſt mihi: Humilitas illos ſuperabit, & non attinget illam.) Humilitate Antonius vicit dæmonem eum de ſuperbiâ tentantem. Ut enim refert D. Athanaſius, puer horridus atque niger ad ejus ſe genua provolvens, humanâ voce flebat. (Ego ſum fornicationis amicus, ego multimodè adverſus omnes adoleſcentes turpitudinis arma ſuſcepi; innumero imperio meo ſubjeci; tu ſolus invictus de me victoriam reportâſti, nec tonitru & minis territus, neque blanditiis allectus.) Ut inauditum illud ſtratagema eluderet Antonius, dæmoni exprobravit difformitatem & imbecillitatem ſuam, qui ſe ab humili, & debili humanatione fateretur ſuperatum : *Porrò bella & victoria, captis & everſis plurimum urbibus conſtant* : Antonius glorioſe de diabolo triumphavit ejus imperium deſtruens, & urbes capiens.

Tert Apol 15

Tert. Apol 50 — 3. *Vincens in prælio gaudet, quia gloriam conſequitur & prædam.* Antonius de diabolo triumphans gloriam reportavit & prædam. Gloriam quidem: Tum quia illum *diabolus totis viribus fruſtra cecidit*: Tum quia non ſolum diaboli viribus fortiter reſtitit, ſed adhuc *omnem diaboli vim expunxit*: Tum quia in illo & per illum de diabolo DEUS triumphavit, cui competit quod de Jobo prædicat Tertullianus : *Quale in illo viro feretrum DEUS diabolo extruxit! Quale vexillum de inimico gloriæ ſua extulit*! Tum quia certaminis & victoriæ teſtẽ & approbatorem Chriſtum habere meruit. *Nemo facile JESUM videt conſtitutus in terra.* Antonius tamen poſt initum longum cum diabolo certamen Chriſtum videre meruit. Quærenti autem à Chriſto ubinam eſſet eo tempore quo adeò violenter ab adverſario percutiebatur, reſpondit Dominus : *Antoni hic eram, ſed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia dimicando viriliter non ceſſiſti, auxiliabor tibi, & faciam te in toto orbe nominari.* Tum quia ut ſuperius diximus cum S. Athanaſio : *Totius orbis homines ad Antonium confluebant, & univerſarum gentium varietas bellicoſiſſimum contra dæmones virum conſpicere geſtiebant.*

Tert. l. de Pat. 14 — Tert. ibid. — D. Ambr l. 8. in Luc. — D. Athan:

Prædam adhuc de ſuâ victoriâ retulit Antonius, idololatriam deſtruens, hæreticos confundens, diabolum à poſſeſſis corporibus expellens; à deſertis illum ejiciens, Ægypti ſolitudines Monachis ceu Angelis terrenis replens, ſui fama innumeram hominum multitudinem in deſertum trahens; *diabolus totum ſæculum mendacio divinitatis implevit.* At Antonius tyrannos idolorum protectores increpavit; cultum veri DEI audacter prædicavit; idcircò *Deicolæ* nomen obtinuit : Quia 1. ut refert Sozomenus, *veram beatitudinem in cultura DEI, & legum ejus obſervatione dicebat.* 2. Quia non multum ab idololatriâ diſtat hæreſis, utriuſque auctor eſt diabolus. *Totum ſæculum ſatanas & angeli ejus repleverunt idolis.* Ab iiſdem etiam ſuam hæreſes ſumunt originem : *Et ideò neq; à diabolo immiſſa eſſe ſpiritalia nequitia, ex quibus etiam hæreſes veniunt, dubitare quis debet, neque ab idololatria diſtare hæreſes, cum & auctoris & operis ejuſdem ſint, cujus & idololatria.* Antonius acerrimus hære-

Tert. l. 5 adv. Marc 17 — D Athana. — Tert. l. de Spect. 8 — Tert. l. de præſc. hær 40

ticorum hoſtis,quos ut membra putrida à corporeEccleſiæ ſeparata horrori
fidelibus eſſe dicebat: acceſſitus ab Athanaſio ut ſeſe Arianorum oppone-
ret furori, Alexandriam venit, religionis veritatem prædicavit,Catholicos
in fide confirmavit, hæreticos confutavit. *Erat autem valde ſapiens,& hoc in* D. Athan.
ſe mirabile habebat, quod cum litteras non didiciſſet, ingenioſiſſimus & prudentiſſi-
mus erat. 3. Hominum corpora dæmones poſſident: *Suppetit illis ad utramq;* Tert. Apol
ſubſtantiam hominis adeundam ſubtilitas & tenuitas ſua: at Antonio tantam in 22
dæmones poteſtatem DEUS contulerat, ut non ſolum *verbo dæmonia ab* Tert:Apol:
hominibus excuteret: Sed ut ait D.Athanaſius: *Sic dæmonibus erat formidoloſus,* 21
ut multi per Ægyptum ab illis agitati,invocato nomine Antonii liberarentur. Ne-
que à poſſeſſis hominibus dumtaxat dæmones expulit Antonius, ſed eos 5.
adhuc ab Ægypti deſertis & ſolitudinibus ejecit. Diabolus à Michaele de
cœlo expulſus, de mundo ubi idololatriam ſtatuerat, à Chriſto ejusque di-
ſcipulis fugatus, in ſolitudines cum ſuis aſſeclis ſe recepit,à quibus ſe ab An-
tonio depulſos conqueruntur,qui cum in caſtello ruinæ proximo vel potius
tumulo latitaret, Antonium alloquentes dæmones dicebant: Quid tibi cũ
his ſolitudinibus? cur in deſertum veniſti? cur limites noſtros invaſiſti? in
quibus remanere, nec viribus noſtris reſiſtere valebis? Verum mentiti ſunt
dæmones; Nam Antonius in ſolitudine remanſit, & 6. Ægyptum in Para-
diſum convertit:Ægyptum diabolus idololatriâ & ſuperſtitione repleverat:
Unde ejus & cenſus de Ægypto ſuperſtitio eſt. Quapropter, ut animadvertit Tert. l. de
Chryſologus, Chriſtus fugiens in Ægyptum fugit *ad dæmonum fana, ad ido-* Spect: 8
lorum patriam,quam Dominus ſuâ præſentiâ velut paradiſum reddidit: *Felix* Serm: 158
regio, quam tanto temporis ſpatio ſol juſtitiæ ſuâ illuſtravit præſentiâ: ut quæ tan- Paſchaſ.in c.2.Matth
tis erat idolorum ſordibus polluta, fieret demum tanquàm hortus irriguus, & tan-
quam paradiſus Domini, cæleſti diſciplina clementius adumbrata. Nam ut ſub-
jungit Paſchaſius, *Ægyptus poſteà à tot inhabitata fuit Angelis, quot in ea Ana-*
choretæ vitam traduxere eremiticam & ſolitariam. Ob quos meritò cum paradiſo
contendere potuiſſet. Cujus anteſignanus fuit Antonius,ut docet Vincentius
Ferrerius: *Antonius fuit primus,& princeps hujus vitæ.* Nam ut in ejus Officio Serm.de S.
decantat Eccleſia: *Cæleſtis vitæ genus in terris colere inſtituit.* Hâc de causâ Anton:
Gregorius Nazianzenus multum D. Athanaſium laudat, quod regulas vi- Orat: de
vendi Monachis ab Antonio datas poſteritati delineaverit. Nam *dum Divi* laud. Atha
Antonii vitam conſcripſit, vitæ monaſticæ leges, ſub narrationis ſpecie promulgavit.
Felix igitur Ægyptus, quæ *beatum duce, & magnum protulit Antonium*; qui D.Chryſo-
primus conſecravit deſertum, manifeſtans ſolitudinem, in quâ Paulus ja- ſtomus
cebat occultus, ibique *cæleſtem ducens vitam, Angelum non Eremitam,* D. Athan.
prætendebat moribus, Monachis norma vivendi exiſtens, & cunctis Chri-
ſtianis virtutum exempla præbens, quarum fama, 7. innumeram ho-
minum multitudinem ad deſertum trahebat. Attamen *nullus ſe fruſtra* D. Athan.
illuc venire conqueſtus eſt, omnibus delectabile, atque jucundum laboris com-

mer-

mercium fuit. Nec mirum, ſi Antonius ſuis exemplis, ſuis virtutibus, ſuâq; præſentiâ ad ſæculi contemptum inflammare homines; cum etiam poſt ejus mortem, ſimplex vitæ ipſius narratio, aulicos juvenes eosque decoris mulieribus deſponſatos, ad ſolitariam vitam allexerit; neque parum conduxerit ad Auguſtini converſionem; qui Antonii admiratus vitam, à vitiis ad virtutes tranſire decrevit. Cunctis adhuc Chriſtianis objicitur Antonii vita, & ſi omnes ad ſolitariam & monaſticam vitam non ſunt vocati, omnes tamen poſſunt imitari virtutes, quibus Antonius ſplenduit, & immortalem cœli beatitudinem acquiſivit.

CONCIO SECUNDA.

Tert. lib. 1 adv. Marc 11

PAtet *mendacio veritas*; quia ſecundùm communePhiloſophorum effatum, *contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt.* Sic lux ſolis gratior apparet iis qui aliquo tempore noctis caligine obtenebrati ſunt; ſic pulchra fœmina coram difformi magis pulchreſcit. Hoc modo dignoſcenda eſt Auguſtini perfectio, ex oppoſitione cum Auguſtini defectibus. Opponendus eſt itaque Auguſtinus Auguſtino, 1. Auguſtinus Doctor ſapientiſſimus, Auguſtino hæretico doctiſſimo: 2. Auguſtinus pœnitens illuſtriſſimus, Auguſtino peccatori famoſiſſimo: 3. Auguſtinus ſacer amans, Auguſtino amāti prophano.

I. PARS.

Tert. l. de præſc: hær 40

Diabolus eſt hæreticorum magiſter, *à quo intellectus interpretatur eorum quæ ad hæreſes faciunt, & qui* in ſcholâ pravi illius præceptoris eruditi ſunt. Tria potiſſimum ab illo didicerunt: 1. Errorem & mendacium: 2. Superbiam & mentis tumorem: 3. Crudele propoſitum enecandi fidem in fidelium cordibus, vel ſaltem languidam efficiendi. Auguſtinus à diabolo edoctus inter diſcipulos mali illius magiſtri principatum tenens, & in celebri illa Academia præcipui Doctoris munere fungens, ſcientiam docebat mendacem & tenebroſam, tumentem & ventoſam, perimentem & venenoſam; at DEI miſericordia illum, ab orci gymnaſio eruens, inſignem effecit Doctorem, ut in Eccleſia doceret doctrinam, 1. lucidam & ſplendeſcentem: 2. demiſſam & deprimentem: 3. fœcundam & triumphantem.

Tert. l. de præſc: hær 16 — Serm: 4 de Epiph. — Serm. 5. de Jejun. — In Pſal. 198 — In Pſal. 28

1. Apud hæreticos omnia extranea, & adverſaria veritati. Ob hanc cauſam D. Epiphanius hæreſim nuncupat, *Ferale commentum, de ſacrilegiis & fabuloſis mendaciis textum.* Eam adhuc appellat, *furioſa mendacia, prodigia falſitatum.* D. quoq; Leo quæ in hæreſi contineantur perſpicuè declarat. *In ea, lex eſt mendacium, diabolus religio, ſacrificium turpido.* Tandem hæreſis belle à D. Hilario deſcribitur, *Doctrina doloſa, ſub nomine DEI blaſphema, ſub prætextu religionis impia, ſub veritatis ſpecie fallax.* Nec mirū ſi hæreſis ſapit mendaciū, falſitatē, errorē, cæcitatē. Nam ut belle ad propoſitum fatur D. Auguſt: *DEUS*

eſt

eſt lumen, nos ſine illo tenebræ: ſi ab eo receſſeris, in tuis tenebris remanebis: ſi ad eum acceſſeris, non de tuo lucebis. Inde concludit: *ergo lux in Domino, ergo tenebræ ſine Domino.* Quod ex ipſomet Auguſtino evidenter patet qui (cum adhuc eſſet puer, fuit ita ſubtilis & ingenioſus, quod per ſe ſine Magiſtro, didicit ſeptem artes liberales.) Vix dum natus annos viginti, Ariſtotelis Categorias, & legerit, & ſolus ſine interprete intellexerit; qui facundo ſuo ingenio mentisque ſinu complexus ſit Mathematicam, Arithmeticam, Geometricam, Aſtronomiam, Muſicam, Phyſicam. *Qui duo, qui ſeptem, qui totum ſcibile ſcivit:* quo olim epitaphio commendatus fuit nonnemo; & potiori jure commendari poteſt Auguſtinus; *qui duo*, nimirum Rhetoricam, & Philoſophiam, *qui ſeptem*, ſcilicet ſeptem artes liberales, *qui totum ſcibile ſcivit;* quia nulla fuit ars, nulla ſcientia, quam non intellexerit aut docuerit; & tanquàm profundiſſimus Magiſter, facilitate & claritate ſua non illuſtraverit. D. Vinc. Ferr. Ser. de S. Aug. L. 1. c. 1. §. 8. de Vita S. August.

Magnus tamen ille intellectus tot ſcientiis illuſtratus, voluptatum cœno immerſus, & in hæreſim lapſus, tantis obvolvebatur ignorantiæ & erroris tenebris, ut DEUM vere non cognoſceret. Hæretici namque *DEUM aut fingunt alium adverſus Creatorem, aut ſi unicum, creatorem confitentur, aliter eum diſſerunt quàm in vero eſt*; Ut Auguſtini comprobatur exemplo, qui animam mundi exiſtimabat DEUM, ejus partes univerſi partibus reſpondere cenſens; qui DEUM peccati efficiebat authorem, homini libertatem adimebat, volens eum tum mercedis tum pœnæ incapacem: quod ipſe luce veritatis illuſtratus ultro confitetur: *Error meus, DEUS meus: non enim tu eras, ſed vanum phantaſma.* Inde concludit Tertullianus de hæreticis in communi, & conſequenter de Auguſtino loquens: *Itaq; omne mendacium quod de DEO dicunt, quodammodo genus idololatriæ.* Ter. l. de præſc. hær. 40 L. 4. Conf. 7

Tandem de DEO falſo & mendaciter, & velut idololatra locutus eſt Auguſtinus, quamdiu in hæreſi perſeveravit, neque veram de DEO habuit notionem, niſi quando fuit divina luce illuſtratus. *Quid eſt homo? Omnis homo mendax: ſi verax, non de ſuo, ſed de DEO eſt.* Quod probe recognoſcens, in gratitudinis monumentum DEO canit: *Confitebor tibi beneficia tua magna; quoniam eripuiſti me de inferno inferiori.* Neque duntaxat ſe DEI gratia ab errore & mendacio erutum recognoſcit, ſed adhuc fatetur ad veritatem adductum. Hac de cauſa DEUM vocitat modo *lumen oculorum meorum*, modo *illuminato.. meum*, modo *lucem meam.* Quemadmodum enim DEUS in exordio mundi produxit lucem de tenebris, ita in Auguſtino *vidimus lucem de tenebris proceſſiſſe.* DEUS qui eum elegerat, ut eſſet Eccleſiæ Doctor, & fidei defenſor, myſteria religionis eum docuit, veritates Morales Chriſtianæ ei aperuit, & tanto majori luce eum illuſtravit, quanto denſioribus involutus fuerat tenebris: *Sicut tenebræ ejus ita & lumen ejus.* Ex abyſſo mendacii & erroris effecit abyſſum ſapientiæ & veritatis. Quare non immeritò nuncupatur à Poſſidonio, *Abyſſus ſapientiæ.* Cui appropriat D. Auguſt. In Pſ. 115 Solil. 28 Medit. 30 Solil. 33 Solil. 37 Solil. 29 Pſal. 138

Cap. 28 Doctor Angelicus iſtud Jobi: *Profunda fluminum ſcrutatus eſt, & abſcondita in lucem produxit.* Quatuor, ait D. Thomas, ſunt flumina, nimirum *ſcriptura, creatura, culpa, & gratia*; quorum profunda ſcrutatus eſt S. Auguſtinus. *Scriptura* quidem, vetus & novum elucidans Teſtamentum, tum in libris de Geneſi; tum in elucidationibus in Pſalmos: tum in enarrationibus in Joannem; tum in expoſitionibus Epiſtolarum Pauli: Scrutatus eſt etiam profunda *creaturæ*, & quidem triplicis, ſpiritualis, corporalis, & compoſitæ. Spiritualis, in libro de Angelicâ Hierarchiâ, corporalis in libro de Geneſi ad litteram. compoſitæ in libro de Spiritu & Anima. Scrutatus eſt adhuc profunda *culpa* & quidem triplicis; originalis, mortalis & venialis. Originalis libro 1. Confeſſionum; mortalis libro 9. venialis libro 10. Tandem ſcrutatus eſt profunda *gratiæ* etiam triplicis, pervenientis, ſubſequentis, & perficientis, in libris de Gratiâ.

Apocal. 5 D. Thom. à Vill. Nov. Dilectus Diſcipulus DEUM in throno Majeſtatis ſuæ ſedentem vidit, in dexterâ tenentem librum ſcriptum intus & foris ſignatum ſigillis ſeptem. *Liber iſte eſt Scriptura ſacra: Scriptus intus propter myſticos ſenſus, foris propter litteralem.* Signatus ſeptem ſigillis, id eſt ſeptem excellentiis in Scripturâ contentis, quæ ſunt: *ſententiarum profunditas, ſenſuum multiplicitas, figurarum varietas, rerum incomprehenſibilitas, myſteriorum obſcuritas, tropologiarum ſuavitas, infallibilis veritas.* Quis autem hunc librum aperuit, myſteria detexit, ænigmata ſolvit, abſcondita illuſtravit? Reſpondet D. Anſelmus. *Hic eſt Auguſtinus, quem Dominus cælitus erudivit, & in toto orbe terrarum legiſlatorem & legiferum principem fecit, & dedit ei claves ſolvendi librum, atque aperiendi.* Quæ enim humanis mentibus erant abſcondita, produxit in cognitionis lucem. Quod executus eſt in libris de Trinitate, de Civitate DEI, de Prædeſtinatione & Gratiâ, & aliis quibus Scripturam ſacram mirum in modum elucidavit, & *doctrinæ culmen Chriſtianæ* videtur attigiſſe, tantum excellens ſuprà cæteros Doctores, quantum Joannes ſuprà alios Evangeliſtas.

Apud Paulet. Serm. de S. Aug.

Sacri Hiſtorici Chriſti referentes nativitatem, & vitam, varie de illo loquuntur; De ejus humanitate Matthæus, de regiâ dignitate Marcus; de ſacrificio Lucas: at Joannes velut aquila ad æternam Verbi in ſinu Patris generationem attollit oculos, deinde ad ima deſcendens ejus humanationem in utero Virginis contemplatur. Hieronymus, Gregorius, Ambroſius, Auguſtinus, ſunt præcipui Eccleſiæ Doctores, qui præſtantiori modo Scripturam ſacram explanârunt, & diverſa expoſitionum genera protulerunt. Hieronymus excellit in ſenſu litterali: Gregorius in morali, Ambroſius in allegorico, Auguſtinus verò tanquàm àquila in anagogigo cæteris ſupereminet. Quod probe agnoſcens Gregorius ad Innocentium Africæ præfectum ſuas elucubrationes in Jobum expoſtulantem, ſic ſcribit: *Quod expoſitionem ſancti Job transmitti voluiſtis, veſtro judicio non gaudemus: ſed ſi delicioſi cupitis pabulo ſaginari, Beati Auguſtini compatriota veſtri Opuſcula legite; & ad comparationem illius ſimilaginis noſtra furfur non quæratis.*

Hanc

Hanc noſtri Doctoris præſtantiam denotat binum quo inſignitur nomen; vocitatur enim *Aurelius Auguſtinus.* Ut autem ait Caſſiodorus, *omnis appellatio ad declarandas res videtur impoſita.* Duplicem autem utriusque nominis ethimologiam invenio. Dicitur quidem *Aurelius*, ſeu ut placet Feſto, *Aureus*, hoc eſt, aureâ ſede dignus; dignus, inquam, aureâ cathedrâ, dignior eâ, quàm inter Græcos Socrates aureo tripode; inter Hebræos Salomon ſolio regio. Adhuc nominatur *Aurelius* ob ingenii nitorem, & præclara doctrinæ lumina. Romæ fuit olim familia perilluſtris, nomine *Aurelia*, cui proprium erat ac ſingulare, in Solis templo offerre ſacrificium, quaſi ſola devota dicataque Soli, Doctor quoque noſter potuit vocitari *Aurelius*; vel quia DEO ceu ſupremo ſoli, & fonti omnis luminis totus dicandus erat; vel quia ab illo clarus, lucidus, & quaſi ſolaris totus, & hâc de causâ nuncupatur *orbis lumen, magnus mundi ſol.* Eccleſia tribuit Sanctis honoris titulos qui proprias eorum denotant perfectiones. Sic Joannes Antiochenus, ob eloquentiam nuncupatur *Chryſoſtomus*; Gregorium ob patrata miracula *Thaumaturgus*; Bernardus ob ſtyli ſuavitatem *Mellifluus*; Thomas ob ingenii ſublimitatem *Angelicus*; & Auguſtinus poſt mortem *Aurelii* nomen accepit, quod ſolem ſignificat. *Alii Doctores comparantur ſtellis, Auguſtini ſoli.* Et meritò ſplendeſcenti illo vocabulo honoratur, ait B. Thomas Valentinus Antiſtes: Tum quia *ficut ſol cætera aſtra, ita cæteros omnes poſt Apoſtolos ſuperat Auguſtinus. Et meritò ad alios in Eccleſia in hoc quaſi ſol ad ſidera comparatur:* Tum quia *à ſole omnia lucent: ab Auguſtino omnes qui poſt ipſum fuerunt Doctores, lumen ſapientiæ accipiunt: ipſe verò propria luce lucet, quam à nullo hominum, ſed à ſolo DEO accepit.* Ob has rationes Pius II. Pontifex Maximus, Auguſtini decantans laudes, illum velut ſolem prædicat: *Quem nihil obſcurum latuit; ſed & omnia clarent.* Auguſtini adhuc vocabulum duplicem habet notationem, felice nomine ſic dictum ab *Augendo*; quod ejus ingenio, doctrinâ, virtute, mirum in modum augenda erat Chriſtiana religio, & Catholica Fides incrementanda. Vel ut volunt nonnulli ab *Auguſto* denominatum: vel quia ut vult ex Remigio auctor hiſtoriæ Lombardicæ, *ſicut Imperator Auguſtus præcellit omnes reges, ſic & Auguſtinus excellit omnes Doctores.* Vel ſicut Auguſtus Imperium Romanum generoſe defendit, multumque incrementavit; ſicut Auguſtinus Eccleſiam propugnavit & magnificavit. Vel quia *Auguſti oculi ita eniteſcebant, ut ſi intentius aliquem eſſet intuitus, cogeretur is ſeu ſplendoris nimietate caligare, vultum demittere.* Auguſtini quoque ſplendorem ferre hæretici non valebant, cujus oculi ut radii ſolis fulgebant: unde Jacobus à Voragine refert hominem devotum, *vidiſſe Auguſtinum ſuper lucidam nubem ſedentem, cujus oculi quaſi ſolis radii erant.*

Ex his conſtat quàm meritò Auguſtinus inter Doctores teneat principatum, exiſtens *inter Doctores, quod ſol inter Planetas.* D. Hieronymus

L. 8. Var. Epiſt. 18

Alex. ab Alex. l. 1. c. 9

D. Antonin. 3. p.

Remig.

Conc. 1. de S. Aug.

Cœl. Rodig. l. 15. c. 8

Serm. 138

Remig. Antiſiodo in 2. Cor.

Epiſt. 25 ad Aug
Ep 3 apud Auguſt.
Lib 7. de Oper Spir. S. c. 19
In Epiſt ad Maced.
Serm de S. Steph.

Auguſtini coævus, eum ut *conditorem antiquæ fidei* veneratur. D. Paulinus Auguſtinum prædicat, *Eccleſiæ lucernam, fiſtulam aquæ vivæ & venam fontis æterni.* A Ruperto habetur Auguſtinus *columna veritatis, columna nubis in qua thronum ſuum poſuit ſapientia DEI.* A Poſſidonio nuncupatur Auguſtinus, *homo cœleſtis, imago divinitatis, Pater Patrum, Doctor Doctorum, abyſſus ſapientiæ, præco veritatis, par Angelis in fervore, par Prophetis in abſconditorum myſteriorum revelatione, par Apoſtolis in prædicatione.* A D. Bernardo *Eccleſiæ lingua* vocitatur, ab Eccleſiâ ipsâ appellatur *lux Doctorum*, *firmamentum Eccleſiæ*, *malleus hæreticorum, ſummum vas ſapientiæ.* Et ut fatur nonnemo, *inter ſanctos doctiſſimus, & inter doctos ſanctiſſimus*, præ ſe ferens doctrinam humilem & deprimentem.

Ter l. 2. de Cult Fœm 3
D. Hier.
1 Cor. 8
Plato in Cratilio
Tert apol. 47

2. *Gloria eſt exaltationis ingenium.* Perpauci ſunt homines quibus à naturâ corruptâ in ſitum non ſit exaltationis ingenium; at nulli adeò gloriæ ſufflammantur ardore, ac excelſæ mentes, non minus peccati, quàm notionis dæmonum participes. *Superbia natione cœleſtis*, quia in cœlo ſuam ſumpſit originem, etiam terrenos accendit homines, præſertim eos qui aliis antiſtant ſtudio ſcientiæ Apoſtolo namque teſte *ſcientia inflat*; hoc eſt inſtar follis vento diſtenti turget, Quapropter ſuperbus diabolus dictus eſt *δαίμων* quaſi *δαήμων*, id eſt doctus, peritus, ſciens. Homines litterati ſuperbi dæmonis æmuli; ventoſa ſcientia inflantur; Tum quia eos ſupra alios multum extollit: Tum quia magnam famam & exiſtimationem eis acquirit, ut patet ex Philoſophis Gentilibus qui fuerunt *homines gloriæ & eloquentiæ ſolius libidinoſi.* Prius gloriæ quàm eloquentiæ libidinoſi, quia eloquentiæ non ſtudebant, niſi ut gloriam captarent. Patet etiam ex hæreticis; ex D. namque

Lib. cont. Epiſt. Manich. c 6
L. 18. Civ. 51
In Pſ. 124
Tert. l. de præſc: hær 41

Auguſtino, *Mater omnium hæreticorum eſt ſuperbia.* Ut enim aliorſum animadvertit Hypponenſis Antiſtes: *Videns diabolus templa dæmonum deſeri, & in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, hæreticos movit, qui ſub nomine Chriſtiano doctrinæ reſiſterent Chriſtianæ.* Neque ad id negotium ſuſcitavit homines idiotas & ignaros, ſed intellectu ſublimes & doctos. Quod probe animadvertens D. Auguſt: ait: *Non putetis, Fratres, quia potuerunt fieri hæreſes per aliquas parvas animas. Non fecerunt hæreſes niſi magni homines*, magnitudinis ſuæ & eruditionis vento inflati. *Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur.*

Chryſoſt Serm. 42

Nullus unquam homo fuit excellentiori ingenio præditus, quam Auguſt. neq; politiori eloquentiâ pollens; neq; magis ſcientiarum ſplendoribus fulgens; neq; majori in æſtimatione apud homines exiſtens; ſcientia Auguſtinum inflabat, hæreſis eum in ſuperbiâ nutriebat: & ut ipſemet fatetur, *inhiabam honoribus.* Romæ Rhetoricam gloriæ & famæ aucupandæ gratia docens: *quia devotus animus infulis beneficiorum, creſcit ad obſequium, augetur ad gratiam, non ad arrogantiam inſilit, non ad ſuperbiam pertumeſcit*: D. Auguſt. repudians hæreſim tumorem mentis dejecit, amplexans fidem, Chriſtianam humilitatem ſuſcepit, à quâ nunquam potuit dimoveri, neque ingenii celſitudine,

tudine; neque ſcientiæ ſive acquiſitæ, ſive à DEO infuſæ magnitudine, neque famæ claritate; ſed humilitatis toto vitæ tempore ſtudioſus fuit, ut ſuperbiam quâ fuerat tumidus penitus evacuaret.

In Auguſtino hæretico tres fuêre ſuperbiæ gradus. Primus, præſumptio, quâ à ſe, non à DEO habere præclaras animi dotes exiſtimabat: Secundus, gloriæ ambitio, quam ſtyli nitore, ſermonis eloquentia, verborum lenocinio captare ſatagebat: Tertius, famæ cupido, ambiens ab omnibus haberi ſcientiâ & eloquentiâ non vulgari præditus. In Auguſtino autem Catholico fuerunt tres humilitatis gradus, tribus ſuperbiæ gradibus oppoſiti. Nam præſumptioni oppoſuit gratitudinem, quâ ſe omnia à DEO accepiſſe recognoſcit. *Quidquid habeo, à DEO ſumpſi non à me præſumpſi: atque ab illo in me perfici fideliter ſpero, à quo inchoatum eſſe humiliter gaudeo; non enim meo, vel ingenio, vel merito, ſed ejus dono ſum quidquid laudabiliter ſum.* Epiſt. 52 ad Maced. Gloriæ ambitioni, quam ex verborum elegantiâ captabat, oppoſuit ſtylum humiliorem, non demulcendis auribus, ſed formandis animis aptiſſimum. *Melius eſt ut nos reprehendant Grammatici, quàm non intelligant populi.* D. Auguſt. In Pſal. 31 Tandem famæ cupidini, deprimentem oppoſuit ſuorum librorum Retractationem. *Neq̃, ambitioſus quiſquam ita gloriam affectavit, ſicut ille contemptum.* D. Thom. à Villa Nova. Magnum ſibi comparaverat famam Auguſtinus, à cunctis hominibus ſumma in exiſtimatione habitus; in omnium ore verſabatur velut præſtantiſſimus Doctor, & Scriptor celeberrimus; multos compoſuerat, & typis mandaverat libros, qui Auctoris ingenerabant admirationem, quos ipſe retractavit, impedire volens famam quæ tum tempore præſenti tum futuro ei obvenire poterat. Aſtrologi in ſole nonnullas deprehendunt maculas; Auguſtinus in lucidâ ſuâ doctrinâ quoſdam conſpicit nævos, hos ſevere condemnat, & ut errores in quos incidiſſe ſibi videtur, ſubſecuturis manifeſtet ſæculis, duos componit Retractationum libros, quos poſteritati tranſmittit. Poteſtne concipi major humilitatis gradus? Nonne admiranda eſt Auguſtini doctrina demiſſa & deprimens, fœcunda & triumphans de hæreticis fidem interimere molientibus?

3. *Proinde & hæreſes ad languorem & interitum fidei productas.* Dæmones tum DEI tum veritatis oſores, mediis hæreticis duo præſtare nituntur. Unum, Chriſtianos à veritate removere: *Et quæ illis accuratior paſcua eſt, quàm ut hominem à recogitatu veræ divinitatis avertant?* Tert. l. de Præſc. hær 2 Tert. apol 22 Multos in errorem ſeu hæreſim inducere: *Cum hoc ſit negotium hæreticis, non ethnicos convertendi, ſed noſtros evertendi: hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi jacentibus elevationem operentur.* Tert l. de Præſc. hær 42 Hæretici autem Catholicos proſternere moliuntur captioſis Logicæ argumentis: *Et ideò habent vim, & in excogitandis inſtruendisq̃, erroribus felicitatem;* Ter lib. de Præſc. hær 39 quos media Philoſophia Gentili excogitant, & propugnant. Etenim *eadem materia apud hæreticos & Philoſophos volutatur, idem retractatus implicantur;* imò ut fatur ibidem Tertullianus; *ipſa hæreſes à Philoſophia ſubornantur.* Tert. l. de præſc. hær 7 Tandem tam hæreſes quàm Philoſophiâ

Gentilem, dæmoniorum doctrinam nuncupat. *Hæ ſunt doctrina hominum & dæmoniorum, prurientibus auribus nata de ingenio ſapientia ſecularis.* Hâc ſæculari ſapientiâ, dæmoniorum doctrinâ, & ſophiſticâ hæreticorum Philoſopiâ imbutus Auguſtinus totis viribus Catholicam evertere nitebatur fidem. Adeò erat in Philoſophiâ verſatus, tantâque pollebat in argumentando mentis acie & ſolertiâ, ut ejus Logicam, arguendiq; vim ſuſtineret nemo, formidarent omnes, & acutiſſimi quique refugerent orthodoxi: quibus captioſis ſuis argumentis & ſophiſmatibus ita erat moleſtus, ut juſſu D. Ambroſii in Litaniis additum fuerit, *A Logica Auguſtini libera nos Domine.*

Rivus l. 2. c. 1

Verum uti acutum in diſputando acre Auguſtini hæretici ingenium, fuit Catholicis permoleſtum; ita Auguſtini Catholici acumen, viſque urgendi, fuit hæreticis grave & oneroſum, glorioſe de eorum erroribus triumphans. In ſole luces ſunt in triplici differentiâ: quædam lucidæ & illuſtrantes, quæ præclariſſima naturæ & artis manifeſtant opera; aliæ victrices, & triumphantes, quæ horridas noctis fugant tenebras, & venuſtam diei adducunt jucunditatem: tertiæ, in pelagi abyſſis margaritas formant, & ad vegetalium & ſenſentium concurrunt generationem. Auguſtinus ſol Eccleſiæ habet doctrinam ſplendeſcentem & illuminantem, vincentem, & triumphantem, fœcundam & generantem. Splendeſcentem & illuminantem, quia mire Scripturam ſacram illuſtrat, & auguſtiſſima quæque Religionis myſteria perſpicue declarat. Ob hanc cauſam à Caſſiodoro appellatur *lux Eccleſiæ illuminans:* Et octavum Concilium Toletanum recognoſcit in Auguſtino, miram in indagandis veritatibus ſubtilitatem, & ſingularem in explanandis claritatem. Antequàm Auguſtini lux illuminaret Eccleſiam: *Fides erat quodammodo adumbrata, non ſolum erroribus hæreticorum, ſed etiam verbis & eloquentia Catholicorum, quibus magis curæ fuit culte & ornate, quàm diſtincte loqui, ac proinde quid in qualibet fidei materia ſentiendum eſſet, non tam erat in aperto: ſed Auguſtinus primus cœpit Catholicas veritates enucleare, & ad ſcholaſticam formam redigere, docens, quid in quolibet fidei myſterio ſentiendum, quid ad objecta reſpondendum eſſet.* UndeD. Thomas Doctor Angelicus, & Scotus Doctor Subtilis, Theologiæ tam ſcholaſticæ quàm moralis facile principes, ſententias ſuas D. Auguſtini authoritate muniunt, ſive in explanandis fidei veritatibus; ſive in confutandis hæreſeos erroribus. De quibus vincens D. Auguſtini, 2. doctrina triumphat, qui jure meritò à D. Bernardo appellatur *malleus hæreticorum.* Nam Arianos per totam Africam diſperſos penitus profligavit, Manichæos deſtruxit, ſuperatis in duabus publicis diſputationibus Felice & Fortunato, præcipuis eorum magiſtris; Eutychianos in Chriſto divinitatem & humanitatem confundentes, confudit; Circumcelliones debellavit, adeò ferocientes, ut ſæpe Catholicos trucidarent, & ſeipſis ſævioribus tormentis temere exponerent; Donatiſtarum numerum adeo minuit, ut ex quadringentis eorum Epiſcopis vix reperti ſint centum quinquaginta juſſu Honorii Imperatoris Carthagini congregati ut diſputarent cum Catholicis,

D. Thom. à Vill. Nov

Serm. 8 in Cant.

tholicis. Quare Aurelius Caſſiodorus Aurelio Auguſtino congratulatur de tot hæreticorum reportatis triumphis: *Doctor eximius beatiſſimus Pater Auguſtinus, debellator hæreticorum, defenſor fidelium, decurrit tanquàm fons puriſſimus, nulla face pollutus, & in integritate fidei perſeverans neſcit locum dare hæreticis.* Verum, etſi omnes hæreticos inſecutus fuerit D. Auguſtinus, maxime adverſus Pelagium pugnavit, ejusque errores expugnavit. Idcircò non ſine ſpeciali DEI providentiâ, ut animadvertit ſanctus Proſper: *Eodem tempore quo natus eſt in Britannia Pelagius hæreſiarcha ſeu caligo quædam in tenebroſis illis regionibus exorta, natus eſt in Africa Aurelius Auguſtinus veluti clariſſimus ſol noctem illam erroris diſcutiens*, ſuâque doctrinâ 3. Eccleſiam fœcundans: Tum duplicem fundans Ordinem; Canonicorum ſcilicet Regularium, & Monachorum ſeu Eremitarum, utrumque magna Sanctorum & Doctorum multitudine conſpicuum, regulam ipſis à D. Auguſtino traditam amplexi ſunt quadraginta Ordines religioſi: Tum totlibris in lucem editis, qui ut ait Valentinus Antiſtes, *tot ſunt ut vix legi poſſint; tam varii ſunt, ut non ab uno, ſed ab univerſitate videantur conſcripti.* Tum quia ab illo omnes Authores ſuam mutuantur ſcientiam; non ſecus ac Poetæ ab Homero, à quo *omnis unda, & omne æquor.* Similiter ait Caſſiodorus, D. Auguſtinus eſt fons limpidiſſimus ubi hauriunt Philoſophi naturæ veritates; Oratores, eloquentiæ Chriſtianæ regulas; animæ pietatis ſtudioſæ, veræ devotionis principia. Prædicatores, materias quibus ſuas repleant conciones; Theologi ſcholaſtici, myſteriorum Religionis notitiam; Caſuiſtæ, moralis Theologiæ deciſiones; Interpretes, Scripturæ ſacræ elucidationes; Concilia, fidei determinationes; ſummi Pontifices, quæ pronuntiant oracula; Controverſiſtæ, arma queis debellant hæreticos.

De Div. lect. c. 22

Lobb. to. 3 Opuſc. Opuſc. de S. Aug.

Tert. lib. 1 ad Nat. 10

Reædificato à Cyro Perſarum Rege & *fundato Templo Domini, ſteterunt Sacerdotes in ornatu ſuo cum tubis & Levitæ in cimbalis, ut laudarent DEUM.* Sed quomodo laudaverunt DEUM? *Per manus David.* Verum, quomodo id facere potuerunt *per manus David* Sacerdotes & Levitæ, cum propriis manibus Muſicæ inſtrumenta pulſarent? Deinde quomodo per manus David jam diu fatofuncti tubas & cimbala poterant tangere? Verumtamen id egerunt *per manus David*, canentes Pſalmos Davidis manibus conſcriptos. Nam diſſimiliter quidquid docuerunt Theologi, quidquid ſcripſerunt Auctores, quot hæreticos debellârunt Controverſiſtæ, id egerunt per manus Auguſtini: nimirum per doctrinam Auguſtini manibus ſcriptam. In Auguſtino nunquam magis elucet gratia quam cum totis viribus adverſus Pelagianos propugnavit, quàm in converſione illuſtris peccatoris quæ mire eluceſcit ex oppoſitione cum famoſo pœnitente.

L. 1. Eſdr. 3

II. PARS.

Auguſtinus quamdiu fuit crimino ſus fateri debebat: *Ego præſtantiam in deliciis meis agnoſco.* Tria potiſſimum Auguſtini peccata, & atrociora & ſplendidiora reddebant, nimirum peccatorum multitudo, obſtinatio,

Tert. l. de Pœn. 4

&

& ſplendor, cum de eorum enormitate ſeſe jactitaret. In converſione autem Auguſtini elucet trina gratia, tribus illis peccatorum defectibus oppoſita. Nimirum gratia 1. multiformis, de peccatorum multitudine triumphans: 2. fortis, peccatorum obſtinationem & reſiſtentiam ſuperans: 3. humilis, peccatorum enormitatem propalans.

3. Auguſtinus fuit multis peccatis contaminatus: nam ut ipſemet fatetur, *Inhiabam honoribus, lucris, conjugio.* Fuit enim ſuperbiâ tumidus, divitiarum cupidus, & fœdis voluptatibus deditus. Acceperat à DEO ſublime ingenium, corpus decorum, & cor ad magna natum. Verum ſuperbiâ mentem occupans ſplendores ejus obnubilavit, laſcivia corpori dominans, decorem ejus fœdavit; avaritia cor poſſidens, magnam ejus capacitatem ad terrena dejecit; ut ipſemet fatetur: *Victorioſam loquacitatem victus cupiditate vendebam.* Superbia quæ eſt vitium diabolicum mentis altitudinem prophanaverat; libido, quæ in beſtiam convertit; corporis pulchritudinem contaminaverat; avaritia, quæ terrena cœleſtibus præponit, cordis inclinationes pervenerat. Talis erat ſtatus Auguſtini de peccatis infeliciter famoſi, quem DEUS ſuâ gratiâ feliciter dignatur eo tempore quo magis videbatur indignus. In productione hominis: *Recogita DEUM totum illi occupatum ac deditum, manu, ſenſu, operatione, ſapientia, providentia, & ipſa inprimis affectione.* In converſione pariter Auguſtini DEUS ſuam adhibet ſapientiam ut ſuperbiam illam convincat mentem; adhibet bonitatem, ut libidinoſum corpus de cæno voluptatum retrahat, adhibet potentiam, ut terreni illius cordis immutet affectus.

L. 4. Conf. 2.

Tert. l. de Reſ. Carn. 6

Chryſologus Salvatorem prodit velut protheum benignum & benevolum, ſumentem cunctas formas, quæ poſſunt ſaluti noſtræ ſervire. *Tibi rex, tibi ſacerdos, tibi paſtor, tibi ſacrificium, tibi ovis, tibi agnus, tibi totum factus eſt, qui fecerat totum. Et qui ſibi nunquam, tibi toties immutatur in formas, qui manet unica, ſua majeſtatis in forma.* O bonitas infuſa! ô inaudita pietas! ô ineffabilis affectio! DEI Filius quod pro ſalute hominum in communi operatus eſt, idipſum in particulari egit pro converſione Auguſtini, multiformi utens gratiâ. Ad domandum namque tumidum illud ingenium Simpliciani religioſi adhibet ſimplicitatem, Ambroſii urbanitatem, & Victorini humilitatem, qui tantâ cum gloriâ Rhetoricam Romæ docuerat, ut ſenatus ad ejus honorem ſtatuas in locis publicis erexerit, & tamen cunctis ſæculi renuntiaverat honoribus, ut in religione humilem & incognitam duceret vitam. Ad cupidum illud cor à terrenis avellendum divitiis, utitur Pontiano nobili, à quo audit admirabilem Antonii converſionem, qui teneras abdicaverat opes, & in ſolitudine adeò virtuti vacaverat, ut ad ſimplicē relationem tantæ perfectionis duo aulici Imperatoris curiâ reliquerint terrenis bonis & deliciis renuntiaverint, & in portū Religionis ſeſe receperint. Et quia amor Venereus erat paſſio Auguſtini prædominans DEUS multiformi utitur ſapientiâ, ut illum ad impuris voluptatibus dimoveat. Interdum intellectum Augu-

Serm. 23

1. Petr. 4

Epheſ. 6

Auguſtini irradiat, eiq; laſciviæ turpitudinem & caſtitatis pulchritudinem manifeſtat: interdum carnis delicias amaritudinibus replet, orbans Auguſtinum amaſia ſibi chariſſima: interdum Auguſtinum lachrymis matris Monicæ ſtimulat, quæ filium indeſinenter comitatur, & ad converſionem ſollicitat: interdum Auguſtino objicit exempla adoleſcentium & puellarum caſtitatem ſectantium in veſtibusque nive candidioribus repræſentat: interdum Epiſtolas Pauli inter manus Auguſtini ponit, dicens ei: *Tolle & lege*, & feliciter incidit in iſtud: *Non in cubilibus & impudicitiis*. Tandem multiformes adhibet gratias *adverſus latitudines diaboli*; id eſt, adverſus multiformia Auguſtini peccata, & fortes adhuc gratias, quibus de famoſi illius peccatoris obſtinatione & reſiſtentiâ triumphat. Rom. 13 Tert. l. de Idol. 2

2. In Auguſtino *gratia coronatur*, obſtinatum illum peccatorem vincens. Tria potiſſimum victoriam glorioſam & illuſtrem reddunt: nempe hoſtium vis & fortitudo, adverſariorum colligatio & multitudo, prælii diuturnitas & longitudo. Hæc tria concurrunt ad gloriam victoriæ quam de Auguſtino reportavit Gratia. 1. Hoſtium virtus & fortitudo; non eſt multum honorabile debellare inimicos debiles & timidos, quibus deeſt animus ad pugnandum, & vis ad reſiſtendum: at valde eſt glorioſum ſuperare hoſtes fortes & generoſos qui viriliter reſiſtunt & fortiter decertant. At inter gratiæ hoſtes, ſuperbia, luxuria, & avaritia ſunt & fortiores & formidabiliores. In magnis mentibus ſuperbia fortiter cum gratiâ dimicat: præclara namque ingenia ſuos conceptus velut Numina venerantur; & quia hæretici ſunt velut Angeli voluntate inflexibiles, ſuosque errores pertinaciter tuentur, ſuperbia nunquam validiùs cum gratiâ dimicat, quàm cum alicujus hæretici doctiſſimi mentem occupat. Avaritia non eſt minus oppoſita Gratiæ quàm ſuperbia; neq; minori vi cum illâ decertat: Tum quia nihil adeò contrariatur Gratiæ quàm peccatum: at *radix omnium malorum cupiditas*. Tum quia avaritia favet cunctis paſſionibus, ſuppeditans eis objecta quæ concupiſcunt: *pecuniæ obediunt omnia*; ideoque cunctæ paſſiones ſtant à partibus avaritiæ, & pro eâ militant: imò pro ſeipſis, cum ſine avaritiâ nequeant deſideratis frui objectis. At voluptas multò magis Gratiæ reſiſtit, quàm paſſiones in avaritiæ defenſionem ornatæ; & ſuperbia pro excellentiâ, gloriâ & faſtu congrediens. Ut enim fatur D. Auguſtinus, *duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria*: cauſam autem mox ſubminiſtravit grandis hujus certaminis, quia *gravem caſtitas ſortita eſt inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur*. Et ob hanc cauſam pugna illa eſt *potentiſſima, quæ venit de concupiſcentia carnis*. Cum fortibus illis inimicis dimicavit in Auguſtino Gratia, ſcilicet cum ſuperbia, quæ ſimul cum hæreſi mentem ejus occupaverat; cum avaritia, quæ cor ejus terrenorum amore ſufflammaverat; cum voluptate, quæ carnem ejus cæno libidinum immerſerat. Quod ſi voluptas adeò eſt potens, quod Tertull. teſte *plures invenias, quos magis periculum voluptatis, quàm vitæ, avocet ab hac ſecta*: quamnam tyrannidem exercebat voluptas in Tert. lib. 2 ad Uxor. 8 1. Timoth. 6 Eccleſ. 10 Ser 250. de Temp. Tert. l. 1 ad Uxor. 4. L. de Spect. 2

Auguſtinnm juvenem ad mortem venereum pronum, & fœdis libidinibus aſſuetum? De quo ſane idem prædicare debemus; quod ipſe de Alipio proclamat: *Quiſquis de illo viro cogitat, de magna DEI miſericordia cogitat*, de magna Gratiæ victoria cogitat, quæ hoſtium proſtravit fortitudinem, & 2. debellavit multitudinem.

Epiſt. 32. ad Paulin

Tres commemorat Evangelium converſiones, quas per ſemetipſum operatus eſt Chriſtus in quibus ſuperavit *inſigniora ipſa carnis & ſaculi vitia: quæ à divinis diſciplinis plurimum avocant: alterum per laſciviendi voluptatem: alterum per acquirendi cupiditatem*: tertium per gloriæ & ambitionis ſublimitatem. Tria illa inſigniora vitia devicit Chriſtus; ſuperbiæ ſublimitatem in Saulo, acquirendi cupiditatem in Matthæo, laſciviendi voluptatem in Magdalena. At tria illa vitia ſimul in Auguſtino Chriſti gratia ſuperavit. In converſione Sauli, Matthæi, & Magdalenæ, gratia victorias velut dimidiatas retulit: in Saulo vicit duntaxat ſuperbæ mentis ſublimitatem; in Matthæo acquirendi cupiditatem: in Magdalena carnis voluptatem: at in Auguſtino integram & completam gratia retulit victoriam. Dimicavit enim cum vitiis mentis, cordis & carnis; & debellavit mentis tumorem, avaritiæ ardorem, & venereum amorem. Ad convertendum Saulum, oportuit ſolummodo deponere mentis tumorem; in illo, neque habendi cupiditas, neque laſciviendi voluptas decertârunt cum gratia. Ad convertendum Matthæum fuit duntaxat neceſſe ut gratiâ acquirendi vinceret cupiditatem; in illo neque mentis ſuperbia, neque carnis voluptas ſeſe Gratiæ oppoſuit. Ad convertendam Magdalenam neceſſe duntaxat fuit, ut gratiâ vinceret laſciviendi voluptatem: non fuit illi congrediendum, neque cum ſuperbiæ ſublimitate, neque cum acquirendi cupiditate: At in Auguſtino tria inſigniora illa vitia *conſpirata & conjurata inter ſe ſunt*, & neceſſe fuit ut gratia ſimul & ſemel debellaret ſuperbiæ ſublimitatem, acquirendi cupiditatem, & laſciviendi voluptatem. Ad vincendos tres fortiſſimos illos hoſtes inter ſe conſpiratos & conjuratos, oportuit ut gratia fuerit potentiſſima: *Hac erit vis divina Gratia, potentior utique natura; habens in nobis ſubjacentem liberam arbitrii voluntatem*; quæ in Auguſtino diu reſtitit: & victoria gratiæ eò eſt glorioſior quo 3. Auguſtini reſiſtentia fuit diuturnior.

Tert. l. 1 ad Uxor. 5

Tert. l. de Spect. 10

Tert. l. de An. 21

Saulus, Matthæus, & Magdalena, diu gratiæ non reſtiterunt, in momento converſi ſunt. Mox ut Chriſtus injecit oculos in Magdalenam, de ſuis peccatis doluit, pœnitentiæ lachrymas fudit, & Chriſtum toto corde, & inſeparabiliter dilexit. Mox ut Salvator Matthæum vocavit, publicani officio renuntiavit, telonium reliquit, & abſque ullâ morâ ſecutus eſt illum. Mox ut Chriſti vocem Saulus audivit, ſtatim ferocitatem lupi in agni manſuetudinem convertit, odium & animadverſionem in Chriſtianos depoſuit, & Chriſto humiliter dixit; Domine, quid me vis facere? At Auguſtinus per quindecim integros annos reſtitit gratiæ: nam à ſedecim annis deditus fuit laſciviæ, neque plene converſus fuit niſi in trigeſimo tertio ſuæ ætatis anno

in

in quo *inſtantia divinagratia victus* DEI inſpiratione reſpondit, captivitatis Tert.l. de
ſuæ vincula rupit, ſpurcitias totaliter rejecit, & ut pœnitentiæ majorem da- An. 57
ret ſplendorem, peccata ſua cunctis hominibus patefecit.

3. *Omne malum aut timore, aut pudore, natura perfudit* : at tantum abeſt Tert. Apol
quod Auguſtinus pudore arceretur à ſceleribus ; quin imò de criminibus 1
etiam atrociſſimis impudenter gloriabatur ; & ut majori eſſet in honore
apud coætaneos & ſocios, ſeſe de peccatis, quæ non commiſerat, jactitabat,
ut ipſemet fatetur : *Præceps ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet* L.2.Conf.
me minoris dedecoris, quum audiebam eos jactantes ſua flagitia. Mira res, & om- 3
ni ſtupore digniſſima! ô vis gratiæ potentiſſima! Auguſtinus pœnitens, ut
impudentiam Auguſtini peccatoris puniat, peccata ſua publice confitetur,
ſplendore pœnitentiæ delictorum reparat ſplendorem ; inverecundiam
compenſat verecundia; non puduit commiſiſſe crimina, & illa cum pudo-
re confitetur : *Eſt quædam in peccatis verecundia & pœnitentia portio confiteri* D.Ambr.
peccata. Humilem & pudoratam illam Auguſtini confeſſionem magis mi- L.2.de Cain
ratur Magnus Greg. quàm virtutes ejus ſublimiores : *Vir iſte magnus in vir-* & Abel 9
*tutibus ſuis, mihi certe ſublimis apparet etiam in peccatis ſuis. Mirentur in eo qui
volunt caſtitatis continentiam, mirentur integritatem juſtitiæ, mirentur viſcera pie-
tatis, ego non minus admiror confeſſionem humillimam peccatorum, quam tot ſu-
blimia geſta virtutum.*

Tres ſunt peccatorum confeſſiones, quæ aliquam pudoris ſpeciem ha-
bent annexam. Prima, eſt confeſſio auricularis ſacerdoti in pœnitentiæ
foro facta; ſecunda, eſt confeſſio publica, coram adſtantibus manifeſtata;
tertia, confeſſio ſcripta & omnium oculis expoſita. Confeſſio ſacramenta-
lis etiam ſi ſit ſecreta & Confeſſario tantum manifeſtata, qui ſigillo tenetur,
adeò eſt pudorata, ut multos verecundia à pœnitentiæ arceat ſacramento :
pleroſque hoc opus, aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis Tert.l. de
memores, quàm ſalutis. Confeſſionem publicam major conſequitur pudor, Pœn. 10
quam eam quæ fit ſecrete in pœnitentiæ ſacramento : Tum quia pluribus
manifeſtantur peccata : Tum quia ab illis non ſervatur ſecretum: Tum quia
publice confitens peccata exp[illegible]itur aliorum judicio, cenſuræ & ludibrio.
Unde *nobis gratulandum eſt, [illegible] publice confitemur iniquitates, aut turpitudi-* Tert.l. de
nes noſtras. At nullus eſt pudor [illegible]parabilis ei qui annexus eſt confeſſioni Bapt.20
ſcriptæ & typis mandatæ: Tum quia confeſſio oris etiam palam & publice
pronuntiata, in momento pertranſit, nihilq; remanet in eis qui eam audie-
runt niſi illud quod auris memoriæ conſignavit : At confeſſio ſcripta & ty-
pis mandata, eſt quodammodo æterna; licet enim chartæ tantummodo ſit
impreſſa, tantã tamẽ ac univerſus orbis habitura eſt durationem : Tum quia
confeſſio publica ore propalata auditur dũtaxat in uno loco, & à paucis ho-
minibus: At confeſſio ſcripta poteſt in cunctis locis legi, & ab omnibus ho-
minibus videri; non enim in uno loco coarctatur, ſed ad omnes urbes, om-
nes provincias, omnia regna, & univerſũ orbẽ extenditur, non quorundã, ſed

omniũ generatim hominũ oculis videnda & legenda objicitur: & ita velut particeps imenſitatis & æternitatis ad omnia loca & ſæcula dilatatur: Auguſtini autẽ confeſſio eſt publica, & ſcripta. Publica, nam omnibus hominibus, & cunctis ſæculis manifeſtat turpitudines ſuas, & neminẽ ad ſilentium & ſecretum obligans, omnium cenſuræ & ludibrio ſeſe exponit. Eſt adhuc ſcripta, ut eſſet omnium oculis expoſita; & homines qui naſcituri ſunt usque ad finem mundi, haberent notitiam criminum quæ in juventute ſuâ peccator

D.Thom. à Villa Nova. Auguſtinus commiſit: *Ardens ille ſuorum peccatorum hiſtoriam ſcripſit, quum alii ſoleant geſtorum ſuorum glorioſam hiſtoriam poſteris in ſui memoriam legendam relinquere.* Annon inaudita fuit humilitas proprios manifeſtare defectus, eosque in libris deſcriptos publico omnium exponere conſpectui, ut quivis homo omni in ſæculo ſit peccatorum Auguſtini arbiter, judex, & cenſor?

Thom. Valent. *Sed DEO diſponente accidit illi, ut unde voluerat dejici, inde amplius laudaretur & verteretur in gloriam: & quod diſponebat ad ſui dejectionem, & unde voluit fieri contemptibilis, fieret inde amplius admirabilis.* Inde enim homines capiunt occaſionem non damnandi ſceleroſam Auguſtini vitam, ſed humilem ejus admirandi pœnitentiam & converſionem, quæ amantem ſacrum imutavit.

III. PARS. Tert. l de An. 21 *Arbor mala bonos dabit fructus ſi inſeratur; lapides filii Abrahæ fient ſi in fidem Abrahæ formentur; & genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, ſi venena malignitatis expuerint.* Ut ex Auguſtino comprobatur qui quamdiu extitit in peccatis, fuit arbor mala malos producens fructus, prophano inflammatus

L. 1. Conf. 13 amore nihil niſi voluptatem deſiderans, ut ipſemet fatetur: *Quid enim tunc deſiderabam niſi amare & amari, nec diſcernebatur ſerenitas dilectionum à caligine libidinum?* Quin imo ita erat addictus Veneri, ut libenter imperio ejus

L. 2. Conf. 2 ſubjiceretur: *Accepit in me ſceptrum veſana libido, & ambas manus ei dedi.* At arbor illa mala, inſerata gratiæ bonos protulit fructus; & Auguſtinus mutans objectum amoris, non eſt amplius amans prophanus, ſed ſacer, ut enim

Lib. 4. ad Bonif. 4 ipſemet docet: *Inſpiratio dilectionis ut cognita ſancto amore faciamus, propriè gratia eſt.* Et quod eſt notatu digniſſimum, eadem Auguſtinus amans ſacer applicat ad DEUM amandũ, quæ Auguſtinus prophanus amans adhibuerat ad diligẽdas amaſias. Tria autẽ præſertim applicarat ad venereũ amorẽ: cor, amorem concipiens oculos amorẽ inuens; linguâ, amorem aperiens. His tribus adhuc utitur Auguſtinus ad DEUM diligendum; quem diligit oculis, linguâ, & corde. 1. Oculis, amore pœnitentiæ & amaritudinis: 2. linguâ, amore juſtitiæ & gratitudinis: 3. corde, amore benevolentiæ & teneritudinis.

Tert. l ad An. 15 L. 5. Conf. 7 *Cor eſt principale in anima, & certo in corporis receſſu conſecratum*: à quo ſecundùm Philoſophum naſcuntur venæ, quibus per totum corpus effunditur ſanguis: *De ſanguine cordis* fluebant lachrymæ, quas per oculos fundebat Auguſtinus, ſed cordis ſagittis de cœlo miſſis vulnerati: hâc de causâ pro inſigni habet *cor ſagittis transfixum*. At quibus ſagittis? Sagittis amoris à Chriſto jaculatis. Quod probe recognoſcit Auguſtinus Chriſtum alloquens:

Sagit-

Sagittaveras cor meum charitate tua. Ab illis ſagittis amoris relicta ſunt vul- L.9.Conf. 2
nera, è quibus dimanãt lachrimæ quæ tum amorem, tum dolorem Auguſti- In Pſ. 83
ni teſtantur: Amorem quidem, quia ex Auguſtino *ipſa lachryma pia tribula-* L.50. Ho.
torum, muſtum ſunt amantium dolorem & cordis amaritudinem : quia ut hom. 50
ipſemet docet, *ſicut eſt teſtis pœnitentiæ dolor; ita lachrymæ teſtes ſunt doloris.*

Belle ad propoſitum D. Ambroſius: *Frequenter ſolem videmus madidum* L.5. Hex. 3
atque rorantem. Auguſtinus ſol Eccleſiæ frequenter erat madidus, rorans &
lachrymas fundens. Vincentio namque Ferrerio teſte, *quando celebrabat ſem-* Serm. de S. Aug.
per flebat, & ſicut cera ad ignem liqueſcit, ita anima ejus liquefiebat. Ejus cor
ſagittis amoris vulneratum & ſtimulis pœnitentiæ & doloris transfixum, in
tam copioſas ſeſe effundebat lachrymas, ut ex ejus oculis velut duobus fon-
tibus ſcaturire & emanare duo flumina viderentur. Unde ipſemet DEO
dicebat: *Eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pie-* L.9. Conf.
tatis, & currebãt lachrymæ. Non amplius dicatur Auguſtinus *filius lachryma-*
rum, quia quem generando mater Monica terræ dederat, flendo jugiter cœ-
lo parturivit, ſed potius conſideretur velut perennis lachrymarum fons;
quas à DEO indeſinenter poſtulabat. *Da mihi gratiam lachrymarum benedi-* Med. 32
cte & amabilis DEUS, prepara hanc menſam famulo tuo, in conſpectu tuo. La-
chrymas ſuum panem vocare ſolebat Auguſtinus: & ſicut pane nutriebat
corpus, ita animam ſaginabat lachrymis. Si quæras modo *quantis lachry-*
marum generibus inundarit per oculos Auguſtini; reſpondebo: *Habuit ama-* Tertul. adv
ras, & dulces, & calidas guttas. Amaras ob peccatorum quæ commiſerat Valent: 5
dolorem, idcircò Pſalmos pœnitentes ſæpeſæpius dicebat; quos ad mortem
ægrotans voluit magnis in pariete deſcribi characteribus, ut eos de cubili
in quo jacebat poſſet & legere & recitare: & legendo & recitando lachry-
mas ex amaro corde dimanantes fundere. *Quantum nobis innoteſcit voluntas* D.Aug. in
DEI, etiam reatus noſter innoteſcit nobis. Et quanto ille nobis innoteſcit, tanto plùs Pſal. 98
imus in fletus & lachrymas. Ex cognitione quam de ſuis peccatis habuit Au-
guſtinus, taxanda eſt magnitudo contritionis ejus, & quantitas lachryma-
rum quas fudit; quæ fuêre non ſolum amaræ ob contriti cordis amaritudi-
nem, ſed adhuc dulces & calidæ ob amoris gratitudinem, ob quam cum
gaudio, Auguſtinus utitur lingua, ad divinas decantandas laudes.

Meminimus gratiam debere nos Domino creatori ob beneficia naturæ ab illo Tert: Apol:
nobis collata. Ad hunc amorem gratitudinis nos ſtimulant omnes genera- 42
tim creaturæ, quas noſtris uſibus largitur DEUS. *Undiq; mihi dicunt, ut te* Aug. l. 10
amem, nec ceſſant dicere omnibus. Ad quem adhuc tanto magis urgent benefi- Conf. 6
cia gratiæ, quãtò magis anteſtant operibus naturæ. Ut autẽ homines & Chri- Ter. l. adv
ſtiani, illud juſtitiæ ſolvant debitũ, dona gratiæ *Spiritûs S. propria* recipiunt & Valent. 13
cœlitus erudiuntur, *ut de doctrina ſtudio, gratiarũ actionẽ proſequi noſſent.* Mul-
tiplex autẽ eſt gratiarũ actio, nimirũ beneficiorũ recordatio; benefactoris co
gitatio & dilectio; benefactoris adhuc benedictio & laudatio. Ad hoc mun-

L. de Reſ. 61 præſertim homini datam linguam docet Tertullianus: *Sed accepiſti homo os ad prædicandum DEUM* Os dedit homini DEUS ob trinum potiſſimum negotium. 1. Ad manducandum & bibendum, quod habet commune cum animantibus. 2. Ad converſandum & loquendum cum hominibus, in quo beſtiis antiſtat. 3. Ad DEUM laudandum & benedicendum, & iſtud oris & linguæ officium tanti facit Tertullianus, ut de eo tanquàm de ſummo diſciplinæ Chriſtianæ loquatur ſacramento. L. de Teſt. An. 2 *Etiam quod penes DEUM bonitatis & benignitatis, omnis benedictio inter nos ſummum ſit diſciplinæ & converſationis ſacramentum*: quo probi Chriſtiani diſcriminantur ab infidelibus, & à ſceleroſis Chriſtianis, ſua lingua ad DEI injuriam utentibus; & æmulantur Angelorum melodiam, qui in gratitudinis monumentū indeſinenter DEI decantant laudes. Tert. l. de Orat. 3 *Illa Angelorum circumſtantia non ceſſant dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Quod ſi lingua eſt mentis interpres, & quæ in corde latent per verba manifeſtantur: ſiquidem Senec. de Morib. *imago animæ ſermo eſt; qualis vir, oratio*; quàm gratus ergà DEUM fuerit Auguſtinus, ex ejus verbis & ſcriptis colligendum vult Valentinus Antiſtes: *Lingua ejus manifeſtum facit ipſum, & ſcriptura ejus, ſpectaculum ipſius eſt.* Scripta autem Auguſtini nihil tam redolent quàm gratiarum actionem. Epiſt. 77 ad Aurel. *Quid melius & animo generamus, & opere promamus, & calamo exprimamus, quam DEO gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri latius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt.* Neque minus gratitudinem ſapiunt Auguſtini verba: mox etenim ut D. Ambroſius Auguſtinum concionum ſuarum virtute & efficacia convicit, mox ut eum ſacris baptiſmatis undis regeneravit; mox ut in Eccleſiæ gremio recepit, & in fidelium numero admiſit, ſuam cordis jubilationem & animi gratitudinem teſtatus eſt, cygneâ voce decantans lætum illud *Te DEUM laudamus*, Auguſtino reſpondente, *Te Dominum confitemur*, & ſic alternis vocibus ad finem uſque. Et inde ſuaviſſimus ille hymnus initium habuit, finem nullo unquam ævo habiturus. Mediolanum ampliſſima & nobiliſſima civitas ab hoc tempore uſq; ad noſtrā ætatē, videt, ſuſpicit, & amat locum, in quo Ambroſius baptiſmi aquam infudit Auguſtino: videt & locum, in quo Auguſtinus ſacramento regeneratus, lachrymas fudit pœnitentiæ, gratitudinis & amoris: videt & ſacellum in quo tam Ambroſius quàm Auguſtinus, alternis modulis in gratiarum actionem, decantârunt canticum *Te DEUM laudamus* ex tunc in terra fungentes officio, Tert. l. de Orat. 3 quod Seraphim adimplent in cœlo. *Proinde igitur & nos Angelorum, ſi meminerimus candidati, jam hinc cœleſtem illam in DEUM vocem, & officium futuræ claritatis ediſcimus.*

Nonnulli referunt Sigisbertum Epiſcopum Lugdunenſem Auguſtini ſtudioſiſſimum ſummis votis quandam ejus deſideráſſe reliquiam, & à DEO ardentibus precibus expoſtuláſſe, quam cum ſub horam primam, in ſuo oratorio poſtulat, ſomno deprehenditur; & ecce dormienti adeſt Angelus, manu tenens vaſculum cryſtallinum perelegans, cujus pedunculus ex auro obryſo,

Lancillot l. 3, c. 43

Apud Lobb. tom. 3. Opuſc. de S. Auguſt.

obryſo, circuli circumquaque aurei, pixis gemmarum nitore emicans, quam in ſacelli reponens altari, Epiſcopum alloquitur: *Ecquid dormis Sigiberte?* Ad hanc vocem ſomnum excutiens Sigisbertus, ſibique redditus: *Ecquis es?* inquit. Cui ille? *Ego ſum Angelus Auguſtini quondam tutelaris, qui & illius in vita curam habui, & à morte etiam cordis, quod DEVS in cineres redigi non eſt paſſus. Exurge igitur: & quod tibi cœlum donat munus, accipe.* His dictis mox diſparuit: Tunc Sigisbertus in altare conjiciens oculos, vidit in eo velut urnulam vitream & in ea cor Auguſtini adeò recens, integrum, vividumque, ac ſi modo fuiſſet de pectore eductum. Vidit & obſtupuit Epiſcopus, DEOq; gratias agens, ad ſacrum viſendum pignus accivit domeſticos ſuos, populares ſuos, cunctosque fere urbis cives. Ubi convenêre Sigisbertus in gratitudinis monumentum, à Clero decantari juſſit hymnum. *Te DEVM laudamus.* Mirum dictu; cum ad iſtum verſiculum deventum eſt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Similes motus ac palpitationes pati dicitur cor illud ſanctum ſingulis annis in feſto ſanctiſſimæ Trinitatis, imò quoties in altari deponitur, ad easdem voces in Præfatione legi & decantari ſolitas, *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* de repente palpitat, exilit, ac velut os cordis expandit, quaſi ſanctiſſimæ Trinitatis nomen exprimere, eloqui, & laudare ſatagens: Imò ex B. Jordane de Saxonia, *Quoties ſancta Trinitas coram ea nominabatur; vel libri de Trinitate coram eo expendebantur, quaſi vitaliter exultabat,* & in ſanctiſſimæ Trinitatis laudes ſeſe expendebat. Quid enim aliud indicabat ejusmodi cordis micatio, palpitatio, exultatio? Encomia, ſanctiſſimæ Trinitatis, quæ vivens Auguſtinus prædicavit in doctiſſimis ſuis libris, mortuus adhuc motu & exultatione cordis velut decantat: & ob hanc cauſam, in ejus ſolemnitate dicitur præfatio ſanctiſſimæ Trinitatis, ad innuendum tum amorem gratitudinis, quo Auguſtinus ad decātandas DEI laudes ferebatur: Tum amorē teneritudinis quo DEUM toto corde diligebat: cunctarum rerum etiam ſuiipſius amori præferens. Serm. 49 de Sanctis

5. DEUS *creatori diligendo ædificaverat hominem.* Quanto autem ardore Auguſtinus dilexerit DEUM nemo melius quàm Auguſtinus valet enarrare: Qui 1. in amore DEI vivere & mori exoptat: *Inter brachia Salvatoris mei & vivere volo, & mori cupio.* 2. Nihil niſi DEUM, aut ſaltem propter DEUM amare deſiderat. *Minus te amat, qui aliquid amat, quod propter te non amat.* 3. Dolorem ſuum de tardo DEI amore explicat: *Sero te amavi ô tam nova & antiqua pulchritudo: va tempori illi quando te non amavi.* 4. Totum cor ſuum divini amoris igne igniri ardenter expoſtulat: *Totum cor meum, flamma tui amoris accendat: nihil in me relinquatur mihi.* 5. Sacro illo incendio ſufflammari toto vitæ tempore efflagitat: *Totus in te; quantum ſufflammatus à te.* 6. Suis fratribus DEI dilectionem ſuper omnia commendat: *Ante omnia, fratres chariſſimi, diligatur DEVS.* Tertl lib. 4 adv. Marc 26 Man. 10. Lib. 10. Conf. 19 In Pſ. 147. In Pſ. 127. B. Jordanes l. 3. c. 3

Verum

Verum Auguſtinus nunquam melius ſuum erga DEUM amorem, quam Chriſto ſciſcitanti declarat. Chriſtus è terrâ in cœlum abiturus, explorare deſiderans quam ardens in ſe eſſet amor Petri, ter illum interrogat: *Petre amas me?* Non diſſimiliter Auguſtinus hanc vocem velut de cœlo delapſam ter audit: *Auguſtine amas me?* qui eodem modo quo olim Petrus reſpondit: *Domine tu noſti, quia amo te.* Cui Chriſtus: *Agedum, ediſſere quantum me ames.* Cui Auguſtinus: *Domine, ſi omnia corporis oſſa forent lampades aureæ, & ſanguis omnis per venas, perq; membra diffuſus balſamum foret: & lampades arderent, & balſamum conſumeretur in tui ſolius honorem, itaque totus in holocauſtum tibi conflagraret Auguſtinus.* Cui deinde Chriſtus: *Anne quidquam faceres amplius?* Denuo reſpondit Auguſtinus: *Si & venæ meæ omnes, & nervi vincula forent aurea, te utique illis cordi meo alligarem & æternum quidem.* Ad hæc tertio Auguſtino Chriſtus: *Et majorem inſuper à te amorem exigo, & illum mihi dona.* Cui Auguſtinus dedit hoc reſponſum paradoxi loco habitum: *Tanta te, ô Rex gloriæ, dilectione proſequor, ut ſi (quod nunquam eſſe poteſt) ego DEUS forem, & tu Auguſtinus eſſes, omninò vellem ego fieri Auguſtinus, ut tu fieres DEUS.* Dixit, & amore victus, obticuit: quid enim amplius aut cogitare, aut eloqui potuiſſet Domino? nihil: ſummum nempe illud eſt amoris faſtigium, exceſſus eſt, & raptus, extaſis amantis. Amor impoſſibilitatem minime conſiderat nec recipit de impoſſibilitate ſolatium; at Auguſtini amor poſſibilitatis excedit terminos & ad impoſſibile fertur.

Joan. 21
Veg. Dom 11. poſt Pent.
Vualder in Theatr.
Roſſign. l. 5. c. 21. de D ſcipl. Chriſtian. perfection
Lobb. tom 3. Opuſc.

Quærit Angelicus Doctor, an Lucifer proprie deſideraverit fieri DEUS, quando dicit: (Super thronum DEI exaltabo ſolium meum, & ſimilis ero Altiſſimo.) Ut D. Thomas hoc ſolvat dubium, animadvertit, duobus modis poſſe ſimilem fieri DEO: *Vel quantum ad ſimilitudinem, vel quantum ad æquiparantiam in entitate.* Lucifer deſideravit fieri ſimilis DEO, primo modo, non autem ſecundo modo: quia hoc eſt impoſſibile & contra naturale deſiderium: *Eſt enim unicuiq; naturale deſiderium ad conſervandum ſuum eſſe, quod non conſervaretur ſi transmutaretur in alteram naturam.* Inde impoſſibile judicat quod entitas aliqua *inferioris gradus & ordinis poſſit appetere ſuperioris naturæ gradum.* Quapropter homo nequit deſiderare fieri Angelus *per æquiparantiam*, neque Angelus fieri DEUS, quia tunc tam homo quàm Angelus deſideraret ſui deſtructionem ageretque contra naturale deſiderium quod tendit ad ſui conſervationem: attamen tanta erat Auguſtini charitas, ut impoſſibilia deſideraret, ſuppoſito per impoſſibile quod Auguſtinus fuiſſet DEUS, & DEUS Auguſtinus, elegiſſet ſuum non eſſe v. g. deſtructionem divinitatis ſuæ, ut DEUS hypotheſi facta exiſtens Auguſtinus, habuiſſet entitatem infinitam & divinam. Verum Auguſtinus *non ſciebat quid diceret.* Nec mirum quia ut perfecte ait Imperfectus: *Perfectus amor, judicium verum non agnoſcit.* Qui ardenter amant, amoris ardoribus obtenebrantur, obtenebratâ autem mente, lingua errat, neque ſciunt quod dicunt.

Iſai. 14
1. p. q. 63. a. 3
Luc. 9.
Hom. 21 in Matth.

Quia

Quia *nec DEUS ſine proximo, nec proximus ſine DEO, verè poteſt diligi.* Auguſtinus perfectiſſimus DEI amator, magnâ dilectione erat ergà proximũ affectus, quam demonſtrabat, 1. benignè & hoſpitaliter recipiens peregrinos, quos cellulâ excipiebat & omni quâ poterat facultate reficiebat in ſolitudine in quam ſe receperat, ut liber à turbis facilius ſibi DEOque vacaret. Adeò probata fuit Chriſto Auguſtini hoſpitalitas, ut peregrini ſuſcepto habitu, cellæ pulſaverit fores, excipi & refici poſtulans. Opportunam exercendæ charitatis occaſionem nactus Auguſtinus, hoſpitem ſuum benigne excipit, amplexu dignatur, illique magna charitate lavit pedes, quos majori demiſſione deoſculatur: Utrumque Salvator commendans, dixit: *Magne Pater Auguſtine, filium DEI in carne hodie videre meruiſti, tibi commendo Eccleſiam meam.* Dixit & evanuit. 2. Eleemoſynas pauperibus liberaliter erogans: Epiſcopatum namque aſſecutus Hipponenſem, pinguem & opimum, majorem reditus partem largiebatur pauperibus & egenis ajens: *Non eſt Epiſcopi ſervare aurum, & revocare à ſe mendicantis manum.* 3. Salutem animarum zelans: *Zelus generatur ab amoris fervore*: ex Poſſidonio autem Auguſtinus *zelo DEI ſuccenſus, dominicis ſemper damnis mœrebat, & lucris gaudebat.* Damna dominica, damna ſunt animarum, lucra earum etiam lucra. At ſalutem animarum tanto exoptabat ardore ut de pulpito concionans, ſæpeſæpius ad ſuos auditores diceret: *Nolo ſalvus eſſe ſine vobis, nolo ſalvus eſſe ſine vobis.* In veteri Teſtamento Moyſes magno Iſraelitarum ſuccenſus amore, DEUM enixè deprecabatur: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro, quem ſcripſiſti*: neque minori ſufflammatus charitate in novo Teſtamento Paulus, deſiderans *anathema* fieri pro Fratribus. Quibus non impar Auguſtinus adeò plebis ſibi commiſſæ zelabat ſalutem, ut ſine illâ nollet ſalvari. *Homo ex charitate magis debet diligere ſeipſum quàm proximum*: Deinde *non debet homo propriam ſalutem prætermittere pro aliena.* Tandem *nemo tenetur, nec debet pro ſalute ſpirituali totius mundi, velle carere gratia & amicitia DEI.* Auguſtinus tamen non magis ſeipſum quàm proximum diligens, nec ſuam magis quàm aliorum ſalutem deſiderans, ait: *Nolo ſalvus eſſe ſine vobis.* O inauditam charitatem! ô ingentes amoris exceſſus! Præcepit olim DEUS Ezechieli Prophetæ: *Imple manum tuam prunis ignis quæ ſunt inter Cherubim, & effunde ſuper civitatem.* Auguſtinus de ſacro illo igne ſuum implevit cor, deinde manibus effudit ſuper proximum, dilectionis operibus vacans. Ignitus fuit Auguſtinus, ad ejus exemplum accendamur cœleſti illo igne, quem Chriſtus venit mittere in terras, ut eo ſufflammante aſcendere mereamur in cœlum.

Guerr: Ser 3. de S. Benedict:
Lancil. 2 c. 13
Serm. 49. de Diverſis
D. Dionyſ de Divin. Nom: 4 Cap. 19
Exod. 32
Rom 9
D. Tho 22 q 26. a. 4
D. Thom: quod l. 7 a. 11
D. Thom. 22. q. 26 a. 4
Cap. 10
Luc: 12

CONCIO TERTIA.

Tert. Apol. 20

MOnſtris & portentis naturalium forma turbatur: in illis etenim naturæ ad invicem contrariæ reperiuntur. Neq; duntaxat in monſtris quæ præter naturam eveniunt, reperitur conjunctio contrariorum, ſed adhuc ejusmodi unio apparet tum in natura humana; tum in unione hypoſtatica. In natura humana eſt unio carnis & ſpiritûs, corporis mortalis, & animæ immortalis: & ut fatur D. Auguſtinus, *perſona hominis eſt mixtura animæ & corporis*. In unione hypoſtatica eſt unio æternitatis & temporis, magnitudinis & parvitatis, divinitatis & humanitatis. *Ita utriuſq; ſubſtantiæ cenſus, hominem & DEVM exhibuit: hinc natum, inde non natum: hinc carneum, inde ſpiritualem: hinc infirmum, inde præfortem: hinc morientem, inde viventem.* Et quia ordo gratiæ inter ordinem naturæ, & ordinem unionis hypoſtaticæ, velut medium tenet, in illo DEUS contraria ad invicem conjungit, ut S. Benedicti exemplo demonſtratur: in quo trina eſt unio, 1. carnis terrenæ cum Angeli qualitate: 2. opulentiæ cum Evangelica paupertate: 3. virginitatis cum parentis fœcunditate.

Epiſt. 3

Tert. l. de Car. Chr. 5

I. PARS. Tert. l. de Reſ. Carn. 62

Olim DEUS in Angelis conjunxit corporalitatem cum ſpiritualitate: *quia & Angeli aliquando tanquam homines fuerunt, edendo & bibendo, & pedes lavacro porrigendo: humanam enim induerunt ſuperficiem, ſalva intus ſubſtantia propria.* Alludit Tertullianus ad Abrahamum cui tres apparuerunt ſub humana ſpecie Angeli, quos hoſpitio recepit, alimenta victus neceſſaria ſubminiſtravit; illorum quoque pedes lavit. Inde concludit: *Igitur ſi Angeli facti tanquam homines, in eadem ſubſtantia ſpiritus, carnalem tractationem ſuſceperunt, cur non & homines facti tanquam Angeli, in eadem ſubſtantia carnis, ſpiritualem ſubeant diſpoſitionem?* Multiplex, ſed trina potiſſimum eſt ſpiritualis Angelorum diſpoſitio; nimirum, incontaminata puritas, lux ſplendeſcens, & ardens dilectio. Ad denotandam puritatem in reſurrectione Salvatoris apparuerunt in veſtibus albis, ratione Angelici luminis Stephani facies videbatur velut vultus Angeli, & Vates Regius de Angelis velut de igne urente loquitur, quo eorum amor declaratur. In D. autem Benedicto etiam dum eſt in carne, trina ejusmodi ſpiritûs Angelici reperitur diſpoſitio, qui idcircò in corpore adhuc mortali habendus eſt Angelus, ob 1. puritatis nitorem: 2. lucis ſplendorem: 3. dilectionis ardorem.

Tert. li. 1 ad Uxor. 4

Ter. Prædic tom. 2 Tract. de Caſtit Con. 4

1. Virgines *jam in terris non nubendo, de familia Angelica deputantur* ob corporis integritatem, & mentis puritatem, ut fuſe alibi demonſtratum eſt. Iis quæ ibi dicta ſunt, duntaxat addendum eſt cum D. Ambroſio, *In Virginibus ſacris, Angelorum vitam videmus.* Et quia ut docet Card. Petrus Dam. *Eremus ad Angelicanitatem munditiæ, pervenire animas facit*; Benedictus *ab ipſo pueri-*

De Inſtit. Virg. 17

Opuſc. 11 c. 19

pueritiæ ſuæ tempore, cor gerens ſenile, ætatem moribus tranſiens, nulli animum voluptatidedit. A patre Romam miſſus, ut litteris ſtuderet humanis; inordinatam ſociorum conſpiciens vitam, ne eorum contagioſo contaminaretur conſortio, amitteretque corporis & mentis puritatem, *jam quaſi aridum mundum cum flore deſpexit*; ſtudia in quibus humilitas periclitatur deſerens, ab urbe Roma in qua caſtitatis pertumeſcebat jacturam egrediens. Circà decimum tertium ætatis annum, ad conſervandam humilitatem in eremum & ſolitudinem ſe recepit, ibique ut ei congratulatur Petrus Damianus: *Magnus in parvis eremita membris, vincis ætatem, ſuperas laborem, arcta diſtricta rudimenta vitæ fervidus imples.* Tantam in adoleſcente ferre non valens dæmon perfectionem, in forma cujusdam avis arboris ramo primo inſidentis, mox inde avulſæ, & circà Benedictum circumvolitantis, & quaſi ludentis merulæ apparuit; qui volitantem adverſus ſeque diſtrahentem aviculam, à diabolo miſſam certo indicans, eam facto crucis ſigno fugavit: Verum quia *concupiſcentia carnis motus eſt animæ, in affectu ſordidæ cogitationis*, dæmon ut Benedicti ſufflammaret concupiſcentiam, objecit ejus animæ ſpeciē quamdam mulieris, in quam Romæ injecerat oculos, adeoque ardentem concitavit flammam, ut niſi ſpeciali gratiæ fuiſſet adjutus patrocinio, ad relinquendum deſertum fuiſſet inductus. Ut enim ait Vincentius Ferrerius, *in tantam tentatio augebatur, quod volebat dimittere eremum, & redire in mundum.* At divino auxilio munitus, & in propoſito ſervandæ puritatis firmatus, conſpiciens dumetum ſpinis & ſentibus horrendum abſque ulla mora veſtes ponens, nudans corpus, ſe in illud projicit, volvit, totumque cruentat. *exutus indumento, nudum ſe in ſpinarum aculeos projecit, toteque ex eis corpore vulneratus exiit*, concupiſcentiæ aculeos ſpinarum aculeis retundens, libidinis ignes ſanguinis effuſione extinguens; venerei amoris æſtus acuto doloris ſenſu ſuperans & vincēs: & ut in hymno ſancti Benedicti decantat Petrus Dam. *urtica juncta vepribus, vulnus corās vulneribus; flammata mēs divinitus, ignes extinguit ignibus.* Et hinc edomita penitus cōcupiſcentia, hinc ſopiti, imò extincti Veneris ignes, & de hoſte crudeliſſimo inſignis parta victoria, à qua, nullum deinceps Benedicto bellum, qui *ſicut lilium inter ſpinas* niteſcit, & ſicut Chriſtus Dominus ab ſponſa prædicatur *candidus & rubicundus*, ita Benedictus eſt candidus ob virginitatis nitorem, rubicundus ob effuſum ab ſpinis ſanguinem, fulgidus adhuc ob lucis Angelicæ ſplendorem.

D Greg. l. 2. dial. — D. Greg. ibid. — Hymn: de S. Benedi. — Iſidor l. 2. de Sum: Bon. — Serm: de S. Benedi: — D. Greg: l. 2. Dialog: 3 — Cant. 2

2. *De contemplatione Angelicorū luminum* fatur Tertull. ut oſtendat quàm meritò lucis ſplendor eis conveniat. Quare D. Auguſtinus per lucem quæ facta fuit à DEO in mundi exordio, Angelos intelligit: *Angeli ſunt illa lux, quæ diei nomen accepit.* Quàm meritò Benedictus Angeli ſortiatur nomen, declarat lucis ſplendor quo illuſtratus fuit. Etenim *ingreſſus eſt ſanctuarium DEI, id eſt abyſſum ſapientiæ increatæ, contemplationis ſecretum, revelationum altitudinem divinarū: quia incerta & occulta patefecit ei Dominus.* Divino illo lumine cognovit;

Lib: adv. Valent: 17 — L. 11. Civ. 9 — Dion. Carthuſ: Ser 1 de SS Confeſſor.

vit; 1. venenoſum eſſe panem & vinum ad ſui necem à Florentio pravo ſacerdote miſſum. 2. Hominem regiis veſtibus indutum eſſe duntaxat fictitium regem, Totilamque verum Gothorum regem de ſua feritate increpavit, de tempore ſuæ mortis admonuit, de Romæ captura & direptione aliisque ab ipſo faciendis certiorem fecit. 3. Vitæ periculum in quo erat Placidus ad cujus auxilium miſit Maurum, qui merito ſanctæ obedientiæ ſuper aquas velut ſupra firmam terram ambulans, Placidum de naufragio vitæ liberavit. 4. Mentis tumorem cujusdam Monachi candelam manu tenentis, & in corde ſuo Benedictum deſpicientis. 5. Quoſdam Monachos apud devotam mulierem pranſos, quibus quot crateres hauſiſſent aperuit. 6. E duabus vini lagenis ad conventum ex charitate miſſis, unam fuiſſe retentam à domeſtico eas deferente, quem admonuit Benedictus, ut conſpiceret & caveret ab eo quod erat in lagena, de qua egreſſus eſt ſerpens. Divino illo lumine illuſtratus Benedictus, 1. diem obitus ſui prædixit: 2. diabolum ſub ſpecie Mauri Monachum ab oratione retrahentis: 3. dæmonem ad evertendum murum, & Monachos illum ædificantes, enecandos, venientem: 4. animam Germani Capuani Epiſcopi à corpore ſeparatam in cœlum aſcendentis vidit. Ut enim ait D. Bernardus, *proxime lectum eſt vobis de Beatiſſimo Patre noſtro vere per omnia Benedicto, quòd dum interdum oculorum aciem in ſplendore coruſca lucis habere videretur, vidit Germani animam Capuani Epiſcopi, in ſphæra ignea, ab Angelis in cœlum deferri.*

Serm: 13 in Pſal: Qui habitat.

Solin: c. 5.

Homo quidam *viſu plurimum potuit, Strabo nomine, quem perſpexiſſe centum triginta quinq; milliaria paſſuum, ſignat Varro, ſolitumq; à Carthagine exeuntem claſſem punicam, numerumq; navium manifeſtiſſimè è Lilibitana ſpecula denotare.* Admirabilis prorſus Strabo oculorum ſuorum aciem ad ſpatium centum triginta quinque milliarium extendens, & à Maſſala Siciliæ urbe & Carthaginis portu egredientes naves clare conſpiciens, ſed longè magis ſtupendus Benedictus, aſcendentes in cœlum animas, deſcendentes in terram Angelos, volitantes per aera dæmones, internas mentis cogitationes, aliaq; quæ oculis noſtris inviſibilia ſunt, perſpicuè dignoſcens. Oratio eſt *catena magna cœleſti luce fulgens,* qua ſcilicet ad ſolium DEI aſcendimus, & ipſam radiantem conſpicimus Numinis majeſtatem: & ut fatur Apoſtolus, *gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur,* & arcanâ quâdam ratione transfiguramur, & divinâ ſimilitudinē induimus, ut Moyſi accidit, qui ex familiari cum DEO conſortio tantâ fuit luce fulgidus, ut in ejus faciem non poſſent Iſraelitæ conjicere oculos. Ex D. Damaſceno oratio eſt *divina gloria demonſtratio* quâ occluſis omnibus ſenſibus, aperitur quodamodo animus & à ſe abit, ut in DEUM aſcendat, DEUM videat, divinamque gloriam, quantum homini viatori fas eſt. Ad quod non parum ſervit Jejunium preces alens; ut Moyſis orantis & jejunantis comprobatur exemplo. Ut enim ait Tertull. *Moyſes cui cor evectum potius inveniebatur quam impinguatum, & vidit oculis DEI gloriam, & audivit auribus DEI vocem, & corde*

Dionys. 3 de Div. Nom:

2. Cor. 3

Orat: de Transfig.

L. de Jeju: 6

de conjecit DEI legem; cum quidem nec ipſum Moyſen DEO paſtum conſtanter contemplari valeret pinguior populus. Benedictus DEI nutu comitibus duobus Angelis viſibili ſpecie in aſſumpta duorum juvenum forma, velut alter Moyſes in montem Caſſinum aſcendit; in eoque dies omninò quadraginta in oratione pertranſiit, & oratione mentis oculis concepit ideam Ordinis quem erat inſtituturus; longam filiorum vidit ſeriem, ſpiritualemq; progeniem ad inſtar ſtellarū firmamenti numeroſam; & in hac univerſum conſpexit orbē.

Orator Romanus fingit Scipionem in Africa exiſtentem habuiſſe ſomnium; in eo in cœlum evectum, indeque demiſſis oculis perluſtraſſe terram, præcipue Romanum Imperium eo tempore ad majorem terræ partem extenſum, viſamque ſibi fuiſſe terram adeò modicam & brevem, ut exinde contemnere cœperit, quidquid poſſidebat in terra Romana Reſpublica. *Jam ipſa terra, ita parva mihi viſa eſt, ut me imperii noſtri pœniteret.* Benedictus non ſomnians, ſed orationi vacans, in unico oculi ictu res omnes totius mūdi conſpexit, viſibilia & inviſibilia, cunctaque quæ cœlo, terra, imò & inferno continentur. Vincentio namque Ferrerio teſte, *vidit omnes creaturas mundi, non ſolum in genere ſeu ſpecie, ſed etiam in individuo.* Orbem univerſum conſpexit Benedictus in DEO velut in ſpeculo apparente; ad hanc DEI notitiam arreptus fuit inuſitato quodam orationis ardore. *Quod autem collectus mundus ante oculos ejus dicitur: non cœlum & terra contracta ſunt, ſed videntis animus eſt dilatatus, qui in DEO raptus, videre ſine difficultate potuit omne quod infra DEUM eſt.* Benedicti animus orationis beneficio fuit in DEUM raptus, cœleſti lumine illuſtratus, adeoq; dilatatus, ut univerſū conſpexerit mundū.

Cicer. in Somn. Scip.

Serm: de S. Benedict

D Greg: l. 2. Dialog: 35

Quomodo autem Benedictus conſpexerit mundum univerſum, & qualis fuerit ejuſmodi viſio, non conveniunt inter ſe Auctores. Quidam volunt illuſtratum fuiſſe Benedictum lumine gloriæ virtuteq; illius vidiſſe divinam eſſentiam, (& in illa mundum :) non quidem per modum permanentis, ſed per modum tranſeuntis, ut dicunt Theologi: Et hæc eſt mens D. Gregorii cognomento Magni, Bonaventuræ Doctoris Seraphici, & Dionyſii Carthuſiani: Magni quidem Gregorii apud quem Benedictus *ſublevatus in mentis lumine, extra mundum* DEUM vidit, & in illo mundum. Illud enim lumen quo DEUM vidit & creaturas in DEO, aliud non fuit quàm lumen gloriæ. Magno Gregorio arridens Doctor Seraphicus, ait: *Mundus non fuit coanguſtatus in uno radio ſolis, ſed ejus animus dilatatus; quia vidit omnia in illo; cujus magnitudine anguſta eſt omnis creatura.* Vidit omnia in illo, non in ſuo, ſed in lumine creatoris, ad eum modum quo Beati lumine gloriæ elevati, vident DEUM cognitione ut dicitur matutina, & cunctas adhuc in DEO intuentur creaturas cognitione veſpertina: De illa tandem Divi Benedicti viſione ſic fatur Dionyſius Carthuſianus: *In divitiis gloriæ DEI fuit uberrime raptus, & in lumine creatoris ita expanſus, quod faciliter in*

Ibid.

L. de Luminar Eccleſ: Serm 20

Serm. de S Benedict.

ejus luce conſpicere quivit, quidquid ſub illo fuit. At ubi illæ divitiæ gloriæ DEI? ſcilicet ubi raptus, ubi expanſus; fuit autem raptus & expanſus, in lumine creatoris, lumine gloriæ, quo illi perfuſus animus per tráſennã, & hoc quia prius perfuſus & effuſus in lumine orationis, à quo deinde & ipſum lumẽ gloriæ.

Aliis hæc non placet ſententia, quam deſtruere moliuntur authoritate D. Auguſtini & D. Ambroſii. Nam ſi D. Benedictus lumine gloriæ elevatus, vidiſſet divinam eſſentiam, & in Verbo velut in ſpeculo mundum, fuiſſet beatus: Ex D. autem Auguſtino, vita beata non invenitur in terrâ, quæ eſt
Serm:141 regio mortis. Deinde D. Ambroſius impoſſibile exiſtimat hominem carne mortali veſtitum, intueri divinæ majeſtatis ſplendorem. *Nam ſi ſolis radios*
L. de Bon: *oculi noſtri ferre non poſſunt, & ſi quis diutius è regione in ſolem intenderit, cæcari*
Mort. c. 11 *ſolere perhibetur: ſi creaturam creatura ſine fraude & offenſione ſui, non poteſt intueri, quomodo poteſt ſine periculo ſui vibrantem cernere vultum creatoris æterni, corporis hujus opertus exuviis?* Tandem præfatam
Exod: 33 ſententiam ipſemet DEUS damnare videtur ajens: *non videbit me homo, & vivet.* Benedictus autem poſt viſum mundum, non eſt mortuus, ſed plurium adhuc annorum vitam duxit. Quia tamen Jacob etiam dum viveret
Geneſ: 33 in ſæculo DEUM ſe vidiſſe gloriatur: *Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea:* cur gratiam quam Jacobo Patriarchæ contulit DEUS, non potuit Patriarchæ Benedicto largiri? præſertim cum D. Thomas do-
2. 2. q. 180 a. 5. ad 3 ctiſſime illud oraculũ expendat: *Non videbit me homo & vivet*, binam diſtinguo mortem, naturalem unam, myſticam alteram. Illa ſeparationem animæ & corporis importat; hæc non ſeparat animam à corpore, ſed ſenſuum operationes interdicit, ut accidit in extaſi, in quâ totum quod eſt in homine a-
Tert l. de An 45 nimale ſenſitivum & corporeum, *ipſum poteſt videri vacare tunc.* Ut autem anima divinã intueatur eſſentiã, non requiritur ut ſit à corpore ſeparata, ſed tantum̃odo ut myſtice mortua ab operationibus ſenſitivis vacet; quomodo D. Benedictus non naturaliter, ſed myſtice mortuus, vidit DEUM, & in illo univerſum orbem.

Verũ difficultatem illam in quâ Scripturâ ſibi contradicere videtur, belle
Lib: adv. Prax 14 ſolvit Tertullianus: *Cum enim Moyſes in Ægypto deſideraſſet Domini conſpectum*, dicens: Si ergo inveni gratiam coram te, manifeſtato mihi te, ut cognoſcenter videam te. Non potes, inquit, videre faciem meam. Non enim videbit homo faciem meam, & vivet, id eſt morietur qui viderit. *Invenimus enim & à multis DEUM viſum, & neminem tamen eorum qui eum viderant, mortuum. Nam Patriarchæ DEUM vidiſſe referuntur, ut Abraham, & Jacob, & Prophetæ, ut Eſaias, ut Ezechiel, & tamen mortui non ſunt. Igitur aut mori debuerant, ſi eum viderunt*; DEUM enim nemo videbit, & vivet: *aut ſi DEUM viderunt, & mortui non ſunt, Scriptura mentitur DEUM dixiſſe*, Faciem meam, homo ſi viderit, non vivet: *aut Scriptura mentitur; cum inviſum, aut cum viſum DEUM profert.* Ut ergo Scriptura à mendacio vindicetur, dicendum eſt: DEUM eſſe inviſibilem & viſibilem. *Inviſibilem, pro plenitudine maje-*

ſta-

jeſtatis, viſibilem pro modulo derivationis. Sicut nec ſolem nobis contemplari licet, quantum ad ipſam ſubſtantia ſummam, qua eſt in cœlis: radium autem ejus toleramus oculis pro temperatura portionis, qua in terram inde porrigitur. Eodem modo inviſibilis eſt in ſemetipſo DEUS, nec homo viator plenitudinem majeſtatis ejus poteſt contemplari: eſt autem viſibilis *eo modo quo dixit ad Aaron, & Mariam, Et ſi fuerit Prophetes in vobis, in viſione cognoſcar illi, & in ſomnio loquar illi,* id eſt in ænigmate; *ſicut & Apoſtolus*: Nunc videmus tantum per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Nec obſtat quod ait Jacob, (Vidi DEUM facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.) *Alia debet eſſe facies, quæ ſi videatur, occidit*: facies enim quæ non occidit & *in viſione & in ſomnio, & ſpeculo, & ænigmate*; quia DEUS cum ſit ſpiritus *niſi imaginaria forma videri non poteſt.* Nec obſtat adhuc quod dicit Scriptura, (Dominum ad Moyſem locutum coràm velut ſi quis loquatur ad amicum ſuum.) Etenim *cum Moyſi ſervat conſpectum ſuum & colloquium facie ad faciem in futurum, (nam hoc poſtea adimpletum eſt in montis ſeceſſu, ſicut legimus in Evangelio, viſum cum illo Moyſen colloquentem) Apparet retro ſemper in ſpeculo, & ænigmate, & viſione, & ſomnio, DEUM viſum tam Patriarchis & Prophetis, quàm ipſi adhuc Moyſi.* Deinde: *Et ipſe quidem Dominus ſi forte coram ad faciem loquebatur, non tamen ut homo faciem ejus videret niſi forte in ſpeculo & ænigmate*: non autem ut eſt in ſuâ eſſentiâ ſpirituali & inviſibili; denique *Si ſic Moyſi locutus eſt Dominus, ut & Moyſes faciem ejus cominus ſciret, quomodo ſtatim atq; ibidem deſiderat faciem ejus videre: quam quia viderat, non deſideraret? quomodo æq; & Dominus negat videri faciem ſuam poſſe, quam oſtenderat, ſi tamen oſtenderat? Aut quæ eſt facies DEI, cujus conſpectus negatur, ſi erat quæ viſa eſt.* His ratiocinationibus ſcitè demonſtrat Tertullianus, neque Jacobum, neque Moyſen, vidiſſe DEUM in ſuâ eſſentiâ. Inde concludit, *viſum quidem DEUM, non ſecundùm plenitudinem divinitatis, ſed ſecundùm hominum capacitatem*, in ſomnio, in ænigmate, in ſpeculo, in viſione, in formâ aliquâ imaginariâ, quomodo viſus eſt à Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, à Jacobo, à Moyſe, à Paulo, à Joanne, & forſan à Benedicto; qui non parùm gloriatur eodem modo quo Patriarchæ & Prophetæ vidiſſe DEUM. Et ſi ut vult D. Auguſt. *quantò major erit notitia, tantò major erit dilectio*; quanta quæſo erit Benedicti dilectio, cujus notitia tanta eſt? qui meretur haberi Angelus non ſolum ob lucis ſplendorem, ſed etiam ob dilectionis ardorem. L. de Spir. & Litt. c. 36

3. *Lapides igneos* nuncupat Tertullianus beatos Angelos, quia charitatis ſufflammantur ardore, DEUM perfectè diligunt, inter quos Seraphini magis igniuntur; & ob hanc cauſam Seraphinis ſpecialiter inſidet DEUS. Quod innuit Regius Vates DEUM alloquens: *Qui ſedes ſuper Cherubim*: Non ait, *Sedes in Cherubin*, ſed *ſedes ſuper Cherubim.* Nimirum in Seraphinis, qui Cherubinis antiſtant, ſupraque illos collocantur? at cur non ſuper Cherubim, ſed ſuprà Seraphim immediatè Lib. adv. Marc. 10 Pſal. 79

ſedes

ſedet DEUS? Reſpondet Hugo Cardinalis: *Qui non ſedet ſuper Cherubim, id eſt in ſcientia, Cherubim interpretatur plenitudo ſcientiæ,) ſed ſupra, id eſt, ultra in Seraphin, id eſt in ardore charitatis: ibi Dominus ſedet & requieſcit. Unde laborandum eſt magis ad habendam charitatem, quam ſcientiam.* Benedictus magis æmulans Seraphini charitatem, in quâ ſedet DEUS, quàm Cherubini ſcientiam, ſcientiæ valedicit, urbemque Romam deſerens, in quâ ſocii litteris vacabant, ut fierent Cherubini, eremum & ſolitudinem quæſivit, ibique Seraphinus ardens effectus eſt: *O eremus, tu caminus, tu fornax.*

Pet: Dam: Opuſc. 11 c. 19

Quantus autem fuerit ignis ille cœleſtis quo in eremo ignitus fuit Benedictus, conjectari licet 1. Ex terrenorum abdicatione; nam ut fatur Magnus Gregorius, *nutricem ſuam occultè fugiens, deſerti loci ſeceſſum petiit*: 2. Ex laboribus & ærumnis pro DEO patienter toleratis. *Certe verus amor, nonniſi paſſionibus probatur.* Ut autem ait Guerricus Abbas: *Quid præclarius illius fide, qui in ætate puerili mundum ſibi arridentem irridens, tam mundi quàm corporis ſui florem quaſi jam aridum calcavit, magis appetens pro DEO mala mundi perpeti, quàm in eo temporaliter proſperari?* Benedictus *plus appetiit mala mundi perpeti, quàm laudes; & pro laboribus fatigari, quàm vitæ hujus favoribus extolli.* Quid non eſt paſſus Benedictus in deſerto per triennium in ſpeluncâ absq; ullâ hominum ſocietate latitans, continuo jejunans, pane & aquâ victitans? Quid non paſſus à Monachis à quibus Abbas electus, venenato vino, vitæ incurrit periculum. Nam ut ſubjungit Guerricus: *Quid ſanctius lenitate patris noſtri, qui nec malitia falſorum fratrum, & pro vino venenum propinantium potuit exaſperari?* Quid non paſſus à diabolo, qui eum tentationibus exagitavit, monaſterii parietes evertit, monachos interfecit? Quid non eſt paſſus à Florentio, qui invidiâ exagitatus Benedictum toxicare, ejusque filios, mediis laſcivis & nudis mulieribus ad libidinem concitare fruſtrà tentavit? 3. Amor Benedicti in pauperes, evidenter demonſtrat quanta fuerit ejus charitas, *ſe DEUS amore pauperis ſic deponit, ut non adſit pauperi, ſed ipſe ſit pauper.* Benedictus in pauperibus Chriſtum conſiderans, poſt erogatas cunctas monaſterii in ſummâ egeſtate annonas, egeno adhuc oleum poſtulanti dare præcipit quidquid in lagena erat olei reſiduum: Sciens autem culinæ diſpenſatorem præcepto ex diffidentia non obtemperaſſe, lagenam vitream per feneſtram projecit, quæ etiam ſupra rupes lapſa, non eſt confracta, neque oleum effuſum. 4. Amor Benedicti elucet in zelo quo idolum Apollinis evertit, lucos ſuccendit, populosque idololatriæ deditos ad Chriſtianam veritatem adduxit. Tandem 5. Benedicti charitas ergà etiam inimicos ſe extendit, infauſtam Florentii dolens mortem, Maurumq; redarguens qui de ea aliquod oſtentabat gaudium: *Abſit ut ultionem nobis aliquam machinemur, quam à DEO expectamus*: qui in Benedicto univit cum terrena carne, Angelicam qualitatem, & adhuc confœderavit opulentiam cum Evangelica paupertate.

Chryſol: Serm. 16

Serm: 4 de S. Bened.

Chryſol: Serm. 16

Tert. l. ad Scap. 2

Faſtidium

Faſtidium opulentiæ & *paupertatis ſtudium* demonſtravit Chriſtus: Tum quia *ipſe Dominus in nullu divitias invenitur*: Tum quia *ſemper pauperes juſtificat, divites prædamnat.* Chriſti paupertatem imitari volens Benedictus, opulentiſſimum contemnit patrimonium. Ex Trithemio enim Benedictus futurus erat hæres Marchionatus Monſerratenſis; nobilem tamen illam hæreditatem, tantasque divitias non minori animo ſprevit quam quivis alius easdem deſiderare, ſibique procurare poſſet. Hâc de causâ abunde ditatus eſt à DEO munificentiſſimo, cui *nihil eſt tam proprium, quam in omnes eſſe munificentiſſime liberalem.* Nam ut fatur D. Ambroſius, *DEUS opulentæ largitatis eſt, nec avarus munerum, nec beneficii parcus, nec gratia anguſtus*; præſertim in eos qui ipſius amore, voluntarie renuntiant fortunæ bonis, & ſtatum aſſumunt pauperem. Illam DEI munificentiam expertus eſt Benedictus in quo juxtà Regium Vatem, *ſimul in unum dives & pauper*: nam pauper pro DEO effectus, abunde eſt à DEO locupletatus divitiis, 1. temporalibus: 2. ſpiritualibus: 3. cœleſtibus.

II. PARS. Tert l.de Pat.7 L. de Vir. Illuſt.Ord. S Benedicti. Greg.Naz: Orat.16 In Apolog David. Pſal.48 Tert.l.de Pat.7

1. *Per abjectionem divitiarum* Benedictus temporalibus locupletatus eſt divitiis centuplumque agrorum quos reliquerat obtinuit, juxtà pollicitationem à Chriſto Domino factam: *Omnis qui reliquerit domum, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet.* Tædioſum foret recenſere agros, villas, oppida, urbes, caſtella, aliaque ejusmodi, quæ liberalis Principum ac Regum manus, ſeu potius ipſa DEI providentia, in Benedicti ſinum effudit: abundantia ejus mater fauſto omine terrenam vaticinatur filii opulentiam, quia nomine & re Benedictus obtinuit benedictionem quam Iſaacus impertivit Jacobo: *Det tibi DEUS de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini*: hoc eſt fructuum, quos terra fertili gratoque ſinu effundit Abundantiam & bonorum omnium temporalium opulentiam, quæ tanta eſt in Benedicti Ordine; ut Trithemius de Abbatiis, præpoſituris, Prioratibus, & Cœnobiis Monialium, libere, vere tamen pronuntiaverit: *Si unusquisque ſua poſſideret, tertiam partem Chriſtianitatis S. Benedictus habere crederetur.* Neque mirum videbitur audax illud Trithemii de Ordine univerſo effatum, ſi attendatur quid de ſolo Monaſterio Cluniacenſi dixit Petrus venerabilis, qui non veretur illud vocitare *publicum reipublicæ Chriſtianæ erarium*, liberalitatibus Chriſtianorum, Nobilium, Principum, Regumq; fundationibus & donis congregatum : quapropter magno illi Ordini illud meritò convenit: *Suges lac Gentium & mammilla Regum lactaberis*; & inſuper, *Erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Benedictus namque ipſe primùm, deinde ejus filii, lac exſuxerunt Gentium, mammilla Regum lactati ſunt, Reges ipſos nutritios experti ſunt, & Reginas nutrices, à quibus miram temporalium bonorum acceperunt opulentiam.

Matth. 19 Gen. 27 Lib.1.c.2. Lib. 5.Ep. 34 Eſai 60 Eſai.49 Chryſoſt Serm. 121

Verum ſi *ita per ſe probata eſt, & ſanctificata mendicitas*, ut non ſolum Chriſtus extiterit mendicus; ſed plures adhuc Regularium Ordines mendicantem ducant vitam, *per ſe crimin oſa divitiæ* videntur Evangeli-

cæ paupertati contrariæ. Verùm ne quis ex opulentia D. Benedicti de imperfectione Ordinem illius culpare præſumat, tria præſtanda ſunt. Unum, divitias ex ſe non eſſe criminoſas: aliud, opulentiam in communi non derogare perfectioni ſtatû Regularis: Tertium, Benedictum ejuſque filios largas ero-
Chryſol. Serm. 28 gare eleemoſynas. 1. *Fuerunt Sanctis innocentes divitiæ, utpote à Deo datæ, non turpiter acquiſitæ, conceſſæ ad uſum vitæ, non ad mortis uſuram.* Quod Abrahami, Jobi, & Davidis comprobatur exemplo. *Abraham dives, dives Iob, David dives: Et quid Abraham beatius? quid fortius Iob? quid David ſanctius? Nam & Abraham poſt terrenos mœrores, pias animas, & revolantes ad cœlum, in gremium ſuæ conſolationis includit. Et Iob in ipſis divitiarum machinis diabolum & ipſe vicit, & nobis vincendi eum reliquit exemplum.* 2. Divitiæ in com-
Chryſol. ibid. muni non depretiant Regularis Ordinis perfectionem. Etenim *Deus ſuſcipit pauperes, ſed divites non repellit: Habentes ſuſcipit, & ad ſe attrahit non habentes*: Mendicantes Religioſos deſiderat, non Mendicantes approbat: cujuſmodi ſunt Ordinis D. Benedicti profeſſores, qui ſunt in opulentia pauperes; quia etſi divitias habeant in communi, in particulari tamen nihil proprium
Reg. S. Bened. c. 33 44 poſſident. Quibus D. Benedictus non permittit uſum veſtis, panis, aquæ, & aliorum, quæ ad vitam ſunt neceſſaria, niſi dependenter à ſuperioris volunta-
Chryſol. te. Tandem 3. quemadmodum *Abraham ſic poſſedit divitias, ut eas ſæpè & oblatas contemneret, & calcaret indultas: & ſic diligeret poſſidere divitias, non à divitiis poſſideri; habere eas ad largitatis materiam, non ad cupiditatis incen-*
Chryſol. Ser. 121 *dium.* Eodem modo Benedictus, *non ſibi, ſed pauperi dives fuit; & opes non habere, ſed prærogare geſtivit magis magiſque in ſinu pauperis, quàm in horreis recondere ſuas ſtatuit facultates, ſicut toto vitæ ejus ordine perdocetur.* Cujus unicum ſufficiat retuliſſe exemplum. Cùm Vitiges Gothorum rex Romam cinxiſſet exercitu centum millium armatorum, & inde Italiam ferè totam devaſtâſſet, annis proximè ſequentibus fames adeò invaluit, ut majorem nunquam ulla viderit ætas, in qua cùm humana defeciſſent alimenta, huma-
Procop. l. 2. de bell. Gothor. na corpora ad explendam famem adhibebantur: hinc paſſim viatores interimebantur, peregrini in hoſpitiis jugulabantur, & recentes natu infantes à matribus, qui eos in lucem ediderant, vorabantur. Miram illam ſtragem ſenſit Benedictus, & indoluit; imò & quantum potuit, miſerorum famem levavit tanta cum bonorum Monaſterii profuſione, ut nihil ferè ſibi, ac ſuis reliquerit. Unde cum die quâdam nihil alendæ numeroſæ familiæ ſupereſſet omninò præter panes quinque, de quo triſtes filios ſuos videns Benedictus, primùm eos paternè increpavit, deinde bono animo eſſe hortatus eſt, dicens:
Chron S. Bened. an. 39 *Hodie egetis annonâ, cras abundabitis.* Prædictioni reſpondit eventus; inſequenti namque die inventi ſunt ad Monaſterii portam ducenti modii farinæ in ſaccis probè clauſis; nec reſcitum unquam qui eos apportâſſet. Ut autem tanti beneficii jugis inpoſterum haberetur memoria, eo loci erectum eſt altare, & in eo ſtatua marmorea D. Benedicti, quem Deus abundè locupletavit divitiis temporalibus & ſpiritualibus.

2. *Cùm Iſaac benediceret Iacob filium ſuum: Det, ait, tibi Deus de rore cœli, & de opimitate terræ*; *nonne utriuſque indulgentiæ exempla ſunt*, ſcilicet divitiæ temporales & ſpirituales? quas Jacobo Iſaacus, has & Deus cunctorum parens Benedicto dedit, ſcilicet de rore cœli, hoc eſt, de gazis divinioribus, de gratia, quæ velut ros cœli, & de virtutibus, quæ inſtar cœleſtis pluviæ in Benedicti animum illapſæ, abundantem illum divitemque reddiderunt ſpiritualibus bonis, à quibus prima & princeps benedictio. [Benedictus verè Benedictus, non modò nomine, ſed etiam re. Benedictus ob ampliſſima dona illi præſtita, & in animam ejus copioſè transfuſa: Secundùm nomen tuum ita & laus tua.] Porrò gratiâ & ſanctitate ditantur juſtorum animæ, quas ideò Chryſologus nuncupat *pretioſas animas, ſanctitate locupletes*. Jezabel vocitat ſacer textus non mulierem, non reginam, ſed *maledictam*, ob vitia quibus fuerat contaminata, & crimina quæ illam odioſam Deo reddiderant. At ſanctus Pater noſter, ait Guerricus: [Gratiâ Benedictus & nomine, quem Deus benedixit omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus. Nec ſolùm in cœleſtibus benedictionem omnium Angelorum, ſed etiam in terreſtribus benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus. Ubi enim gentium non benedicitur benedictus Domini Benedictus, *quem tot benedictionibus cœli & terræ gratia Dei cumulavit?*

Tert. l. 3 adv. marc. 23

Clichtoveus Ser. de S. Bened.

Serm. 28

L. 4. Reg. 9.

Ser. 1. de S. Bened.

Pandoram Heſiodi ditiſſimam & pulcherrimam fabulantur Poëtæ, quia nullus fuit Gentilium Deus, Dea nulla, quæ illam non aliquo ſpeciali dono & particulari gratiâ exornaverit: unde dicta eſt Pandora, quaſi omnium rerum genere ornata, quæ ex tanta donorum varietate adeò pulchra evaſit, ut eximiâ ſuî pulchritudine omnes Deos Deaſque in ſuî admirationem rapuerit: *In Poetarum figmentis legimus Pandoram quandam mirâ ſuî pulchritudine etiam ſuis factoribus ſtupori fuiſſe*. Benedictus velut eximia quædam & venuſta Pandora, *qua fermè ex varietatis gratia conſtat*, tot à Deo fuit gratiis gratuitis, & gratis datis locupletatus, ut non ſolùm terrenos homines, ſed ipſos etiam Cœlites rapiat in ſtuporem. Quomodo illum repræſentare videtur Magnus Gregorius in Benedicto congregans quidquid in Magnatibus veteris & novi teſtamenti ſtupendum habetur & glorioſum. Illum enim prodit velut *in aqua ex petra producta, Moyſen*; *in ferro, quod ex profundo aqua rediit, Eliſæum*; *in lucta mortis inimici, David*; *in corvi obedientia, Eliam*; *in aquæ itinere, Petrum*. Joannes Baptiſta in ventre matris fuit ab originali culpa mundatus, & gratiâ ſanctificante donatus. Idcircò, ut fatetur ejus parens Elizabeth: *exultavit gaudio infans in utero*. Benedictus adhuc in utero exiſtens auditus eſt cantare, inſolito illo prodigio forſan ſe mundatum ab originali noxa denotans. *Quæ de Moyſe ſcripta ſunt, Benedicto non incongruè aptata ſunt: Legiſlator ille, legiſlator & iſte; ille dux fuit exeuntium de Aegypto, iſte renuntiantium ſeculo; dux ille filiorum Iſrael, quos de Aegypto eduxit,*

Tertull. l. adv. Valent. 12

D. Tho. à Vill. Nov. Conc. de Annunt. Tert. ib.

L. 2. Dialog. 8

Luc. 1.

Valdetam in Theat. Relig. Ser. de S. Ben.

Guerr. Ser 4. de S. Bened.

rena ſolummodo ſperando, cæleſtia amittunt. Neque Judæos duntaxat imitantur beneficiorum opulentium mercenarii, ſed etiam Gentiles *qui rem pecuniariam fortaſſe animæ anteponant.* Omnis enim qui Prioratus, vel Abbatias, vel quaslibet prælaturas abſque vocatione ambit, non ut Deum glorificet; non ut Eccleſiam ſervet; non ut populum erudiat; non ut pauperibus ſubveniat; ſed duntaxat ut honoretur in ſæculo, ut opulente ditetur: *Terrena cæleſtibus anteponendo, de proximo in Deum peccat,* & à Benedicto multum degenerat, qui *totum quod in rebus eſt, ante contemnit,* ampla deferens patrimonia, paupertatem & egeſtatem elegit; qui in oblatis ex pietate divitiis cor ſuum non poſuit; ſed ſemper *in ſummis divitiis inops*, & ſpiritu pauper extitit, qui facultates large pauperibus erogavit. *Apud quem pietas in alterum vita ſua clarior fuit ſciens non incubatorem, ſed diſpenſatorem poſitum divinæ largitatis*, ut panem daret eſurientibus, potum ſitientibus, veſtiret nudos, auxilium præſtaret omnibus in adverſitate & neceſſitate poſitis; qui tandem *factus eſt terra pauper, ut dives haberetur in cælo*: ad quod evolans ejus anima, à corpore ſeparata, æternaturas & immarceſſibiles poſſidet divitias. Nam ut ex magno Gregorio refert D. Bernardus de D. Benedicto loquens: (Inter diſcipulorum manus imbecilla membra ſuſtentans, erectis in cœlum manibus ſtetit, & ultimum ſpiritum inter verba orationis efflavit. Qua ſcilicet die, duobus fratribus, uni longius poſito, alteri autem in cella commoranti, revelatio unius atque indiſſimilis viſionis apparuit: Viderunt namque quia ſtrata palliis & innumeris coruſca lampadibus via recta, orientis tramite ab ejus cella in cœlum uſque tendebatur. Cui venerando habitu vir deſuper clarus adſiſtens, cujus eſſet via, quam cernerent, inquiſivit. Illi verò ſe neſcire profeſſi ſunt. Quibus ille ait: *Hæc eſt via qua dilectus Domini cælum Benedictus aſcendit.* Aſcendit, inquam, ad cœli regiam, ad immortalem fœlicitatem, ad empireum Beatorum ſolium; ad Dei thronum, & hoc quidem inuſitato, & à ſæculis inaudito miraculo, parata ſibi ab Angelis via. Hanc nimirum parant & aperiunt Angeli, caſtis ac puris hominibus Angelorum æmulis, ſpiritu pauperibus, cujuſmodi fuit Benedictus qui *ſpiritalem nobis erexit ſcalam, cujus utique ſummitas cælos tangit, quod in ejus glorioſo tranſitu evidenti legimus miraculo commendatum*: Subjungit Bernardus: *Quæ eſt via ab ejus cella progrediens, niſi Ordo, quem idem vir beatus inſtituit: & forma vitæ, quæ ab eo ſumpſit exordium?* Hæc eſt via qua B: Patris filii æterna ſubintrant tabernacula, via ſcilicet caſtitatis, paupertatis, ſanctitatis, via puritatis lactea atque amabili, via virtutis, via ſpecioſa, ac boni exempli ſplendore luminoſa, via quâ itur recto ad cœlum tramite.

Tert. l. de Pat. 7 — Tert. ibid. — Chryſol. Ser. 28 — D. Ambr. l. de Cain & Abel. c. 5 — Chryſol. Ser. 121 — L. 2. Dial. 37 — Tract. de Vit. & Morib. Cleric. 14 — D. Bern. ibid.

Mors vocitatur à Clemente Alexandrino *porta ad Deum*: per illam enim animus à vinculis corporeis ſolutus ad Deum intrat. A Pittaco etiam inter Græciæ ſapientes famoſo, *vita eſt ſcala*, per quam à terra in cœlum facilis paratur aſcenſus. Benedicto mors fuit porta ad Deum, & vita ſcala, & in ea tot gradus, quot fuere virtutes. Verum uti Benedictus, per ſcalam, id eſt, per

Lib. 4. Strom.

vitam innocuam & ſanctam aſcendit ad cœlum; ita ſceleroſi per ſcalam, id eſt, per vitam criminoſam, deſcendunt in infernum: quod per ſcalam Jacob denotatum vult Tertullianus. *Cùm verò Jacob ſomniat ſcalas obfirmatas in terra ad cœlum, & Angelos aſcendentes, & alios deſcendentes, innixum deſuper Dominum, temerè ſi forte interpretabimur, ſcalis his iter ad cœlum demonſtrari, quo alii perveniant, unde alii decidant, Domini conſtitutum eſſe judicio.* Illi decidunt qui per virtutum ſemitam non gradiuntur: Illi verò aſcendunt qui per viam juſtitiæ ambulantes, per portam in cœleſtem civitatem ingredi merentur. *Sed eſt & porta quæ recipit, & quæ perducit, ſtrata jam à Chriſto de quo Amos; Qui ædificat in cœlum aſcenſum ſuum, utique non ſibi ſoli, ſed & ſuis qui cum illo erunt. Ita per illum aſcenſum ad cœleſtia regna tendentes, miratur ſpiritus, dicens: ut nubes volant, & velut pulli columbarum ad me, ſcilicet ſimpliciter ut columba.* Benedictus per viam ſanctitatis gradiens, volans ut nubes, ſeu ut aquila, ingreſſus eſt in cœlum per portam à Chriſto ſtratam, beatitatemque eſt aſſecutus quam obtinere meruit uniens divitias cum Evangelica paupertate, & conjungens cum virginis puritate, patris fœcunditatem.

[Margin: L.3.adv. Marc.23 — Tert.ibid.]

III. PARS

Nonne & multi ſe ſpadonatui obſignant propter regnum Dei? Ad quod trina potiſſimum ſtimulantur ratione: 1. ut Apoſtoli ſequantur conſilium, *Apoſtolus & ipſe caſtratus, continentiam mavult.* 2. Ut æternum cœli conſequantur præmium: *Ipſo Domino ſpadonibus aperiente regna cœlorũ.* 3. Ut Chriſti imitentur exemplum, *& ipſo ſpadone* ſubjungit Tertullianus. Ob has rationes virginitatem D. Hieronymus conjugio multum præponit: *Laudo nuptias, laudo conjugium; ſed quia mihi virgines generant: lego de ſpinis roſam; de terra aurum; de concha margaritam.* Roſa Virginitas, quæ etiam de ſpinis legitur; aurum Virginitas, quæ de terra eruitur; Margarita Virginitas, quæ de concha corporis exit, & colligitur. Nihil adeo contrarium virginitati, quàm partus: puritas Virginea naturaliter fœcunditati repugnat, harum unionem natura non patitur, *ſed & Virginem parere natura non patitur.* Unde quando Propheta pro ſigno à Deo dando, proponit Virginis conceptum & partum, *ſignum à Deo niſi novitas aliqua monſtruoſa fuiſſet, ſignum non videretur.* Verum licèt unio virginitatis & fœcunditatis in ordine naturæ videatur impoſſibilis, non repugnat tamen in ordine gratiæ. Chriſtus fuit virgo & tamen fœcundus parens, cunctos Chriſtianos in ara crucis generans. Integra fuit Maria, & tamen *in ſignum nobis poſita Virgo Mater merito creditur.* Eſt quidem Virgo, quia ſemper ſervavit mentis puritatem, & corporis integritatem, & adhuc Mater, quia peperit Chriſtum, ex operatione Spiritus ſancti conceptum. Virgo fuit Paulus, & tamen Corinthios ſe genuiſſe gloriatur: Virgo fuit Benedictus, & tamen numeroſa prole fœcundatus eſt. Patres enim ſunt in triplici differentia, ſcilicet corpore, officio, & ſpiritu. Corpore patres corpori gignendo ſerviunt; dignitate ſeu officio patres, ſunt præſules omnes, & imprimis ſummus Pontifex, qui eſt univerſi orbis Chriſtiani pater; patres ſpi-

[Margin: Tert.l.2. de Cult. Fœm.9 — Tert.l.de MPn.3. — Epiſt.22. ad Euſtoch. — Tert.l. adv Jud.9 — Tert.ib. — Tert.ib. — 1.Cor.4]

ſpiritu,alios parturiunt Deo,ſaluti,ac beatitudini;ut Apoſtoli *per quos, cum toto ſacramento,cum propagine nominis,cum traduce Spiritus ſancti* ad nos venit diſciplina Chriſtiana. Viri quoque Apoſtolici ſunt patres ſpiritu ; qui tum verbo prædicationis,tum exemplo vitæ ſanctioris,Deo, cœloque parturiunt *hæreditarios diſcipulos, Apoſtolici ſeminis frutices.* Nimirum Regularis Ordinis fundatores *quorum opes in paupertate,fœcunditas in cœlibatu;ſiquidem præſtantiores illi fœtus ſunt,qui ſecundùm Deum exiſtunt, quàm qui carne ortum ducunt.* Quantum enim intereſt inter terram & cœlum; tantum intereſt inter parentes carne,& parentes ſpiritu; Illi amittunt Virginitatem dum gignunt,iſti virginitatem cuſtodiunt,dum generant ; illi terræ dant carneam prolem,iſti cœlo ſpiritualem ſobolem ; & ut cum D. Hieronymo loquar, *nuptiæ terras replent,virginitas paradiſum*: ut Benedicti comprobatur exemplo,qui in ſemetipſo virginis puritatem , cum patris generatione conjungens,virgo ſimul & pater eſt,ſed pater plane glorioſus,prolis. 1.varietate; 2. multiplicitate. 3.ſanctitate.

Tert. Scorp. 9

Tert.ib.

Gregor. Naz.Orat.18

1.Merito Benedictus & *ipſe pater dicitur omnium* Religionum, quæ ſub ejus Regula militant;neque enim ſolius Ordinis qui vulgo S. Benedicti nuncupatur,ſed etiam *matrix & origo cunctorum* , qui leges ab ipſo conſtitutas cuſtodiunt:quales ſunt Caſſinenſes, Cluniacenſes, Ciſtercienſes, Claravallenſes,Carthuſienſes,Grandimontenſes,Calmadulenſes, Celeſtini, Humiliati,Olivetani,Scoti, Vallis umbroſæ, Fontis ebraldi, S.Ambroſii,Vallis ſcholaris,S.Pauli primi Eremitæ,ſanctæ Brigittæ,S.Guilhelmi,multique alii quos tædioſum foret recenſere. Nec non plures Monialium congregationes , in quibus Virgines ſine numero ſub D. Benedicti regula Deo ſerviunt,eumque cognoſcunt *certe fontem reliquæ fœcunditatis*, & ut proprium venerantur parentem. At *quantus,& quàm incomprehenſibilis pater* fuerit Benedictus,comprobant nonnulli,ex hominibus doctrina, pietate, & dignitate conſpicuis, quos ex ejus Ordine exortos aſſeverant, nimirum centum & duodecim Imperatores, totidemque Reges,octodecim ſummi Pontifices,ducenti Cardinales,plures quàm mille ſexcẽti Archiepiſcopi, plures quã quater mille Epiſcopi, Abbates eruditione & Scriptis illuſtres quindecim millia ſeptingenti, ex quibus evidenter apparet quàm auguſta & extenſa ſit Benedicti Religio,varietate & diverſitate Doctorum,Regum,Cardinaliũ, Præſulum,Pontificum decorata. Summus Pontifex,*Papa*, i.e. *pater patrum* dicitur,quia eſt pater Cardinalium,Patriarcharum, Archiepiſcoporum,Epiſcoporum,qui patres ſunt Chriſtianorum : *Ad immenſam illam & incomprehenſibilem magnitudinem patris* Benedicti , mirum in modum conducit, quod non ſolum pater fuit patrum;ſed etiam eorum qui patres ſunt patrum; non ſolum extitit pater tot Patriarcharum & Fundatorum diverſarum Religionum;tot Abbatum,tot Epiſcoporum,tot Archiepiſcoporum,tot Cardinalium;ſed etiam ſummorum Pontificum, ex Trithemio octodecim, ex Gene-

Tert.l. adv.Valent.7

Tert.ib.

Tert.ib.

Tert.ib.

Valderama Ser.de S.Bened.

Truſillo Ser.de S. Bened.

Apud Paulet Ser.de S. Bened.

Tert.ib.

Opuſc. 3. Tract. de Bened. Genebrardo viginti-quatuor, inter quos annumeratur D. Gregorius nomine, doctrina & ſanctitate magnus. Qui aliorum voluerit ſcire vocabula, patriam, pietatem, dotes animi, & virtutes cuilibet proprias Lobettium legat.

Tert. lib. adv. Valent. 9 Tert. l. 2 adv. marc. 19 Fœcunditas quodammodo *immenſi patris* Benedicti melius declarari nequit quàm per arborem frugiferam, juxta decurſus aquarum plantatã *Qualis enim apud Deum merces homini? Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt juxta exitus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium ejus nõ decidet, & omnia quacunque faciet, proſperabuntur illi, hic accipiet benedictionem à Domino.* Primum Davidis Pſalmum refert Tertullianus, qui ſub arboris ſpecie virum juſtum denotat. Illa autem metaphora nulli melius quàm Benedicto convenit: ex Guerrico etenim *merito Benedictus in Domino vir, quia qui in Domino ſilit, in eo ſeipſum figit.* Eſt enim Benedictus *arbor grandis atque fructifera*; At ubi plantata eſt ſecus decurſus aquarum, quia ut ſubjungit Bernardus, *ibi copia gratiæ ſpiritualis*, ſeu ut vult Guerricus, quia Benedictus *de ipſo fonte ſummi boni, aquas vitæ totius benedictionis & gratiæ bibit.* Verum ubinã radicata eſt pulchra illa arbor? Reſpondet Bernardus: *in vallibus*, id eſt, in humilitate: *Quis enim non videat etiam torrentes montium ardua declinare, & mediam ad humilitatem ſemper divertere vallis?* Arboris autem vertex adeo altus eſt, ut ipſas quoque cœli ſtellas, per excellentiam meritorum attingat; rami verò ſeſe ab oriente ad orientem dilatant, nimirum varii Religionum Ordines ſupra numerati ab illa arbore oriundi. Folia ſunt, ait Balduinus, *Imperatores tres, Imperatrices undecim, Reges maximi & ſtrenui duo ſupra viginti, Regina una & quadraginta, principes viri ac fœmina fere ſine numero.* Fructus arboris ſunt vel Sancti quibus ſplendet cœlum, vel libri, quibus locupletatur Eccleſia, vel probitatis documenta quibus ad pietatem promoventur Chriſtiani: Nam ut ſubjungit Balduinus, *ſicut cœlum ſanctis, ita libris & ſcriptis mundum, Eccleſiam optimis moribus, variis & perutilibus inſtitutis, abunde replevit, locupletavit, fœcundavit*, ni potius per fructum quem producit in tempore ſuo, intelligamus innumeram Religioſorum Benedicti multitudinem qui Eccleſiam fœcundarunt, fidem propugnarunt, Chriſtianam Religionem doctrina & virtute illuſtrarunt. *Sed & hac ad initium univerſitatis emiſſa, fructum facit*, & Benedicti fœcunditatem oſtentat, quæ commendatur non ſolum prolis diverſitate, ſed etiam numero & multiplicitate.

Ser. 2 de S. Bened. D. Bern. Ser. de S. Bened.

Præfat. ad Regul. de Bened.

Tert. lib. adv. Valent 7

2. Quàm multa fuerit Abrahæ propagatio demonſtrat Apoſtolus: *Retexens promiſſionem benedictionis nationum in nomine Abraham*: cui Deus pollicitus eſt: *Faciam ſemen tuum, ſicut pulverem terræ.* Abrahæ inſuper dixit Deus, *Suſcipe cœlum, & numera ſtellas ſi potes*; *& dixit ei: Sic erit ſemen tuum* Abraham, quoad ethimologiam nominis, idem eſt, ac *pater excelſus, pater magna multitudinis Gentium*; ſeu ut fatur Divus Ambroſius, *Abraham ſeminarium poſteritatis ſua; pater fidei, mundi hæres.* Belle dicitur Abraham ſeminarium poſteritatis ſuæ; ſiquidem Deus

Tert. l. de Carn. Chr. 22 Gen. 13 Gen. 15

Abraha

Abrahæ promiſerat, quòd in ſemine ejus benedicerentur omnes nationes terræ. Vocitatur adhuc pater fidei, quia *Abraham Deo credidit, & deputatum eſt ju-ſtitia, atque exinde pater multarum gentium meruit nuncupari.* Tandem appellatur mundi hæres, cujus ſemini Deus terram Chanaam tradidit poſſidendam. Elogia Abrahæ data meritò D. Benedicto conveniunt, qui fuit ſeminarium poſteritatis non profanæ ſed ſacræ; non mundanæ, ſed religioſæ. Fuit adhuc pater fidei; tum quia credidit Deo, & deputatum eſt ei ad juſtitiam; tum quia credidit Chriſto abnegans ſemetipſum, & tollens crucem ſuam. Tandem mundi hæres, in mundum ſpargens numeroſam filiorum multitudinem, & ampla & opulenta monaſteria eis acquirens. Ter. l. adv. Jud. 1 Tert. l. 5 adv. marc. 3.

Joſepho Patriarchâ mortuo filii Iſraël *creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis, impleverunt terram.* Idem accidit Benedicto multorum filiorum parenti, qui dum in vivis erat, multa vidit Monaſteria, & uberem filiorum progeniem; poſt mortem verò, è cœli ſpecula uberiorem multò ſpectavit: ejus quippe filii creverunt in gentem magnam, & quaſi germinantes multiplicati ſunt. Ut enim terra ingenti fœnore ſemen reddit, ſic Benedicti religio ceu terra viva filios reddidit, & inſtar germinis ita multiplicavit, ut mundum impleverint. Quod ut evidentiùs pateat, recenſenda ſunt D. Benedicti Monaſteria, & inde aliquo modo colligendus filiorum numerus. Qui Monaſteria dinumerare moliti ſunt, aſſeverant fuiſſe aliquando Monaſteria ſeu Abbatias triginta ſeptem millia. Prioratus quatuordecim millia; & inſuper Aſceteria Monialium ſupra quindecim millia. Quantus autem fuerit in tot Monaſteriis Religioſorum numerus, colligendum eſt ex numero, qui vel in unico cœnobio aliquando fuiſſe legitur. Fuit olim in Hibernia Cœnobium, cui nomen *Bencor*, quod incolebant tria Monachorum millia, quos Prælati ſeptem moderabantur, eo ordine, ut in illo die noctuque perenne eſſet officium, laus perennis, alternantibus, & ſibi invicem ſuccedentibus aliis atque aliis, ne quæ ſcilicet horula, imò, ne quod momentum à divina laude vacaret. Prætereo ſervorum multitudinem: teſte namque Mejoro, Gemeſienſe Monaſterium in Normandia locatum, præter nongentos Monachos numerabat mille quingentos ſervos, qui ita ſervili vacabant operi, ut ſervirent religioſum in morem, Religioni Deoque devoti. Filiorum diverſitas & multiplicitas, Benedicti fœcunditatem commendant, quæ adhuc ex prolis ſanctitate pulchrior apparet. Exod. 1 Folengius Genebr.

3. A Benedicto deſumitur *cenſus omnis ſanctitatis*, qua ejus Religio mirè fœcundata eſt. Ut enim Deipara B. Birgittæ revelavit: *Benedictus compoſuit ſuam Regulam de Spiritu Dei, per quam multi perfecti ſunt facti, ideò dicitur Benedictus.* Duobus encomiis Benedicti Regulam commendat beatiſſima Virgo. Primò, ait eam eſſe *de Spiritu Dei*, quo nihil altius dici poteſt: deinde, *per quam perfecti facti ſunt multi, ſicut Benedictus.* Quid autem excogitari poteſt ſanctius Benedicto, ſanctitate, juſtitiâ, & pietate glorioſo? *Sanctitatem miracula probant, doctrina pietatem, vita juſtitiam.* Quia Tertull. l. adv. Valent. 7 L. 3 revel. 30 D. Bern. Ser. de S. Bened. c. 44

Plin.l.7. c.44 verò nos hortatur Eccleſiaſticus, ut *laudemus viros glorioſos in generatione ſua;* Benedictus propriâ ſanctitate glorioſus, filiorum adhuc ſanctitate gloriatur. Metellus Macedonicus apud Romanos multa fuit de gloria commendatus, quod quatuor habuerit filios triumpho donatus, à quibus poſt mortem fuit in ſepulchrum delatus. Quantò glorioſior exiſtit Benedictus, qui non quatuor, ſed innumeros habet filios in cœleſti Hieruſalem triumphantes? Nam Trithem. l 1. de Vir. Illuſt. S. Bened. c. 4 *temporibus Ioannis Papa vigeſimi ſecundi reperti ſunt de Ordine S. Benedicti, tam ex Monachis ſimplicibus, quàm ex Pralatis diverſarum dignitatum, Sanctorum catalogo inſerti quinquaginta quinque millia quinquaginta novem.* Qui autem canonizati non ſunt, & in cœ'o triumphârant, ſine numero ſunt. Quòd ſi filii ſunt lumen oculorum patris juxta iſtud parentum Tobiæ junioris: *Tu lumen oculorum noſtrorum;* Tob. 10 Benedictum circundabunt in cœlo tot lumina, quot ſunt Beati Ordinis ſui, quos ipſe æternæ felicitati parturivit.

Plutarch. in Solon. Solon in Sardicenſi civitate exiſtens, in qua Crœſus regiam ſuam habebat, quotquot nobiles opulenter ornati occurrebant, Crœſos exiſtimabat: *ſinguli Crœſus videbantur:* Non diſſimiliter quotquot in cœlo beantur Benedicti filii, Benedictus videntur. In terra quoque licet conſpicere unumquemque tanti Patriarchæ filium velut alterum Benedictum, in ſemetipſo parentis referentem imaginem. Animadvertit autem D. Bernardus, quòd Benedictus, quem ſub arbore ſecus decurſus aquarum plantata repræſentat, fructum tulit non ſolòm his qui tunc erant, ſed etiam futuris. Nam & uſque hodie in triplicem amoris Domini confeſſionem triplici fructu paſcit Domini gregem: *Paſcit vitâ, paſcit doctrinâ, paſcit interceſſione.* Per Benedictum igitur inceſſanter adjuti, fructificemus & nos, quoniam in hoc poſiti ſumus ut eamus, & fructus cœli dignos afferamus.

CONCIO QUARTA.

Tertull. l. adv. Valent. 7 SI quis Benedicti & Bernardi vitam attentè conſideraverit, filium *ſimilliмum patri, & parem per omnia* inveniet. In utroque eſt unio hominis & Angeli, virginis & parentis, paupertatis & opulentiæ, humilitatis & honoris. D Ambr. ep. 33 Nam ambo *fiunt de paupertate divites, de patientia fortes, de humilitate ſublimes.* Ambo mundi conſiderantes vanitatem, fallaciam, corruptionem, ſalutiſque periculum, & èconverſo mente volventes *gratiam deſerti, beatitudinem eremi, qua ab initio gratia, quieti Sanctorum meruit conſecrari,* mundo re- Guerr. Ser. 4. de Adv. Dõ. nunciantes, ſolitudinem quæſierunt, in qua *ſilvicola & exules vita* remanſerunt. Tert. Apolog. 42 Ambo à diabolo tentati ſunt, qui ut eos à propoſito dimoveret, Veneris ſufflammavit ardore, revocans ad memoriam fœminas, in quas injecerant oculos: ambo de diabolo triumphârunt: Benedictus quidem corpus

ſuum in ſpineto volutans: Bernardus hiemali & perfrigido tempore in ſtagnum aquæ gelidæ ſe collo tenus immergens. Ambo non in Academiis ſeu Univerſitatibus, ſed in ſolitudine edocti ſunt, & ſicut aliàs Achilles, ſeu ut fatur Tertullianus: *Lariſſæus heros apud rupicem, & ſilvicolam, & monſtrum eruditiorem ſcrupea ſchola eruditus* fuit; ita Benedictus & Bernardus non à monſtro, ſed à Patre luminum eruditi cœleſtem didicerunt doctrinam; ut ipſemet fatetur Bernardus: *Aliquid amplius invenies in ſilvis, quàm in libris; ligna & lapides docebunt te, quod à magiſtris audire non poſſis.* Verùm quia Bernardus ultra perfectiones quæ ſunt illi cum Benedicto communes, propriis decoratur dotibus: trino, eoque ſingulari commendandus eſt charactere, ſeu elogio, quo à ſummis inſignitur Pontificibus: ab Innocentio namque IV. nuncupatur *Columba pulchra per totum*; à Benedicto XI. *Stella matutina in medio nebula*; à S. Antonio Florentino Archiepiſcopo, *Magna Eccleſiæ columna.* Sed 1. columna, religionem captans. 2. ſtella, mundum illuſtrans. 3. columna, Eccleſiam ſuſtentans.

Lib. de Pall. 4
Epiſt. 106.
Privil. 12 Ord Ciſter. in Bul. Patr. tit. 15. c. 23

Magnum ſanè Bernardi elogium columbæ nomine prædicari. 1. Quia *Chriſtum columba demonſtrare ſolita eſt*, divinitatis ejus ferens teſtimonium, quod majus Joannis teſtimonio exiſtimat Bern. *Ecce teſtimonium majus Ioanne, teſtimonium advenientis columna* in baptiſmate Salvatoris. Columba ſuper caput ejus apparens Chriſti Domini innocentiam & ſanctitatem demonſtravit. *Nec incongruè ad indicandum Agnum Dei venit Columba: quia nihil melius agno convenit, quàm columba: quod agnus in animalibus, hoc columba in avibus eſt: ſumma utriuſque innocentia, ſumma utriuſque manſuetudo, ſumma ſimplicitas.* 2. Quia Columbâ adhuc denotatur Spiritus ſanctus, *Columbæ figurâ delapſus in Dominum.* 3. Quia poſt aquas diluvii columba reverſa eſt ad Noë ferens in ore ſuo ramum olivæ virentibus foliis. *Illa & à primordio divinæ pacis præco.* 4. Quia ſuper renatos in baptiſmate advolat columba Spiritûs ſancti, quod præfiguratum vult Tertullianus per columbam à Noë emiſſam, & ad arcam redeuntem. *Quemadmodum enim poſt aquas diluvij, quibus iniquitas antiqua purgata eſt, poſt baptiſmum (ut ita dixerim) mundi, pacem cœleſtis iræ præco Columba terris annuntiavit, demiſſa ex arca, & cum oleo reverſa: eâdem diſpoſitione ſpiritalis effectus, terra, id eſt, carni noſtra emergenti de lavacro poſt vetera delicta Columba ſancti Spiritûs advolat, pacem Dei afferens, emiſſa de cœlis, ubi Eccleſia eſt arca figurata.* 5. Quia Chriſtus ſemper ſuos diſcipulos ad columbæ ſimplicitatem horratur: *Eſtote* (inquit) *ſimplices ſicut columbæ.* 6. Quia columbæ proprietates Religioſi indicant perfectiones. Plures D. Bernardus columbæ dinumerat proprietates. Tria dantaxat in columba conſideranda duxi, nempe naturam, cantum, & volatum: ſi natura conſideretur, eſt *animal ſimplicitatis & innocentiæ*; ſi cantus, *gemitum habet pro cantu*; ſi volatus, volat in cavernas maceriæ. Trino illo columbæ ſymbolo probè denotatur Bernardi, 1. innocentia & interna animi venuſtas. 2. cordis dolor & pœnitentiæ auſteritas. 3. contemplatio & elevatæ mentis ſublimitas.

I. PARS.
Tertull. l. adv. Valent. 2
Serm. 2 de Epiph.
D. Bern. ibid.
Tert. l. de Bapt. 8
Tert. l. adv. Valent. 2
L. de Bapt. 8.
Tert. ib.
L. de Modo benè viv. 56
Tert. l. de Bapt. 8

Tert.l.de Bapt.8. 1. In ſpecie columbæ apparuit amor perſonalis, ut per illam *natura Spiritûs ſancti declararetur.* Quænam eſt Spiritûs ſancti natura, niſi innocentia, puritas, pulchritudo, amor? Bernardus autem innocentiâ, puritate, pulchritudine, & amore decoratur:

Tertull. ibid. 1. Eſt *animal ſimplicitatis, & innocentiæ columba*; neque duntaxat innocentiæ eſt ſymbolum, ſed etiam manſuetudinis. *quod corporaliter ipſo felle careat*: neque manſuetudinis tantummodo eſt ſymbolum; ſed adhuc inſignis patientiæ: unde *roſtro non percutit*, ait Bernardus, etiam læſa; quamobrem Jobum patientiæ miraculum D. Chryſoſtomus com-

Hom.4.de Pat. ponit cum columba. Vir erat in terra Hus nomine Job. *Columba in medio accipitrum, ovis in medio luporum, ſtella in medio nubium, lilium in medio ſpinarum, & juſtitia germen in oppido iniquitatis.* Bernardus vera columba eſt admirabili innocentiâ, manſuetudine, & patientiâ præditus. Innocentiâ quidem, ab ipſa etiam adoleſcentia mentis oſtentans candorem, & virgineum

Tert.l.de Mon.8 pudorem; manſuetudine etiam, quam erga ſuos ſubditos exercebat; patientiâ tandem, conſtanter tolerans vocari ſeductor, falſus propheta, Chriſtiani orbis ruina, & à ſceleroſo Monacho ingenti alapâ percuti. 2. In Bernardo elucebat mentis puritas, & corporis integritas, quam in deliciis, primiſque cu-

Guillel. Abb.Lirin.Ser.de S.Bern. ris ſemper habuit. Ad caſtitatem nos invitat Dominus, *cùm ad ſimplicitatem columbæ provocat, avis non tantùm innocua, ſed & pudica.* Quantum autem caſtitatis fuerit amans Bernardus, demonſtravit erga laſcivam mulierem. (Cùm in ſecretiori domûs cubiculo eum aggreſſa pertraheret ad peccatum, ille eam lenibus verbis demulcens donec à manibus ejus & amplexibus delaberetur, fugit, & evaſit, & in medio ignis non eſt æſtuatus.] 3. Columba eſt avis venuſta: Fuit etiam Bernardus corpore & animâ decoratus. Ex Guillelmo enim Abbate ejus diſcipulo fuit pulcherrimo corpore decoratus. Neque minor fuit animæ, quàm corporis decor; quia, ut philoſophatur Plotinus,

L.2. Ænead.17 *fieri nequit, ut quod extrinſecùs revera pulchrum, intrinſecùs ſit deforme; etenim quod extrinſecùs pulchrum eſt, omninò eo, quod eſt intus ſuperante fit tale.* Quòd ſi ſciſciteris à me, in quo ſita fuerit interior Bernardi pulchritudo; re-

To.2.Ser.3.a.2.c.1 Tert l.de Mon.8 ſpondebo cum Bernardino Senenſi: In charitate qua ardebat. *Eſt enim charitas animæ pulchritudo, ſicut ignis pulchritudo carbonis, qui cum eſt ignitus, ſplendidus eſt & pulcherrimus.* 4. Columba eſt veri amoris ſymbolum: *quam unam unus maſculus novit.* Bernardus tanto erat charitatis ardore ſuccenſus,

Ser. de S.Bern. ut Joannes Gerſon eum inter Seraphinos annumerare non vereatur: *Te verè beatiſſimum Bernardum cenſeo eſſe unum ex conſortio ignitorum illorum ſpirituum, quos Seraphim Scriptura nominat.* Cum hoc tamen diſcrimine, quòd

Guer.Ser.3 de Purif. Tertull. l.adv. Valent.14 Seraphini cœleſtes ſunt afflictionis & pœnitentiæ incapaces; at Bernardus Seraphin terrenus per columbam denotatur, quæ *gemitum pro cantu reddit* pœnitentiæ deditus.

L.3.Vit S. Bern.c.6 2. *Omni genere ejus cœpit affligi*, carnem edomans, ſenſus frænans, corpus jejuniis extenuans, tantaſque macerationes tolerans, *ut vita ejus his, qui noverant, nonniſi quadam protelatio mortis videretur.* At cur

tan-

tantopere pœnitentiæ & mortificationi incumbebat Bernardus? Multiplici de cauſa 1. Ut pro peccatis in ſæculo commiſſis ſatisfaceret: 2. Ut adverſus mundi, diaboli, & carnis tentationes ſeſe præmuniret. *Simul enim & de priſtinis ſatisfacimus conflictatione carnis & ſpiritus, & ſubſecuturis tentationibus munimenta praſtruimus.* Quorum inſidias recognoſcit D. Bernardus. *Iſti tres inimici me impugnant, & perſequuntur; nunc quidem aperte, nunc vero occulte, ſemper autem malitioſe.* 3. Ut ſenſus externos coerceret ad malum incitantes, ut enim fatur: *Mundus circuncingit, & obſidet me undique, & per quinque portas; videlicet per quinque corporis ſenſus, ſcilicet viſum, guſtum, odoratum, & tactum, ſagittis ſuis me vulnerat, & mors intrat per feneſtras meas in animam meam. Reſpicit oculus, & mentis ſenſum avertit, audit auris, & intentionem cordis inflectit. Odoratus cogitationem impedit. Os loquitur, & fallit. Per tactum ardor libidinis pro aliqua parva occaſione excitatur, & niſi illico reſpuatur, ſubito totum corpus occupat, urit & incendit.* Ne ſenſus adeo periculoſi, animam Bernardi contaminarent, illos continue reprimebat: ita oculorum cuſtodiæ invigilabat, ut tota die ſecus lacum ambulaverit, neque ullum conſpexerit: integro anno in cella habitaverit, neſciens an tectum eſſet ligneum vel lapideum; an in dormitorio eſſent feneſtræ nec ne. Neque minori vigilantia cuſtodiebat aures, ſepiens illas ſpinis adverſus pravos ſermones, fugienſque hominum colloquia, ut facilius Deum loquentem & in ſe habitantem audiret. *Utinam nullus hominum eſſet mecum exterius, ut familiarius loqui poſſem interius. Ipſe enim & ſecretum quærit & ſolitarium locum dirigit. Fugiam ergo hominum ſolatia & colloquia, ut in ſecreto cordis mei Deum habitatorem habere poſſim.* Guſtus quoque periculoſus, vel delicias in cibis, vel nimietatem deſiderans: *Corpus perimere non licet, ſuſtentare cogor: & cum illud impinguo, hoſtem meum adverſus me nutrio. Si enim ſatis comedero, & id robuſtum fuerit, ſanitas & fortitudo ejus mihi adverſantur.* Ut autem oculorum & aurium, ita & gulæ generoſus domitor Bernardus dicens cum D. Auguſtino: *Nunc autem ſuavis & mihi neceſſitas, & adverſus illam ſuavitatem pugno, ut non capiar; & quotidianum bellum gero in jejuniis.* Tantum abeſt ut guſtus quæreret delicias & ſuavitates, quin imo ut in ejus vita refertur, [quoties ſumendus erat cibus, toties ſubire tormentum videbatur:] ita omnem guſtum & ſaporem amiſerat, ut crudum ſagimen per errorem ſibi oblatum, pro butyro manducaverit; & oleum pro aqua biberit. Linguam ſuam frænavit Bernardus, ponebatque oſtium circunſtantiæ labiis ſuis, non ignorans *quantum auferat devotionis, quantum afferat diſſolutionis intrinſecus frequens linguæ reſolutio* ideo os janua ſilentii claudebat. Quia vero tactus reſidet in carne corruptione naturæ depravata, *utpote de peccato nata, & in peccato nutrita, vitiis corrupta ab ipſa origine, ſed multo amplius vitiata prava conſuetudine;* Bernardus adverſus domeſticum hoſtem totis animæ viribus decertans, illum jejuniis & vigiliis continuis extenuabat, inflictis gravibus pœnis ſic obruebat, ut prope deficeret: & corpus animæ ſocium ſed jumen-

Tert. l. de Bapt. 20

De Cogn. hum. cord 12

Tract. de Inter. Dõ. c. 37

D. Bern. de Cogn. hom. cord c 12

Lib. 10. Conf. 31

D. Bern. Tract de Paſſ dom. c 27

D. Bern. de Cogn. hum. cord. c. 13

tum, omni auſteritate macerabat. 4. Bernardus pœnitentiæ indeſinenter vacabat, non tam ut crimina expiaret, cum de ſanctitate & magna eſſet de perfectione commendatus; ſed ut in virtute proficeret. Ex Abbate namque Guilhelmo *ut ſemper ſplendidior eſſet & purior, quotidie in fornace probabatur, & crebris malleorum ictibus in incude tundebatur, non ad pœnam pro crimine, ſed ad gloriam pro virtute.* 5. Ut per mortificationem & pœnitentiæ auſteritatem fieret Chriſto conformis: *Fructus noſter eſt paſſio Chriſti, cui debemus configurari, mortificationem ejus circunferentes in carne noſtra mortali.* Tandem 6. ut ſibi per afflictationem moriens, carni, mundo, & diabolo, in ipſo viveret Chriſtus. Ut enim animadvertit Magnus Gregorius expendens iſtud Davidicum: [Dominus mortificat, & vivificat:] *In his verbis etiam ordo ſervandus eſt: prius quippe mortificare dicitur, deinde vivificare; quia niſi ſæculo morimur, Deo per amorem vivere non valemus.* Quod probe ſciens Bernardus, Chriſtum in meditatione ſic alloquebatur: *Hoc mihi tecum pactum erit, plane moriar mihi ipſi, ut tu ſolus in me vivas:* His rationibus inductus eſt ad pœnitentiam Bernardus ad inſtar columbæ, quæ gemitum pro cantu reddit, *nidificans in foraminibus petræ.*

Lib. 2. Vit. D. Bern.
D. Bern. Ser. in id Sapientia vincit malitiam.
D. Bern. Ser. 45. in Cant.

3. *Qui volaticam ſpectat* ex avium vultu quæ ſunt ventura declarat: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Recte *ſicut columbæ*; ſunt namque corvi, ſed inter cadavera paſcentes, id eſt libidinoſi & guloſi, quibus ad cadavera impuri amoris pennæ: hos odit & averſatur Bernardus lilio virginitatis dealbatus. Sunt milvi, in prædam avidi ac præcipites, id eſt avari terrenorum cupidi, hos fugit Bernardus terrenis renuntians facultatibus: Sunt ſtruthiones, hoc eſt in alios efferi atque crudeles, & hos deteſtatur Bernardus mira mititate & manſuetudine præditus. Sunt & aquilæ, ponentes inter ſidera nidum, id eſt elati, ac ſuperbi, & ab his abit quam citiſſime Bernardus humilitatis ſtudioſus: utque habeat pennas è cœlo expoſtulat, ſed pennas columbæ caſtas, liberales, mites, humiles: Ex D. autem Bonaventura *volatus Sanctorum perficitur quatuor pennis; ſcilicet dilectionis, cognitionis, devotionis, & orationis:* His terram, & terrena deſerunt, & in cœlum & cœleſtia feruntur. Et quidem primo penna *dilectionis*, ſeu puri in Deum amoris: quod innuit Poëta non ignobilis perpulchro emblemate cœleſtem ac terrenum amorem depingens; nimirum ſub ſpecie adoleſcentis in aëra ſublati affixis ad humeros duabus alis, adjectaque hac Epigraphe, *his attollor*, appenſo ad pedes ingenti pondere & plumbi maſſa cum hoc lemmate, *his deprimor.* Alæ, quæ in æthera tollunt, cœleſtem repræſentant amorem, qui in Deum fertur, ingens pondus, & plumbi maſſa terrenum exprimunt amorem, qui ad ima trahit & terrena, quæ ſunt *retinacula ſpei noſtræ*, ait Tertullianus, ſeu *onera*, ut vult D. Ambroſius, *gravemque ſarcinam*, ut belle animadvertit Theophylactus. Altera penna eſt *cognitionis* non ſpeculativæ & frigidæ, ſed practicæ & fervidæ, quæ eſt ſequela divini amoris. Unde D. Bernardus expendens iſtud Davidicum: Accedite ad eum & illuminamini, ait:

Tert. 1. de Pall. 5
Pſal. 54
Ser. de SS. Simon. & Jud.
Lib. 2. de Cult. fœm 13
Lib. 1. Epiſt. 89

ait: *Accedite ad eum gradibus charitatis, & illuminamini.* Tertia penna eſt *devotionis*, ex qua naſcitur fervor quo anima Dei amore ſufflammata ad eum ſubtollitur. Ut enim Dei amor mentem, Dei cognitione illuminat: ita mens illuminata voluntatem ſufflammat. Nam ut docet D.Bernardus: *Gratia contemplationis cor ab omni mundano amore non ſolum emundat, ſed ſanctificat, & animum ad cœleſtem amorem inflammat*: Fervidum illum devotionis amorem denotatum vult Bernardus per duas alas quibus volabant Seraphin: poſtquam enim dixit: *Quo volant Seraphin, niſi in eum cujus ardent amore?* mox de alis quibus volant ſubjungit: *Ego opinor non incongrue pennas iſtas agnitionem & devotionem intelligi poſſe, quibus in eum qui ſupra ipſos eſt Seraphin rapiuntur: levat quidem cognitionis ala, ſed ſola non ſufficit. Ruit citius qui una tantum modo ala volare contendit: & quo magis attollitur, pejus colliditur. Vbi vero intelligentiam charitas, agnitionem devotio comitatur, volat ſecure quiſquis ejuſmodi eſt.* Quarta tandem penna eſt *orationis* quæ ex D.Bernardo in ſublime elevat jejunium; *Sunt jejunio noſtro, ut cœlos penetret ala duæ, orationis ſcilicet atque juſtitia.*

Tract. de Paſſ. Dom 27

Tract. de Inter. Dō. c.41

Serm. 5. de Verb. Eſa.

Serm 4 de Orat. & Jejun.

Chriſtus venit mittere ignem in terram, 1. Ut ex hominibus efficiat Seraphinos, quod Lucifero exprobrat Bernardus: *Ad contumeliam tuam, ô ſuperbe, qui creatus inter Angelos ſtare non meruiſti, ecce rex noſter novos in terris Angelos fabricaturus advenit: atque ut tabeſcas amplius, & livore proprio torquearis, non qualeſcunque, neque inferioris alicujus ordinis Angelos, ſed Seraphin. Audi enim quid* ipſe loquatur: Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur. *Vult ergo Seraphim fabricare, ut ibi ſtent, unde tu corruiſti.* Fabricatus eſt autem Bernardus & charitatis igne in Seraphin immutatus. Nam ut ipſemet docet, *Seraphim quippe ardens vel incendens interpretatur:* quia ex Magno Alberto [proprium eſt Seraphim, magno amore Dei ardere, & alios ad incendium divini amoris promovere.] Ex ipſo nomine Bernardi evidenter apparet quam merito Seraphin titulo honoretur. Nam ut in ſepulchro ejus legitur: *Ardens Bernardus, aut Nardus jure vocatur.* Bernardus *ardens* utpote magno Dei amore ſuccenſus, Bernardus *Nardus* alios ad Dei amorem incendens. Ex Ruello *Nardi vis eſt calefactiva:* Bernardus de divino amore loquens, adeo audientium corda calefaciebat, divinique amoris igne ſufflammabat, ut quotquot illum audiebant ſpreto & relicto mundo ad Monaſteria ſe reciperent. Quamobrem [illo publice & privatim prædicante, matres filios abſcondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant, quia voci ejus Spiritus ſanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquem aliquis teneret affectus.] Alas habent Seraphim quibus volant: *Volavit ad me unus de Seraphim.* Alas habet Bernardus, ſed alas dilectionis, agnitionis, devotionis, & contemplationis. 1. Dilectionis: *Ala ejus, alæ ignis atque flammarum.* 2. Agnitionis: Seraphim Deum agnoſcunt, quia illum amant: agnitio ex charitate procedit. Et *quia conſideratur in igne charitas, hujuſmodi Angeli habent inextinguibilem lucem.* Bernardus in ſchola divini

Serm. 3. de Verb. Eſa.

Luc. 12

Ibid.

Compend Theolog. l. 2 c. 14

Lib. 2. c. 6. p. 2

Guilhel. l. 1 Vit. Bern. c. 3

Iſa 6

Septuag. in c. 8. Cāt

D. Thom. 1. p q. 108 art. 5

qui in latere bibit Salvatoris, & hauſit lucem qua tanquam ſtella matutina in medio nebulæ mundum illuſtrat.

Eſt *alia claritas ſolis, alia lunæ, alia ſtellarum.* His verbis Tertullianus Apoſtolum imitatus diſcriminat Sanctorum in cœlo regnantium gloriam, Nam ſicut major eſt claritas ſolis, quam lunæ, quam ſtellarum: ita ex cœleſtibus civibus nonnulli fulgent ſicut ſol, quidam velut luna ſplendent, alii tanquam ſtellæ coruſcant. Bernardus in cœlo velut ſtella ſolis æmula, lucet, lucebitque in omne ævum, juxta iſtud Danielis: *Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtella in perpetuas æternitates.* Ita viſus eſt lucere Bernardus vel à primo aditæ beatitudinis limine: eo quippe momento quo terris vivere deſiit, & cœlo cœpit, Canonicus Regularis, illius olim diſcipulus, etſi loco remotiſſimus in exceſſu mentis, primum ſpectavit longa ſerie Monachorum proceſſionem, ad tumultum exanime deferentium corpus; deinde & ſtellam inuſitati ſplendoris, & ad inſtar ſolis, quæ è terra ſublimis in cœlos ferebatur: Tandem inaudivit, eo ſtellæ prodigio deſignari Bernardum, quia ad inſtar ſtellæ lucidiſſimæ fulgebit in omnem æternitatem, eo quod tanquam ſtella ſplendidiſſima illuſtravit mundum: 1. fulgidæ prolis propagatione: 2. ſplendidæ doctrinæ prædicatione: 3. lucida miraculorum & virtutum operatione. II. PARS. Tert. l. de Car. Chr. 49 Cap. 12 Henriq. d. 4. c. 46

1. Stellæ ſunt in duplici differentia. Quædam purè materiales, aliæ merè ſpiritales, tertiæ mixtæ, partim materiales, partim ſpiritales Primæ, ſunt ſidera in cœlo, præſertim de nocte micantia: de quibus loquitur Tertullianus nuncupans Aſtrologos, *Stellarum interpretes.* Secundæ, ſunt Angeli, quo ſenſu dilectus diſcipulus aſſeverat draconem traxiſſe ſecum tertiam partem ſtellarum. Tertiæ, ſunt homines doctrina & ſanctitate coruſcantes, quomodo Benedictus undecimus Bernardum nuncupat *ſtellam matutinam in medio nebulæ*: univerſo ſcilicet orbi perlucentem; nebulas tum ignorantiæ, tum peccatorum, diſſipantem; ſolemque juſtitiæ Chriſtum in animas inducentem. Non ſolum per ſe, ſed adhuc per Cluniacenſes quos reformavit, per Ciſtercienſes, quos ſuo exemplo ad devotionem ſufflammavit; per Claravallenſes quos velut ſtellas lucentes generavit. *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate*, quam religioni, cœlo, & Deo parturivit Bernardus, qui mundum relinquentes, ſtatum regularem ſuſcipiens. ſecum triginta ſocios adduxit, deinde *Galdricum* avunculum; fratres quatuor, ſororem unicam, eamque conjugatam, & mundo deditam, patrem quoque Teſſelinum religioni generavit. Deinde tot homines utriuſque ſexus ad mundi contemptum & religionis ſtudium ſtimulavit, ut quemadmodum in ejus vita legitur: adhuc vivens (amplius quam centum ſexaginta Monaſteriorum pater) extiterit. Deinde etiam ejus filii multiplicati ſunt ſicut ſtellæ cœli, quæ ut numero prope ſunt innumerabiles, ſic & luce nitoreque ſpectabiles. Quod in viſione Bernardo demonſtratum aſſeverat Guilhelmus Abbas ejus diſcipulus. [Contigit Apol. 8 In Bull. Sap. 4 Lib. 3. c. 2

Lib. I. Vit. tigit ut aliquando tempore ſolito ſurgeret ad vigilias. Quibus peractis cum
D.Bern.5. uſque ad matutinas laudes aliquando longius ſupereſſet noctis intervallum,
egreſſus foras,& loca vicina circumiens, orabat Deum ut acceptum haberet
obſequium ſuum & fratrum ſuorum: ſubito ſtans in ipſa ratione modice in-
terclusis oculis, vidit undique ex vicinis montibus tantam diverſi habitus &
diverſæ conditionis hominum multitudinem, in inferiorem vallem deſcen-
dere, ut vallis ipſa capere non poſſet.] Viſioni reſpondit eventus, nam ut
Cap. 13 præfatus Authòr ſubjungit: [Jam domus Ordinis illius, filiæ domus ipſius,
citra & ultra Alpes,& maria,deſerta plurima impleverunt, & adhuc ſunt,&
quotidie confluunt, quibus locus quærendus eſt. Et petuntur undique Fratres
& mittuntur, cum beatos ſe æſtiment Reges Gentium, & præſules Eccleſia-
rum, civitates & regiones, quæcunque de domo illa & diſciplina viri Dei
meruerunt contubernium aliquod adipiſci. Quid dico? Ultra homines
uſque ad barbaras nationes in quibus naturalis feritas naturam quodam-
modo exuit humanam religio hæc profecta eſt, ubi per eam beſtiæ ſilvæ ho-
mines fiunt, & cum hominibus aſſuetæ converſari,diſcunt cantare Domino
Hiſt. Oc- canticum novum.] Cardinalis de Vitriaco attente conſiderans quam ſit nu-
cid, c.14 meroſa Claravallenſis congregatio, à Bernardo fundata,& Ciſtercienſis quæ
eſt ejus mater,in qua in omni pietate educatus fuit; appellat illam *Vineam ele-
ctam*, palmites ſuos longe lateque per mundum prope univerſum extenden-
In Bull. tem. Eandem Clemens quartus dixit: (Fontem amœnum varietate virtu-
tum, præclarum munditiæ puritate, pietate patentem, indeficientem ſancti-
tate, qui ſic excreſcere meruit ut fontis nomen excedens, fluvius cenſeatur]
qui terram irriget univerſam. Adeo eſt numeroſa ſancta illa Congregatio,
ad quam convenerunt ex omnibus fere univerſi orbis partibus, homines qui
fuerunt virtute clariſſimi, ſanctitate conſpicui, & quidem in tanto numero:
ut etiam decreto Capituli generalis, cautum ſit: ac ſevere inhibitum, ne quis
cujuſquam promoveret canonizationem, *Ne multitudine Sancti vileſcerent*
Tract. de *in Ordine.* Innumeram illam Sanctorum multitudinem haud dubio credet
D. Bern. quicunque ſerio cogitaverit in uno Claravallenſi Monaſterio fuiſſe nongen-
Ciſt.Fund. tos ſanctitate illuſtres. Qui ſcire deſideraverit Sanctos illius Ordinis quos
Gallia, Hiſpania, Hibernia, Germania, aliaque regna cœlo dederunt, videat
Lobettium.

Quod ſi Philippenſes quos fidei Chriſtianæ pepererat Apoſtolus, ſunt ejus
Philip. 4 *corona*, nonne corona ſunt Bernardi tot homines cujuſvis conditionis & ſe-
Prov. 17 xus per ipſum ad religionem vocati: & ſi ut vult Sapiens, *corona ſenum, filij
filiorum*: quot à tempore Bernardi extiterunt Ciſtercienſes & Claravallen-
Apocal. 12 ſes, componunt ejus coronam? Ex Evangeliſta Joanne ſignum magnum
apparuit in cœlo, mulier ſcilicet habens in ſuo capite coronam ſtellarum duo-
decim; ſed longe majus ſignum eſt Bernardus habens coronam in capite tot
ſtellis compoſitam, quot ſunt ejus filii,& filii filiorum, quot ſunt animæ quas

acquiſivit cœlo, ſua converſatione, & lucidæ doctrinæ prædicatione.

2. *Habes noctem luce Chriſti luminoſa, adverſus eam.* Loquitur Tertullianus de idololatria tanquam de nocte, in qua ambulabant homines ignorantiæ & erroris involuti tenebris. Tenebroſam illam infidelitatis noctem luminoſa ſua luce diſſipavit Chriſtus, cœleſtem docens doctrinam, veritatem prædicans, religionem veram inſtituens, Apoſtolos ad prædicandum ubique Evangelium mittens; viros Apoſtolicos eligens qui tanquam filii lucis doctrinæ ſplendore mundum illuſtrarent, & prædicatione ſua, veritatis notitiam ingenerarent: *Nam & lucere in mundo, Chriſtianos oportebat, ut filios lucis, lumen mundi, unum Deum Dominum colentes, & nominantes.* Si quis umquam Apoſtolicum illud adimplevit munus, maxime Bernardus, qui [quaſi ſtella matutina, Monachicum Ordinem illuſtrat, & ſanctitate, doctrina, & miraculis docet. [Bernardus [vita & moribus venerabilis, Religionis ordine conſpicuus, ſapientia litterarumque ſcientia præditus, ſignis & miraculis clarus.] Bernardus, qui [ſingularis gratiæ prærogativa ſuffultus, non ſolum in ſeipſo ſanctitate ac religione præfulſit, ſed etiam in univerſa Eccleſia Dei fidei & doctrinæ lumine radiavit. Bernardus & [ipſe eloquentiſſimus, & Spiritu ſapientiæ plenus, & ſanctitate præclarus.] Bernardus [vitæ ſanctimonia, & præclara eruditione præſtantiſſimus.] Bernardus [vir plane Apoſtolicus, & non minus gloria miraculorum, quam ſapientiæ ſplendore illuſtris.] Bernardus *ille interpres Spiritus ſancti*. Bernardus, qui [omnes Eccleſiæ Doctores vincit.] Bernardus, qui [exactiori judicio excellebat, omnes ſuæ ætatis viros.] Bernardus qui in libris de Conſideratione [ita loquitur, ut veritas ipſa loqui videatur.] Bernardus [melle ac lacte dulcior, ipſamque pietatem ſpirans] Etenim [quis ſuavius Bernardo ſcribit, cujus ego meditationes, rivum paradiſi, ambroſiam animarum, pabulum angelicum, medullam pietatis vocare ſoleo?] Bernardus, quem Calvinus nuncupat [pium & ſanctum ſcriptorem:] quem Martinus Bucerus (virum Dei) nominat: quem Helinandus & ipſe Catholicus, & celeberrimus Hiſtoriographus exiſtimat [ſapientiorem Apolline, eloquentiorem Demoſthene, ſubtiliorem Ariſtotele, moderatiorem Socrate, diſcretiorem Platone.]

At merito de doctrina & eloquentia, tum à Catholicis, tum ab Hæreticis authoribus, prædicatur Bernardus; 1. ad Apoſtolicum munus ſuperne vocatus: 2. cœleſti doctrina illuſtratus: 3. Scripturæ ſacræ intelligentia donatus: 4. mira ſermonis ſuavitate & efficacia commendatus. 1. Non immerito prædicatur à Baronio Bernardus [vir vere Apoſtolicus, imo verus Apoſtolus miſſus à Deo, potens opere & ſermone; illuſtrans ubique & in omnibus ſuum Apoſtolatum ſequentibus ſignis: ut plane nihil minus habuerit à magnis Apoſtolis.] Baronio ſuffragans Otho Friſingenſis Epiſcopus addit: [Tantam authoritatem prædicandi decreto Pontificis, juxta votum principum Bernardo, utpote, qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos, ut Propheta vel Apoſtolus habebatur commiſſam;] imo ab ipſomet Chriſto

Lib. de Fug in Perſ. 14

Tertull. lib. adv. Prax. 13

Anat Silv

Orth Friſing. Epiſc

Alex. 3

D. Bonav.

Sixt. Sent

Bellarm.

Guerr. Serm. 3. in Nat. Pet. & Paul.

Luther in Colloq. Conviv. c. de Patrib. Eccleſ.

Oecoláp.

Calvin. l. 4 Inſt. c. 11 §. 10 Neander.

Daniel.

Heuſius.

Lib. 4. Inſt c. 10 §. 17

L: de Cōcord. & Juſtif.

L. de Repar. Lapſ. c 8

An. 1153.

Lib. 1. de Geſtis Frider. c. 34

demandatam. Cùm enim anxius hæreret Bernardus, utrum ſilentio & contemplationi, vel prædicationi, & ſaluti animarum vacandum illi eſſet, con-
Guillel. l. 2 Vit. Bern. c. 6 templationemque prædicationi præferendam duceret: [Vidit in viſu noctis puerum, claritate quadam divina adſtantem ſibi, & magna authoritate præcipientem fiducialiter loqui quidquid ei ſuggereretur in apertione oris ſui: quoniam non ipſe eſſet qui loqueretur, ſed Spiritus qui loqueretur in eo:] Eodem modo Chriſtus ad prædicandum mittit Bernardum, quo miſerat
Matth. 10 Apoſtolos. *Nolite cogitare quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Bernardus quodammodo in vocatione & miſſione Apoſtolis æquandus; 2. doctrinam ſuperne acceptam protulit: quam non in Acade-
Guillel. l. 1 c. 4 miis ſed in ſilvis meditationi vacando ſe fatetur accepiſſe. [Nam uſque hodie, quidquid in Scripturis valet, quidquid in eis ſpiritualiter ſentit, maxime in ſilvis & in agris meditando & orando ſe confitetur accepiſſe, & in hoc nullos aliquando ſe magiſtros habuiſſe, niſi quercus & fagos, joco illo ſuo gratioſo inter amicos dicere ſolet.] Verum etſi litteris humanis imbutus non fuerit Bernardus, cœleſti tamen illuſtratus eſt ſapientia; quam ab ipſomet Chriſto, Spiritu ſancto & Deipara didicit. Moyſem in deſerto eruditum à Deo affeve-
In Vit. Moyſ. rat Philo Judæus: *Promicabat forma quadam pulcherrima nulli viſibili ſimilis, divinum ſimulachrum luce fulgens clariſſima, ut ſuſpicari poſſes Dei eſſe imaginem.* Nonne ſuſpicari poteſt eſſe ipſum Chriſtum in ſplendoris claritate Bernardo apparentem, eumque 3. de Scriptura ejuſque intelligentia docentem?
Lib. 3. Vit. D. Bern. 3 [Sic ab infantia ſacras litteras imbibit, & per omnem ætatem memoria reti-
Sixt. Senēſ nuit, ut quoties aut aliquid ſcribere, aut loqui tentaret, toties in verba ac ſen-
Lib 4. Catal. ſcript. Eccleſ. tentias ſanctarum Scripturarum prorumpere cogeretur: Unde & univerſa ſcripta ejus, quæ nihil aliud quam Centones divinorum voluminum dici queunt, undecunque veteris ac novi Teſtamenti ſententiis diſtincta ſunt, ceu gemmeis emblematibus, hiſque adeo commode & apte inſertis; ut ibi nata eſſe credantur.] Hac de cauſa Michael Neander illum præponit Hieronymo etſi omni litteratura doctiſſimo. [Plus ſpiritus vitæ doctrinæ & fidei in paucis aliquot paginis D. Bernardus reperitur, qui Philoſophiam non attigit, ſola Scriptura contentus, quam adeo familiarem ſibi fecerat, ut mera Scripturæ verba loqueretur, quam in toto Hieronymo, qui linguarum, artium, philoſophiæ, antiquæ ſapientiæ cognitione cunctis præſtabat] Nec mirum ſi Scripturam ſacram velut ſibi inviſceraverat, ejuſque intelligentiam perſpicue penetraverat, cum 2. fuerit etiam ab
Lib. 3. Vit. D. Bern. c. 3. Spiritu ſancto edoctus. [Utebatur ſane Scripturis tam libere commodeque, ut non tam loqui illas, quam præcedere crederetur: dicere
Job. 28 ipſe quo vellet, auctorem earum ducem Spiritum ſequens: Quem nimirum ut in medio Eccleſiæ aperiret os ejus, ſicut impleverat Deus ſpiritu ſapientiæ & intellectus, ut profunda quoque fluviorum ſcrutaretur, & abſconditam proferret lucem. Nam & confeſſus eſt aliquando ſibi meditan-

meditanti & oranti, *ſacram ornatu velut ſub ſe poſitam, & expoſitam apparuiſ-* Sup Salv.
ſe Scripturam. 3. Maria, quæ ut fatur Bernardus, eſt *ſcientiarum ſcientia ſan-* Tert. l. de
ctarum, illum erudire dignata eſt, *ab uberum guſtu*, ſingulari privilegio, è ſtatua Pall. 4
ipſam repræſentante, in os Bernardi effundens lac virgineum. Summo ardo-
re deſideravit ſponſa Christum habere in fratrem, ejuſque matris ſacra ſugere
ubera: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ?* Quod ſpon- Cant. 8
ſa habuit in votis, hoc reipſa conceſſum eſt Bernardo, qui & Chriſti effectus
eſt frater, & Virginis paſtus lacte, omni vino, omni nectare, omni ambroſiâ L. 3. Vit.
dulciore: quo potatus ſuaviſſimos 4. ex ore ſuo, ſed ignitos eructat ſermones. D. Bern.
[Quàm verò placabilem & perſuaſibilem, quàmque eruditam linguam de- c. 3
derit ei Deus, ut ſciret quando deberet proferre ſermones, quibus videlicet
conſolatio vel obſecratio, quibus exhortatio congrueret vel increpatio, noſſe
poterunt aliquatenus qui ipſius legerint ſcripta, etſi longè minus ab eis qui
verba ejus ſæpius audierunt; ſiquidem diffuſa erat gratia in labiis ejus; &
ignitum eloquium ejus vehementer, ut non poſſet ne ipſius quidem ſtylus li-
cèt eximius, totam illam dulcedinem, totum retinere fervorem. Mel & lac
ſub lingua ejus, & nihilominus in ore ejus ignea lex; cujus rei certa probatio
tunſio pectorum erat, & effuſio lacrymarum.] In hujus fidem teſtes advo-
cat adſtantes Abbas Gaufridius. [Quemadmodum autem vel magis, vel Ser. 1. in
ſupra modum & amando arſerit, & alios loquendo accenderit, vos potiſſi- Anniverſ.
mum meminiſtis, qui ſæpius experiendo probâſtis, ut vobiſcum (ni fallor) Bern.
tacitâ cogitatione dicatis: *Nonne cor noſtrum ardens erat, dum loqueretur nobis?*
Quot es ex hoc auditorio, & qui tepidus forſitan introivit, non mediocriter
inflammatus exivit?] In concionando cunctas perfecti Oratoris partes de-
monſtrabat Bernardus, inſtruens, delectans, increpans, & movens.] Inde eſt L. 1 Vit.
quòd plenus ſpiritu, quo omnis ſacra Scriptura divinitùs eſt inſpirata, tam D. Bern.
confidenter & utiliter eâ uſque hodie utitur ad docendum, ad arguendum, ad c. 4
corripiendum. Et dum prædicat verbum Dei, quidquid de ea affert in me- 1. Tim. 3
dium, ſic patens & placens efficit, ut circa id, unde agitur, efficax ad moven-
dum, ut mirentur omnes tam ſeculari, quàm ſpirituali præditi doctrinâ, in
verbis gratiæ quæ procedunt de ore ejus.]

3. Multum illuſtravit orbem Bernardus ſplendidâ & ſuavi verbi Dei præ-
dicatione, ſed magis adhuc fulgidâ virtutum & miraculorum operatione.
Hæ ſunt quæ nos luminaria mundi faciunt, bona ſcilicet noſtra. Ordinem Ci- Tert. l. 2. de
ſtercienſem lucernam ſuper montem poſitam vocitat Stephanus Epiſcopus cult fœ. 13
Tornacenſis, qui valles tum luce doctrinæ, tum exempli ſplendore illuſtrat. Epiſt. ad
Sed potiori jure poſſumus nuncupare Bernardum *ſtellam Chriſti*, ſed ſtel- Robert.
lam virtutum ſplendore venuſtam. *Verus ornatus Chriſtiani, mores boni:* Pôtiniac.
ex his anima tanquam pretioſis ornatur veſtibus, virtutibus decoratur. Tert. l. de
Bernardus bonis coruſcat moribus, quibus dignoſcitur non ſecus ac è Idol. 9
pallio Philoſophus: *Etſi eloquium quieſcat, habitus ſonat; auditur Phi-* D. Aug. ep. 73
loſophus, dum videtur. Auditur, dum videtur Bernardus, *perfectionis exem-* Tert. l. de Pall. 6

L.3.Vit. *plar virtutis forma, ſpeculum ſanctitatis.* Et ut aliorſum ait idem Gaufridus:
D.Bern.c. [Serenus vultu, modeſtus habitu, circumſpectus in verbis, in opere timora-
2. tus, in ſacra meditatione aſſiduus, in oratione devotus: magnanimus in
L.3.c.1 fide, longanimus in ſpe, profuſus in charitate, ſummus in humilitate,
præcipuus in pietate; in conſiliis providus, in negotiis efficax, nun-
quam tamen minus quàm in otio otioſus; jucundus inter opprobria, in-
ter obſequia verecundus, ſuavis moribus, meritis ſanctus, miraculis
glorioſus.] Plures Bernardi recenſet virtutes, ſed non omnes, quæ unâ
concione referri nequeunt, grande volumen ad ſuî enarrationem deſiderantes.

Tert. l. de Jejun. 16 Quare conſideremus modò in patrandis miraculis ſplendeſcentis *ſtellæ
auctoritatem.* Circa miracula à Bernardo edita tria duntaxat ſunt animad-
Tom. 2 vertenda, 1. ut bellè adnotavit Cardinalis Bellarminus: *Bernardus pluribus*
Controv. *miraculis claruit, quàm ullus Sanctorum, quorum vitæ ſcriptæ extant.* Tot tan-
L.4.c.14 tàque in omni genere etiam vivens operatus eſt miracula, ut velle ea dinu-
merare eſſet ad impoſſibile niti. 2. Bernardus nulla ex parte infirmorum
requiſitâ diſpoſitione eos ſanabat, tantam illi Deus in faciendis miraculis
contulerat poteſtatem. Chriſtus Dominus exigebat ab ægrotis fidem, ut eis
Marc.6 valeret ſanitatem conferre; unde cùm veniſſet Nazareth, *non poterat ibi face-
re virtutem ullam, propter incredulitatem eorum*: at quaſi Bernardus effectus à
Deo, Chriſto potentior, ægrotos ad ſanitatem reducebat abſque prærequiſi-
L.3.Vit. ta eorum fide. [Eſt locus in Aquitania, cui *Sarlatum* nomen eſt, ubi ſermo-
D.Bern c. ne completo, plurimos ad benedicendum panes, ſicut ubique fiebat, Dei fa-
6. mulo offerebant. Quos ille elevatâ manu, & ſigno crucis edito in Dei no-
mine benedicens: In hoc, inquit, ſcietis vera eſſe quæ à nobis, falſa quæ ab
hæreticis ſuadentur, ſi infirmi veſtri guſtatis panibus iſtis adepti fuerint ſoſpi-
tatem. Timens autem venerabilis Epiſcopus Carnotenſium Magnus ille
Gaufridus; (ſiquidem præſens erat, & proximus viro Dei.) Si bonâ, inquit,
fide ſumpſerint, ſanabuntur. Cui Pater ſanctus de Domini virtute nihil hæ-
ſitans: Non hoc ego dixerim, ait, ſed verè qui guſtaverint, ſanabuntur: ut
proindè veros nos & veraces Dei nuntios eſſe cognoſcant. Tam ingens mul-
titudo languentium guſtato eodem pane convaluit, ut per totam provinciam
verbum hoc divulgaretur.] 3. Quemadmodum in vita, ita & poſt mor-
tem clarebat Bernardus miraculis. Hinc ex omni propè orbe concurſus &
Principum, & populorum, & undique homines exciti miraculorum famâ
Henr. l. 4 c. 45 Ciſtercium concurrebant: non Monaſterium dixiſſes, ſed urbem populo-
ſam, ſed ſacratiores nundinas, ſed aulam ſanctam; adeò ad illud frequentes
erant peregrini. Quos ut videt, ut excipit Abbas, veritus ne ab illis populo-
rum undis & diſciplina religioſa, & ſilentii rigor, & ſolitudinis amor ali-
quod pateretur detrimentum: habito cum Abbatibus ſui Ordinis conſi-
lio, ad Bernardi ſepulchrum magno ſubmiſſionis & reverentis animi ſenſu
accedens, eidem in virtute ſanctæ obedientiæ inhibuit, ne ultrà à eo loci mi-

racu-

racula faceres. Ejuſmodi inhibitio videri poterat abhorrens à gratia miraculorum, à fide populorum, à communi religionis bono, imò & à beato ſtatu, quem poſſidebat in cœlis Sanctus. Verùm quantumvis fidei & venerationi contrarium videretur Abbatis præceptum, illud tamen admiſit Bernardus, eique ſeſe ſubmiſit. Ex quo quippe momento miracula ibi patrare deſiit, licèt aliis in locis plurima & maxima operaretur: & illa Bernardi obedientia ex ipſa etiam cœli aula præſtita, inter præcipua ejus miracula computanda eſt: poſt mortem clarere voluit obedientiâ, quam vivens adeò dilexerat, ut in ejus virtute de ſolitudine egrederetur ad ſuſtentandam Eccleſiam velut firmiſſima ejus columna.

Meritò *Petrus, Ioannes, & Iacobus exiſtimantur columnæ*, quia, ut fatur aliorſum Tertullianus: *in confeſſione ipſorum fundatur Eccleſia.* Neque ſolos Apoſtolos, ſed adhuc viros Apoſtolicos lubet nuncupare *columnas Apoſtolatûs*; quia ſcilicet ſuâ doctrinâ, zelo, & pietate ſuſtentant Eccleſiam. Unde cùm Antonius Hilarionem *Luciferum* appellâſſet, Hilarion Antonium *columnam* nuncupavit; eò quòd terrarum orbem velut ſuſtineret. Quo ſenſu S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus Ordinem Ciſtercienſem vocitat *magnam Eccleſiæ columnam*; quaſi eam fulciat non ſecus ac columna incumbentem ædificii molem. Præfatum Ordinem appellat adhuc Petrus Cluniacenſis *Lacteam fortemque columnam, cui innititur Monaſtici Ordinis ædificium.* Lacteam, ob virginitatis candorem, & ſanctimoniæ nitorem; fortem, ob inſignem in adverſis animi magnitudinem: Neque ſolùm Monaſtici ædificii fortis columna eſt Ordo Ciſtercienſis, ſed etiam totius ædificii Eccleſiæ, ut S. Mechtildi revelatum eſt. quæ ſcire deſiderans quodnam eſſet illud medium, quod in honorem D. Bernardi jam cœleſti, in Miſſa decantatur: *In medio Eccleſiæ aperuit os ejus*, audiit à Christo: *Medium ſanctæ Eccleſiæ eſt Ordo ſancti Bernardi ſuſtentans Eccleſiam velut columna, cui tota domus innititur.* Quòd ſi, ut docet Philoſophus, propter quod unumquodque tale, & illud magis tale; nonne Bernardus dicendus eſt Eccleſiæ columna, cùm propter ipſum Ciſtercienſis Ordo tali ac tanto encomio honoretur? Sanè Bernardo probè competit, quod de Hugone primùm procuratore magnæ Carthuſiæ, deinde Epiſcopo Lingonienſi, dicitur: *Pontificum baculus, Monachorum norma, ſcholarum conſultor, Regum malleus, Hugo fuit.* Nemo etenim dubitat Bernardum fuiſſe Monachorum normam, Regum malleum, Pontificum baculum, Eccleſiæ columnam: cujus propugnavit 1. unitatem, adverſus Schiſmaticos. 2. veritatem, adverſus Hæreticos. 3. auctoritatem, adverſus uſurpatores, & ſceleroſos Chriſtianos.

III. PARS

Tert. l. 4 adv. marc. 3.

Lib. 3 adv: marc. 21

Tert. l. 1 adv. marc. 20

Rolland. in Vita S. Anton. p. 2, tit. 15. c 23

Henriq. de Ord. Ciſt. l. 1. d. 1. c. 6

1. *Corpus ſumus de conſcientia Religionis, & diſciplinæ unitate.* Eccleſia eſt corpus, cujus membra ſunt fideles, caput verò viſibile eſt ſummus Pontifex Chriſti vicarius, Petri ſucceſſor, qui, ut fatur Bernardus: *Eſt plus quàm Moyſes hic. Moyſi commiſſa fuit una plebs Iſraelitica: iſti autem univerſa Eccleſia. Et plus eſt quàm Angelus hic. Cui enim Angelorum dixit aliquando Deus:* Quæcun-

Tert. Apol. 39

Serm. ad Clerum in Conc. Remenſ. congreg.

Matth. 16 cunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis. *Secundùm officium dico, non ſecundùm meritum, præter Deum non eſt ſimilis ei nec in cœlo, nec in terra.* Supremum ſummi Pontificis oſtentat D. Bernardus dignitatem, & auctoritatem. Dignitatem quidem, quia eſt ſuper omnes Præſules Eccleſiæ. *Vnuſquiſque veſtrûm contentus eſt naviculâ ſuâ, hoc eſt, Archiepiſcopatu ſuo, Abbatiâ ſuâ, Præpoſiturâ ſuâ : iſte autem miſit ſe in omnes Archiepiſcopatus, Abbatias, Præpoſituras* ; cujus evidens eſt teſtimonium appellatio ad ipſum, ut docet

L. 3. de Conſid. D. Bernardus Eugenium Papam alloquens : *Appellatur de toto mundo ad te, id*
Serm. ad Cler. *quidem in teſtimonium ſingularis primatûs tui.* Auctoritatem etiam, ex obedientia reddenda ei: *Cui obediendum eſt ab omnibus.* Itaque quilibet Chriſtia-
Gilbert. Ser 30 in Cant. nus Catholicus agnoſcens Pontificiam dignitatem & auctoritatem, *Accedat ad unitatem Eccleſiæ, ad unitatem capitis & corporis.* Qui autem pontificiam
Serm. ad Præl. in Concil. Gener. dedignatur authoritatem, *divinæ ordinationi reſiſtit.* Deinde vivit *ſine matre, ſine ſede*, ſcilicet ſine ſede Apoſtolica, ſine matre Eccleſia. Ut autem ſubjungit ex Evangeliſta Bernardus : *Qui Eccleſiam non audierit, publicanus & Hæreticus judicatur.* Tandem non eſt membrum unitum corpori Eccleſiæ. Ex
Tert. l. de Præſc. Hær. 24 Bernardo etenim : *Sed neque illud dubium, quòd nequeat illud membrum eſſe de corpore, quod noluerit eſſe ſub capite.* Qui autem non eſt unitus corpori Ec-
Matth. 12 cleſiæ, eſt ab illo diviſus. Profectò *qui non colligit cum Eccleſia, diſpergit, ſi-*
ibid. *gnanter ſatis ait* : Qui non colligit mecum, diſpergit : *Collectio namque unita-*
D. Bern. Ser. 30. in Cant. *tis rationem continet, ſicut diſperſio innuit ſeparationem.* Nihil autem niſi ſchiſma ab Eccleſiæ corpore & capite ſeparat ; quia, ut ratiocinatur D. Au-
Marc. 12 guſtinus : *Schiſma eſt recens congregationis ex aliqua ſententiarum diverſitate*
L. 2. cont. Creſco. c. 7. *diſſenſio. Neque enim ſchiſma fieri poteſt, niſi diverſum aliquid ſequantur, qui faciunt.*

Gilb. Ser. Quantum autem malum ſit ſchiſma, multimodâ ratione demonſtrat
37. in Cãt. D. Bernardus. 1. Quia *charitatis penetrat diſſolvere glutinum* ; nam ut do-
L. 1. de Bapt. c. 11 cet D. Auguſtinus : *Origo & pertinacia ſchiſmatis nulla alia eſt, niſi odiũ fratris, nulli ſchiſmata facerent, ſi fraterno odio non excæcarentur.* Quod Arii exemplo probat Bernardus : *Arius fraternitatis copulam in partes deduxit.* 2. Quia
D. Bern. ſchiſma Eccleſiæ ſcindit unitatem, ut ex Ario patet, qui *Eccleſiæ unitatem ſuâ*
ibid. *præſumptione diſtraxit partibus.* 3. Quia Eccleſiæ dividens unitatem, ad Chri-
Ep. 219 ſti mortem rurſus attentat : *Latus Domini glorioſi crudeliter confodit nolle Papam; dividit nempe Eccleſiam, pro qua illud eſt in cruce diviſum.* Unde de ſchiſmaticis ſui temporis ſic fatur : *Parant rurſus corpus Chriſti affigere cruci; rurſus fodere latus innoxium ; rurſus veſtimenta dividere, atque ipſum quod in ipſis eſt, tunicam inconſutilem (quàmvis fruſtra) dividere ſatagunt.* Tale ac tan-
L. 4. cont. Creſco. 26 tum eſt illud facinus, quod apud D. Auguſtinum: *Hunc modum ſchiſmatis Cy-*
L. 1. cont. ep. Parmen. 4 *prianus etiam idololatriæ comparavit* : & ipſemet Auguſtinus de ſacrilegio culpat, & majus omnium ſcelerum pronuntiat: *Sacrilegium ſchiſmatici omnia ſcelera ſupergreditur.* 4: Quia [nihil prodeſt obedientia Monaſti-
L. 4. cont. Creſcr. 21 ca, niſi ſit unitas Eccleſiaſtica.] Nam ut ait D. Auguſtinus : *Non poteſt eſſe*

Reli-

Religioſus in ſchiſmate conſiſtit tutus. 5. Lapſus ſchiſmaticorum : *Corruunt planè qui bibunt de erroris & ſchiſmatis puteo.* Nam, ut fatetur dubius Auguſtinus : [Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet ſchiſmaticum ſive hæreticum in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſanct. baptizatum, ſi Eccleſiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantaſcunque eleemoſynas fecerit, etſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſalvari. Omni enim homini, qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet unitatem, neque baptiſmus, neque eleemoſyna quantumlibet copioſa, neque mors pro Chriſti nomine ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem, quamdiu in eo vel hæretica, vel ſchiſmatica pravitas perſeverat, quæ ducit ad mortem.] Nam ut indubitatus ratiocinatur Auguſtinus : [Quemadmodum membrum ſi præſcidatur ab hominis vivi corpore, non poteſt tenere ſpiritum vitæ : ſic homo qui præciditur de Chriſti juſti corpore, nullo modo poteſt tenere ſpiritum juſtitiæ Dei, etiamſi figuram Dei membri teneat, quam ſumpſit in corpore.]

GilBert. Ser 37. in Cant.

L. de Fid. ad Pet. c. 39

Epiſt. 50 ad Boniſ.

6. Schiſmaticorum punitio, & Eccleſiæ devaſtatio : [Quantum malum ſchiſma in Eccleſia ſit, & quàm ſit deteſtandum, & omnimodè devitandum, evidenter quondam oſtendit famoſa, & horrenda mors virorum illorum, quos ob iſtiuſmodi peſtem terra deglutiens vivos tranſmiſit ad inferos. Oſtendit & illa perſecutio, quæ nuper adhuc poſt multam & multiformem Eccleſiæ vexationem, & vaſtationem, tandem Deo miſerante finem accepit rabies Leonina.

Loquitur de Core, Datan, & Abiron Num. 16

Epiſt. 219.

Loquitur de infauſta Petri Leonis morte, qui ſub nomine Anacleti pontificiam uſurpaverat fidem, & horrendo ſchiſmate vexaverat Eccleſiam. Honorio fato functo in ſucceſſoris electione non conſentientes Cardinales, ſanior pars elegit Innocentium, quem vita, fama, ætas ſcientia, & virtus ſummi Pontificatûs fecerant dignum : altera verò pars Petrum Leonis Eccleſiæ ambientem principatum, ad ſummum illum honorem ſublimavit : qui magnâ populi ſtipatus multitudine, quem pecuniâ ad ſuas partes adduxerat, de urbe Roma fugavit Innocentium, & Piſas cum Cardinalibus illi adhærentibus ſe conferre coëgit: ubi ſummo honore fuit receptus. Inde mittens nuntios in Gallias, qui diſſenſionis & ſchiſmatis à Petro facti ordinem Gallicanę intimarent Eccleſiæ, & hortarentur Epiſcopos, ut damnatâ parte ſchiſmaticâ ſubſcriberent unitati. Necdum verò ad plenum tenor operis innotuerat Epiſcopis, nec privatim quiſquam commodare præſumpſit conſenſum, donec collecto Stampis generali conventu, in communi decernerent quid reciperent, quid damnarent. Convocato igitur ad Stampas Concilio, Abbas Clarevallenſis Bernardus, ſpecialiter ab ipſo Rege, & præcipuis quibuſque Pontificibus accerſitus, non mediocriter pavidus & tremebundus advenit, periculum & pondus negotii non ignorans. Ubi verò ad locum ventum eſt celebrato prius jejunio, & precibus ad Deum fuſis, cùm de eodem verbo tractaturi Rex, & Epiſcopi cum Principibus conſedifſent, *unum omnium conſilium fuit, una ſententia, ut negotium Dei, Dei ſamulo imponeretur, & ex ore ejus tota can-*

L. 2. Vit. D. Bern. c. 1.

ta cauſa penderet. Quod ille timens licèt & tremens, monitis tamen virorum fidelium acquieſcens, ſuſcepit; & diligenter proſecutus electionis ordinem, electorum merita, vitam & famam prioris electi, aperuit os ſuum, & Spiritus ſanctus implevit illud. *Vnus ergo omnium ore locutus, ſuſcipiendum ab omnibus ſummum Pontificem Innocentium nominavit, & ratum eſſe omnes pariter acclamârunt. Et decantatis ex more laudibus Dei, obedientiam deinceps polliciti, electioni Innocentii omnes pariter ſubſcripſerunt.*

Neque duntaxat Bernardi negotio Innocentius agnitus eſt ſummus Pontifex à Rege Francorum, & Eccleſia Gallicana; ſed adhuc ab Henrico Anglorum Rege, quem non ſuaſit Bernardus niſi magno cum labore ab Epiſcopis Angliæ penitus diſſuaſum. Regi autem renitenti, & omnibus modis retractanti dixit Bernardus: Quid times? Times peccatum incurrere ſi Innocentio obedias? *Cogita quomodo de aliis peccatis tuis reſpondeas Deo, iſtud mihi relinque, in me ſit hoc peccatum.* Ad quod verbum perſuaſus Rex ille tam potens, maximo Epiſcoporum & procerum comitatu extra terram ſuam Domino Papæ occurrit uſque Carnutum. Multum laboraverat Bernardus in reducendo ad unitatem Eccleſiæ Henricum Angliæ regem, ſed abſque ulla comparatione magis ad vincendum Guillelmum Aquitaniæ Ducem, ſchiſmatis defenſorem, principem potentiſſimum, cujus imperio obtemperabat quidquid à collibus Iberorum uſque ad Ligerim complectitur oceanus: qui Bernardi rationibus ex parte convictus, reſpondit ſe in obedientiam Innocentii Papæ poſſe dare conſenſum; ſed in reſtitutionem Epiſcoporum, quos de ſedibus ſuis expulerat, nullâ ratione induci, quoniam implacabiliter eum offenderant; & juraverat ſe nullo tempore eorum pacem aliquando ſuſcepturum. Diu per internuntios protractus eſt ſermo, & dum viciſſim verbis ſe mutuo occupant, vir Dei efficaciora arma arripiens, ad altare ſanctum oblaturus & ſupplicaturus accedit. Intraverant Eccleſiam, quibus licebat divinis intereſſe myſteriis: Guillelmus tanquam excommunicatus ſuſtinebat pro foribus. Peractis igitur conſecrationibus, & pace datâ & diffuſa in populum, vir Dei jam non ſe agens ut hominem, corpus Domini ſuper patenam ponens, igneâ facie, & flammeis oculis, non ſupplicans, ſed minax foris egreditur, & verbis terribilibus aggreditur Ducem. Rogavimus te, inquit, & ſprevisti nos; ſupplicavit te in altero, quem jam tecum habuimus, conventu ſervorum Dei, ante te adunata multitudo, & contempſiſti. Ecce ad te proceſſit filius Virginis, qui eſt caput & Dominus Eccleſiæ, quam tu perſequeris. Adeſt judex tuus, in cujus nomine omne genu curvatur, cœleſtium, terreſtium, & infernorum. Adeſt vindex tuus, in cujus manu illa anima tua deveniet. Nunquid & ipſum ſpernes? nunquid & ipſum ſicut ſervos ejus contemnes? Lacrymabantur univerſi qui aderant, & orationibus intenti præſtolabantur exitum rei; & omnium ſuſpecta expectatio, neſcio quid divinum fieri cœlitùs expectabat. Videns Dux Abbatem in Spiritu vehementi procedentem, & ſacratiſſimum Domini corpus ferentem in manibus, expavit, & diriguit, membriſ-

L. 2 Vit. D. Bern. c. 6

briſque tremebundus metu diſſolutis, quaſi amens ſolo provolvitur. Elevatus à militibus rurſus in faciem ruit, nec quippiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, ſalivis in barbam diffluentibus, cum profundis efflans gemitibus; epilepticus videbatur. Tunc vir Dei ad eum propius accedens, & pede pulſans acclivem ſurgere jubet, & ſtare ſupra pedes, & Dei audire ſententiam. Præſens eſt, inquit, Pictavienſis Epiſcopus, quem ab Eccleſia ſua expuliſti, vade, & reconciliare ei, & in oſculo ſancto pacis cum eo jungito fœdera, & ipſe ad ſedem ſuam eum reducito: & ſatisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, & in univerſo principatu tuo diviſos & diſcordes ad charitatis revoca unitatem. Subdere Innocentio Papæ, & ſicut ei omnis obedit Eccleſia, tu quoque electo à Deo tanto pare Pontifici. Audiens hæc Dux, auctoritate Spiritûs ſancti, & ſanctorum Sacramentorum præſentiâ victus, nec audebat reſpondere, nec poterat; ſed ſtatim occurrit, & in pacis oſculo recepit Epiſcopum, & eâdem quâ eum abjuraverat manu, cum totius exultatione civitatis ad propriam ſedem reduxit.

Compoſitis in Gallia rebus, & Guillelmo ſchiſmaticorum defenſore ad Eccleſiæ unitatem reducto: Litteræ Apoſtolicæ virum Dei vocant, & ut ad ſit laboranti Eccleſiæ ſupplicant Cardinales. Innocentius intelligens ſibi infructuoſam Romæ eo tempore moram, Piſas rurſus revertitur, ibique congregatis totius Occidentis Epiſcopis, aliiſque religioſis viris, accerſito quoq; Bernardo, magnæ gloriæ Sinodus celebratur. Adfuit per omnia, & conſiliis, & judiciis, & definitionibus omnibus ſanctus Abbas, impendebaturque ei reverentia ab omnibus, & excubabant ante ejus limina Sacerdotes, non quòd faſtus, ſed multitudo communem prohiberet acceſſum: & aliis egredientibus alii introibant, ita ut videretur vir humilis, & nihil ſibi de his honoribus arrogans, non eſſe in parte ſolicitudinis, ſed in plenitudine poteſtatis. Soluto Concilio ad reconciliandos Mediolanenſes, Pontifex Bernardum, Guidonem Piſanum, & Matthæum Albanenſem Epiſcopum legatos à latere conſtituit, qui ſchiſma per Anſelmum Mediolani factum diluerent, & ad Eccleſiæ unitatem devios revocarent. Ubi audiêrunt Mediolanenſes deſideratum Abbatem ſuis finibus appropinquare, longè à civitate milliaribus ſeptem omnis populus obviat: nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quaſi de civitate migrarunt, proprios lares deſerunt, & diſtinctis agminibus incredibili reverentiâ virum Dei ſuſcipiunt, in civitatem ducunt, ubi cùm pertractatum eſſet in publico de negotio, propter quod tam vir Dei, quàm Cardinales advenerant, oblita fortitudinis ſuæ civitas, omni ferocitate depoſitâ, prorſus ſe Abbati ſubſtravit, & Innocentio obedientiam præſtitit.

L. 2. Vit. D. Bern. c. 7.
L. 2. c. 8.

Rogerius utriuſque Siciliæ rex Innocentio obedientiam detrectabat: à quo tamen poſtulat, ut ad ſe mittat Bernardum & Americum Cancellarium; à Petro quoque Leonis petit, ut Petrum Piſanum legatum à latere deleget, ut auditis utriuſque partis rationibus, cognitâque veritate aut corrigeret erro-

L. 2. Vit. D. Bern. c. 7.

rem, aut ſancire ſententiam. Mittebat autem in dolo, ſciens Petrum Piſanum eloquentiſſimum eſſe, & in legum & canonum ſcientia nulli ſecundum: putabatque ſi ejus eloquentiæ in publico conſiſtorio præberetur audientia, declamationibus rhetoricis ſimplicitatem Abbatis poſſe obrui, eique ſilentium vi verborum & rationum imponi. Ne diu morer, utraque pars venit Salernum, ubi Rogerius regio ornatu indutus, multiſque ſtipatus militibus præcipit utramque ad curiam accerſiri, & de cauſæ ſuæ rationibus eloqui. Prior Petrus Piſanus electionem Petri Leonis canonicam aſſerit, verbaque ſua multis legum & canonum aſſertionibus munit. At vir Dei non in ſermone, ſed in virtute regnum Dei eſſe intelligens: Scio, inquit, Petre, te virum ſapientem & litteratum eſſe, & utinam ſanior pars, & honeſtiora te occupâſſent negotia: utinam te patronum cauſa juſtior & felicior obtineret, & ſine dubio rationabilia allegantem nulla poſſet impedire facundia. Et nos quidem agreſtes, ſæpius ligonibus, quàm pragmaticis advocationibus aſſueti, ſi cauſa fidei non urgeret, inſtitutum ſilentium teneremus. Nunc autem cogit nos charitas eloqui, quia tunicam Domini, quam in tempore paſſionis nec Ethnicus præſumpſit ſcindere, nec Judæus, Petrus Leonis lacerat, & diſrumpit. Una eſt fides, unus Dominus, unum baptiſma, una arca tempore diluvii fuit: qui in arca extiterunt, ſalvi facti ſunt; quotquot extra arcam inventi ſunt, perierunt. Arca eſt figura Eccleſiæ: modò cùm ſint duæ arcæ, neceſſe eſt alteram eſſe adulteram, & in profundum demergendam. Si arca Petri Leonis eſt vera, arca Innocentii eſt demergenda, & cum illa peribit Oriens, Occidens, Germania, Francia, Anglia. Uti autem Spiridion ſimpliciter propoſitâ fide Chriſtianâ acutiſſimum vicit philoſophum, eodem modo Bernardus debellavit Petrum Piſanum, illum alioſque ſchiſmaticos ad unitatem Eccleſiæ adducens, hæreticoſque ejus veritatem impugnantes de errore convincens.

Tert. l. de Præſcr. Hæret. 2 42 — 2. *Schiſmata apud Hæreticos ferè non ſunt, Schiſma eſt unitas ipſis.* Nam ut benè ad propoſitum animadvertit Tertullianus: *Pacem quoque paſſim cum omnibus miſcent. Nihil enim intereſt illis, licèt diverſa tractantibus, dum ad unius* L. de Præſcrip. Hæret. 46 *veritatis expugnationem conſpirent.* Tempore Bernardi ad expugnationem veritatis conſpirârant Gilbertus Porretanus, Abailardus, & Henricus quidam apoſtata Monachus: variis tamen erroribus expugnare veritatem nitebantur, ut cum lacrymis refert Bernardus: Epiſt. 189 *Novum cuditur populis & gentibus Evangelium, nova proponitur fides, fundamentum aliud ponitur præter id quod poſitum eſt. De virtutibus & vitiis non moraliter, de Sacramentis Eccleſiæ non fideliter, de arcano ſanctæ Trinitatis non ſimpliciter, nec ſobriè diſputatur; ſed cuncta nobis in perverſum, cuncta præter ſolitum, & præterquam accepimus, miniſtrantur.* L. 3. Vit. D. Bern. c. 5 Gilbertus cognomento Porretanus Pictavorum Epiſcopus in ſacris litteris plurimum exercitatus, ſed ſublimiora ſe etiam ipſe ſcrutatus, ad inſipientiam ſibi; ſiquidem de ſanctæ Trinitatis unitate, & Divinitatis ſimplicitate non ſimpliciter ſentiebat, nec fideliter ſcribebat. Et quia

Hæretici *nihil magis curant, quam occultare quod prædicant*; Gilbertus diſcipu- Tertull.
lis ſuis panes proponebat abſconditos, furtivas propinabat aquas, nec facile lib. adv.
quid ſaperet, imo quantum deſiperet, fatebatur. Ad Rhemenſe Concilium Valent. 1
vocatus, librumque tradere juſſus, in quo blaſphemias evomuerat, graves
quidem, ſed verborum in volucris circunſepias. Accerſitus etiam Bernardus,
tanquam athleta fortiſſimus, ut coram Eugenio ſummo pontifice, & Patri-
bus in Concilio congregatis diſputaret adverſus Gilbertum. Sed quia *Nihil* Tertull.
veritas erubeſcit, niſi ſolummodo abſcondi. Bernardus primo quidem totum lib. adv.
quod Gilbertus verborum cavillationibus occultare nitebatur, eliciens; de- Valent. 3
inde vero tam ſuis ratiocinationibus, quam Sanctorum teſtimoniis, biduana
diſputatione redarguens; error Apoſtolico judicio, & auctoritate Eccleſiæ
damnatur. Gilbertus quoque erroris damnationi conſentiens, indulgentiam
eſt conſecutus, publice refutans quæ prius affirmaverat, & ſcripſerat.

Abailardus quoque *manus intulit veritati.* De quo ſic fatur Bernardus. Tert. l. de
Leonem evaſimus, ſed incidimus in draconem, qui non minus forſan noceat ſe- Præſc.
dens in inſidiis, quam ille rugiens de excelſo. Quamquam non jam in inſidiis, cu- Hæret. 38
jus virulenta folia utinam adhuc laterent in ſcriniis, & non in ruinis legeren- Epiſt. 189
tur. Volant libri: & qui oderant lucem quoniam mali ſunt, impegerunt in
lucem, putantes lucem tenebras. Quinam autem fuerit Abailardus, & qui ejus
errores, denotat Bernardus. *Magiſter Petrus Abailardus, ſine regula Mona-* Epiſt. 193
chus, ſine ſollicitudine Prælatus, nec ordinem tenet, nec tenetur ab ordine. Ho-
mo ſibi diſſimilis eſt; intus Herodes, foris Ioannes, totus ambiguus. Iniquitatem in
excelſo loquitur: integritatem fidei, caſtitatemque Eccleſiæ corrumpit, tranſ-
greditur terminos, quos poſuerunt patres noſtri, de Fide, de Sacramentis, de ſan-
cta Trinitate diſputans & ſcribens: ſingula pro ſua voluntate, mutat, auget, &
minuit; & quamvis humana ratio ſit *temeraria interpres divinæ naturæ & di-* Tert. l. de
ſpoſitionis; attamen Abailardus *Chriſtianæ fidei meritum evacuare nititur, dum* Præſc.
totum quod Deus eſt, humana ratione arbitratur ſe poſſe comprehendere. Et licet Hær. 7
fide dignoſcatur Chriſtianus, & à non Chriſtianis diſcriminetur, quia *non* D. Bern.
omnium credere eſt, quod Chriſtianorum eſt: attamen Abailardus *omnia uſur-* Epiſt. 191
pat ſibi, fidei nihil reſervans. Tentat altiora ſe, fortiora ſcrutatur, irruit in di- Tert. l. de
vina, ſancta temerat magis quam reſerat, clauſa & ſignata non aperit, ſed An. 6
diripit, & quidquid ſibi non invenit pervium, id putat nihilum, credere dedigna- S. Bern.
tur. Antiquatos jam & ab Eccleſia damnatos errores renovat Abailardus: Epiſt. 188
Cum de Trinitate loquitur, ſapit Arium: cum de gratia, ſapit Pelagium: D. Bern.
cum de perſona Chriſti ſapit Neſtorium. Hos pluresque alios errores in Epiſt. 192
ejus libris contentos legiſſe ſe aſſeverat Bernardus. [Legite, ſi pla-
cet, librum Petri Abailardi quem dicit *Theologia*: ad manum eſt Epiſt. 188
enim: & videte, qualia ibi de ſancta Trinitate dicantur; de genitura Filii,
de proceſſione Spiritus ſancti; & alia innumera Catholicis auribus & menti-
bus diſſueta. Legite & alium quem dicit *Sententiarum* ejus, nec-non & illum
qui inſcribitur; *Scito teipſum* & animadvertite quantæ & ibi ſilveſcant ſe-

getes ſacrilegiorum atque errorum: quid ſentiat de anima Chriſti, de deſcenſu Chriſti, ad inferos, de ſacramento altaris; de poteſtate ligandi atque ſolvendi, de originali peccato, de concupiſcentia, de peccato delectationis, de peccato infirmitatis, de peccato ignorantiæ, de opere peccati, de voluntate peccati.]

Bernardus ut conſtat ex Epiſtola Epiſcoporum Senonenſis, Carnotenſis, Aurelianenſis, Antiſiodorenſis, Trecenſis, Meldenſis, ad Innocentium ſummum Pontificem
Epiſt. 370 ſæpius auditis Abailardi diverſis erroribus, [necnon in ejus libris, in quorum lectionem inciderat, diligenter inſpectis: ſecreto prius; ac deinde ſecum duobus aut tribus adhibitis teſtibus, juxta evangelicum præceptum hominem convenit: & ut auditores ſuos à talibus compeſceret, libroſque ſuos corrigeret, amicabiliter ſatis ac familiariter illum admonuit. Plures etiam ſcholarium adhortatus eſt, & ut libros venenis plenos repudiarent & rejicerent: & à doctrina quæ fidem lædebat Catholicam caverent & abſtinerent. Quod magiſter Petrus minus patienter, & nimium ægre ferens, crebro nos pulſare cœpit; nec antea voluit deſiſtere, quo ad Dominum Claravallenſem Abbatem ſuper hoc ſcribentes, aſſignato die, ſcilicet octavo Pentecoſtes, Senonis ante noſtram ſubmonuimus venire præſentiam: quo ſe vocabat & offerebat magiſter Petrus ad probandas & defendendas, de quibus illum Abbas Claravallenſis repræhenderat ſententias.] In eadem Epiſtola fuſe refertur præſentia Bernardi, doctrinæ Petri refutatio, qui non audens diſputare cum Bernardo, fugam capiens, ad ſummum appellavit Pontificem.
Epiſt. 189 Quomodo autem cuncta tranſacta ſint ab ipſo audiamus Bernardo de Abailardo loquente. [Cum omnes fugiant à facie ejus, me omnium minimum expetit ad ſingulare certamen. Scripſit mihi ſollicitante quidem ipſo, Archiepiſcopus Senonenſis, diem ſtatuens congreſſionis, quo ille in præſentia ejus & coepiſcoporum ſuorum deberet, ſi poſſet, ſtatuere prava dogmata ſua, contra quæ ego auſus mutire fuiſſem. Abnui, tum quia puer ſum, & ille vir bellator ab adoleſcentia: tum quia judicarem indignum, rationem fidei humanis committi ratiunculis agitandam, quam tam certa ac ſtabili veritate cônſtet eſſe ſubnixam. Dicebam ſufficere ſcripta ejus ad accuſandum eum, nec mea referre, ſed Epiſcoporum quorum eſſet miniſterii de dogmatibus judicare. Ille nihilominus, imo eo amplius levavit vocem ſuam, vocavit multos, congregavit complices, diſſeminavit ubique ſe mihi die ſtatuto apud Senonas reſponſurum. Exiit ſermo ad omnes, nec potuit me latere. Diſſimulavi primum, nec enim ſatis rumore populi movebar. Cedens tamen (licet vi, ita ut flerem) conſilio amicorum, qui videntes quomodo ſe quaſi ad ſpectaculum omnes pararent, timebant ne de noſtra abſentia & ſcandalum populo, & cornua creſcerent adverſario. Et quia error magis confirmaretur cum non eſſet qui reſponderet aut contradiceret, occurri ad locum & diem. Convenerant autem præter Epiſcopos & Abbates plurimi viri religioſi, & de civitatibus Magiſtri ſcholarum, & Clerici litterati multi, & Rex præſens erat. Itaque
in

in præſentia omnium adverſario ſtante ex adverſo producta ſunt quædam capitula de libris ejus excerpta. Quæ cum cœpiſſent legi, nolens audire exivit, appellans ab electis judicibus, quod non putamus licere. Porro capitula judicio omnium examinata, inventa ſunt fidei adverſantia, contraria veritati.]

Ex his conſtat Abailardum à Bernardo de errore convictum, ejuſque doctrinam velut erroneam & hæreticam damnatam: 1. in ſynodo Sueſſionenſi. Nam ut refert Bernardus de Abailardo loquens: *Damnatus eſt Sueſſione cum opere ſuo coram legato Romanæ Eccleſiæ*. 2. Senonis, ab Epiſcopis congregatis; nam ut ipſi fantur in præfata Epiſtola ad Innocentium pontificem maximum ſcripta: *Sententias pravi dogmatis ipſius, quia multos infecerant, & ſui contagione ad uſque cordium intima penetraverant, ſæpe in audientia publica lectas, & relictas, & tam veriſſimis rationibus, quam B. Auguſtini aliorumque ſanctorum Patrum inductu à Domino Claravallenſi authoritatibus, non ſolum falſas, ſed & hæreticas eſſe evidentiſſime comprobatas, primo ante factam ad vos appellationem damnavimus.* Et quia Abailardus ad ſummum appellaverat Pontificem, prædicti Epiſcopi Pontificem humiliter deprecantur, ut Abailardum ſimul cum ſuis ſententiis damnet. [Et quia multos in errorem perniciosiſſimum & plane damnabilem pertrahunt, eas authoritate veſtra, dilectiſſime Domine, perpetua damnatione notari: & omnes qui pertinaciter & contentioſe illas defenderint, à nobis, æquiſſime Pater, juſta pœna mulctari, unanimiter, & multa precum inſtantia poſtulamus.] Quorum votis annuens Innocentius III. Abailardum cum ſua doctrina damnavit, ut patet ex Epiſtola à Pontifice ad Epiſcopos ſcripta: *Communicato Fratrum noſtrorum Epiſcoporum & Cardinalium conſilio, deſtinata nobis à veſtra diſcretione capitula, & univerſa ipſius Petri perverſa dogmata ſanctorum Canonum auctoritate cum ſuo auctore damnavimus, eique tanquam hæretico perpetuum ſilentium imponimus. Vniverſos quoque erroris ſui ſectatores & defenſores, à fidelium conſortio ſequeſtrandos, excommunicationiſque vinculo innodandos eſſe cenſemus.*

An. 1120
Epiſt. 193
Tom. 3 Concil. p. 1.
Refert apud D. Bern. Ep. 193

Non callidiore ingenio expugnare molitus eſt veritatem, Henricus Hæreticus homo apoſtata, impudicitiæ, gulæ, & aleis, aliiſque vitiis deditus: ut refert Bernardus ad comitem ſancti Ægidii ſcribens. Quinam autem fuerint errores quos Toloſæ, lociſque circunſtantibus ſpargebat, declarat ibidem Bernardus. *Baſilicæ ſine plebibus, plebes ſine ſacerdotibus, ſacerdotes ſine debita reverentia ſunt, & ſine Chriſto: deinde Chriſtiani Eccleſia ſinagoga deputantur. Sanctuarium Dei ſanctum eſſe negatur: ſacramenta non ſacra cenſentur: dies feſti feſtivis fruſtrantur ſolemniis; moriuntur homines in peccatis ſuis: rapiuntur animæ paſſim ad tribunal terrificum, nec pœnitentia reconciliati, nec communione muniti: parvulis Chriſtianorum Chriſti intercluditur via, dum baptiſmi negatur gratia.* Ad illum hæreticum debellandum ab Eccleſia regionis illius ſæpe ſæpius rogatus Bernardus, & ab Alberico Oſtienſi Epiſcopo ſediſque Apoſtolicæ legato perſuaſus atque deductus, prædicavit in civitate Toloſa, & in

Tert. l de Præſc. Hæret. 38.
D. Bern. Epiſt 240
L. 3. Vit. D. Bern c. 6

in cæteris locis quæ Henricus amplius frequentaverat, & gravius infecerat, multos in fide ſimplices inſtruens, nutantes roborans, errantes revocans, ſubverſos reparans, ſubverſores & obſtinatos auctoritate ſua premens & opprimens, ut non dico reſiſtere, ſed ne aſſiſtere quidem & apparere præſumerent. Et ut fatur ipſemet Bernardus ad Toloſanos ſcribens: *Gratias agimus*
Epiſt. 241 *Deo, quia non fuit otioſus adventus noſter ad vos: & mora quidem brevis apud vos, ſed non infructuoſa: veritate nimirum per nos manifeſtata, non ſolum in ſermone, ſed etiam in virtute.* Et quaſi parum fuerit Bernardo propugnaſſe adverſus ſchiſmaticos Eccleſiæ unitatem, adverſus hæreticos Eccleſiæ veritatem, ejus ſanctitatem tuetur adverſus ſceleroſos Chriſtianos.

Lib. ad Mart. 1 2. Belle à Tertulliano vocitatur *Domina mater, Eccleſia* cui cuncti fideles ejus filii obſequentiſſimi, tanquam matri, & velut dominæ honorem & ob-
Tert. l. de Præſc. Hæret. 53 ſequium præſtare tenentur. Ad quod eos ſtimulat Bernardus: *Nulla alia præ cæteris, niſi ſola juſtitia auctoritate*, qui Eccleſiæ zelans auctoritatem, humiliter ſed libere reprehendit Imperatores, ejus jura uſurpantes; Reges, contra Eccleſiæ auctoritatem attentantes; Epiſcopos ſtatus ſanctitati non reſpondentes, clericos bonum exemplum non præbentes, cunctos generatim Chriſtianos, vitam religioni contrariam ducentes. 1. Cunctos ſceleroſos Chri-
Ser. 33. in Cant. ſtianos redarguit. *Serpit putida tabes per omne corpus Eccleſiæ, & quo latius, eo deſperatius: eoque periculoſius, quo interius.* 2. Increpat Regulares profeſſio-
Ser. 17. de Diverſis nis ſuæ oblitos, & ad metam perfectionis non aſpirantes: *Nobis ad immunditiam minima qualibet inobedientia ſufficit; nec jam nævus eſt, ſed gravis macula ſi actionibus noſtris vel minimorum reſidet negligentia mandatorum.* 3. Clericos bonum exemplum non præbentes inſequitur ſermone habito ad Clerum in ſinodo congregatum: Neque 4. parcit præſulibus concione ad Prælatos in
Ser. 33. de Cant. Concilio generali congregatos. Quos alior ſum ſic pungit: *Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Antichriſto: Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus: inde aurum in frenis, in ſellis, & calcaribus, & plus calcaria quam altaria fulgent. Inde ſplendida menſa, & cibis, & ſcyphis, inde comeſſationes & ebrietates; inde cithara & lyra, tibia; inde redundantia torcularia & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud: Inde dolia pigmentaria, inde referta marſupia: pro hujuſmodi volunt eſſe & ſunt Eccleſiarum præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Epiſcopi, Archiepiſcopi.* 5. Guilhelmum Aquitaniæ ducem, in perſona Hugonis Burgundiæ ducis ab errore dimovere
Epiſt. 127 nititur: *Errorem veſtrum ultra diſſimulare non fero. Si quis de populo deviat, ſolus perit: verum principis error multos involvit. & tantis obeſt, quantis præeſt ipſe.* 6. Ludovicum Franciæ Regem, Epiſcopos oppri-
Epiſt. 49 mentem culpat. *Rex Ludovicus non tam Epiſcopos, quam in ipſis juſtitiæ perſequitur zelum, pietatis cultum, habitumque religionis.* Deinde adverſus eumdem Regem, Eccleſiam querulam prodit, pro injuria à Rege,
Epiſt. 45 Epiſcopo Pariſienſi facta, quem violenter de ſua ſede ejecerat. *Gravem adverſum*

adverſum nos Eccleſia apud ſponſum & Dominum ſuum querimoniam deponit, dum quem acceperat defenſorem, ſuſtinet oppugnatorem. Attenditis jam cui ex hoc infenſum vos redditis: non utique Epiſcopo Pariſienſi, ſed Domino paradiſi. Et quidem terribili, & ei qui aufert ſpiritum principum. 7. Conradum Romanorum Regem ſtimulat ad auctoritatis pontificiæ adverſus Romanos rebelles defenſionem. *Utrumque intereſſe Cæſaris conſtat: & propriam tueri coronam; & Eccleſiam defenſare. Alterum Regi, alterum convenit Eccleſiæ advocato.* 8. Eccleſiæ jus adverſus Lotharium Imperatorem viriliter tuetur. (Soluto Remenſi Concilio coram ſummo Pontifice celebrato; Leodium Dominus Papa Romanorum Regi occurrit; & honorifice quidem ſuſceptus eſt, ſed velociter obnubilata eſt illa ſerenitas. Siquidem importune idem rex inſtitit, tempus habere ſe reputans opportunum, Epiſcoporum ſibi reſtitui inveſtituras, quas ab ejus prædeceſſore Imperatore Henrico per maximos quidem labores, & multa pericula Romana Eccleſia vendicarat. Ad quod verbum expavere & expalluere Romani, gravius ſeſe apud Leodium arbitrati periculum offendiſſe quem declinaverint Romæ. *Nec conſilium ſuppetebat, donec murum ſe oppoſuit Abbas ſanctus. Audacter enim reſiſtens Regi verbum malignum mira libertate redarguit, mira auctoritate compeſcuit.* 9. Romanam curiam de injuſtitia increpat, in appellationibus ad ſummum Pontificem delatis. *Vox una omnium, juſtitiam in Eccleſia deperire, annullari Eccleſiæ claves, Epiſcopalem omnino vileſcere auctoritatem, dum nemo Epiſcoporum in promptu habeat ulciſci injurias Dei; nulli liceat illicita quævis, ne in propria quidem parœcia caſtigare. Cauſam referunt in vos, curiamque Romanam. Recte geſta ab ipſis (ut ajunt) deſtruitis, juſte deſtructa ſtatuitis. Quidquid flagitioſi & contentioſi de populo, ſive de clero, aut etiam ex monaſteriis pulſati currunt ad vos, redeuntes jactant & geſtiunt ſe obtinuiſſe tutores, quos magis ultores ſenſiſſe debuerant.* Tandem 10. ſupremum Pontificem ſui admonet muneris, ut conſtat ex ſex de Conſideratione libris, ad inſtruendum Eugenium, typis mandatis. Tanta erat Bernardi auctoritas, *cujus voluntati ſic detulit, cujus conſilio ſic ſe humiliavit omnis tam ſæcularis quam Eccleſiaſtica dignitatis altitudo.* Etſi enim tantummodo Abbas Bernardus, attamen *auctoritas moris* tantam illi omnium conciliaverat exiſtimationem, ut libenti animo, ſeſe ejus arbitrio ſubmitterent. Neque *divina illi auctoritas deerat*, per quam tot operabatur miracula, quæ teſtantur tum ſanctitatem qua ſplenduit in terris, tum beatitatem qua fulget in cœlis.

Pſal. 73

Epiſt. 263

Lib. 2. Vit. D. Bern. c. 1

Epiſt. 178

Lib 1. Vit. D. Bern. c. 14

Tert. l. de Cor. Mil. 2

Tert. l. 5 adv. Marc. 7

CONCIO QUINTA.

Tert. l. 2 adv. Marc. 2. Cap. 2. de Div. Nom. Malach. 4 Matth. 13 Eccleſ. 50

Unicus ſol eſt , qui mundum hunc temperat. Ut autem docet Dionyſius Areopagita : *Clara expreſſaque divinitatis imago eſt magnus ille ſol , totus lucens , ac totus ſplendidus.* Verum licet unicus ſit in mundo ſol materialis ſic dictus, quaſi ſolus ; multi tamen ſunt in orbe Eccleſiæ ſpirituales ſoles. Nam Chriſtus Dominus nuncupatur *juſtitia ſol* , Deipara *electa ut ſol* prædicatur. Qui ad juſtitiam erudiunt multos in cœlo : *fulgebunt juſti ſicut ſol :* & beatus Dominicus , *ſicut ſol in medio nebulæ, ſic ipſe refulſit in templo Dei .* Sol materialis mundum temperans , puritate , luce , & calore potiſſimum decoratur : Dominicus eſt ſol 1. puritate niteſcens : 2. luce ſplendeſcens : 3. charitate exardeſcens.

I. PARS.

Tert. l de Spect. 20

Sane ſol & in cloacam radios ſuos defert, nec inquinatur : quia ſcilicet incontaminabili puritate pollet, ideoque ab antiquis vocitabatur *Phœbus*, id eſt purus. Dominicus ſolis æmulans qualitates, trina decoratur puritate: nimirum carnis, animæ, & cordis. Caſtitas, eſt puritas carnis ; ſanctitas, puritas animæ; charitas, puritas cordis: Dominicus merito ſol prædicatur ob puritatem nitens, 1. virginitate : 2. ſanctitate : 3. charitate.

Tert. l. de Exh. Caſt. 11. Chryſol. Serm. 143. Ser. de alt. Cord. Theodor. Epiſt. 1. Apocal. 7. 2 p. Conform. lib. 3 tract. 3

1. Dominicum *de virginitate ſancitum*, angelica puritate nitentem, quis dubitet ? quia *ſemper eſt angelis cognata virginitas.* Ob hanc cauſam, ut vult D. Bernardus , *caſti, angeli ſunt terreni.* Angelus terrenus fuit Dominicus virgineam perpetuo ſervans integritatem in carne , præter carnem vivens, ut ipſe moriens ſuis filiis declaravit : *Uſque ad hanc horam , carne incorruptum , me Dei miſericordia ſervavit , illibatamque mihi virginitatis munditiam cuſtodivit.* D. Bonaventura Seraphici Franciſci encomium inchoat his verbis: *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis.* Vult autem Bartholomæus Piſanus per alterum illum Angelum ſignificari B. Franciſcum. Animadvertendum autem eſt dilectum diſcipulum vidiſſe non Angelum, aut aliquem Angelum, ſed alterum Angelum, id eſt ſecundum Angelum ſupponentem alium priorem Angelum à Joanne antea viſum. Quinam autem

2 p. Serm. 60

fuerit prior ille Angelus, declarat Bernardinus Senenſis : *Vidi alterum* [...] *lum : præceſſerat enim ante eum Angelicus vir glorioſus Dominicus i*[...] *vita , pariter & doctrina.*

Lib. 2. de laud. mar.

Ex Richardo à S. Laurentio, *filij Mariæ ſunt imitatores Ma*[...]
Dominicus à beatiſſima Virgine aſcitus in diſcipulum , de[...]
filium à prima ætate, ad extremum uſque puritatem an[...]
vavit illibatam : Ob illam Dominici adoptione[...]

4. p. tit. 15 c. 24. §. 3

D. Antoninus Florentinus Archiepiſcopus , [...]
feſtum , quo ſanctæ Mariæ Majoris agitur ſol[...]

divina Sapientia, *ut in die B. Mariæ Majoris agatur feſtum B. Dominici Patris noſtri, qui fil us ſingularis adoptivus fuit ipſius. Nam naturalis dictus eſt Dominus, adoptivus Dominicus.* Quod ex iſto Proverbiorum comprobat: *In gaudio non miſcebitur extraneus.* Subjungit S. Antiſtes: Dominicum tanquam filio adoptivo dediſſe Virginem, habitum album ejus velut innuens caſtitatem: *Cui ob eximiam puritatem habitum dedit album, ut nivem, deſuper tamen nigram cappam deſignantem humilitatem, non enim una ſine altera eſſe valet.* Cap. 19

Beatiſſima Virgo etſi incomparabili pulchritudine decorata, attamen *tanta erat Maria gratia, ut non ſolum in ſe virginitatem ſervaret, ſed etiam ſi quos inviſeret, integritatis inſigne conferret.* Ut autem ait Guerricus, *non de generat à matre filius.* Dominicus caſtitatem aliis ingenerans, nam ſæculares, qui reverentiæ cauſa ejus oſculabantur manus, odorem fragrabant ſuaviſſimum, eos ad caſtitatem allicientem: unde cum laſcivus quidam caſtas Dominici fuiſſet oſculatus manus, ex odore qui ex illius emanabat corpore, mox laſciviæ oſor, & pudicitiæ amans fuit. *O quanta puritate caro ejus pollebat, cujus odor tam mirabiliter ſordes mentis purgabat!* D Amb l. de Inſt. Virg. c. 7 Serm. de Aſſumpt. Hiſt. Lõbard.

Adhibebat Dominicus jejunium, ad cuſtodiam virgineæ integritatis. *Quales caſtimonia certorum eduliorum exceptione purificant.* Nam ut fatur Theodoricus, *quotidie cruc figebat carnem, & mortificabat membra ſua immodica auſteritate.* Nam (tres ſingulis noctibus recipiebat manu propria, de quadam catena ferrea diſciplinas: unam videlicet pro ſe; alteram pro peccatoribus qui conſervantur in mundo; tertiam pro his qui in purgatorio cruciantur.) Et hoc tantâ cum effuſione ſanguinis ut pavimentum cruore appareret purpuratum Et quod eſt ſtupore digniſſimum, à tenera ætate cœpit Dominicus ſuam macerare carnem, annis quippe natus non amplius decem, flagellis in corpuſculum ita dure ſæviebat, ut totum illud fere dilaniaret. Hujuſmodi laniena eo gravior fuit, quo ætas provectior: diceres una cum annis creſcere etiam macerationis ſtudium. Vix enim attigerat annum decimum tertium, cum ſingulis noctibus carnem dilaceraret, ſiquidem tria Roſaria decurrens ſingula in iis *Ave Maria* è flagellis fune nodoſo textis, valido impetu addebat ictum; adeoque in univerſum ictus quinquaginta ſupra quadringentos, & hoc in ſe ſæviendi ardore, cum ætate creſcente, Dominicus ad annum vitæ decimum octavum, pro funiculis catenas ſumpſit, iis mirum in modum ſingulis noctibus, & pari ictuum numero ſeſe diverberans. Dilacerum adhuc catenulis corpus, duriore cilicio frangens ferreaque catena ad renes accinctus, noctes pertranſiens non in molli pluma, ſed in nuda humo, plerumque in ſuppedaneo altaris, quod illi erat pro cervicali, ubi deficiens ab oratione corpus tantiſper in ſomnum inclinabat. Tert. l de Jejun. 2 Lib. 1. c. 8. Jacob à Vorag Ser. de S. Dom.

3. *Parcimonia carnis, ſpiritum acquirens; per continentiam negotiaberis magnam ſubſtantiam ſanctitatis.* Jejuniis & macerationibus angelicam puritatem perpetuo ſervavit Dominicus: & per virginitatem magnam lucratus eſt ſubſtantiam ſanctitatis. Ideoque Gregorius decimus in actu cano- Tert. l. de Exh. Caſt. 10

nizationis de illo ſic fatur: *Non plus de hujus viri ſanctitate, quam de Apoſtolorum Petri & Pauli dubitamus.* Ex D. Iſidoro *puer à puritate vocatus, quia purus eſt.* Dominicus puer toto vitæ tempore extitit, quia acceptam in baptiſmate animæ puritatem nunquam amiſit. Hac de cauſa Reginaldus dicere ſolebat: *Hic eſt in quo Adam non peccavit*, non quod originale non contraxerit peccatum, ſed quia nullum lethale unquam peccatum commiſit.

Lib. 11. Ethymol. 2

Et quia, ut ait nonnemo, *Chriſto fuit ſimilis, à Domino Chriſto aptiſſime nominatus eſt Dominicus.* 1. Chriſtus eſt *de Deo Deus*: Dominicus quoque eſt Deus, non quidem per eſſentiam ut Chriſtus, ſed per gratiam. Unde poſtquam Tertullianus cum Vate Regio aſſeveravit juſtos eſſe Deos. *Ego dixi, vos dij eſtis*, mox ſubjungit: *ſed Deus nemo ea re qua Deus dicitur.* 2. Chriſtus eſt Dominus: quamobrem *Auguſtus imperij formator, ne Dominum quidem dici ſe volebat. Et hoc enim Dei eſt cognomen.* Dominicus quoque illuſtri iſto eſt nomine inſignitus, ob ſpecialem quam habet cum Chriſto ſimilitudinem: debet etenim *inter illos eſſe qualitatis conſortium, ut jure conſiſtat collegium nominis, communione ſubſtantiæ*: Dominus, nomen eſt authoritatis & Dominico contulerat Deus authoritatem ſuper elementa, dæmones, ipſamque mortem. Deinde Dominici nomen cognationem cum Deo denotat, unde *qui de Domini ſtirpe erant, Dominicos appellabant*; quo nihil pro Dominico glorioſius dici poteſt. 3. Chriſtus *Deus eſt, & Dei Filius.* Dominicus pariter, non ſecus ac cæteri juſti, Dei eſt Filius: *Filij enim Dei ſunt, qui in illo renaſcuntur.* Quemadmodum Chriſtus eſt Dei Filius per generationem & nativitatem naturalem, ita juſti per gratiam & adoptionem nominantur, & vere ſunt filii Dei. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur & ſimus.* 4. Chriſtus immunis fuit ab omni peccato; nam *ſoli Dei filio ſervabatur ſine peccato permanere.* Dominicus toto vitæ decurſu immunis fuit, non à veniali, ſed à lethali peccato. 5. Chriſtus eſt filius Dei dilectus, ut in ejus Transfiguratione declarat ipſemet Pater: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Æternus quoque pater Catharinam Senenſem alloquens, ſic de Dominico fatur: *Dominicus, dilectus filius meus.* Quid amabilius, quid excelſius dici poteſt? *Dilectus* nomen eſt amoris, *filius* autem titulus gratiæ & dignitatis. 6. Chriſtus Dei filius eſt in ſinu Patris: *In principio erat ſermo*: nimirum in Patre, à quo prolatus eſt: unde nuncupatur à Zenone Veronenſi antiſtite, *paterni cordis nobilis inquilinus.* Dominicus pariter à Deo adoptatus in filium, eſt paterni cordis nobilis inquilinus, ut in exceſſu mentis vidit, imo & ab ipſo æterno Patre audivit B. Catharina Senenſis: (O filia, vides in corde meo, hinc Jeſum, inde Dominicum: ille mihi naturalis, hic adoptivus eſt filius: illum ab æterno genui, hunc in tempore. Et quia in hunc peculiari ferebar amore, volui eſſe in corde meo ſimul cum Jeſu, ut ſic mihi eſſent quaſi gemelli filii, naturalis ille, hic adoptivus) Quantam ex paterno & divino corde hauſit Dominicus ſanctitatis & charitatis puritatem!

Tertull. Apol. 21
L. 1. adv. Marc. 7
Tertull. Apol. 34
Tert. l. 2. ad Nat. 4
D. Thom. à Vill Nov Conc. 2 de Nativ. Virg.
Tertull. Apol. 21
Tert. l. 5 adv. Marc. 9
1. Joan. 3
Tert. l. de Præſcr. Hær. 4
Dial. 158
Tertull. lib. adv. Prax. 19
Ser. de ætern. gen. Filii.
Lib. 4. c. 121

3. Nam

3. Nam *prophetica eſt vox veteris Teſtamenti : Cum ſancto ſanctificaberis.* Tert.ſl.de Exh. Caſt. 10
Neque minorem habet Deus virtutem ad inflammandum charitate cor , quàm ad ſanctificandam ſuâ gratiâ filii inhabitantis in ſe animam. Nam ſi cor eſt ſedes & habitaculum amoris, concludendum eſt, Dominicum, cui æterni Patris cor eſt veluti ſedes & habitaculum , ſedem quoque & habitaculum eſſe divini amoris. Dilecto namque diſcipulo teſte: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate , in Deo manet , & Deus in eo.* 1.Joan.4 Deus in ſe eſt formalis charitas ſive eſſentialis, quæ eſt toti Trinitati communis ; ſive notionalis, quæ eſt propria Spiritûs ſancti. Deus eſt adhuc in nobis charitas cauſalis, quia ſcilicet eam in nobis cauſat & producit : *Rectè charitas eſt Deus, & Dei donum ; itaque charitas dat charitatem.* D. Bern. ep. 11 Ut autem ex antecedente infertur concluſio, ita ex illa propoſitione : *Deus charitas eſt*, rectè colligit Joannes : *Qui manet in charitate , in Deo manet* ; quia cùm Deus & increata charitas ſint unum & idem , qui in charitate increata manet, neceſſariò manet in Deo. Deinde, qui manet in charitate creata , manet quoque in charitate increata, nempe Deo ; quia ubi eſt charitas creata, ibi eſt & increata, puta Deus, qui creatæ eſt auctor & conſervator. Addit Evangeliſta, *& Deus in eo*, ſupple manet in amante quaſi in charitate ſacra, ſed creata : non tantùm per virtutem charitatis, quam illi largitur ; ſed novo quodam & ſupernaturali præſentiæ modo manet in illo charitas increata tum eſſentialis , tum perſonalis. Inde exclamat ex D.Bernardo Thomas Anglicus : Deus charitas eſt : *Quid ergo charitate melius ?* Et qui manet in charitate, in Deo manet: *Quid ergo charitate ſecurius ?* Et Deus in eo : *Quid ergo charitate jucundius ?* Amans ergo *manet in Deo* tanquam objectum cognitum à Deo , ut ei vitam æternam conferat : & viciſſim *Deus manet in eo* tanquam objectum cognitum & dilectum , quod amans amore ſupernaturali diligit. Charitas enim eſt vis unitiva & reciproca , quæ amantem transformat in amatum, & amatum in amantem. *Hoc amoris verbum vim habet faciendi unum & colligandi, præſtantiáq; modo inter ſe miſcendi.* D.Dion. c. 4. de div. nom.

Magnum eſt diſcrimen inter cognitionem & amorem. Cognitio eſt introitus & ingreſſus rei cognitæ in intellectum cognoſcentem : amor ècontra eſt animæ impulſus, & quaſi exitus in rem amatam, ad inſtar chameleontis amantem rei amatæ conformans. Nam ut ait D.Auguſtinus, talis *quiſque eſt, qualis eſt ejus dilectio. Terram diligis ? terra eris ; Deum diligis ? quid dicam ? Deus eris : non audeo dicere ex me ; Scripturas audiamus* : Ego dixi, dii eſtis, & filii Altiſſimi omnes. Tract. 2 in 1.epiſt. Joan. *Si ergo vultis eſſe dij, & filij Altiſsimi , nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt* ; & ut nos hortatur princeps Apoſtolorum Petrus : *Fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem*, quæ animam corrumpit, & cor impurum reddit. 2.ep.1

Plautus ſenex amorem appellat *Deum munditiantem*, id eſt, omnia munda & elegantia facientem. Apud Beroald. Quod intelligendum eſt non de amore prophano,

ſed

ſed de facto: amor enim prophanus tantum abeſt, ut mundet amantem, quin potius illum polluit. Nam ut bellè ait Gregorius Nyſſenus: *Sordes puritatem non attendunt*: objecta autem amoris prophani ſordeſcunt; unde qui ea inordinato proſequuntur amore, *facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt*: ſeu ut in Hebræo habetur, *ſicut amores eorum*. Sic conqueruntur Chriſtiani apud Tertullianum de Gentilibus: *una vel alia gens quantula macula totius orbis, nos autem omnem infecimus ſolem, omnem polluimus oceanum.* Verùm quod falsò objicitur primiceris Chriſtianis, verè Chriſtianis hujus ætatis exprobrari poteſt ob prophanum, quo corrumpuntur, amorem. Charitas, quæ eſt amor ſacer, animæ confert puritatem: Tum quia eam à terrenis cupiditatibus purificat: Tum quia eam Deo, qui eſt mera puritas, conjungit. Ut autem argentum corrumpitur dum ignobilioribus conjungitur metallis; at èconverſo purificatur dum auro ſe nobiliori unitur: ita cor corrumpitur dum per amorem terrenis rebus ſibi inferioribus unitur, purificatur verò dum Deo conjungitur. *Puri duntaxat eſt attingere quod purum eſt.* Quomodo miram Dominicus acquiſivit cordis puritatem: tum renuntians cunctis mundi concupiſcentiis; tum Deum charitate ardenter amans: quare in Miſſæ ſacrificio ſacro ſanctum Chriſti elevans corpus, in altum ſublatus eſt, & ab igne, quo intùs ardebat corpus ejus ſubvectum velut in ignem converſum, terram velut deſerens in cœlum ferebatur, ut jungeretur Chriſto amori ſuo, à quo tanquam à puritatis auctore mutuatur & puritatem qua niteſcit, & lucem qua ſplendeſcit.

Orat. de Nat. Chr. — Oſee 9 — Lib. 1. ad Nat. 16 — Greg. Nazianz.

II. PARS. Chriſtianos *Dominus lucem mundi vocat.* Humanata Sapientia ſub lucis, ſeu luminis ſymbolo exprimere voluit viros, quos vel purpura, vel infula, vel doctrina, vel ſanctitas reddidit illuſtres. Sic David vocitatus eſt *lucerna Iſrael*, quòd illi eſſet quod eſt lucerna domui, ſol mundo. Sic Heli appellatus eſt *lucerna Dei*; eò quòd ſummus eſſet Hebræorum Pontifex. Sic Gregorius Nazianzenus nuncupat Athanaſium *ſecundam Eccleſiæ lucernam*. Sic S. Paulinus Nolanus Antiſtes D. Auguſtinum pronuntiat *lucernam Eccleſiæ*, quam illuſtravit veritatis luce. Sic denique Doctores omnes, virique Apoſtolici dicuntur à Cyrillo Alexandrino *œcumenica lumina*. Sacerdos nominatur ab Iſidoro Peluſiota, *Eccleſiæ lumen*; quali encomio meritò commendatur Dominicus, idem Eccleſiæ præſtans quod ſol mundo. Sol nuncupatur *luminare*, quod ad trinum finem produxit Deus. 1. Ad illuminationem: *Ut luceat in firmamento cœli, & illuminet terram.* 2. Ad manifeſtationem; unde propheta Eſdras ſic Deum alloquitur: *Tu dixiſti de theſauris tuis produci lumen luminoſum, quo appareret opus tuum.* 3. Ad ſeparationem, ſcilicet ut dividat *lucem ac tenebras*. Dominicus eſt lumen Eccleſiæ datum à Deo, ut ipſemet æternus Catharinæ Senenſi teſtatur Pater: *Ipſe fuit lumen, quod ego mundo gratioſè conceſſi, mediante glorioſâ Mariâ, quæ dedit illi habitum, & ego officium.* Ad quodnam officium præſtandum Deus mundo gratioſè conceſſit Domi-

Tert l. 2 de cult. fœm. 13 — L. 3. Reg. 24 — L. 1. Reg 3 — Orat: 3 — In c. 40 Iſa. — Lib. 1 — Gen. 1 — Dialog. c. 141

Dominicum? Ut tanquam lucem supernè datam, 1. mundum ſplendoribus illuminet. 2. Chriſtianas veritates manifeſtet. 3. fidem ab hæreſi diſcriminet.

1. Prædicant *Mathematici de ipſis etiam ſtellis vivere* homines, hoc eſt, ex ſtellarum motu hominum pendere vitam docent Aſtrologi judiciarii nuncupati, *præſumentes ſtellarum nos immutabili arbitrio agi.* Quæ doctrina meritò rejicitur, utpote humanæ voluntati contraria. Quàm lucidus futurus ſit Dominicus, conjectari licet, non ex motu, influxu, aut conjunctione ſtellarum firmamenti; ſed ex ſtella fulgida, quę miraculosè in ejus fronte apparuit. Dum enim ſacris Baptiſmi initiaretur aquis, matrona nobilis, quæ ſuſcipiebat infantem, vidit ſtupendo prorſus miraculo in ejus fronte ſplendidiſſimæ ſtellæ figuram. Hæc autem ſtellæ ſpecies ſecundò exhibita fœminæ nobili, quæ dum in filiolo ſuo miratur & amat cœleſte prodigium, obdormiſcit; & in ſomnis, ſopito quidem corpore, ſed animo vigili, conſpicit eandem ſtellæ figuram in fronte parvuli, quæ tantos lucis emittebat ſplendores, ut vel univerſi tenebras diſſiparet, diemque redderet meridianum. Hoc à cœlo prodigium cùm emanâſſet ad poſteros, viſum eſt ad tantam rei memoriam, & Dominici commendationem, fronti ejus appingere ſtellam, & in officio ad ejus laudem compoſito, decantare: *Stella micans in fronte parvuli, novum jubar præmonſtrat ſeculi.* Stella in fronte Dominici coruſcans revocat ad memoriam ſtellam in cœlo miraculosè apparentem, & Magos ad Chriſtum adducentem: *Sed Magi ab Oriente venerunt. Primi ſtellarum interpretes natum Chriſtum annuntiaverunt, primi muneraverunt.* Illa autem ſtella [ante cedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra ubi erat puer.] Licèt enim eo in loco eſſent B. Virgo mater Jesu, & S. Joſeph ejus nutritius, non tamen illorum, ſed ſolius Chriſti capiti ſupereminuit: *Etenim ad locum perveniens ſuper ipſum pueri ſtetit caput; oſtendens profectò Dei filium eſſe qui natus eſt*, in quo abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quique eſt vera lux quæ ad mundum illuminandum apparuit. Stella quoque in fronte Dominici rutilans oſtendit eum filium Dei adoptivum, cœleſtis doctrinæ luce ſplendeſcentem, ad illuminandum mundum: *Facies occultorum ea quæ apparent.* Et ut fatur Magnus Gregorius, *per faciem quiſque cognoſcitur.* Qualis autem & quantus futurus eſſet Dominicus, facilè cognoſci poterat ex ſtella lucida quam in fronte gerebat.

Tert. l. 1 adv. marc. 18

Tert. l. de Idol. 9

Tert. ibid.

Matth. 2

D. Chryſoſt. Hom. 7. in Matt.

Tert. l. de An. 18

Hom. 3 in Ezech.

Eccleſia, Dei ſedem ex ſtellis formatam dicens: *Rex regum ſtellato ſedet ſolio*, Regio Vati contradicere videtur, aienti: *Qui ſedet ſuper Cherubim.* Verùm nequaquam Eccleſia contrariatur Prophetæ; Dei namque ſolium eſt ſtellatum, quia ex Cherubinis velut eſt compoſitum, qui ſub ſtellarum ſymbolo denotantur: *Angelos enim per ſtellas intelligi volunt.* Itaque ſtella in fronte Dominici rutilans eum veluti Cherubinum denotat. Cherubin *plenitudo ſcientiæ* nuncupatur: at Dominicus, ut revelatum eſt Catharinæ Senenſi, electus eſt, ut *cum lumine ſcientiæ* illuſtraret mundum. Cherubin à Deo illuſtran-

Pſ. 98

Pier. in Hierogl. l. 44

D. Alan. 2 p. c. 3 — Rupert. l. 5 in Cant. — Theodoric. in vita S. Dom. — Alber. Camp. l. 2 Theolog. 14 — De Laud. Eccleſ. c. 4 — Serm. 2. de S. Domin.

luſtrantur. & Dominicus lumen ſcientiæ quo ſplendet, accepit, tum à Patre luminum, tum à Deipara Virgine. *Altior homine pueri indoles, Deo fuit digna, quæ haberet altiorem diſciplinam magiſtram.* Magiſtram dico Dei matrem, *Propheti ſſam Prophetarum, & Magiſtram Magiſtrorum, id eſt, Apoſtolorum:* & in cœlis etiam Angelorum, atque etiam parvuli Dominici, qui decimum ætatis annum agens pietati ſummoperè operam dabat, maximè Virginis Deiparæ cultui die noctuque ſine numero Angelicum *Ave Maria* ore promens. Pueruli animum & orationem probans Virgo, illi ſe ſpectandam Roſarii leges præbuit, & cœleſti eum doctrinâ perfudit, & tantâ luce illuſtravit, quòd à *fronte ejus & ſuperciliis quidam lucis radij micantes vibrabantur.* Qui liberales artes aut philoſophicas diſciplinas, aut eloquentiam didicerunt, de Magiſtrorum, qui eos docuerunt, nomine gloriantur: unus Ariſtotele, alter Platone, ille Demoſthene, iſte Tullio. Dominico Magiſter extitit, non Plato, non Ariſtoteles, non Demoſthenes, non Tullius; ſed B. Virgo Superûm Magiſtra, ſed æternus Pater, qui eſt totius luminis ſcientiæ & cognitionis ſcaturigo. Cherubini ſunt illuminati, & illuminatores; à Deo illuminati, ut alios illuminent: *Cherubinorum officium eſt promovere homines ad divinam cognitionem, ideò præ cæteris dicuntur lucere.* Dominicus Cherubini miniſterium adimplens, acceptas ſupernè luces in alios effudit. Quod recognoſcit Eccleſia dicens orationem iſtam: *Deus, qui Eccleſiam tuam B. Dominici illuminare dignatus es meritis & doctrinis.* S. Bruno Carthuſianorum pater, Pauli admiratus infuſam cœlitùs ſcientiam, ait: *Vis videre Cherubin? aſpice Paulum.* Quod S. Bruno de Paulo, idipſum de Dominico dicendum eſt: *Vis videre Cherubin? aſpice Dominicum.* Cui die quadam Romæ in Eccleſia S. Petri oranti apparuit Paulus, eique librum quendam, per quem, ut vult Epiſcopus Genuenſis Jacobus à Voragine, *intelligitur donum ſcientiæ*, in manus porrigens, dixit: *Vade, prædica, quia ad hoc miniſterium es electus,* ſcilicet ut luceas, & luce prædicationis Chriſtianas veritates manifeſtes.

Tert. l. 2 ad Nat. 5 — Jerem. 31 — l. adv. Valent. 3 — Tert. l. de Reſ. Car. 12

2. *Sol diei de ſuo cumulat.* Ad quid autem Deus *dat ſolem in lumine diei?* Nimirum ut mundi manifeſtet pulchritudinem, quaſi lux ſit rerum elegantia & nitor. Quod bellè declarat Tertullianus lucis radios nuncupans *pectines Solis.* Inter primas comptæ Veneris ſupellectiles recenſetur pecten, quia comam emaculat, comit, & venuſtat: Sic lux pecten Solis appellatur, quia ſol quaſi pectinatim radios ſuos mittens ad elementa, & ad elementaria, ſuis fulgoribus omnia pectinat, perpolit, & venuſtat: quaſi rerum pulchritudo à luce ſit, & luce conſtet. Quantum elementaria venuſtentur à luce, conſtat ex horrore, quem à lucis privatione patiuntur. *Dies moritur in noctem, & tenebris uſquequaque ſepelitur. Funeſtatur mundi honor, omnis ſubſtantia denigratur; ſordent, ſilent, ſtupent cuncta, ubique juſtitium eſt, ita lux amiſſa lugetur.* Ut autem in nocte terra, aqua, aër, cunctaque quæ intra elementorum ambitum continentur, ſtupent, ſilent, ſordent, ob privationem lucis: ita funeſtatus in

nocte

noᴄte mundi honor velut lugubrem deponit veſtem, & pulchrum reſumit indumentum, quando lux redeunte die, *rurſus cum ſuo cultu, cum dote, cum ſole, eadem & integra, & tota univerſo orbi reviviſcit: interficiens mortem ſuam, noctem; reſcindens ſepulturam ſuam, tenebras; ſibimet exiſtens; donec & nox reviviſcat cum ſuo & illa ſuggeſtu.* Ipſum quoque cœlum, quod agnatâ venuſtate ambit excellere ſupra omnem corpoream pulchritudinem, dum lux aërem ſerenat, ſplendidè micat, & glorioſè fulget, dum verò nubilo obſcuratur, & luce deſtituitur, oppanſo aut nubis, aut obſcuræ noctis velo, ſordet ſqualidum. *Cœli ambitus nunc ſub divo ſplendidus, nunc ſub nubilo ſordidus;* quaſi cœlum totam gloriæ ſuæ venuſtatem fœneretur à lucis gratia, in nubilo devenuſtatur, ſub divo decoratur. Quamobrem, ut acutè animadvertit D. Ambroſius, Deus non tantùm laudavit lucem; ſed adhuc dum cæteras mundi creaturas laudat, earum laudes à lucis encomio commendat. *Neque immeritò lux tantùm ſibi prædicatorem potuit invenire, à quo jure prima laudatur, quoniam ipſa fecit, ut etiam cætera mundi membra digna ſint laudibus.* Ac ſi meritum laudis mutuentur à luce, ſine qua creaturæ, quæ pulchriores apparent in mundo, ſqualidè ſorderent, nullamque mererentur laudem. Ideòque ſupremus mundi, mundialiumque rerum opifex, caligantem & obtenebratum primò mundum infuſo lumine aperuit, ut ejus ſpeciem exinde venuſtaret. Hac de cauſa D. Ambroſius attentè conſiderans iſtud Geneſeos: [Dixitque Deus; Fiat lux, & facta eſt lux,] bellè ait: *Vnde vox Dei in Scriptura divina debuit inchoare niſi à lumine? unde mundi ornatus, niſi à luce exordium ſumere? Fruſtra enim eſſet, ſi non videretur;* fruſtranea eſſet mundi pulchritudo, ſi inviſa, imò & inviſibilis foret: ſine luce autém nequit videri; quapropter ante lucis productionē ſqualebat inviſus mundi decor; neq; floruit donec lucis beneficio apparere cœpit.

Tert ib.

Lib. 2. de Pall. 2

Cap. 4 L. 1 Hexam. 9

Mundo & apud Græcos ornamenti & cultûs nomen eſt. Unde, ut refert aliorſum Tertullianus, *Græci nomen mundo κόσμος accommodaverunt*, ob miram, qua decoratur, pulchritudinem. Attamen quantumvis decorus ſit mundus, *quid admirabilius, quid ſpecioſius ipsâ veritate?* Nam, ut fatur D. Auguſtinus, *incomparabiliter pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quàm fuerit Helena Græcorum.* Admirabilis autem veritatis pulchritudo apparet, dum manifeſtatur; manifeſtatur autem per verbum Dei, juſta iſtud Davidicum: [Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.] Verbum autem Dei annunciatur per Prædicatores, Eccleſiæ ſoles. *Lumen mundi unum & Deum & Dominum colentes, & nominantes*, inter quos præſertim ſplendet Dominicus.

Tert. l. 1 adv. marc. 12

Apol. 17

D. Aug. l. de ver. relig c. 49

Epiſt. 9 ad Hieron.

Tertull. l. adv. Prax. 13

Paulus antonomaſticè & per excellentiam Concionatoris nomen obtinuit, ut ipſemet aſſeverat: *Poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus, & Magiſter Gentium.* Non immeritò tale ac tantum elogium Dominico competit, qui velut æmulans Pauli miniſterium, poſitus eſt Prædicator veritatis illuminans venuſtatem, *ut appareat quod latebat:* deinde veritatis amabilitatem manifeſtans, *ut libeat quod horrebat*; tandem veritatis aſſequendæ demonſtrans facili-

2. Tim. 2

D. Aug. l. de Doct. Chriſt.

cilitatem, *ut fiat quod pigebat*. Ad ſublime illud prædicandi miniſterium novo prorſus ac ſtupendo miraculo aſſumptus eſt Dominicus, ut trino denotatur auſpicio, indicio, ſeu ſymbolo. Et quidem 1. Conſtantinopoli, urbe Imperiali, ante illius nativitatem centum eoque amplius annis, in templo S. Sophiæ videbantur affixæ duæ imagines, una D. Pauli, cum hac epigraphe: *Sanctus Paulus*; altera D. Dominici cum hac inſcriptione: *Bonus Dominicus*: & ne alius à noſtro crederetur, veſtem gerebat qualem detulit poſtea Dominicus, qualem & defert Dominici Ordo univerſus: *Quemadmodum terra flumina, quàmvis ampla & profunda, nomen amittunt ingreſſa mare; ita Doctores domi clari, & inter ſuos illuſtres, Romanam adeuntes curiam, inter majora lumina nomen & lucem amittunt.* Dominicus Romanam curiam ingreſſus tantum abeſt ut obnubilatus fuerit, Prædicatoriſque nomen amiſerit: quinimò tanta in exiſtimatione habitus fuit, ut juſſu Summi Pontificis præſentibus Cardinalibus, aliiſque Romanæ curiæ Præſulibus epiſtolas Pauli explanaverit, ex tunc Magiſter ſacri Palatii electus, id eſt, Magiſtrorum Magiſter. 2. Venetiis, Abbas Joachim, qui ſeptuaginta annis vivere deſiit antequam inciperet vivere Dominicus, Dominici non ſecus ac Franciſci, ſpiritu prophetico vaticinans adventum, in æde D. Marci duas appendit tabulas, quarum una referebat Franciſcum griſiâ veſte indutum, fune præcinctum, pedibus nudum, cicatrices in manibus, pedibus, & latere habentem, unâ manu crucem, alterâ librum geſtantem. Alia, repræſentabat Dominicum, eodem modo quo nunc Prædicatores Dominicani, indutum, unâ manu librum explicantem; alterâ, geſtum facientem, qualem è pulpito Concionatores. Tandem 3. ad denotandam Prædicatoris noſtri facundiam & eloquentiam, dum eſſet in cunis infantulus, ori ejus examen apum advolavit. *Cùm jaceret aliquando in cunis, examen apum circa os ejus volitans, linguam ejus divinæ ſapientiæ melle affluituram indicabat.* Quia Plato inter Philoſophos, Pindarus inter Poëtas, D. quoque Ambroſius inter Doctores, futuri erant ſermone eloquentiſſimi, ſuaviſſimi, & gratioſiſſimi, ideò dum adhuc eſſent in cunis, in ipſorum ore mellificârunt apes. Non diſſimiliter in os Dominici adhuc infantuli advolarunt apes, tanquam certum præſagium melleæ eloquentiæ, quæ futura erat in Dominico. D. Ambroſii parens ut apes ad os filii advolare vidit, exclamâſſe dicitur: *Si vixerit infantulus iſte, aliquid magni erit.* Et verè quid magni fuit, magnus infulâ, magnus ingenio, magnus ſanctitate, magnus doctrinâ, magnus eloquio. Dominus Felix de Guſman Dominici parens, ut apum examen ad filioli labella appellere conſpexit, eum prædixit à cera virginem, à luce ſapientem, à melle ſuaviter eloquentem. Eſt enim in favo mel ſuave, quod palato & ſtomacho ſapiat; & cera virgo, quæ aris ſerviat, ignem foveat, lucem effundat. Et in Dominico futurum quondam erat melle ſuavius eloquium, & mens cerea, mens virgo, quæ conciperet aleretque ignem divini amoris, lucemque ſuâ prædicatione undequaque ſpargeret. Mel ſuavis & gratioſi ſermonis eſt ſym-

D. Joan. Richard. in Vit. S. Domini. L. 1. c. 3.

Pius II. l. 11. Commentar.

Theodoric. l. 1. Vit. S. Dom. c. 1

ſymbolum; unde de Sponſæ eloquio ſacer ſic fatur Sponſus: *Favus diſtillans labia tua, Sponſa; mel & lac ſub lingua tua.* Quaſi dicat, ut explicat Gloſſa: *Tanta eſt ſpiritualis dulcedo in verbis tuis, quanta corporalis eſt in melle.* Mellitū etiam erat eloquium Dominici: *Quem forſitan Neſtorem crediſſemus ob mella facundia.* Tantam in concionando habebat gratiam, & ſermonis ſuavitatem, ut omnes eum avidiſſimè audirent', & ut fatur Theodoricus ejus encomiaſtes: *diffundebatur gratia in labiis ſuis, & audiebantur verba ejus cupidiſſimè.* Cant. 4 Tert. l. de An. 31

D. Auguſtinus ad Apoſtolicum prædicatorem deſiderat, ut *tollat errorem, inſerat veritatem, nutriat charitatem.* Quod ut probè exequi poſſet, Dei adjutorio indiget, quod enixè in oratione poſtulare debet. Nam ut ſubjungit D. Auguſtinus: *Quantumlibet homo præpolleat ſolertiâ diſputandi, & ſuavitate dicendi, ſine adjutorio gratia non tollet errorem, non inſeret veritatem, non nutriet charitatem.* Quod probè ſciens Dominicus ferventer orationi vacabat, Dei auxilium humiliter expoſtulabat, ut dignè prædicatoris fungi poſſit officio; Deumque ſuis precibus exorabat, cui, ut ipſemet confeſſus eſt, Deus nihil eorum quę deprecabatur, denegabat. Divino favore munitus Dominicus extitit egregius divini verbi prędicator, Evangelii tuba, organum Spiritûs ſancti, os Chriſti, lingua cœli, æternitatis ſator, myſteriorum Dei diſpenſator, ſol ſplendeſcens, Chriſtianas veritates manifeſtans, fidem ab hęreſi diſcriminans. L. de Bon. Viduat. c. 18 Grenad.

3. Catholici *luce omni fruuntur*; hæretici ècontra *nocte omni* obtenebrantur. Catholici luce fruuntur *per fidem veri luminis compotem*; in nocte verſantur hæretici. Nam ut fatur D. Bernardus: *Nox eſt hæretica pravitas.* Quid facit diem? præſentia Solis qui eſt fons luminis: quid faciet Catholicum? fides, quæ eſt ſol animæ, & piæ mentis oculus. Quemadmodum autem nox ex abſentia Solis & luminis procedit, ita hæreſis ex abſentia fidei. Inde concludit D. Bernardus: *Apud hæreticos quot ſectæ, tot noctes Fruſtra per has noctes juſtitiæ ſolem & lumen quæritis veritatis, quia nulla ſocietas luci ad tenebras.* In nocte verſabantur Albigenſes hæretici, variis obtenebrati erroribus, credentes duos Deos: bonum unum, malum alterum; vetus teſtamentum recipientes, novum prorſus rejicientes; Baptiſmum infantibus ad ſalutem minimè neceſſarium aſſeverantes; conjugibus abſque ſalutis jactura debitum vel petere, vel reddere prohibentes. Alias omitto illius hæreſis tenebras, *quibus exquirendis, non lucerna ſpiculi lumine, ſed totius Solis lanceâ opus eſt.* Dominicus namque, ut Albigenſium hæreſes diſſiparet, & à Catholicorum fide diſcriminaret, adhibuit 1. prædicationem & eloquium. 2. diſputationem & calamum. 3. ſupernaturalis operationis miraculum. 4. ſanctæ converſationis exemplum. 5. orationis ſtudium. 6. ſacræ militiæ prælium. 1. Prædicationem & eloquium adhibuit Dominicus, ut Chriſto Domino obtemperaret. Etenim Apoſtolis, viriſque Apoſtolicis *ipſe præceperat, ſi quid in tenebris & in abſcondito audiſſent, in luce & in tectis prædicarent.* Ad quod duplici ſimilitudine eos ſtimulat Salvator: *Ipſe per ſimilitudinem præfiguraverat, ne unam mnam, id eſt,* Tert. l. 1 ad Nat. 16. Tert. l. 4 adv. Marc. 36 Serm. 75 in Cant. Tert. l. de Pud: 6 Tert l. de Præſc. Hæret. 26

annum verbum ejus ſine fructu in abdito reſervarent. Ipſe docebat, lucem non ſub modium abſtrudi ſolere, ſed in candelabrum conſtitui , ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Dominicus Domino obſequens, acceptæ cœlitùs ſapientiæ radios ſub modio non abſcondit, ſed luce prædicationis manifeſtavit. Vigeſimum quartum ætatis annum agens, fidei divinique verbi lucernam per omnia prope Hiſpaniæ regna circunferre cœpit. Et primo quidem ad Mauros, qui tum temporis ejus partem longè maximam occupabāt; deinde ad Albigenſes, qui
D Aug. l. 8. Civ. 24 eas provincias longè latéque ſuâ hæreſi infecerant. At *quod inſtituit multitudo errorū, abſtulit via veritatū; quod inſtituit incredulitas, abſtulit fides.* Dominicus namque tum ex Mauris, tum ex hæreticis innumeram multitudinem ve-
L. 2. c. 11 ræ fidei luce illuſtravit, atque ex his præcipua capita, imprimiſque Rainerium Epiſcopum Albigenſem, & illius ſectæ principem ab hæreticis ſeparavit, &
D. Aug. l. 3. contra duas ep. Pelag. 5 Eccleſiæ adjunxit. Siquidem *Catholica fides juſtos ab injuſtis ipſius fidei lege diſcernit.* Tum etiam Alphonſum hujus nominis Octavum utriuſque Caſtellæ regem; tum etiam Alphonſum alterum Leonis & Galliciæ regem, multoſque alios fideles & Catholicos effecit. Et quia Albigenſes, qui in comitatu Tholoſano morabantur, erant in ſuis erroribus pertinaces, Dominicus ad eos convincendos advolans, ultra prædicationem & eloquium, adhibuit 2. diſputa-
Tert. l. de Pat. 5 tionem & ſcripturam. *Procedere diſputationem de neceſſariis fidei, non eſt otioſum, quia nec infructuoſum.* Ad hoc enim admittitur inter Catholicos & hæ-
D Aug. in Ps. 7 reticos diſputatio , ut *teneatur ſincera fides, ab omnium pravarum opinionum labe purgata.* Quo fine Dominicus cum Albigenſibus diſputabat, nimirum ut Catholicos in fide ſolidaret, & hæreticos à pravis dogmatibus purgaret.
Tert. l. de Præſcr. Hæret. 19 Quia tamen in diſputationibus ſermone & verbo habitis *aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut par incerta:* Tum quia diſputationes hujuſmodi degenerant
Ter. l. adv. Jud. 1 in contentionem , quas diſputantes *contentioſo fune* ad noctem uſque trahunt : Tum quia *obſtrepentibus quibuſdam ex partibus ſingulorum, nubilo quo-*
Tert. ib. *dam veritas obumbratur;* Dominico *placuit, quod per concentum diſputationis minus plenè potuit dilucidari, inſpici curioſius , & lectionis ſtylo quæſtiones retra-*
Pet. à Natal. *ctatas terminare.* Ea de cauſa Catholicam doctrinam chartâ conſcripſit, eamque tanquam veriſſimam , & fidei conſentaneam tranſmiſit ad Albigenſes. Unus autem illorum acceptam chartam in ignē projecit. Verùm ignis haud ſecus ac ſi omnem perdidiſſet activitatem , nullum chartæ attulit nocumentum: & quod prorſus eſt admirabile, ter fuit in ignem injecta charta & ſemper incombuſta penitus ab igne reſiliit. Huic prodigio inter domeſticos Al-
Tert l. de Orat 9 bigenſium parietes facto, in *fidei teſtimonium* ſimile efficitur, ut publica quoque fieret veritas. Etenim cùm deſignatus eſſet commodus diſputationis locus Catholicos inter & Albigenſes, adfuit Dominicus tantâ ingenii acie, &
Tert. l. 2 ad Mar. 12 verborum perſpicuitate attulit *potiora teſtimonia divinarum literarum*, quibus fidei propugnavit veritatem, ut penitus obmuteſcerent hæretici ; è quibus
Tert. ib. unus *ſatiatâ diſputatione* aliâ voce exclamavit : non verbis certandum eſſe,

ſed

ſed miraculis, hiſce probandam fidem ſeu Catholicorum, ſeu Albigenſium, horum & illorum doctrinam ſcriptis traditam, in ignem projiciendam, illam pro vera tenendam quæ illæſa eruperit; pro falſa vero, quæ fuerit ab igne conſumpta. Dominicus, qui ut de eo dicitur, *maximus vivens, & post mortem fulſit miraculis*; annuit propoſitioni, & in *fidei patrocinaturam* 3. miraculo comprobandam veritatem conſenſit. Itaque à judicibus qui tum diſcrepantibus aſſidebant, primo Albigenſium ſcripta in ignem conjecta, à flamma mox in favillas & cineres redacta ſunt: tum Dominici ſcripta in eumdem ignem immiſſa, illæſa à flammis valido impetu rejecta ſunt. Stupendo illo miraculo fuerunt confirmati in fide Catholici, proſtrati hæretici, è quibus centum quinquaginta dederunt manus victori Dominico, qui veritatem fidei voluit adhuc 4. comprobari ſanctæ converſationis exemplo. *Hæc ſunt quæ nos luminaria mundo faciunt, bona ſcilicet noſtra.* Chriſtus Dominus viros Apoſtolicos divinique verbi præcones, poſuit velut lucernas ſuper candelabrum ut in Eccleſia luceant, ſed non alia, quam virtutis & bonorum operum luce. Unde poſtquam dixit: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum ut luceat omnibus, qui in domo ſunt*: ſtatim ſubjungit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona.* Ad quid autem deſiderat Chriſtus ut lux veſtra luceat coram hominibus, *niſi ut malis exemplo & teſtimonio ſicis*? Ad cunctos generatim Chriſtianos dirigitur Chriſti admonitio. *Nam & lucere in mundo, Chriſtianos oportet, ut filios lucis:* verum Domini ſermo ſpecialiter ad Concionatores ſpectat: *Aut quid eſt, luceant opera veſtra? Quid autem nos Dominus lucem mundi vocat? Quid civitati ſuper montem conſtitutæ comparavit; ſi non relucemus in tenebris, & extamus inter demerſos?* Concionator qui auditores ad bonum inducere exoptat, non tantum verba, ſed etiam opera adhibere debet, hæc enim niſi dederit incaſſum jaciet illa. Ut enim ait Abbas Cheremon apud Caſſianum: *Numquam erit efficax inſtituentis authoritas, niſi eam effectu operis ſui, cordi affixerit audientis.* Quod ratione naturaque duce agnovit Philoſophus, ad Lucillum ſcribens: *Sermo tuus in exemplo videbitur; non enim tunc dicitur ille, ſed probatur, ſicque non ſolum præceptor viri, ſed teſtis eris.* Nam ut alioſſum philoſophatur idem Philoſophus: (Qui aliter vivit, quam vivendum eſſe præcipit, non magis mihi prodeſt, quam navigator in mari nauſeabundus. Tenendum eſt gubernaculum rapiente fluctu, luctandum cum ipſo mari. Quid me juvare poteſt gubernator attonitus, & vomitans? Non eſt tam loquendum, quam gubernandum. Omnia quæ iſti dicunt, quæ turba audiente jactant, aliena ſunt, Dixit illa Plato, dixit Zeno, dixit Chriſippus, dixit Poſſidonius, & ingens agmen, tot ac talium; ſed quomodo probare poſſint, eſſe ſua, quæ docent, monſtrabo. Faciant, quæ dicunt.) *Adeo & de genere converſationis qualitas fidei exiſtimari poteſt, doctrinæ index, diſciplina eſt.* Dominicus bonus prædicator ſancta converſatione fides ſuæ qualitatem demonſtrabat, vivendi diſciplina doctrinæ quam prædicabat, veritatem

Tert. l. de Cor. mil. 4

Tert. l. 2. de Cult. fœm. 13

Matth. 5

Tert. ibid.

Tertull. lib. adv. Prax. 13

Tert. lib. 2. de Cult. Fœm. 13

Coll. 11. c. 4

Lib. 2. Epiſt. 20

Epiſt. 108 ad Lucill.

Tert. l. de Præſc. Hæret. 43

oſtentabat , *Dæmon nihil magis curans, quam hoc ipſum excludere quod præ-*
Tert.l.de *dicamus* , fructum prædicationis Dominici impedire volens, illum per os
An. 57 hæreticorum diffamare molitus eſt, veluti guloſum , & epulonem. Verum
Tert. l.4. quia ad retundendam diaboli malitiam, *lucernas ardentes habere debemus,*
adv. *id eſt, mentes à fide accenſas, & operibus veritatis relucentes* , Dominicus ut
Marc.29 confunderet & diaboli malitiam, & hæreticorum calumniam , hoſpitans
apud mulieres hæreticas, integram pertranſiit quadrageſimam cum ſuis ſo-
ciis jejunans, pane duntaxat & aqua victitans , ſupra nudam tellurem cu-
bans, ſingulis noctibus corpus ſuum diſciplinis macerans : Itaque ut fatur
Lib.1.c.4 Theodoricus, *quaſi lucerna ſupra candelabrum poſita, factus eſt omnibus vitæ*
ſpeculum, ſanctitatis exemplar. Illis namque pœnitentiæ & ſanctitatis operi-
bus bonam ſibi exiſtimationem comparavit, hoſpitas veritatis & boni exem-
pli luce illuſtratas ad fidem vocavit : & ut hæreticos debellaret, ſ. oratione
Tertull. *& precario uſus eſt*; hæreticorum poſtulans converſionem,& fœlices Catho-
lib.adv. licis expoſcens, & obtinens ſucceſſus. Gentiles innuere volentes quantum
Hermo.9. homo doctus & ſapiens adverſariis exiſtat terribilis, Minervam (ſub cujus
ſymbolo intelligebant ſapientiam) armatam, & Gorgonæ imaginem in pe-
ctore ferentem depingebant : erat autem Gorgona terribilis & monſtruoſa
Fulg. in quædam imago. *Gorgonam Minervæ addunt in pectore, quaſi terroris imagi-*
mytholog. *nem, ut vir ſapiens terrorem contra adverſarios geſtet in pectore.* Dominicus
cœleſti ſapientia præditus, hæreticorum terrorem gerebat in pectore. Nimi-
Tertull. rum orans Dominicus *manibus expanſis, quia innocuis, ſine monitore, quia de*
Apol. 3 *pectore,* Albigenſes terrebat, & Catholicos magnanimos reddebat,qui Do-
minici muniti precibus, plures hæreticorum expugnarunt arces. Dominici
precibus Simon Comes Monfortius exercitus Catholicorum dux, in caſtel-
lo dicto de Marnet cum octingentis equitibus, & mille peditibus, à cen-
tum mille hæreticis obſidione cinctus, liberatus eſt. Nam ipſe cum ſuis (cun-
ctis Pœnitentiæ ſacramento prius Deo reconciliatis) tanto impetu irruit in
hæreticos, ut viginti mille ex eis cæſis, cæteri omnes profligati & in fugam
verſi ſunt: prælii autem tempore Dominicus fuſis lachrymis, expanſis ma-
nibus orabat, & ſua oratione Simoni victoriam parabat, non ſecus ac Moy-
Tertull. ſes Joſue prælianti. *Iam vero Moyſes, quid utique tunc tantum cum Ieſus ad-*
lib.adv. *verſus Amalech præliabatur, expanſis manibus orabat reſidens; quando in rebus*
Jud. 10 *tam attonitis, magis utique genibus poſitis, & manibus cædentibus pectus, & facie*
humi volutata, orationem commendare debuiſſet; niſi quia illic ubi nomen Ieſu di-
micabat, dimicaturis quandoq; adverſus diabolum, crucis habitus quoq; eſſet neceſ-
ſarius, per quem Ieſus victoriam eſſet relaturus? Joſue pro religione præliabatur
adverſus Amalech,& Simon pro Catholica fide pugnabat adverſus Albigen-
ſes : Moyſes orans manibus ad modum crucis expanſis, obtinuit ut Joſue
debellaret Amalecitas. Dominicus, in eadem figura deprecans, Simonem
de ſuis hoſtibus effecit victorem, Franciæ tandem 6. Catholicos ad cru-
cem amplexandam , & ad bellum adverſus Albigenſes ſollicitans. *Pro-*
inde

inde vos benedicti bonum agonem ſubituri eſtis, in quo agonothetes Deus vivus eſt, Tert. l. ad
xyſtarches Spiritus ſanctus, epiſtates veſter Ieſus Chriſtus, corona æternitatis Mart. 3
bravium. Similibus verbis Catholicos ad Cruciatam hortabatur Dominicus. Summi Pontifices, grande aliquod malum ab infidelibus & hæreticis imminens Eccleſiæ proſpicientes, Catholicos ad ſacrum invitabant bellum, utque expeditiores eſſent adverſus fidei adverſarios, ex ipſo Eccleſiæ theſauro omnium peccatorum indulgentias liberaliter concedebant, & genus aliquod martyrii pollicebantur iis qui pro fide, religione & Deo occubuiſſent. Qui religionis zelo ſuccenſi ſacræ illi militiæ adſcribebantur, Crucem pro teſſera ſumebant, eam ſuper chlamidem aſſutam deferentes, cum hoc tamen diſcrimine, quod qui verſus orientem properabant, pro recuperanda terra ſancta dimicaturi cum infidelibus, Crucem ſupra humeros deferebant; qui vero in occiduis regionibus cum hæreticis prœliabantur, eam pectori præferebant: Ad Cruciatam Dominicus Catholicos adverſus Albigenſes invitans, Lugduni plures convenerunt, dieque nativitati D. Joannis Baptiſtæ dicata, religioſæ militiæ nomen dederunt. Inde in arma itum verſus illas regiones quas Albigenſes ſua hæreſi infecerant. In fronte exercitus ſtans Dominicus Crucifixum manu geſtans, duces ſimul & milites inhortans ad fortiter pro religione & fide pugnandum: Cui Angelus non ſecus ac Gedeoni olim adverſus Madianitas decertaturo: *Proficiſcere in robore fidei* Theodor.
hujus & vinces. Dominici autem ſermone, exemplo, multoque patrato miraculo roborati Catholici, *credo ad ſolem uncti* de Albigenſibus plures Tert. l. 5 adv. Marc. 13
victorias reportarunt, Albam, Tholoſam, Carcaſſonam, aliaſque munitas civitates quas defendebant hæretici expugnarunt. Tandem *glorioſus Dominicus ita in opere & ſermone ſe mirabiliter & glorioſiſſime geſſit, ut Domino cooperante, centum millia hæreticorum converti ſſe legatur.* De quo idipſum dicendum eſt, quod Philo Judæus de ſole: *Sole exorto tot ſtellæ quæ apparebant, non obſcurantur ſolum, ſed evaneſcunt, etiam præſplendore diffuſo.* Apparente namque Dominico hæretici velut tot ſtellæ in erroris nocte relucentes evanuerunt, non valentes illius ſolis ſuſtinere neque ſplendorem, neque ardorem. D. Anton. in Vit. S. Cathar. §. 2 Lib. de Mund. Opif.

Sol enim corpus, ſiquidem ignis. Aſtra eſſe igneæ naturæ, unanimi conſenſu veteres voluerunt Philoſophi, multique adhuc Patres quos fuſe refert Neotericus quidam, ex quorum ſententia aſſerit, Deum potiorem elementi ignis partem condenſatam, in aſtra coaptaſſe, adhuc retenta forma ignis; cenſetque inſuper, per lucem quam Deus in fine primæ diei produxit intelligi ignem, qui vocitatur ignis à qualitate lucida ſibi cognata, quemadmodum primus homo Adam fuit nominatus à colore terræ rubræ è qua formatus eſt. Etenim quid aptius ad lucendum & illuminandum quam ignis à ſe nitidus & ſplendidus? Et quia ſol conflatus eſt ex ampliori & lucidiori ignis elementaris portione, eſt cæteris aſtris longe lucidior. Non idem ſapiunt Peripatetici qui non ſolum negant ſolem ſuam ab elemento ignis fœnerari III. PARS Tert. l. de An. 8 Selad. in c. 1. Gen. v. 14

lucem,

lucem, ſed adhuc aſſeverant ignis ſuum mutuari è ſole calorem. *Sol fons ignis ætherei.* Hanc difficultatem Philoſophis examinandam relinquimus. Ab Ennodio autem belle dicitur, *Sol cœli oculus, temporum rector, ſiderum dux, vitæ dator, animantium pater*, generans metalla in ſinu terræ, margaritas in profundo maris, concurrens ad productionem vegetantium, ſentientium, ipſius etiam hominis. Ut enim docet Philoſophus, (virtute caloris omnia fiunt.) Et ob hanc cauſam Gentiles velut numen venerati ſunt *ſolem, qui diei de ſuo cumulet, fruges caloribus producat, annum ſtationibus ſervet.* Quomodo autem ſol largiatur ſublunaribus lucem & calorem declarant Pythagorici apud Stobæum, naturæ vitreæ fingentes ſolem, qui cœleſtis ignis radios admitteret, deinde lumen ſimul cum calore, ad nos transfunderet. Deus eſt lux indeficiens & ignis conſumens, à quo illuſtratus, & ſuccenſus Dominicus lucem & calorem effundens, & tanquam ſol puritate nitidus, luce ſplendidus, calore ignitus: 1. Dei amore æſtuans: 2. ad Eccleſiæ cuſtodiam vigilans: 3. animarum ſalutem zelans.

Rupert. l. 1 in Gen. 41
In Bened. cer. Paſch.
Tert. l. 2. ad Nat. 5
In Elog. Phil. c. 25

Tertull.

1. *De incendio ignis, ardor eſt* Charitas, qua æſtuat Dominicus. Quare non immerito appingitur velut ſtella in ipſo ſui ordinis ſcuto, cum hoc lemmate: *Lucet, & ardet.* Lucet Dominicus luce doctrinæ & ſapientiæ cœleſtis; lucet religionis myſteria perſpicue manifeſtans: lucet hæreticis qui ſunt *lucifugæ*, ad veritatis iter facem ſubminiſtrans. Clemens Alexandrinus meminit cujuſdam Traſibuli, qui cum exules in Atticam reduceret, hiberna obſcuraque nocte, clarus ignis præcedens apparuit, qui omnes incolumes duxit, unde illic aram *luciferæ* poſuerunt: In denſis obſcuriſque erroris tenebris verſantibus hæreticis 2. apparuit Dominicus, tanquam ignis ſplendidus qui eis præluceret. Dominicus adhuc ardet, incenſo in Deum æſtuans amore, qui ſequentibus denotatur indiciis. 1. Ardenti in proximum charitate, de qua in inferioribus. 2. Demiſſa mentis humilitate: amor namque dignitatis neſcius, magna autem Dominicus præditus erat humilitate dona ſibi à Deo data occultans, quinque ſibi oblatos Epiſcopatus recuſans. 3. Fervide contemplationi & orationi vacans, dicens cum Regio Vate: *In meditatione mea exardeſcet ignis.* 4. Amariſſime plorans, & referens *faciem mœrentem.* Ex D. Auguſtino *lachrymæ teſtes ſunt amoris.* Ut autem refert Author vitæ Dominici ab ipſo: *Gemitus erant tanti, ut in dormitorio vicinoires excitarentur, ac ipſi quoque flere cogerentur.* 5. Martyrium ardenter deſiderans: *Dilectio Deum diligenter totis viribus, quibus in martyrio decertat: ex tota anima, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit.* Hac de cauſa ad Mauros properavit, eiſque audacter Chriſtianam fidem prædicavit; hac de cauſa hæretico qui ei ad necem inſidias paraverat, conſtanter dixit: Pergratum mihi præſtitiſſes officium, ſi mihi prius erutis oculis, deinde fractis brachiis, mortem attuliſſes. Et quia *voluntas facti origo eſt*; inde concludit Theodoricus: (Sicut diſcipulus ille quem diligebat Jeſus calicem Domini bibit, tametſi ſanguinem non fudit, quod animo mortis ferendæ prompta voluntas non deeſſet;

Tert. l. de Res. Car. 47
Lib. 1. Strom.
Tert. l. de Car. Chr. 9
Tertull. Scorp. 6
Tert. l. de Pœn. 3
Lib. 1. Vit. S. Dom. 8

deeſſet; ita Dominicus propter ardentiſſimum pa iendi deſiderium, palmam martyrii non amiſit.) 6. *Ob vigorem fidei* Eccleſiæ ſponſæ Chriſti bonum procurans, ejuſque cuſtodiæ invigilans. Tert. l. 4 adv. Marc. 13

2. *Confidens de tutela Domini*, qui ad illuminandam, & ſuſtinendam Eccleſiam, illum ſimul elegit cum Franciſco. Hiſce duobus Minorum & Prædicatorum Patriarchis, trinum idque commune fuit officium. Utrumque B. Virgo obtulit ad mitigandum iratum Chriſtum tres lanceas in manu habentem jaculandas contra mundum, ob trinum ſuperbiæ, laſciviæ & avaritiæ vitium: Utrumque ſub duplicis ſtellæ ſymbolo vaticinatæ ſunt Sybillæ, quarum extat adhuc iſtud oraculum: *Iacebit in fœno agnus, & puellari officio decubabitur Deus & homo, & erit beſtia horribilis, ab oriente veniens, & duæ ſtellæ ſurgent contra ipſam.* Verbi humanationem & nativitatem ominantur Sybillæ, deinde beſtiam ab oriente venientem, nempe Mahometum: tandem duas ſtellas Dominicum ſcilicet & Franciſcum, gemina Eccleſiæ ſidera, quorum luce & ardore luxit, & arſit orbis prope univerſus. Utrumque Innocentius III. ſummus Pontifex in ſomnis vidit Eccleſiam Lateranenſem ruinæ proximam ſuis humeris ſuſtentantem. Tertull. Scorp. 2 Lib. 3.

Sed ultra trinum illud officium quod habet Dominicus commune cum Franciſco, Dominicus ſpecialis ſymbolo ad Eccleſiæ deputatur cuſtodiam: Illius namque (mater gravida ſibi viſa eſt in quiete continere in alvo catulum ore præferentem facem, qua univerſum incenderet orbem) quod ei pronoſticon fuit eorum quæ pro Eccleſia facturus eſſet quem in utero geſtabat infans, qui in fonte Baptiſmatis nuncupatus fuit Dominicus, quod nomen idem ſonat ac *Domini canis*; & ut fatur D. Vincentius Ferrerius, *Dominicus eſt canis magnus de ovili Chriſti*; & ob hanc cauſam univerſus Prædicatorum ordo, pro inſigni defert in ſcuto religioſo canem, facem accenſam ore præferentem, adjecta hac Epigraphe: *Vigilat & cuſtodit.* Quod ſi diligentius ſcrutemur Dominici *caninum miniſterium*, inveniemus hoc ſymbolo denotari in Dominico canis domeſtici proprietates. 1. Canis fidei ſeu fidelitatis ſymbolum eſt, quapropter fidelitatem olim pollicentes jurabant per canem, ut refert Pierius Valerianus *ex Platone. Per canem jurat, cum putat fidem & obſequium praſtandum iis, qui rerum habenas in civitatibus moderantur.* Dominicus magna fuit fide præditus, qua velut Eccleſiæ reparavit ruinam, juxta Sacerdotis ſacrificium offerentis vaticinium. Miſſæ adſtans Dominicus, non ſemel, neque iterum, ſed tertio Sacerdos verſus ad populum, loco *Dominus vobiſcum* dixit: Ecce *reparator Eccleſiæ*. Eccleſia ex Apoſtolis tanquam vivis lapidibus ædificata, fuerat per infidelitatem concuſſa. Eccleſiæ reparatori *una fides ad tutelam opus eſt*. Ut Eccleſiam, ruinam minitantem, fulciat Dominicus, *non pecunia, ſed fide tutus*, reparavit jacturam quam infidelitas attulerat Eccleſiæ. Judas infidelitate ſua Dominum tradidit. Ad reparandam Judæ perfidiam, Dominicus ſua fidelitate Dominum fortiter propugnavit. Ser. de S. Dom. Tert. l. 1. ad Nat. 16 Lib. 5. in Phæd. Tert. l de Fug in Perſ. 4 Tert. ibid

Petrus Chriſtum ter negavit; ad reparandam Petri negationem Dominicus
ſubſtituit Petrum martyrem qui ſymbolum Apoſtolorum *Credo* confeſſione
proprio ſanguine ſcripta, confeſſus fuit. Thomas incredulus fuit, ad reparan-
dam Thomæ incredulitatem Dominicus Thomam Angelicum ſubſtituit
qui ſua doctrina fidem corroboravit: pluresque alios præſtitit Dominicus fi-
Tert. l. 2. lios, qui Eccleſiæ *fomenta fidei* ſubminiſtrarent. *Sancti per fidem vicerunt re-*
ad Ux. 6 *gna.* Dominicus fide armatus, multa præbuit *experimenta fidei victricis*. Sive
Hebr. 11 enim per ſe, ſive per ſuos, Thraciam, Mauritaniam, Poloniam, Germaniam,
Tert. l. 3. adv. Hiſpaniam, Franciam, Italiam, multaque alia regna fidei luce illuſtravit. 2.
Marc. 4 Canis erga domeſticos, familiares & notos, eſt mitiſſimus, quibus cauda
blanditur, erga vero extraneos & ignotos ferociſſimus, quos latratibus &
morſibus inſequitur. Idcirco in Daulia quodam in templo Minervæ dicato
Pier. l. 5 alebantur canes (qui Græcis tantum adventantibus ſe mites, manſuetos, & lu-
dibundos offerrent; in Barbaros vero feri, atroces, ac indignabundi ſemper
irruerent.) Dominicus Domini canis, domeſticis fidei benevolus, adblan-
diens, extraneis vero ferox, adverſus quos latrabat. Et quemadmodum Chri-
Tertull. ſtus in ultimo judicio apparebit *aliis ferus, ut Iudex: aliis manſuetus, ut Sal-*
lib. adv. *vator*; ita Dominicus fidei inquiſitor ab Innocentio tertio inſtitutus, & ab
Jud. 11 Honorio tertio, in illo officio confirmatus, ſeveritatem cum Chriſtiana
manſuetudine conjunxit, dentem & morſum adhibens in eos quos latratus
non excitarant; numquam enim ſeveritatem, pœnas, ac ſupplicia adhibebat,
niſi cum ratio, blandæque monitiones non ſuffeciſſent. Tunc enim patieba-
tur, ut hæreticis pertinacibus à brachio ſæculari, & ferrum admoveretur &
ignis. Inquiſitionis autem muneri Eccleſia Dominici ſubſtituit filios ob recte
adminiſtratum à parente Inquiſitoris officium. 3. Canis ad cuſtodiam deſti-
natur, vel ovilis ne lupus oves devoret, vel vineæ, ne latro fruges furetur, vel
domus ne fur rem familiarem deprædetur. Dominicus ex D. Antonino Flo-
3. p. tit. 22 rentino interpretatur *cuſtos Domini, id eſt vinea Domini cuſtos*, ſcilicet Eccleſiæ
c. 1 §. 1 quam probe cuſtodit *fides, ſi vigilat.* Dominicus indeſinenter vigilabat, ne
Tertull. diabolus lupus rapax, de ovili Chriſti depaſceret oves, ne fures, id eſt hæretici,
Scorp. 1 Eccleſiæ quæ eſt domus Dei, furarentur fideles; ne vineam Dei depopula-
Genes. 3 rentur: Ut autem Deus collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubin, qui
cuſtodiret eum, & ab ejus ingreſſu arceret ſceleroſum hominem, ita ad Eccle-
ſiæ cuſtodiam deſtinavit Dominicum cum ſuis, ut eam ab hæreticorum va-
Cant. 4 ſtatione propugnaret. Quod non ignorans Bucerus dicere ſolebat: *Tolle Tho-*
mam, & diſſipabo Eccleſiam. Solus Thomas eſt arx Eccleſiæ invictiſſima: *Tur-*
ris David ex qua pendent mille clypei, omnis armatura fortium. 4. Gregorius
Orat. 20 Nazianzenus Baſilium magnum nuncupat, *ſplendidam ac lucentem Eccleſiæ*
facem. Nonne fax accenſa quam catulus in ore gerebat, denotavit Domi-
nicum fore ſplendidam ac lucentem Eccleſiæ facem? Falſo Gentiles accuſa-
Tertull. bant Chriſtianos quod in nocturnis ſuis cœtibus erant *canes aliqui, & offula,*
Apol. 7

quæ

qua illos ad everſionem luminum extendant. In Eccleſia Chriſti velut canis eſt Dominicus; non ut evertat lumina, & tenebris lenocinetur, ſed ut fuget tenebras, & lucem diffundat. Hac de cauſa ſub catuli figura facem in ore tenentis repræſentatur cum hoc lemmate: *Lucet & ardet*; Lucet doctrinæ, prædicationis, & exemplarium virtutum ſplendoribus : ardet charitatis ardoribus, qua proximum diligit, & ſalutem animarum zelat.

3. *Cum fides æſtuat, & Eccleſia exuritur de figura rubi.* Alludit Tertullianus ad rubum quem vidit Moyſes ignitum & incombuſtum : Hoc autem igne denotatur charitas, quæ fertur tum in Deum, tum in proximum : In Deum, quem ſuper omnia, & propter ſemetipſum diligit: in proximum, quem propter Deum amat, eique duo præſertim præſtare nititur. Unum, corporalis indigentiæ levamen; alterum, animæ ſalutem, quam zelat. *Qui non zelat, non amat.* Geminum illum fraternæ charitatis effectum produxit Dominicus igne charitatis accenſus; pauperum ſublevans inopiam, & ſalutem animarum zelans. Cum enim valida fames totam devaſtaret Hiſpaniam, præſertim Valentiam in qua tunc temporis morabatur, & Theologiæ vacabat Dominicus, adeo ut in plateis ampliſſimæ civitatis jacerent corpora fame non gladio enecata; extrema illa pauperum indigentia permotus, primum quidquid in uſus ſuos habebat pecuniæ, in illos effudit, poſtea ſupellectilem ſuam omnem liberaliter dedit; deinde libros ſibi cariſſimos vendidit, quorum pretium egenis erogavit, mox ſibi relictum à parentibus patrimonium magna ex parte oppignoravit; tandem poſtquam alia donavit omnia, ſemetipſum dedit paupercul æ mulieri, ut ejus captivitate fratrem ſuum à crudeli Maurorum ſervitute liberaret. Admiranda prorſus Paulini Nolani charitas, qui ſe captivum fecit ac ſervum ut viduæ filium liberum faceret : ſed magis obſtupenda Dominici dilectio, qui idipſum præſtitit, non ſemel tantum, ſed & ſecundo, facturus etiam quoties ſeſe obtuliſſet occaſio. Baſilium magnum nuncupat Gregorius Nazianzenus, *publici & communis boni procuratorem.* Publici ac communis boni procurator extitit Dominicus: Tum quia ſuſtentavit Eccleſiam: juxta iſtud Eccleſiaſtici: *In vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit templum:* Tum quia in commune totius Chriſtianæ religionis bonum, ſanctam Roſarii inſtituit confraternitatem: Tum quia in publica calamitate fuit miſerorum refugium quorum miſeriam pro viribus ſublevavit. Ut autem ratiocinatur D. Chryſoſtomus, *hæc perfecta charitatis regula eſt, hic certiſſimus terminus, hoc ſupremum omnium cacumen, quærere quæ communem omnium comprehendant utilitatem.* Tum quia maximam proximi oſtendit charitatem, zelans ſalutem animarum. Ut enim ait D. Chryſoſtomus, *etſi immenſas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, ſi unam converteris animam.* Cujus hanc ſubminiſtrat rationem: *Qui dederit pauperi, famem ſolvit: qui correxit peccatorem, impietatem extinxit: ille corpus liberavit à dolore, hic animam à gehenna.*

Tertull. Scorp. 1

D. Amb. in Pſ. 118

Orat. 20

Cap. 50

Hom. 25. in 1. Cor. 11

Hom. 5. in 1. Cor.

Tom. 5. Orat. adv. Jud.

Ad animadverſionem peccatorum, & zelum ſalutis animarum multa viros Apoſtolicos ſtimulant: 1. Ut perverſum dæmonum æmulentur zelum: *Et quæ illis accuratior paſcua eſt, quam ut homines à recogitatu vera divinitatis avertant?* Uti autem dæmones laute epulantur, dum homines ad peccatum inducun; ita *eſca juſtorum, converſio peccatorum.* 2. Ut lucrentur animam, quam Deus conſtituit *molitionis ſuæ reginam*; cujus ſalus potior eſt univerſo orbe, etiam humanatæ ſapientiæ judicio: (Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?) Ut autem animadvertit D. Chryſoſtomus Chriſtianum alloquens, Dominus *oſtendit theſaurum, ne deſeras lucrum.* Anima eſt theſaurus, & ingens quidem, quia major eſt univerſo orbe. Nam ut ſcite ait D. Chryſoſtomus: *Unius animæ cauſa, cœlum, terra, & maria condita ſunt.* 3. Ut Chriſti imitentur exemplum, qui ad operandam hominis ſalutem humanatus eſt. *Ut hominem geſtaret Chriſtus, ſalus hominis fuit cauſa, ſcilicet ad reſtituendum quod perierat. Homo perierat, hominem reſtitui oportuerat.* 4. Ut conſervent immenſum pretium quod pro animarum ſalute ſolvit Chriſtus, quas redemit *pretioſiſſimo ſanguine ſuo*, qui eſt infiniti valoris, ob infinitam perſonæ Verbi dignitatem. 5. Ut divinam exequantur voluntatem, quæ hominum exoptat ſalutem: *Summa eſt voluntatis ejus, ſalus eorum quos adoptavit.* 6. Ut magnum operentur negotium. Quodnam majus negotium concipi poteſt, eo quod maxime Deo dignum exiſtimat Tertullianus? *Nihil tam dignum Deo, quam ſalus hominis.* Hac ratione utitur D. Chryſoſtomus, ut præſulem ad ſectandam animarum ſalutem inducat: *Tu igitur, mi frater, quamvis fame conficiaris, quamvis cinerem comedas quamvis ſemper lachrymis madeas, & nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis.* Nam ut ſubjungit aureus Orator, *nullum magnum poteſt eſſe officium, quando nullum in proximos lucrum.* Quapropter huic uni vaca, huic ſtude, huic te totum impende; ad inſtar Dominici, qui charitate in Deum æſtuans, & amore proximi flagrans, totam ſuam adhibuit curam in captanda animarum ſalute, quarum ducenta ad minus millia convertit, & eis procurans fœlicitatem, magnam ſibi in cœlo beatitudinem comparavit. Nam poſt emiſſos in terris lucis radios, & charitatis ardores, in ſuperna Jeruſalem, velut ſol radiat, ut in exceſſu mentis vidit Pater Roveli. Namque pro Dominici valetudine ſacroſanctum offerens Miſſæ ſacrificium, dum ad Memento quod pro vivis fieri ſolet, pervenit, raptus eſt, & velut immobilis factus, in illoque mentis exceſſu conſpexit B. Dominicum corona aurea redimitum, & inſtar Solis omni parte radiantem Bononia excedere, & ad empyreum properare, ubi *lucet & ardet.* Lucet à viſione beatifica, ardet ab amore beatifico. Chriſtiani, vultis in cœlo clareſcere, ardere, & de manu Dei æternitatis coronam recipere? Sitis quandiu eſtis in mundo ſoles puritate nitidi, luce fulgidi, ardore fervidi, & ſicut ſoles in cœlo fulgebitis & ardebitis, redimiti immarceſſibili gloriæ corona.

Tertull. Apol. 22
D. Greg. l. 31 Mor. 22
Tert. l. de Reſ. Car. 9
Orat. adv. Jud.
Tert. l. de Car. Chr. 14
Tert. l. de Fug. in Perſ. 12
Tert. l. de Orat 4.
L. 2. adv. Marc. 27.
Hom. 25 in 2. Cor.

CONCIO SEXTA.

S*imilitudinum dominicarum argumenta.* In nullo Sancto magis elucent, quàm in B.Franciſco de Paula, Chriſto Domino perquam ſimillimo. 1. Chriſtus miraculosè conceptus eſt in utero Virginis: Franciſcus quoque miraculosè conceptus eſt, [quem parentes, dum diu prole caruiſſent, voto facto, B.Franciſci precibus ſuſceperunt.] 2. Chriſtus nuncupatur Nazarenus à loco, in quo morabatur: & Franciſcus vocitatur non de Martotilla (hoc enim parenti erat cognomen) ſed à Paula, ubi natus eſt. 3. Nato Chriſto Domino ſtella ducens Magos ſtetit ſupra ſtabulum in quo jacebat: eâdem etiam horâ, qua natus eſt Franciſcus, viſa eſt à Paulanis civibus ſplendidiſſima quædam ſtella, quæ de cœlo deſcendens firmata eſt ſupra tectum paternæ domûs, in qua naſcebatur. 4. Inter multos honoris titulos, quibus inſignitur Chriſtus, nominatur Admirabilis: ut autem appareat quàm admirabilis ſit Franciſcus, appellatur de Paula. Ex D. autem Hieronymo Paulus, à quo denominatur Paula, interpretatur admirabilis. 5. Chriſtus eſt prorſus admirabilis, ob virtutes quibus decoratur, & miracula quæ operatur. Iiſdem adhuc rationibus admirabilis prædicatur Franciſcus. 6. Cuncta ſun in Chriſto admiratione digniſſima: præſertim ardens ejus charitas, profunda humilitas, magna poteſtas. In his tribus potiſſimum Chriſto aſſimilatur Franciſcus, fulgens charitate, humilitate, & poteſtate. Sed 1. charitate multis virtutibus commendatâ. 2. humilitate ab hominibus honoratâ. 3. poteſtate miraculoſis operationibus manifeſtatâ.

Tert. l. de pœn. 8

In Breviar.

I. PARS.

Dilectio Chriſtiani nominis theſaurus: & ut fatur Laurentius Juſtinianus, *dives animi ærarium;* quia ab illa una cœleſtibus gazis ditatur homo, & Chriſto Domino aſſimilatur. Pretioſo illo theſauro locupletatus Franciſcus Chriſto ſimilis extitit: *Certè Chriſtus dilexit hominem;* Chriſti autem dilectio tribus virtutibus potiſſimum commendatur: ſcilicet 1. Abſtinentiæ auſteritate; nam *eſurit ſub diabolo, ſitiit ſub Samaritide.* 2. Paupertate; nam *ipſe Dominus in nullis divitiis invenitur.* 3. Humilitate, nam *propter hominem omni ſe humilitate dejecit.* Franciſci charitas dominicæ dilectionis imago commendatur, 1. magnâ abſtinentiæ auſteritate. 2. nudatâ paupertate. 3. profundâ humilitate.

Tert. l. de Pat. 12

Tract de Charit. c. 5

Tert l. de Car. Chr. 4.

Tert. l. de Car. Chr. 9.

Tert. l. de Pat. 7

1. *De caſtigatione victûs* multum commendatur charitas, qua æſtuabat Franciſcus. 1. *Daniel dedit faciem ſuam Deo in jejuniis, & ſacco, & cinere.* Franciſcus ab infantia ad decrepitam uſque ætatem in laboribus, vigiliis, ciliciis, abſtinentia, jejunio. & carnis maceratione perſeveravit. Nam ut teſtatur Leo X. in bulla canonizationis [admirabilis erat vitæ ejus auſteritas in pueritia, adoleſcentia, juventute, ſenecta, & decrepita ejus ætate. Inter labo-

Tert. l. de Car: Chr. 4.

Tert. l. de jejun. 1

Tert. l. de jejun. 7

res, vigilias, jejunia, abſtinentias, innumeraſque corporis macerationes, eundem penè vivendi modum ſervavit.] 2. Daniel in curia Regis Babylonis exiſtens inter regalis menſæ apparatus à carne & vino abſtinuit, abſtinentiæ &
Tert. l. de jejunio vacavit: *In illis diebus ego Daniel etiam lugens, per tres hebdomadas pa-*
jejun. 11 *nem ſuavem non edi, caro & vinum non introierunt in os meum.* Franciſcus in
Tert. l. de curia Francorum Regis commorans, nunquam dimoveri potuit à *tam ine-*
jejun. 9 *dia, quàm anxij victûs tolerantia.* Ut enim in Breviario legitur, [ad panem & aquæ potum vix aliquid ejuſmodi obſonii adhibebat, quo veſci in Quadrageſima licet.] 3. Daniel legumina regiis præferens cibis, formoſior evaſit:
Tertull. *Redeo ad Danielem & fratres ejus, leguminum pabulum, & aqua potum, ferculis*
ibid. *regiis praferentes, atque exinde formoſiores, caterùm ſpiritu inſuper cultos:* Fran-
Tert. l. de ciſcus quoque *ſiccans cibum ab omni carne, & omni jurulenta,* ſpecie & linguâ
jejun. 1 Angelus videbatur. Specie, ob amabilitatem; ut enim animadvertit D. Chryſoſtomus expendens iſtud quod de Stephano refertur: [Viderunt faciem e-
Act. 6 jus tanquam Angeli.] *Mihi videtur inſinuare illum fuiſſe facie amabilem.* Lin-
Hom. 15 guâ etiam, ob ſermonis ſuavitatem; de quo idem dici poteſt quod Guillelmus
in Act. Abbas de D. Bernardo aſſerit: *Loquebatur linguâ Angelorum.* Angelorum lin-
Cap. 6 guâ loquebatur Franciſcus, qui, ut ait Leo X. [erat adeò in loquendo huma-
In Bull. nus atque affabilis, ut nullus unquam ad eum acceſſerit, quin melliflius ejus
Can. verbis delectatus, & quaſi divino ſpiritu repletus ab eo receſſerit.] Et ſi, ut
L. 10 c. 15 philoſophatur Hugo à S. Victore, *propterea in forma humana Angelus deſcri-*
de Cœ- *bitur, quia homo quantò minus ſenſu viget, tantò potentior eſt ratione & intelli-*
leſt. Hier. *gentiâ, & libertate naturalis arbitrij: ubi Angelis aſſimilatur;* quis potiori jure Angelus nuncupatur, quàm Franciſcus, verè paſſionum dominus, verè ſenſuum dominator, quos rationis ſubjiciebat imperio, nullis inordinatis exagitatus motibus, qui rationis & intelligentiæ obtenebrarent lucem, & vo-
Tert. l. de luntaris libertatem impedirent? 4. Daniel abſtinentiâ & jejunio meruit ob-
jejun. 9 tinere cœleſtium ſacramentorum notitiam: *Dedit enim Deus adoleſcentulis ſcientiam & intelligentiam in omni litteratura, & Danieli in omni verbo, & in ſomniis, & in omni ſophia, qua hoc ipſum quoque ſaperet, quibus modis de Deo impetraretur agnitio ſacramentorum.* Franciſcus etſi à nullo præceptore erudi-
Andr. El- tus, nullis libris inſtructus, in nulla Academia converſatus, [quàmvis littera-
borenſis l. rum expers eſſet, à Ludovico rege, ejuſque filio Carolo conſiliis de rebus ma-
de Mode- gnis adhibebatur, ſententiaque ejus præferebatur,] cunctorum Doctorum
ſtia & opinioni, qui ſimul cum eo conſultabantur. 5. Daniel jejunans, & jejuniis
Gravitat. preces alens, Deum exoravit. Cui Angelus de cœlo miſſus: *Daniel ex die*
Tert. l. de *prima qua dediſti animam tuam recogitatui, & humiliationi coram Deo, exau-*
Jejun. 9 *ditum eſt verbum tuum.* Franciſcus ſuis precibus Ferdinando Arragoniæ regi cognomento Catholico, inſignem de Mauris comparavit victoriam. Malacam obſidebat Ferdinandus: ſed cùm diu teneret obſidio, Mauris fortiſſimè obſiſtentibus, diſceſſionem cogitabat; cùm à Franciſco monitus eſt ne abſcederet, ſed in obſidione, haud ita multò poſt fractis hoſtibus felicius ſol-

ven-

venda, perſtaret. Accepit oraculum Ferdinandus, hæſitque in ſtatione. Nec diuturna fuit obſidio; nocte enim ſequenti, acti panico terrore Mauri, clam ex urbe diſceſſerunt, Regique potiundam reliquerunt etiam ſine cæde, ſine ſanguine. Et hæc inſignis incruentaque victoria & Regi admirationem attulit, & Franciſco gratiam ac beneficentiam regiam conciliavit, qua deinde extructum Malacæ Cœnobium, cui titulus Cœnobii à victoria. 6. Daniel jejunio ita ab activitate ignis illæſus extitit, ut in fornacem ardentem injectus nullum paſſus ſit detrimentum. *Extra fornacem ignis iraſcitur, & intùs in fornace famulatur. Ingeſta ſibi pabula circumfuſus allambit, nihilque ſibi licere miratur in corpora Dei timore, & ſacris jejuniis conſecrata, & pretioſum depoſitum non violat occultâ Dei diſpenſatione.* Neque ſolus Daniel virtute jejunii ab activitate ignis exemptus fuit, ſed ejus ſocii fuerunt etiam ab ejus ardore immunes: *Quia jejuni in fornacem ingreſſi ſunt, diſcuſſo ardore flammarum, in medio fornacis flatum roris refrigerantis ſpiritu hauſère, ita ut eorum nullus capillus capitis exureretur; quia illam quoque comam jejunia paverant.* Adamas ab igne nequit offendi. Ut autem ſubjungit D. Ambroſius: *Daniel vir deſideriorum in adamantis rigorem abſtinentia ſoliditate durata habuit membra.* Franciſcus abſtinentiâ velut in adamantem immutatus, nullo modo ab igne combuſtus aut læſus fuit. Meditabatur Paulæ, loco natali primi Cœnobii modum, quod ut erigeret, fornacem extruxerat coquendo in calcem lapide; ſed, ô malum! ita exarſit fornax, ut diſſiliret, ut flammas evomeret atque incendia: hinc & terror omnium, & fuga præceps, qua ſe flammis eriperent. Monetur Franciſcus periculi, monetur & damni, & ruinæ fornacis; nec mora advolat ipſe, ſignoque crucis & frontem & pectus muniens in flammas involat, inſilit in fornacem, illiuſque damna ſuis ipſe manibus reparat, ex eoque recedit illæſus, innoxio corpore, imò & innoxiis veſtibus. Profectò reverebantur flammæ virum Dei, voracemque ſuam activitatem à Franciſco cohibebat ignis. Quidni cohiberet à viro abſtinentiâ defœcato, puritate angelizato, magna ſanctitate decorato, & igne charitatis ſufflammato;

Eucher. Hom 3 de Epiph.

D. Ambr. l de Elia. & Jej. c 7

Multum commendatur Franciſci abſtinentia ſi conferatur cum jejunio Moyſis. *Cui cor erectum potius inveniebatur, quàm impinguatum; quadraginta diebus totidemque noctibus ſupra naturæ humanæ facultatē jejunium perennavit, ſpirituali fide virtutem ſubminiſtrante; & vidit oculis Dei gloriam, cùm quidem nec ipſum Moyſem Deo paſtum, inediamq́ ejus nomine ſaginatam, conſtanter contemplari valeret pinguior populus.* Franciſco non ſecus ac Moyſi à jejunio cor erectum, & facies à Deo illuſtrata, ut lucis radios emitteret: quaſi non hominis eſſet facies, ſed Solis; adeò lucebat ardebatque, quia ſcilicet interior lux & ardor ſeſe prodebat exterius. Porrò inter cœleſtes illas luces, & divinos ardores, Franciſci animus ſæpius abibat à ſenſibus, & à ſeipſo, totuſque in Deum rapiebatur; nec non ipſum corpus etſi carneâ luteâve mole gravidum, quaſi naturæ immemor, in altum elevari, & in aërem ſuſpendi videbatur,

Tert. l. de Jejun. 6

batur, nõ minus animę levitate gaudens, quàm ejus luce & ardore perfuſum.

Sed ut appareat quanta ſit Franciſci pœnitentia, comparandus eſt cum Joanne Domini Præcurſore, qui à teneris annis in ſolitudinem ſe recepit, ibique remanſit, *nec manducans, nec bibens, profectò neque veſtiens, neque cubans; ſed velut angelicam vitam ducens.* (D. Bern Ser. 10. de Nat. Joan.) Dictus eſt non manducare, quia etſi locuſtas & mel ſilveſtre eſitabat; tamen tantillus cibus pro non cibo haberi potuit: ſicut nec bibere dictus, quia aquæ ſolius potu ſitim extinguebat; nec cubare, quia nuda humus pro lectulo illi erat. 1. Inſuper hirſutâ cameli pelle induebatur, tantâque animi puritate, & corporis auſteritate vivebat, ut non homo haberetur, ſed Angelus. (D. Athan. l. de Virginit.) *Jejunium Angelorum cibus eſt, & qui eo utitur, ordinis Angelici cenſendus eſt.* Franciſcus Joannis æmulans pœnitentiæ & vitæ auſteritatem, à decimo tertio ætatis anno mundum humanamque converſationem fugiens, per quinquennium *ſolitudinis incopioſa* incola fuit; (Tert. l. de Jejun. 8) ubi non manducans, neque bibens poteſt dici, quia illi modicus cibus, iſque herbaceus; potus autem aqua pura, quaſi reſculpere voluerit primordialem Adami eſum: (Tert. l. de Jejun. 4) ſiquidem *in primordio Deus herbidum ſolummodo, & arboreum homini pabulum addixerat.* Jejunium Franciſcus juge ac perpetuum ſervabat, quod nonniſi ad occaſum Solis ſolvebat, ſicque *ad veſperam jejunans, pinguiorem orationem Deo immolabat.* (Tert. l. de Jejun. 10 Hom. 1) Cubatio illi erat nuda humus, parum opportuna ad conciliandum ſomnum, niſi dicamus cum S. Maximo: *In lecto corporis hujus mollius dormit, quiſquis durius inclementiuſque tractaverit.* Aſperrimo ad nudam carnem cilicio ſine intermiſſione utebatur, ſingulis noctibus corpus ſuum diverberabat, catenâ ferreâ, variis contextâ catellis, nudis pedibus incedebat etiam aſperrimâ anni tempeſtate, non cellula tantùm, ſed foris per lutum, per nivem, per ſaxa duriora, perque loca dumis ac ſentibus obſita. Itaque Franciſcus *non eſt homo, ſed fermè Angelus; quia fermè Angelus eſt jejunans.* (D. Chryſoſt. Ser. 1 de Jejun.) Cùmque multi ejus pœnitentiâ moti ad eum acceſſiſſent, ejuſque vivendi modum æmularentur, eos Religionis ſuæ primordia fundans tanquam abſtinentiæ obſervantiſſimus, filios ſuos quarto abſtinentiæ quadrageſimalis voto obſtrinxit. (Tert l. de Jejun. 11) *Tandem & votum cum à Deo acceptatum eſt, legem inpoſterum facit, per auctoritatem acceptatoris, exinde enim faciendum mandavit, qui factum comprobavit.* Neque ab hujus voti obſervatione niſi infirmitatis causâ diſpenſantur filii Franciſcani, qui quandiu vixit continuum ſervavit jejunium. Multi fuêre juſti, qui prolixa ſervârunt jejunia; verùm in Feſtis ſolemnioribus, præſertim in die Paſchatis, interrupto jejunio tantiſper recreârunt corpus: Franciſcus omni die, etiam Paſchatis, ſuum proſequebatur jejunium. (Tert. ib.) *Quantum proficiant recuſati, vel reſciſſi, vel retardati pabuli officia.* (Tertull. Prædic. tom. 1. Tract. de Abſtin.) Fusè aliorſum declaravimus plures hujus afferentes rationes, quarum una hæc eſt, *ut & pecuniæ ardor extingueretur ex parte, quà de victûs neceſſitate cauſatur.* (Tert. l. 2 adv. Marc. 28) Inter varias autem cauſas, quibus ad perpetuum ſervandum jejunium ſtimulatus fuit Franciſcus, fuit paupertas denudata, cujus ipſe ad Chriſti exemplum amantiſſimus fuit.

2. Chriſtus Dominus in paupertate inceſſit *domicilio incertus: nam Filius hominis, inquit, non habet ubi caput collocet.* Quid autem Dei Filium ad tantam redegit inopiam & egeſtatem? Amor hominis: *propter quem in hac pauperrima elementa de tertio cœlo deſcendere laboravit.* Franciſcus charitate flagrans, zelo paupertatis æſtuans, Chriſti inopiam velut æmulans, adeò pauper fuit, ut ne vel minimum terræ palmum proprium habuerit: nam ut de illo fatur Breviarium Romanum; [rudi amictu, nudis pedibus incedens, humi cubabat.] Noverat enim ſe in hanc vitam velut in arenam deſcendiſſe, & athletam eſſe, ſed *athleta ad luctamen nudus accedit*: ſenſerat ſe hoc in mundo, ſeu proceloſo pelago jactari; ſed *confligit cum fluctibus nauta nudus.* Viderat ſe hac in arena ſeu palæſtra luctari; at *miles in acie nonniſi expeditus aſtiſtit.* Sciverat ſe ad ſacram philoſophiam vocatum; at *qui tendit ad philoſophiam, totum quod in rebus eſt, contemnit.* Didicerat ad Chriſtianam felicitatem conducere non terrenorum opulentiam, ſed paupertatem: *Magna felicitatis eſt conditio Chriſtianorum, quibus claritudo regni in paupertate poſita eſt.* Audierat etiam à gentili Philoſopho, ineundum eſſe cum paupertate commercium, quod Deo dignum reddit: *Incipe cum paupertate habere commercium: aude hoſpes contemnere divitias, & te quoque dignum finge Deo. Nemo aliuseſt Deo dignus, quàm qui opes contempſit.*

Tert. l. de Idol. 18
Tert. l. 1 adv. marc. 14
Chryſol. Serm. 28
D. Aug. Ser. 16. de Verb. Apoſt.
Seneca ep. 18

Quàm Deo dignus fuit Franciſcus, qui toties oblatas ſemper contempſit opes. Mox ut ad Ludovicum XI. Galliarum regem acceſſit, Rex de providenda ſupellectile ſolicitus, miſit ſcriniolum auro argentoque grave ac pretioſum, vaſis aureis argenteiſque omninò refertum; cui Franciſcus: [Dic Regi Chriſtianiſſimo Eremitam pauperem minimè uti ſupellectile argenteâ, vas luteum ac fictile, ſcutella lignea, illi plus ſatis.] Ubi rejectam ſenſit ſupellectilem argenteam, ſtanneam tranſmiſit, ratus non ingratam Franciſco futuram; ſed & hanc quoque recuſavit. Quid hæc inter Rex beneficus ſimul ac munificus? Deiparæ Iconem ex auro puro fuſam dono miſit, ingentis ſanè pretii; æſtimabatur enim ſeptendecim ſcutorum millibus, & illam Eccleſiæ ſacrique ſacelli ornamento dicatam ſervatamque Rex voluit. At Iconem remiſit Franciſcus, ajens Deiparam amare ſe ac colere in paucis, non tamen aurum. Iconem iterum ac tertiò miſit Ludovicus, adjiciens & iſtud, ſi minus eam ſibi temploque ſervatam vellet, juſto pretio venderet, & illud in egenos erogaret. Cui Franciſcus: Non deſunt Regi eleëmoſynarii, vendant Iconem illi, pretiumque ex ea acceptum pauperibus diſtribuant. Tandem Rex ne quid intentatum relinqueret, adiit Franciſcum, ejus cellulam ingreſſus, ubi ſolus cum ſolo, ſine teſte, ſine arbitro: Agedum, inquit, Franciſce, en loculum auro nummato grave, en plenum ſcutis aureis, ea dono ex me accipe, & in urbe Roma tibi tuiſque inde Monaſterium exſtrue. Cui Franciſcus liberâ voce, animo liberiore: [Tibi expediret magis ea bona, quæ ab aliis ſive per vim rapuiſti, ſive per enormia tributa à miſero populo extorſiſti, illi reſtituere, quàm ex iis quæ tua non ſunt, eleëmoſynas liberales facere. Non hæc

I. obb. tractat. de S. Francis. de Paula.

opera tibi ad ſalutem neceſſaria, imò nec utilia:]his verbis Regem increpans, & ſe verum paupertatis obſervatorem, & in inopia divitem demonſtrans. *Chriſtiana paupertas ſemper dives eſt, quia plus eſt quod habet, quàm quod non habet; nec timet in mundo iſto indigentiâ laborare, cui datum eſt in omnium rerum Domino omnia poſſidere.* Franciſcus Deum poſſidens, etiam in ſumma paupertate multò ditior erat Rege. Etenim *cui benè convenit cum paupertate, dives eſt.* Annon opulenter dives eſt, ad quem non ſolùm in futuro, ſed adhuc de præſenti teſtatur humanata Veritas pertinere regnum cœlorum? *Audacter dixerim, hanc paupertatem aliquid ſimile habere cum cœleſtibus rationabilibus creaturis, eò quòd beati prædicantur in terris:* Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. *De cœlo paupertas venit ad terras: ſicut pro nobis factus egenus de cœlis deſcendit, præferens in ſe ipſius virtutis normam. Cœleſtem eſſe monſtravit, cùm non habere velle terrena gerat ſimilitudinẽ Angelorum. Qui terrena nec concupiſcere, nec poſſidere noverunt, Angeli ſunt terreſtres.*

S. Leo Ser. 4 de Quadrag.
D. Grego. tom. 6 in Ezech.
D. Bern. Sen. Ser. 2 de mult. paupert. a. 3. c. 2

Ex D. Dionyſio *Angeli nudi & diſcalceati depinguntur.* Cujus hanc rationem ſubminiſtrat Bernardinus Senenſis: *Cùm igitur Angelici ſpiritus ſint habitatores cœlorum, nihil terrenum habere probantur, ipſorum ſignum paupertas ſpiritu meritò dici poteſt.* Pauperes ſunt in triplici differentia. Primi, parum habent de terrenis rebus: ſecundi, paulò minus de terrenis bonis poſſident: tertii, nihil prorſus poſſident; & hi non homines exiſtimandi ſunt, ſed Angeli, qui nihil omninò in terra poſſidentes cœleſtibus fruuntur gazis: *Animus inopis fulget ut aurũ ſplendet ſicut gemma floret quaſi roſa, vivit angelicâ vitâ.* Quàm felix Franciſcus, qui ob Evangelicam paupertatem, quam adeò dilexit, etiam in terra beatitudinem conſecutus eſt, factus velut Angelus moralis, humanâ carne veſtitus, ad quem ſpectat regnum cœlorum utpote ſpiritu pauperem, id eſt, ſine tumido mundi ſpiritu, ſine mentis elatione & ſuperbia, qua homines ſeculo deditì multum abundant. *Per pauperes ſpiritu intelliguntur humiles non habentes inflantẽ ſpiritum.* Quia tamen *abhorret natura vacuum, terrenis vacui cœleſtibus implebuntur.* Franciſcus ſpiritu mundi vacuus, angelico repletus eſt ſpiritu, ſpiritu ſcilicet humilitatis. Angeli etiam ſunt adminiſtratorii ſpiritus. *Beati pauperes ſpiritu, illorum eſt enim regnum cœlorum. Nullus profectò ſpiritu pauper, niſi humilis.* Beatus Franciſcus tã paupertate quàm humilitate referens Angelum, imò & ipſum Dei Filium, qui venit *non miniſtrari, ſed miniſtrare.*

De cœl. Hier. 13
Tom. 3 Ser 9 a. 3
D Chry ſoſt. hom. 49. in Matth.
D. Aug. l. 1. Serm. Dom in Mont.
D. Bernar. din. tom. 3 Ser 9. a. 1 c. 2

3. Quique *in humilitate inceſſit*; nam exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens. Quo loquendi modo denotat Apoſtolus ultimum humilitatis gradum, quem præbuit *Dei Filius in tantum humilitatis exhauſtus.* Cujus imitator Franciſcus omnimodam exhibuit humilitatem. 1. Nomen humile capians. 2. Religionem humilitate denotatam fundans. 3. Honores recuſans. 4. Dignitatis inſignia non portans 5. Vilem ſe eſſe exiſtimans. 6. Merita ſua occultans. 1. Homines mundo addicti *nomen grande* affectant, ambiuntque vocari magni, maximi: At Franciſcus Minimus voluit appellari, ab humilitate velut exinanitus, Chriſti imitans exinanitionem, qui è minima tribu Juda naſci

Tert. l. de Pat. 11
Matth 10
Tert. l. de Idol. 18
Philip 2
Tert. l. de Carn Chr 14
Tert. l. de Pall. 5

naſci voluit; noviſſimus, id eſt, minimus virorum appellatus fuit; minimoſque frat s ſuos nuncupavit: *Quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Ex D. autem Bernardino Senenſi, *minimi ſunt viri humilitate perfecti;* quales ſunt Franciſci Religioſi. Q os 2. Minimorum nomine voluit denotari, in quibus elucet *profeſſio nominis cum inſtitutione tranſmiſſi ab inſtitutore.* Franciſcus Religionem fundans, humilitatis nomen, quod ipſe aſſumpſit, ſuis tranſmiſit filiis. Nam ut fatur Leo X. in Bulla canonizationis Franciſci: *Humilitatem ejus etiam inſtituti per eum Ordinis oſtendit, quod ut is omnium minimus eſſe volebat, ita Minimorum dici cenſuit, & inſtituit.* Filius eſt imago patris, quia generatio naturæ importat ſimilitudinem: Tum quia *vult & Cleantes, non ſolùm corporis lineamentis, ſed & animæ notis ſimilitudinem parentibus in filios reſpondere, de ſpeculo ſcilicet morum, & ingeniorum, & affectuum.* Parentes ſimul cum natura largiuntur filiis corporis qualitatem, animi indolem, morum ſimilitudinem. Itaque *erit ex rege rex, ex bono bonus, ex pulchro pulcher, & in cæteris omnibus ſimiliter ex quolibet genere alterum quoddam tale.* Franciſcus filios generans Religioni, ſuum eis ſpiritum tranſmiſit, nempe humilitatis ſpiritum. Et quia res per nomen declaratur, voluit eos nuncupari Minimos, ut & re & nomine eſſent humillimi. *Si rectè ſapimus, nullos vobis eſſe minores arbitramur. Et hoc dico non de nobis, qui innumeris immerſi ſumus peccatis; ſed etiam ſi quis ſibi plurimorum benè geſtorum conſcius ſit, niſi apud ſe ſentiat quòd omnium ſit poſtremus, nulla ei futura utilitas eſt ex omnibus bonis operibus.* Ecce judice Chryſoſtomo, nulla à virtute, nulla ab opere bono utilitas emergit, niſi à tuîi ſius dimiſſione, quæ reponat in poſtremis, & cum Franciſco & nomine & re efficiat Minimum. Licèt magnus ſis à virtute, & cœli calculo; tuo tamen judicio minimus eſto, ad inſtar Pauli humiliter de ſe ſentientis: *Ego ſum minimus Apoſtolorum;* & ſic eris ab humilitate magnus. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Eadem quippe eſt menſura & magnitudinis, & humilitatis, ut rectè docet D. Auguſtinus: *Menſura humilitatis cuique ex menſura ipſius magnitudinis data eſt.* Quanta hæc eſt, tanta eſt illa, ut patet ex Franciſco meritis maximo, humilitate minimo, 3. honores recuſante. *Homines gloriæ libidinoſi* honores & dignitates ambiunt; at inter honoris titulos nullus profectò major ſacerdotali dignitate, ut fusè aliorſum demonſtratum eſt. Excelſam illam dignitatem recuſavit Franciſcus. Romam cum veniſſet, honorificè exceptus eſt à proceribus ampliſſimæ illius urbis, exceptus à Cardinalibus; imò & ab ipſo Summo Pontifice, qui eum ultrò ad familiare colloquium etiam tertiò admiſit, ſibique aſſidere juſſit, & per tres quatuorve continentes horas tenuit, eumque ad ſacerdotium promovere voluit: Franciſcus patroni Franciſci Aſſiſiatis imitans humilitatem, ſeſe tantæ ignitatis reputans indigniſſimum, ſacerdos fieri renuit. Ad Pontificis pedes ovolutus, omni animi demiſſione ſeſe excuſavit à ſapientia ſublimi illa gnitate, quam ipſis Regibus, imò & Angelis ſuperiorem exiſtimabat. Et

Matth. 25
Tom. 2 Serm. 11 a 2. c 3
Tert. Apol. 3
Tert. l. de An. 5
Plato in Cratilo.
D. Chryſoſt. Hom 33. in Geneſ.
Eccleſ. 3
L. de Virginit. c 31
Tert. Apolog. 47
Tertull. Prædic. Tom. 2 Tract. 1 Conc. 2

quod eſt admiratione digniſſimum, inhibuit, ne 4. Sacerdotes ſui Ordinis deferrent in capite coronam, quæ eſt ſacerdotalis dignitatis inſigne. ***Apud Ægyptios & Babylonios inſignia erant dignitatis, corona aurea ſacerdotum.*** Apud Chriſtianos etiam ***Sacerdotes eorum coronantur***, deferentes in capite tonſuram ad modum coronæ factam. Et hoc multiplici ratione: Tum ut vult Germanus Conſtantinopolitanus, quia ſpineam Chriſti repræſentat coronam: ***Tonſura capitis ſacerdotis, & rotunda ejus pilorum media ſectio, vice coronæ eſt ſpinea quam Chriſtus geſtavit.*** Tum quia, ut ſubjungit Germanus, Chriſtus voluit ut ſacerdotes honoris causâ deferant in capite tonſuram clericalem, quã Gentiles per contemptum principi Apoſtolorum Petro intulerant. ***Imaginem refert venerandi capitis Apoſtoli Petri, (qui cùm miſſus eſſet ad prædicationem Domini & Magiſtri) ei tonſa eſt ab iis, eiq; Magiſter Chriſtus benedixit, & infamiam in honorem, ignominiam in gloriam convertit.*** Et ***hanc coronati capitis inſtitutionem, in eorum honorem diſpenſandam*** ſuis religioſis etiam ſacerdotibus inhibuit Franciſcus, ut nullum honoris deferrent inſigne, qui humiliatis teſſerâ notabantur. Magna fuit Titi humilitas, qui (cùm captis Hieroſolymis à finitimis Gentibus ob victoriam corona aurea ei offerretur, reſpuit, dictitans ſe tali honore indignum.) Neque minor Godefridi Bullionenſis modeſtia; nam Hieroſolymorum Rex creatus à Latinis, regiam poteſtatem ſine inſignibus accepit, negans ſe ea in urbe coronam auream ſumpturum, ubi Dominus & Deus ſpineam geſtâſſet.) Quorum humilitatis & modeſtiæ non impar Franciſci modeſtia & humilitas, qui ſacerdotalem coronam in capite, quam alii Religioſi deferunt, non ſolùm ipſe non tulit, ſed nec etiam ſacerdotibus ſui Ordinis portare permittit. Utinam ad Franciſci humilitatem attenderent laici, qui ut ſacerdotes videantur, ambiunt ſacerdotales deferre coronas. ***Coronarii iſti*** tantam profectò demonſtrant vanitatem, quantam Franciſcus humilitatem. 5. Vilem ſe & abjectum exiſtimans. Tertullianus præ humilitate ſe velut peccatorem depretiat: ***Peccator omnium notarum cùm ſim***, inquit, Franciſcus quoque ſe peccatorem proclamabat, & dum ab aliis ut abjectus deſpiciebatur, gaudebat. ***Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari; gaudet contemptu ſui, hoc ſolo ſanè ſuperbus, quòd laudes contemnit***, quòd amat opprobria, quæ amavit Franciſcus, in oculis ſuis abjectus & humilis, parvos ſuos defectus velut magna ſcelera conſiderans, ſuaſque ſplendidas virtutes 6. occultans. Quantumvis Tertullianus fuerit ingenii ſublimitate, doctrinæ profunditate, & zelo obſervandæ ſeverioris diſciplinæ Chriſtianæ præditus, attamen tot præclaras occultans dotes, ſe ***hominem nullius boni*** prædicat. Similiter Franciſcus ſanctitate ornatus, meritis & virtutibus decoratus, dono miraculorum commendatus, & à cunctis ob inſignes gratiæ prærogativas honoratus, ſibiipſi vileſcit, dona tegit, merita quibus abundè ditatur, minuit, & ut à cunctis contemnatur, defectus ſuos propalat & augeſcit, ad inſtar S. Maximi: ***Honoris impatiens, humilis ad merita, ſuperbus ad vitia. Honoris impatiens***, quia nec eum admittit, nec patitur; ***humilis ad merita***, quia ea vel celat omninò,

Tert. l. de Idol. 18
Tert. l. de Cor. Mil. 10.
Tom 8 bibl. patr.
Tert. l. de Cor. mil 7
Philoſtrat. in vita Apollonii 12
Tert. l. de Cor. mil. 7
L. de Pænit. I.
D. Bern. Serm. 16 in Cant.
Euſebius Hom. de S. Maxim.

nino, vel quantum poteſt imminui: *ſuperbus ad vitia*, quia ea quantum vis minima quaſi grandia exiſtimat ac venditat, ut qui ſibi vilis eſt & abjectus, aliis etiam à vitiis vilis & abjectus habeatur. Quantum à Franciſco diſcriminantur quamplures, ad merita ſuperbi ac inſolentes, ad vitia demiſſi & humiles: vitia occultantes, virtutes prodentes, non deſpectum ad laudem quærentes, dum quicquam boni operantur videri, & digito monſtrari affectantes! Chriſtane, noli tumidos illos imitari, ſed potius ad exemplum Franciſci ſectare humilitatem: *Eſto parvus in oculis tuis, ut ſis magnus in oculis Dei. Tanto enim eris apud Deum pretioſior, quanto fueris in oculis tuis deſpectior.* Divina namque providentia demiſſos exaltat, abjectos glorificat, ut Franciſci comprobatur exemplo, cujus humilitas non ſecus ac Chriſti, multum fuit honorata. D. Iſidor. in Sinonymis.

Humiles ſublimitate, ſublimes humilitate mutantur. Alludere videtur Tertullianus ad oraculum à Chriſto Domino prolatum, quod velut paradoxum habetur: *Qui ſe humiliat exaltabitur; & qui ſe exaltat humiliabitur.* Humilitas eſt via ad exaltationem; & è converſo exaltatio eſt via ad humiliationem: & ut fatur Gregorius Nyſſenus; *Superbia eſt deſcenſus ad inferiora; humilitas vero aſcenſus ad ſuperiora.* Lucifer voluit exaltari ſupra ſolium Dei, & *de ſublimitate cœleſti ſatanam quoque Dominus decidiſſe teſtatur.* Dei Filius è contra uſque ad exinanitionem deſcendens ad Patris thronum exaltatus fuit: Cujus exemplum producit D. Bernardus ut demonſtret humilitate aſcendi ad exaltationem. *Per humilitatem ad ſublimitatem aſcenditur, quia hæc eſt via non alia præter ipſam: Chriſtus enim cum per naturam divinitatis non haberet quo creſceret, vel aſcenderet (quia ultra Deum nihil eſt) quodammodo ut creſceret invenit* formam ſervi accipiens, ſeſeque uſque ad exinanitionem dejiciens. Qui Luciferi imitantur ſuperbiam, ac aſcendere moliuntur, humiliantur, & de exaltatione deſcendunt, *dejeciſti eos, dum allevarentur*; qui vero Chriſti humilitatem & deſcenſum imitantur, exaltantur & honorantur; quomodo Franciſcus humilitatis Dominicæ æmulus fuit à 1. Regibus honoratus: 2. ſummis Pontificibus exiſtimatus: 3. divinis affinitatibus nobilitatus. II. PARS. Tertull. Apol. 20 Luc. 14 Tert. l. 2. adv. Marc. 10 Ser. 2. de aſcenſ. Pſal. 72

1. Chriſtum ſcimus *ignominiam hominis, & nullificamen populi* habitum, præſertim à Regibus. Nam dum eſſet adhuc in cunis, fuit ab Herode rege inſecutus ad mortem, qui ut eum enecaret innumeros trucidavit infantes: & adhuc ab alio Herode rege deſpectus & illuſus: Ut enim ait Tertullianus, regium Vatem referens: *Aſtiterunt reges terræ, adverſus Dominum; Reges in Herode.* Herodes pater ei necem inferre voluit: Herodes filius, velut inſanum eum exercitui illudendum expoſuit: at nunc Dominus à regibus honoratur: & crux in qua ignominioſum ſuſtinuit ſupplicium, ab Imperatoribus veneratur: *Attende gloriam crucis Chriſti: jam in fronte regum crux illa fixa eſt, cui inimici inſultarunt.* Franciſcus vera Chriſti imago, fuit à regibus deſpectus & perſequutus, & à regibus etiam honoratus, & benevole receptus. Fuit à Regibus deſpectus & ad necem quæſitus. Ferdinandus namque primus Nea- Tert. l. 3 adv. Marc. 7 Lib. 4. adv Marc. 42 D. Aug. in Pſal. 44

politanus rex, Franciſcum ſua ditione exturbare molitus eſt, quod ut faceret, emiſſarium neſcio quem, virum animo ferocem, atmataque piratarum manu formidandum, immittit qui eum interciperet abjiceretque. Venit ille, monaſterii tecta ſubit, omniaque luſtrat cani venatico ſimilis, ut prædam occuper, capiat, laniet, diſcrepat, præda vero erat vel unus Franciſcus. Ut autem Chriſtus fuit inviſus ab iis qui eum quærebant ad necem: licet per medium eorum pertranſiret, eodem modo ſatelliti extitit inviſibilis Franciſcus. It quippe emiſſarius ille, reditque ſæpius, & coram Franciſco tranſit, non ſemel, non tamen eum videt, nec videre poteſt, Deo illius oculis ſubtrahente Franciſcum, ut vinculis violentiæque ſubtraheret. Herodes Chriſtum infantem enecare volens, Chriſtianam in cunis molitur evertere

Chryſol. Serm. 150 diſciplinam. *Chriſtus quid poſſet facere diabolus jam videbat, & inſtigabat Herodem, ut Chriſti ſuſpectam ſibi praveniret infantiam, ut futura virtutis ejus anticiparet inſignia, ut peremptorium ſibi nobiſque victorioſiſſimum vexillum crucis callidus machinator auferret.* Eodem modo adverſus Franciſcum inſtigatus à diabolo Ferdinandus, Ordinis illius initia extinguere, & progreſſum impedire ſategabat. Herodes crudelis Innocentium tyrannus in ſævitiæ pœnam fuit vermibus conſumptus; ejuſque filius inſolens Chriſti illuſor, fuit de ſolio deturbatus, & exilio mulctatus. Idipſum Ferdinando accidit, juxta Franciſci prædictionem, futurum ut qui Neapoli rex vixerat, non item Rex moreretur. Et ita evenit: Rex enim Franciæ Carolus hujus nominis Octavus, Ferdinandum Neapolitano exuit regno, captivumque miſit in Franciam, ubi Turonis exul atque extortis obiit, non procul à Franciſco qui à Ferdinando deſpectus & perſecutus, fuit à regibus Chriſtianiſſimis honoratus.

Ludovicus namque Undecimus audita Franciſci fama Mareſchallum Bondicortium Burgundiæ præfectum elegit, qui Paulam adiret, urgeretque virum Dei, ut iter in Galliam ſuſciperet; ad excolendum ſcilicet Regis animum, atque ad extremam cum morte luctam præparandum: Advenit porro Franciſcus, interpoſito prius Sixti Quarti ſummi Pontificis juſſu & imperio: cujus authoritati obtemperans regiam curiam attingens ſummo honore à Ludovico exceptus, qui eum ſemper velut patrem veneratus eſt. Neque minor fuit reverentia quam ei præſtitit Carolus Octavus Ludovici unigenitus, hæres, & regni ſucceſſor: Franciſco tandem fato functo rex Chriſtianiſſimus Franciſcus, hujus nominis primus, & Claudia regina ejus uxor aliique ex orbe Chriſtiano Principes per ſuos nuntios & oratores ſæpius inſtiterunt, ut Divorum adſcriberetur numero, quorum votis annuens ſummus Pontifex Leo Decimus Franciſcum Sanctorum Catalogo adſcripſit. Ita ſupra omne quod eſt in terris maximum, aſcendit Franciſcus, qui intra omnes ut minimus deſcenderat. *Quiſquis vult Divinitatis tenere faſtigia, humilitatis jura*

D. Ambr. Serm. 10 *ſectetur* ad inſtar Franciſci qui ſibi vilis, humilis & abjectus, fuit à Regibus honoratus, & à ſummis Pontificibus exiſtimatus.

Tert. l. 4 adv. 2. *Archontes congregati ſunt in unum adverſus Chriſtum, Archontes in ſummis*

mis Pontificibus. Congregati ſunt ſummi Pontifices non ut Franciſcum perſequantur; ſed ut eum honorent, ejuſque inſtituto faveant. Incredibile eſt quanta apud Sixtum hujus nominis quartum, moxque apud Alexandrum nomine ſextum, apud Julium quoque ſecundum, Franciſci fuerit, & abſentis fama, & præſentis gloria. Certe eum Sixtus, homo ſui gradus ac majeſtatis admodum zelotes, advenientem excepit: non ut vilem homunculum, ſed ut Angelum Dei, nec cum ſtante, aut genuflexo collocutus eſt; ſed aſſidere ſibi juſſit, habuit perhonorifice. Sibi, ſuiſque Eremitarum nomen aſſumpſerat Franciſcus: at Alexander ſextus, in Bulla, qua primam Franciſci regulam probatam firmatamque voluit, Eremitæ nomen mutavit in melius, Franciſcum, Minimum, ejuſque Fratres Minimos in poſterum decernens appellari. *Volo ut hac Societas, quæ ante hoc nomen præferebat, Societas Eremitarum fratris Franciſci de Paula, impoſterum vocetur Ordo fratrum Minimorum.* Similiter Julius ſecundus, qui ſecundam, id eſt poſtremam illius Ordinis regulam confirmavit, voluit etiam ut Ordo Fratrum Minimorum diceretur, & eo humilitatis nomine notaretur. Leo quoque decimus in Bulla canonizationis, in Franciſci laudem prædicat, quod *meritis & exemplis Eccleſiam multipliciter decorarit, præſentiſque temporis caliginem, ſua lampadis fulgore mirabiliter illuſtrarit, & copioſam utriuſque ſexus fidelium multitudinem poſt ſe traxerit.*

Marc. 42

An. 1492

Olim apud Hebræos (cum aliquid minimum vel valde parvum ſignificabatur, grano ſinapis ſimile eſſe dicebatur.) Quod (minimum eſt omnibus ſeminibus; cum autem creverit, factum eſt majus omnibus oleribus & arbor, ita ut volucres habitent in ramis ejus.) Ut autem animadvertit D. Auguſtinus, *granum ſinapis magnum eſt, non ſpecie, ſed virtute.* Franciſcus optime poteſt grano ſinapis comparari re & nomine Minimus: Tum quia natus in urbecula, Paula nuncupata totius Calabriæ Minimarum origine, erat enim filius Jacobi Martolillæ, & Viennæ de Triſcaldo conjugum, conditione humilium: Tum quia abjectiſſime de ſeipſo ſentiebat, ſeſe inter homines exiſtimans Minimum: Franciſcus tamen Minimus omnibus hominibus non generis nobilitate, ſed virtute & ſanctitate magnus velut arbor crevit, & in omnes Europæ partes extendit Religionis ſuæ ramos, in quibus habitant non aves cœli, ſed innumera filiorum multitudo, qui ſub ejus Regula ſanctiſſimè vivunt, patris imitantes humilitatem, quos puſillum gregem nuncupari jubet: *Nolite timere puſillus grex.* Puſillus, id eſt, ut interpretatur Beda, *humi-* Franciſcus *puſillus mundo, magnus Deo: puſillus. qui non magno minuitur, ſed creſcit de puſillo,* ob humilitatem à regibus honoratus, à ſummis Pontificibus exiſtimatus, & divinis affinitatibus nobilitatus.

Maldon. in Matth. 13

Ser. 1. de S. Laurent

Luc. 12

Chryſol. Serm. 22

3. Multum ſane nobilitatur Franciſcus ex affinitate quam habet cum tribus Perſonis divinis, cum Patre, cujus eſt filius: cum Filio; cujus eſt frater: cum Spiritu ſancto cujus eſt amicus. Filius patris; nam *hac eſt nova nativitas, dum homo naſcitur in Deo*; in Deo autem naſcitur dum à patre lumi-

Tert. l de Car. Chr. 17

num adoptatur in filium; adoptatur autem in Dei filium, media gratia ſanctificante per quam divinæ fit conſors naturæ, ad tantam nobilitatem ſtupet Bernardus, *quanta Dei dignatio patrem hominum eſſe: quanta hominum gloria Dei filios eſſe:* Attamen ut animadvertit Chryſologus: *Etſi ſunt multi filij per gratiam, unus & ſingularis per naturam*, quem pater ab æterno generat ex vi proceſſionis ſibi ſimilem: qui *beatitudinis ſuæ non patitur ſolitariam magnitudinem, ſed addit fratres*, nimirum cunctos juſtos, quos gratia ſanctificat, & in filios ſibi pater adoptat: ſed Minimi peculiari quadam ratione fratres Chriſti ſunt, ut ipſemet etiam jurejurando aſſeverat Salvator: *Amen dico vobis quandiu feciſtis uni ex his fratribus meis Minimis, mihi feciſtis*; quid glorioſius pro Franciſco ejuſque filiis dici poteſt, quos Chriſtus eo quod ſunt Minimi, ſuos fratres recognoſcit: *Si fratres ſui ſunt, quomodo Minimos eos appellas?* Hanc objectionem D. Chryſoſtomus & proponit & ſolvit: *Ideo fratres, quia humiles, quia abjecti*, quia Minimi: *vides cognationem Dei cum homine, & hominis cum Deo*, nempe Franciſci, qui Patris adoptione, Filii fraternitate, & Spiritus ſancti amicitia, nobilitatur; media gratia ſanctificante & charitate quam largitur Spiritus ſanctus. Perfecta contrahitur amicitia inter juſtum & Spiritum ſanctum, qui in illo, ejuſque animæ intime unitur, charitas autem eſt medium illius præſentiæ, nexus ejuſmodi amicitiæ, vinculum talis unionis: quam arcta fuerit inter Franciſcum & Spiritum ſanctum amicitia conſtat ex ardore charitatis qua ſufflammatus eſt. Spiritus ſanctus ſub ignis ſymbolo denotatus: ſic fatur apud Origenem, *qui juxta me eſt, juxta ignem eſt.* Franciſcus juxta ignem fuit, divini amoris igne ſuccenſus: quod fauſto omine vaticinatum eſt: in ipſa namque ejus conceptione, ſuper ſumma tecti, conſpectæ ſunt faces accenſæ, indicantes, cœleſtem flammam ardoremque divinum quo ſufflammatus erat. Spiritus ſanctus proprio charactere eſt charitas perſonalis: charitatis largiens virtutem, Franciſco autem donavit charitatem pro ſuo ſuique Ordinis ſymbolo. Ex D. Auguſtino *Stephanus charitatem pro armis habebat.* Franciſcus ſimiliter charitatem pro armis habet: amor namque perſonalis, è cœlo miſit Angelum, ſuo nomine deferens ei ſcutum, cujus area cærulei coloris erat, oſtendebatque in medio litteris aureis expreſſum auguſtum illud ac divinum nomen *charitas*; ſcutum dico, quod & ipſi Franciſco, & ſacro illius Ordini pro teſſera ac typo iconico fuit. Tandem Spiritus ſanctus eſt primarium donum quod Franciſcus dono accepit, non ſolum ſanctitatem & charitatem, ſed etiam prophetiæ donum, gratiam ſanitatum, miraculorum poteſtatem qua Chriſto aſſimilatur.

Epiſt. 1 — *Serm. 57* — *D. Cypr. Serm. de Aſcenſ.* — *D. Chryſoſt. Hom. 8 in Matth* — *D Machar Hom. 45* — *Hom. 5. in Jerem.* — *Ser. 2. de S. Stephan*

III. PARS *Vbique Deus poteſtatis ſuæ ſigna proponit.* In elementis, in cœlis, & in univerſum in cunctis mundi partibus quas ſua potentia produxit, & poteſtate adhuc conſervat: Sed ultra hanc Dei poteſtatem ordinariam, quæ elucet in ordine naturæ, datur poteſtas abſoluta, qua Deus ſupernaturaliter ſupra vires naturæ creatæ operatur, qua Chriſtus ſe verum Deum Deique Filium de-

Tert. l. de An. 51

mon-

monſtrat: *Unde magis dignoſcitur Chriſtus Creatoris, quam ex verbi poteſtate?* id eſt, ut ſubjungit ibidem Tertullianus, *ſolo verbo* ægrotos ſanans, mortuos ſuſcitans, miracula operans, ex quibus Petrus agnoſcit & confitetur filium Dei vivi, quia *non poteſt non eum ſenſiſſe Chriſtum, niſi quem noverat in Scripturis, quem jam recenſebat in factis*, quæ ſola ſufficiebant ad teſtandam divinam ejus poteſtatem. Licet enim fuerit in Scripturis præfiguratus, & à Prophetis vaticinatus, ad teſtandam ſuam tum divinitatem, tum miſſionem, plura operatus eſt miracula: *unde ſe voluit probari, & intelligi, & recipi, ex virtutibus dico.* Pari ratione Tertullianus redarguit Marcionem Chriſtum agnoſcere nolentem: *Sufficiunt mihi facta pro dictis: detrahe voces Chriſti mei, res loquuntur.* Ut enim ait D. Aug. Tertull. arridens: *Sicut humana conſuetudo verbis ita Dei potentia factis loquitur.* Franciſcus divinæ particeps poteſtatis, fuit adhuc in patrandis miraculis ſimillimus Chriſto, qui *prior virtutum documenta ſignavit*, deinde Franciſco velut ſuæ imagini ſupernaturaliter operandi dedit poteſtatem: quæ quanta fuerit *hujus prædicant opera*: 1. elementis imperans: 2. ægrotos ſanans, mortuoſque ſuſcitans: 3. Reges dominans & libere increpans.

Tert. l. 4. adv. Marc. 9
Tert. l. 4. adv. Marc. 21.
Tert. l. 3. adv. Marc. 3
L. 4. adv. Marc 7
Tert. l. 3. Marc. 3
Tertull. lib adv. Valent. 10

1. Niſi Judæi malitia & invidia fuiſſent obcæcati; ſequebatur ut Chriſtum non hominem duntaxat, ex humilitate, ſed Deum hominem *æſtimarent de poteſtate; cum elementa ipſa famularent, compeſcens procellas, & freta ingrediens*, Franciſcus non Deus homo, uti Chriſtus, ſed homo ſimpliciter, poteſtatem à Chriſto mutuatam ſuper elementa demonſtravit. Ignis eſt elementorum princeps, quem vincere & domare ſupernæ eſt virtutis. Illum tamen vicit domuitque Franciſcus, tum manibus eum tractans: tum ſuper eum ambulans: tum prunas ardentes in veſtibus portans: tum in fornacem accenſam intrans & commorans: tum incendia propulſans, ignique modo ſilvam, modo domos devaſtanti ſeſe opponens, eumque inſequens & fugans: idque totum abſque ulla læſione, jactura, vel damno: *Iuſtos cum judicaverit Deus, etiam igne eos examinabit, tunc quorum peccata, tum pondere vel numero prævaluerint, perſtringentur igne atque comburentur. Quos autem plena juſtitia & maturitas virtutum incoxerit, illum idem non ſentient, habent enim in ſe aliquid Dei, quod vim flammæ expellat atque ejiciat.* Sic Franciſco ob plenam qua præditus erat juſtitiam, & poteſtatem patrandi miracula à Deo mutuatam, familiare fuit ignem, carboneſque accenſos, & manu & veſte circumferre, & quidem tam hac, quam illa penitus illæſis.

Tertull. Apol. 2
Lact. lib. 7 cap. 21

Eſt aëris regio meteororum fœcunda parens, in ea enim gignuntur grandines, tonitrua, fulgura, & pluviæ; in ea venti ſpirant, regnantque aquilones, quibus dominari altioris eſt potentiæ, & ſolius fere Numinis, vel certe paucorum, quos poteſtatis ſuæ Deus ita efficit participes, ut eis & maria obediant & venti. Ex his paucis unus fuit Franciſcus, qui vel capitis nutu, vel oculorum aſpectu, vel manus ſigno & motu grandines, fulgura diſſipat, & tonitru quo utitur Deus ad puniendos impios, nullius eſt virtutis in conſpectu Franciſci.

Neque minus obſequens eſt lues aerem infectans, quæ ut Franciſco obtemperet, aeri ablatam reſtituit puritatem, longeque abit à regionibus quas devaſtaverat. Dum aër contagione corrumpitur non ſolum peſtis graſſatur, ſed etiam generantur inſecta & reptilia quæ hominibus nocent, terræque fruges depopulantur. Franciſcus veſparum multitudinem aera adimplentem, operarioſque ne in expoliendis ad Eccleſiæ ornatum lapidibus poſſent operari, impedientem, procul ab illo loco fugavit: magnamque adhuc ſerpentum multitudinem manibus apprehendit, & ad integrum milliare in ſuis manibus detulit, ne ab illis offenderentur operarii. Tempeſtates & ventos ita coercebat Franciſcus, ut homines ſtupore attoniti dicerent: *Quis eſt hic? quia venti & mare obediunt ei?* Cum aliis Franciſcus Triremi vehebatur, ecce incurrunt piratæ, ferrum vel ignem minitantes, quorum ut declinent rapinam & crudelitatem, in altum ſe infundunt mare; ſed unde ſperabatur ſalus, inde evenit periculum. Repente enim intumeſcit mare, perſtrepunt venti, tantoque impetu triremem quatiunt, ut eſſet undarum ludibrium, ventorumque
Ser. 3. Paſchet. lusus, imo & præda mox irati maris. Ne porro eſſet aſſurrexit Franciſcus, *imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Si homo innocentiæ
D. Bonav. ſervaſſet ſtatum, *nullus eum ignis ureret, nulla aqua ſubmergeret.* Quod ab igne nullum damnum, neque ab undis patiatur naufragium, evidens eſt indicium innocentiæ Franciſci. Quod ventis, hoc & pluviæ. In lapidicina ſimul cum aliis laborabat Franciſcus, ut novo cœnobio extruendo lapides erueret, cum ecce turbatur cœlum, nigreſcit aer, & ingens depluit imber. Non pluviam diceres, ſed effuſas toto æthere aquarum undas: Diffugere omnes non ſolum ne maderent, ſed ne illis obruerentur undis, ſolus operi intentus manſit Franciſcus, quem ita reveritæ ſunt pluviæ, ut ne quidem ex iis vel una guttula Franciſcum, aut ejus veſtimentum aſperſerit. Sic in aera dominatus eſt, videamus ejus in aquas imperium.

Erat aqua ſtagnans & putrida, malo ſuo fœtore aera contaminans, Religioſorumque in monaſterio juxta illam exſtructo habitantium valetudini
Tertull. lib. adv. Jud. 13 multum nocens. Illam alio divertit Franciſcus, *Moyſes aquam amaram indulcavit:* Franciſcus Melazzi in Sicilia in Conventu aqua dulci, ob maris viciniam deſtituto, puteum fodit, ex eoque aquam ſuavem ſalutarem multiſque infirmitatibus miraculosè proficuam extraxit. Moyſes ſitienti populo
Tert. l. de Bapt. 9 aquam dedit, *quæ de comite petra populo defluebat.* Quod Iſraelitis Moyſes hoc Franciſcus præſtitit operariis, qui coquendæ calci & lateribus inſudantes, magna premebantur ſiti, cui extinguendæ deerat aqua. Quod ut vidit Franciſcus ex ſicco arenoſoque ſolo unica vocula fontem evocavit, qua operarii extinxerunt ſitim, & ex tunc illius Cœnobii, & etiam vicinis abunde
Tert. ibid ſervit. *Chriſtus ſuper aquam incedit;* cui dixit aliquando Petrus: (Domine, ſi
Matth. 14 tu es, jube me ad te venire ſuper aquas) Quaſi diceret Auguſtino interprete,
Ser. 14 de Verb. Dō. *Si tu es, non miror quod ſolidam carnem ſuper liquentis elementi terga ſuſpendis. Quid enim mirum ſi conditori ſuo creatura famulatur? Hoc ego non miror, fac*

quod

quod mirer. Ambulet Petrus ſac quod mirer; jube me ad te venire ſuper aquas: Fecit Chriſtus, juſſit & Chriſtus, & ſuper aquas ambulavit Petrus. Franciſcus quoque extenſo Pallio vectus eſt ſuper aquas: nec enim ſic vehi minus eſt miraculum, quam ambulare. *Chriſtus libenter transfretat.* Meditabatur Franciſcus Meſſalinum ſuperare fretum, Scyllam inter & Carybdim; ſed vector paupeculum hominem dedignatus, importune improbeque rejecit. Quid hic Franciſcus? Mari benedixit, pallium ſuum liquido elemento undiſque ſternit, illudque cum ſocio conſcendit. Stupuit mare, ipſæque undæ ut primum Franciſci ſenſerunt pallium, ipſum reveritæ ſunt, & ne ab aquis maderet, prohibitæ. Numquam ullo navigio tutius vectus eſt quiſquam, nec celerius. Crederes inviſa hactenus rate delectari mare, paſcique ventos, ſic pallioli inflabant ſinus, ſic Franciſcum cum ſocio vehebat mare, ventique deducebant ad portum. *Navem cingulo promotam* à Claudia Veſtale, refert Herodotus, quæ cum accuſaretur polluiſſe virginitatem, & metueret damnationem, petiit à populo, ut de ſe judicium Deæ Peſſinuntæ committeret, quo impetrato clare Deam precata eſt, ut in indicium impollutæ virginitatis navem progredi juberet. Quo dicto Zonam recinxit, navi illigavit. Mirabile dictu, navigium quod Tiberi ſubſtiterat, neque inde ullis viribus moveri potuerat, ſtatim ducentem manu virginem conſecutum eſt. Neſcio an falſum ſit aut dæmonis potentia operatum prodigium: vere tamen & virtute divina Franciſcus hærentem in ſicco triremem natare fecit. Roma in Galliam parabat iter, ad fluvium veniens qui in oſtia Tiberina influit, ubi juſſa erat ſubſiſtere ad anchoras triremis qua veheretur; ſed ô malum! adeo ſubſederant aquæ, ut prope ſicco alveo hæreret triremis, nec ulla vi è loco moveri poſſet. Quod ut advertit Franciſcus ad triremis præfectum ait: *Ex charitate rurſum explora quis aqua fundus, invenies opinione tua profundiorem.* Paret ille etiam contra animi ſui ſenſum, & artem nauticam, bolidemque in aquas demittit, ſentitque in inſtanti ad ſex omnino pedes excreviſſe fluminis aquas, adeoque intumuiſſe undas, ut & triremi promovendæ, & expetitæ navigationi ſervirent. Sublatis etenim anchoris alto flumine itur ad oſtia Tiberina, proſperoque itinere navigatur in Galliam; ipſo aquæ elemento, Franciſci agnoſcente imperium, quod mirum in modum exercuit in terram.

Tert. ibid

Tertull. Apol. 22 L. 1. Hiſt.

Joſue fide inſtructus *ipſis elementis ſtationem imperavit*: neque elementis duntaxat, ſed etiam ipſimet ſoli. Nam (fiducia habitantis in ſe Dei locutus eſt, Stet ſol, & ſtetit:) ut enim ſubjungit Tertullianus, *ſtetit ſol in Gabaon, & luna in Aialon: ſtetit ſol & luna inſtructione, donec ultus eſt populus de inimicis ſuis, & ſtetit ſol medio cœlo, & non accedebat in occaſum, & in fidem diei unius. Non fuit dies talis retro & in noviſſimo utique tam prolixus: ut, inquit, exaudiret Deus hominem, parem ſcilicet ſolis, inſtantem tamdiu in officio.* Sole major Franciſcus jam lapſui proximam rupem mole magnam ne caderet & ſuo caſu operarios obrueret impedivit, in lapidicina ad extruendum cœnobium operantes. Ecce pars rupis longe maxima, diſſilire & in operantes jamjam immi-

Tert: l. de Jejun. 10 D. Hier.

nere viſa eſt. Exclamare omnes voce lamentabili: Periimus, periimus. Ad
hanc vocem accurrens Franciſcus, ſic ad rupem jam elabentem, *Ex charitate*
ſiſte te, quo enim ruis? dixit, & quaſi imperantis vocem audierit rupes inanima,
ſeipſam ſtitit. Omnia poſſibilia ſunt credenti. Ut enim etiam jurejurando di-
Matth. 17 ſcipulis aſſeverat Chriſtus; *Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut gra-*
num ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſi-
bile erit vobis. Sermonis Dominici veritatem probavit Franciſcus, qui novi
Cœnobii cum jaceret fundamenta, occurrit ingens rupes locum fundamen-
tis deſignatum ſic occupans, ut minime per lineam rectam duci poſſent:
Franciſcus fide & charitate munitus, rupi ut loco moveatur præcipit. Rupes
quæ nulla humana vi poterat moveri, mox alio tranſit, in vicinum flumen
prorumpit, locumque vacuum, & jaciendis fundamentis opportunum re-
linquit. Eadem fide Franciſcus trabem curvam, diſtortam, & ad ſuſtentan-
dam Eccleſiam quæ Paterni ædificabatur inidoneam, rectificavit, aptamque
L. 4. adv. fecit. De quinque panibus hordeacis & quinque piſcibus Chriſtus *paſcit popu-*
Marc. 2 *lum in ſolitudine. Adeo autem ea fuit majeſtas, ut & pabuli exiguitatem non tan-*
tum ſufficere, verum etiam exuberare voluerit. Franciſcus in panis multiplica-
tione Chriſtum imitatus, decem panibus, magnæ cuidam pauperum turbæ,
pro ſubſidio quotidiano ad monaſterii fores concurrenti, abunde providit.
Tert. l. de Chriſtus *prima rudimenta poteſtatis ſuæ vocatus ad nuptias, aqua auſpicatur.*
Bapt. 9 Franciſcus vinum in penuario adeo defeciſſe intelligens, ut vix pro toto
Aprilis menſe ſufficeret, idipſum adeo copioſe multiplicavit, ut deinceps nec
Religioſis, nec pauperibus, nec monaſterii operariis defecerit. Gregorius ob
patrata ab ipſo miracula Taumaturgus dictus, diſſidium & certamen duorum
fratrum pro proprietate cujuſdam laci piſcium copia repletiſſimi, eundem
locum in fœcundam & fertilem commutavit terram. Franciſcus ad ſedandas
lites ſubortas, ob aliquorum rivulorum decurſum, quibus poſſeſſiones pa-
tiebantur damnum, præcepit ut alio curſum deflecterent, & retrorſum ad
Tert. l. de flumina, unde manabant, reverterentur: *Bene autem quod plures & duriores*
Reſ. Car. 5 *quæque doctrinæ totam hominis figulationem Deo noſtro cedunt.* Non approbat
Tertullianus Menandri & Marci opinionem, qui volunt humanum corpus
Angelorum operatione formatum, illud à ſolo Deo cenſet figulatum: at quod
denegatum eſt Angelis, Franciſco videtur conceſſum: cui cum Conſentiæ cō-
moranti allatum fuiſſet quoddam monſtrum ſine oculis, ſine naſo, ſine ore,
jamjam à muliere in partu editum, Franciſcus manu dextera ad informem il-
lam maſſam carnis appropinquans, ei artificio prorſus mirabili formavit
oculos, os fecit & aperuit, naſum & aures extendit, integramque hominis
Richard. à finxit effigiem. Tanta fuit Franciſci *charitas, valens ad omnia, & omnibus præ-*
S. Victor. *valens:* tanta ejus poteſtas ægrotos ſanans, mortuos ſuſcitans.

Tertull. 2. Chriſtus divinam demonſtravit poteſtatem *cum verbo dæmonia de*
Apol. 2 *hominibus excuteret, cæcos reluminaret, leproſos purgaret, paralyticos*
reſtringeret, mortuos denique verbo redderet viſui. Authoritatem & impe-
rium,

rium Chriſti in ægritudines & morbos fatetur Centurio, ſupremumque illum agnoſcit Dominum, *cui virtutes ſerviunt, curationes parent, obtemperant ſanitates*. Ex miraculoſa ægrotorum curatione, morbi ſimul & ſanitatis agnoſcitur & prædicatur Dominus. Et meritò: nam *carnem ab omni vexatione reſtituit, lepr oſam emaculat, cæcam perluminat, paralyticam redintegrat, dæmoniacam captat, mortuam reſuſcitat*. Imò ipſemet Chriſtus & *Dominus per eaſdem operationes agnoſcendum ſe nuntiavit Ioanni*. Cùm enim Joannes in vinculis miracula à Chriſto patrata audiſſet, duos è diſcipulis ſuis ad eum miſit, qui ab illo ſciſcitarentur: *Tu es qui venturus es?* Illatam quæſtionem ſolvit Salvator non linguâ, ſed opere & miraculis, nuntiis dicens: *Ite, renuntiate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt*. Prodit velut quædam divinitatis ſigilla, operationes miraculoſas, quas potentia divina operabatur Chriſtus. Ex gratia & participatione divinæ poteſtatis operatur Franciſcus. Quod ſi quis inquirat qualis homo ſit, & quanta ejus poteſtas, audiet idipſum quod Joannis diſcipuli: *Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt*. Quantumvis ſit *potentior Dominus famulo ſuo*; attamen ut bellè ſubjungit Tertullianus, *par curatio, licet diſtet operatio*: quia Chriſtus propriâ poteſtate ægrotos curat, Franciſcus verò poteſtate à Chriſto mutuatâ. In urbe Paternenſi dedit viſum puellæ, cui nomen Julia Catalana, jam inde à nativitate cæcæ. Sic in urbecula Paula, de qua oriundus erat Franciſcus, puellulā, Calidoniam nuncupatam, manibus & pedibus captam redintegravit: ſic Sacerdotis Græci filium, ipſumque leproſum, è Græcia miſſum ad Franciſcum fama miraculorum clarum, benedictione ſuper eum factâ ſanavit.

Chryſol. Ser. 15 — Tert. l. de Car. Chr. 4. — Tert. l. 4 adv. marc. 18 — Matth. 11 — Tert. l. 4 adv. marc. 9.

Quem conſtat adhuc *mortuorum ſuſcitatorem*. Hominem namque mediis in nubibus, algidoque aëre extinctum, atque ad cœnobium deportatum, ut in illo tumularetur, Franciſcus his verbis vitæ reddidit: *Ex charitate reſuſcitare, hanc enim tibi gratiam Deus facit*. Ad has voces illicò ſurrexit, qui diu jacuerat mortuus: & ita ſurrexerunt quamplures vel ad illius verbum, vel ad ſolum attactum. Neque ſolùm homines fato functos, ſed etiam mortua animantia revocavit ad vitam. Ruſticus quidam, cui nomen Joannes Franch, dono acceperat agnellum, ſed mortuum, ut exploraret an vera eſſet fama miraculorum qua audiebatur Franciſcus. Explorabo, inquit, an magicis artibus, & dæmonis auxilio mira operetur. Hinc rectè Paulam ibo, & videbo, an agnellum meum valeat reſuſcitare. His dictis calcaria admovet, equum incitat ardentius, ſed ab agnello ſuo ſiſtitur. Videt eum quaſi è profundo ſomno excitari, cepitque movere, adſtrictos agitare pedes, mox audit balare. Tali prodigio convictus Franciſci veneratur potentiam, domum reverſus miraculum propalat, & per plures annos agnum in vita conſervat. Eodem ſpiritu motus Ferdinandus rex Neapolitanus explorare volens verumne eſſet, quod de Franciſci potentia & abſtinentia fama divulgaverat: duos piſces aſſos, & benè conditos miſit; quos ut videt Franciſcus, cruce

Tert. l. de Car. Chr. 4 — Ludovi. Dani. l. 8 ſ. 11. ann. Minim.

cruce eos ſignat. Et ecce inſolens prodigium, illicò vita donati cœperunt moveri & ſaltitare; tunc ad Ephœbum, qui eos detulerat: [Regi ex me gratias habe de ferculo liberali & regio, & hæc inſuper adde: Remittere me piſces vivos ac liberos, rogareque impenſius ut pauperes captivos ipſe à vinculis liberos dimittat.] Sed majori adhuc ſtupore dignum eſt ſubſequens miraculum. Erat Franciſco cervulus domeſticus, multumque familiaris, cui nomen Martinet. Hunc latomus quidam furto ſuſtulit, jugulavit, unàque cum ſociis voravit; & ne per pedes, oſſaque, ſi palam abjicerentur, deprehenderetur furtum, ea in furnum quo calx coquebatur, injecit. Franciſcus de cervulo perdito ſolicitus, dum eum quærit, à latomo ſubintellexit furatum, jugulatum, manducatum. Nec mora ad furnum ardentem venit, & altâ voce clamitat: *Martinet hinc egredere.* Mirum ſanè, & à ſeculis inauditum! Franciſci vocem audit cervulus, moxque integer ac vivus è furno egrediens, ſiſtit ſe Franciſco, qui ſtupendâ prorſus poteſtate regit, imò & increpat Reges.

Tert. l. 3 adv. marc. 7. §. 3. *Data eſt Chriſto poteſtas regia; & omnes nationes terræ ſecundùm genera, & omnis gloria famulanda.* Omnes homines cujuſvis ſint generis, conditionis, & dignitatis, Chriſti ſubjiciuntur imperio: ipſi etiam Reges qui hominibus dominantur, debent famulari Chriſto, qui eſt *Rex regnantium, & Dominus dominantium.* Franciſcus velut Chriſti gerens vices, erat quodammodo Dominus dominantium: & ſicut olim Deus Moyſem conſtituerat Deum Pharaonis; ita Franciſcum elegit, ut Reges ad probè obeundum ſuum munus hortaretur, de ſuis ſceleribus coërceret, non ſecus ac cæteros homines Deo rationem redditur os admoneret, æternaſque pœnas criminoſis debitas, ad eorum memoriam revocaret. Tria potiſſimum Reges à cœleſti beatitudine propulſant, & ad infernum conducunt. Unum, eſt tumor mentis: nam ita ſuâ fortunâ obcæcantur, ut non ſe homines mortales conſiderent, ſed ut ſuprema numina velint adorari. Alterum, quia adulatoribus præbent aſſenſum, qui vitia illorum palpant, eiſque de criminibus etiam atrociſſimis blandiuntur. Ut enim ait D. Cyprianus: *qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem adminiſtrat.* Tertium, quia omnia ſibi licita eſſe, impunèque poſſe ſubditos denudare bonis, honoribus deſpoliare, imo & vitâ privare, pro ſua voluntate præſumunt: *Sit pro ratione voluntas,* nec ullus invenitur qui audeat dicere: *non licet.* Hac de cauſa David poſt commiſſum adulterium, poſt Uriam innocuum occiſum ait Deo: *Tibi ſoli peccavi*; quia, ut fatur Heſichius, *nullus hominum eum increpavit.* Franciſcus regiam ut par eſt, honorat majeſtatem: *Colimus & Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ut ipſi expedit, ut hominem à Deo ſecundum, & quidquid eſt, à Deo conſecutum eſt.* Ne igitur Rex de ſua majeſtate tumeſcat, & Deo ingratus exiſtat 1, admonet Ludovicum XI. ſe eſſe hominem Deo ſubditum, & ab ipſo omnia conſecutum. Sic olim apud Romanos *Imperator hominem ſe eſſe, triumphans in illo ſublimiſſimo curru admonebatur. Suggerebatur enim ei* à ter-

Tert. l. de Reſ. Carn. 23

Pſal. 50

Tert. l. ad Scap. 2

Tert. Apol. 33

à *tergo*: *Reſpice poſt te, hominem te memento.* 2. Præfato Regi etſi potentiſſi-
mo, & ingenii ſagacitate ſubtiliſſimo, prout ejus ſaluti expedit, liberè loqui-
tur, non blandiendo. *At quin nullis vitiis adulor*; neque optatam valetudinem Tert. l. de
pollicendo, ſed ad pœnitentiam peccatorum hortando; *nullis veternis parco,* Pall. 5
nulli impetigini, & ad acceptandam cum ſubmiſſione mortem præparando.
3. Tandem regem Ferdinandum docet, quæ ſibi non licent. *Soleo de qua-* Tert. ibid.
libet margine vel ara medicinas moribus dicere, quæ felicius publicis rebus, & ci-
vitatibus, & imperiis bonas conferant valetudines. Rex Neapolitanus ſubdi-
tos tributis onerans, gabellis gravans, Franciſcus ſic eum alloquitur: [Procu- Otho Pe-
res ſtatim ſolvere quod debes, quia diſplicet Deo cùm Principes deſtruunt truvius l. 1
bona ſua; & credat mihi Altitudo tua, quòd alienum ſemper clamat ad cœ- c. 8. §. 7
lum.] Rex ſe nullo ære alieno obnoxium reſpondit, ac proinde nulli adſtri-
ctum reſtitutioni. Cui Franciſcus: [Numquid non impoſitiones & gabellæ,
quas quotidie exigi facis à tuis ſubditis, ſanguis pauperum ſunt, ea reſtituere
debes?] Quod tibi evidenter demonſtrabo, da mihi monetam. Accipiens
à Rege ſcutum argenteum, nullo negotio per medium confregit [ſanguine
undequaque ſtillante] dixit Regi: Sanguis pauperum eſt hic qui clamat in
cœlum.

Hucuſque contemplati ſumus Franciſci poteſtatem, charitatem, humili-
tatem, vitæ auſteritatem: imitemur ejus poteſtatem dominando noſtris paſ-
ſionibus. Nam *& ad hanc formulam collatus nobis principatus ſuper anima-* D. Baſil.
lia, ut noſtriipſorum diſcamus eſſe domini. Inde concludit Magnus Baſilius hom. 11. in
Chriſtianum alloquens: *Tuis fac imperes cogitationibus, imperator ut ſis; ſanè* Geneſ.
in hoc creatus es, ut imperites affectibus. Imitemur charitatem, Deum arden-
ter diligendo, corpuſque animæ imperio ſubjiciendo. *Fateor inſitam eſſe nobis* Seneca
corporis noſtri charitatem, fateor ejus nos gerere tutelam; non ergo nego indul- ep. 14
gendum illi, ſerviendum nego. Imitemur humilitatem, quæ eſt diſpoſitio ad
gratiam, & ſcala per quam aſcenditur ad gloriam. Sic Chriſtus poſt humili-
tatem fuit *ſublimatus in conſummationem.* Tandem fugiamus mundi deli- Tert. l. 3
cias, & imitemur pœnitentiæ amaritudinem. Dum & has & illas æquâ lance adv. marc.
expendit D. Auguſtinus, exclamat: O *infelix voluptas, quæ per dulcedinē tran-* 7.
ſitoriam præparat amaritudinem ſempiternam! Contrà verò felices *vigiliæ,* Serm. 55
orationes, jejunia, quæ per anguſtias breves perducunt ad æternas paradiſi de- de temp.
licias.

RELI-

RELIGIOSA MONIALIUM CULMINA.

SCHOLIUM.

Inter Religioſa Monialium Culmina potiſsimum numerantur, 1. Scholaſtica: 2. Catharina: 3. Clara. 4. Ioanna: 5. Vrſula: 6. Thereſia.

CONCIO PRIMA.

Tert. l. 3 adv marc. 35

S*VBSTANTIAM probaturus ex nomine* quanta ſit Scholaſticæ virtus demonſtro ex materno, fraterno, & proprio nomine. Matris nomen *Abundantia*, quo denotatur gratiarum copia, quam ejus filiæ Deus abundè largitus eſt; Fratris nomen *Benedictus*, innuit benedictiones cœleſtes, quas ejus ſoror peculiari quodam privilegio ſuſcepit: Tandem proprium nomen, nimirum, *Scholaſtica*, quo fauſto omine eſt nuncupata: vel quia ſcholas aperuit, è quibus prodierunt virgines, optimis eruditæ diſciplinis, & eximiis excultæ virtutibus, quas à *Scholaſtica* magiſtra didicerunt; vel potius, quia ipſa à magiſtro cœleſtem diſciplinam didicit. Græcus auctor Mariam nuncupat *ſapientiæ Matrem, pueri Scholarem.* Simili modo Scholaſtica eſt ſimul & ſemel magiſtra & diſcipula; magiſtra virginum, quas tum verbo, tum exemplo ad pietatem erudivit; diſcipula magiſtri cœleſtis, à quo erudita eſt. Uti autem glorioſior fuit Mariæ titulus, diſcipulæ Jeſu, quàm magiſtræ Apoſtolorum & Prophetarum: ita præcipua Scholaſticæ laus deſumitur non ab ejus magiſterio, ſed ab ejus diſcipulatu: quod evidenter patebit, ſi attendatur 1. à quo ſit edocta. 2. ubi ſit edocta. 3. quid ſit edocta.

Apud D Thom. in Cat. ad c. 2. Luc.

I PARS.

Tert. l. de Pat. 3

Chriſtus *de Domino ſit Magiſter, docens hominem evadere in ſalutem.* Magiſtri

ſtri munus ita ad Chriſtum pertinet, ut ipſemet ſuis teſtetur diſcipulis, *Magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* Quia ut docet D. Thomas, cuncti qui magiſtri funguntur officio, ad id negotium ſunt à Chriſto deputati, neque illud exercent niſi dependenter ab ipſo. Summus etiam Pontifex, quem Patres Concilii Florentini dixêre *Doctorem omnium Chriſtianorum & patrem*, quem D. Chryſoſtomus *totius orbis magiſtrum* nominat, & quem adhuc Caſſianus vocitat *inter magiſtros Magiſtrum*, non ſolùm in Pontificatu, ſed etiam in magiſterio eſt Vicarius Chriſti, qui per excellentiam eſt Magiſter, genere nobilitatus, ſapientiâ illuſtratus, gratiâ ſanctificatus. Ab eximio illo Magiſtro edocta Scholaſtica, fuit 1. nobilitata. 2. illuſtrata. 3. juſtificata.

Matth 23 / 1.p.q 117. a 1. / Seſſ 25 / In c. 21 Joan. / L 3. de Incar.

1. *Fideles magis diſcere, quàm docere cupit.* Quia ut fatur Cyrillus Alexandrinus, *animus Sanctorum diſcendi cupidiſſimus eſt:* non tamen omnes ad docendum ſunt apti, neque ad id munus obeundum deſtinati. Nam ut ſubjungit Tertullianus, *diverſa eſt ratio diſcendi & docendi.* Qui docet, communicat; qui diſcit, recipit: facilius enim recipitur doctrina, quàm communicatur. Nihil autem ita ſufflammat diſcendi deſiderium, quàm eminens magiſtri dignitas. Nam ut ſcitè ait D. Ambroſius: *Primus diſcendi ardor, nobilitas eſt magiſtri.* Sub magiſtro nobili majori conatu ſtudent diſcipuli. *Quòd reverendus ſit magiſter, id utile eſt diſcipulis*; imò honorabile & glorioſum. Magiſtri enim conſpicui celſitudo ſublimat diſcipulos qui ab eo diſcunt. Si quis unquam fuit magiſter nobilitate & dignitate præclarus, maximè Chriſtus; nam ut fatur dubius Tertullianus: *Magiſter venit inſignis, & doctor cæleſtis, & inſtitutor conſummatæ veritatis.* Ab inſigni illo magiſtro edocta Scholaſtica multum fuit nobilitata, & ab ejus ſapientia illuſtrata.

Tert. l de Idol 10 / In cap. 4 Zachar. / D. Chryſoſt. hom. 12. in ep. ad Coloſſ. / Epiſt. de cib. Judai.

2. *Stupebant omnes ad doctrinam ejus.* Et meritò, quia abſque ulla comparatione fuit majori ſcientiâ præditus, quàm fuêre omnes Prophetæ; & ſublimiori ſapientiâ illuſtratus, quàm ſint omnes ſimul Cherubini. *Propheta de officio præfandi vocantur*, quia deſuper eruditi, quæ ventura ſunt, ominantur; at Chriſtus ob majorem ejus *capacitatem*, *pleniorem* longè accepit à Patre luminum ſcientiam. Cherubini plenitudine ſcientiæ decorantur; in Chriſto ſunt abſconditi theſauri omnes ſcientiæ & ſapientiæ Dei. Cherubini *propter eruditionem & ſapientiam* nuncupantur à Sophronio, Prædicatores, Evangeliſtæ, Diaconi: verùm id munus obeunt ut Dei miniſtri; at multò præſtantior Chriſtus ſupremus Pontifex, *cui ſancta ſanctorum, & ſecreta Dei credita ſunt.* Gregorius Naz. ſublimis apex Theologiæ, principes Angelos vocat lumina. *Cæleſtes virtutes, quæ primæ primum lumen haurientes, veritatu verbo illuſtrantur, lumen quoq; ipſæ ſunt, ac perfecti illius luminis radij.* At Dei Filius ab æterno Patre procedit *ut lumen de lumine.* Cherubinorum lumen eſt accidens, ab eorum natura realiter diſtinctum, illudq; finitum & limitatum: at lumen quod Verbo divino communicat æternus Pater, eſt ipſamet infinita & ſubſtantialis eſſentia divinitatis. Cherubini diviniùs illuſtrati, inferiores illuminant Angelos: at *Magiſter & illuminator generis humani Filius Dei annuntiabatur.* Cherubi-

Tertull. l. 4. adv. Marc. 7 / Tert. Apol. 18 / Tert. Apol. 21 / Gregor. Nyſſ. orat. de Baſil. / D Ignat. epiſt. ad Philadelp. / Orat. 12 / Tert. apolog. 21 / Tert. ib.

Ter.l adv. rubini divinis ſplendoribus coruſcantes velut ſoles radiant : at ***Chriſtus Filius***
Jud. 14 ***Dei totum ſam orbem Evangelij ſui radijs illuſtravit.*** Dionyſius Areopagita
De divin. Paulum Gentium Doctorem, ſuum & Hierothei præceptorem, ob excellen-
nom. 7 tem qua pollebat, ſapientiam, ***communem ſolem*** appellat : quantò verius Ma-
lachias propheta ***ſolem*** vocitat Chriſtum, Principem Hierarcham, magiſtro-
Juſtin. rum Magiſtrum, hominum & Angelorum Præceptorem? ***Si ſol non eſſet, ſu***
Mart. con- ***pervacuus eſſet oculus*** : Inutilis eſſet hominibus inclinatio naturalis ſaltem paſ-
fut. Græc. ſiva, ut docet ſubtilis Doctor, ad recipiendas divinas illuſtrationes, ſi per im-
q. 15 poſſibile non eſſet Dei Filius ſol juſtitiæ , à quo lucem mutuantur oculi ju-
In Pſ. 36 ſtorum. Nam ut ratiocinatur D. Ambroſius : ***Oculi ejus lux ſunt; quos aſpi-***
cit, illuminat, & ideò oculi ejus dies juſtorum ſunt. In die verſatur Scholaſtica;
Nec mirum , quia conſpecta ab oculis Chriſti, à ſole juſtitiæ illuminata, &
gratiâ divini illius Magiſtri ſanctificata.

Tert. A- 3. Ad docendos Iſraëlitas miſit Deus ***viros juſtitiâ & innocentiâ dignos,***
polog. 18 ***ſpiritu divino inundatos*** , non ſolùm ut eos veritatem docerent , ſed etiam ut
Daniel. 12 ad juſtitiam promoverent. Cujuſmodi fuerunt in lege Evangelica Apoſto-
li, ſacrique Doctores, ***qui ad juſtitiam erudiunt multos*** , qui non tam civilium
legum, quàm divinarum periti, ad juſtitiam, id eſt, ad Chriſtianam perfectio-
nem multos adducunt , ut malorum facinorum vacui, & clariſſimis ornati
virtutibus, cœlo aliquando perfruantur. In Hebræo etenim legitur , ***qui ju-***
ſtificant multos. Verùm licèt ſacri Doctores ſuis ſermonibus & exemplis
gratiæ deſiderium juſtitiæque ingenerent affectum, juſtificare tamen poteſta-
Tert. apo- tem non habent : Chriſtus verò Chriſtianæ diſciplinæ illuminator, & ***gratiæ***
log. 21 ***arbiter*** , quam ſuo ſanguine meruit, & unicuique pro ſuo arbitrio diſpenſat,
Ter. l. adv. non ſolùm ad juſtitiam erudit, ſed adhuc multos juſtificat. ***Quoniam & ipſius***
Jud. 2 ***eſt erudire poſteà, qui antè juſtos formare inſtituerat.***

Sed nubium ſymbolo intelliguntur Prophetæ, Doctores, Concionatores,
Zachar. 2 atque Magiſtri, qui ad juſtitiam erudiunt, quos ***nubes ſanctas*** nuncupat Pro-
Cyr. Alex. pheta, ***quòd ſpiritualium more nubium pluviis alios irrigare ſoleant;*** & ob hanc
2. Iſa. 55 cauſam Propheta Evangelicus verbum Dei appellat ***imbrem de cœlo venien-***
Deuter. 32 ***tem, & inebriantem terram.*** Quo alludere videtur Moyſes ajens : ***Concreſcat***
in pluviam doctrina mea : ubi ſub pluviæ ſymbolo doctrinæ ſuæ denotat præ-
ſtantiam ; imò & apud Hebræos eadem vox docere & pluere ſignificat.
Oſee 10 Nam Oſee propheta de Chriſto ait : ***Qui docebit nos juſtitiam.*** Iſidorus Cla-
Joel. 2 rus ex Hebræo vertit; ***Donec pluat juſtitiam nobis.*** Idipſum expreſſis terminis
innuit Joël, qui poſtquam Chriſtum ***Doctorem juſtitiæ*** nominavit, ſtatim ſub-
jungit : ***Et deſcendere faciet ad nos imbrem matutinum.*** Neque duntaxat per
imbrem denotatur Magiſtrorum doctrina & eloquium; ſed etiam gratia, ut
L. adv. Jud. conſtat ex illa parabola, ubi Deus iratus vineæ ſuæ dixit : ***Mandabo nubibus***
13 ***meis ne pluant ſuper eam imbrem.*** Per vineam intelligit Tertullianus domum
Iſraël; per imbrem verò intelligit Dei gratiam , qua ob ingratitudinem fuêre
deſtituti ſceleroſi Judæi. ***Nam exinde deſtitit apud illos gratia Dei. Et man-***
datum

datum eſt nubibus ne pluerent ſuper vineam Soreth, id eſt, cœleſtibus beneficys, ne provenirent domui Iſrael.

Verùm, *quis in nubibus æquabitur Domino?* Id eſt, quis ex Prophetis, Apoſtolis, Doctoribus, Concionatoribus, poterit Domino comparari, *qui levat nubes ab extremo terræ*, id eſt, eligit Doctores & Concionatores, ut emittant imbrem doctrinæ & eloquii. Sciſcitatur Job: *Quis eſt pluviæ pater, vel qui genuit ſtillas roris?* Reſpondebunt Gentiles eſſe Jovem, quem *pluviæ largitorem & moderatorem* prodit Athenæus, cui ideò ſcaturigines & capita fontium immolabant Romani, ut eis exprobrat Tertullianus: *Aqualicia Iovi immolatis.* Quos non ſecus ac cæteros Gentiles ſuperſtitionis & vanitatis redarguit Jeremias propheta: *Numquid ſunt in diis Gentium qui pluant?* Ad verum duntaxat pertinet numen, imbris habere dominatum, illumque pro libito diffundere. *Pluviam voluntariam ſegregavit Deus hæreditati ſuæ.* Et quia Chriſtus eſt ſimul Deus & homo, imbrem gratiæ quem ſuo ſanguine meruit, abundè largitur iis quos juſtificat. *Cœleſtes imbres pipiavit* in ſolitudine Scholaſtica, ubi à Chriſto edocta eſt.

Pſ. 88 · Jerem. 51 · Job. 38 · Lib. 15 · Apol. 40 · Jerem. 14 · Pſ. 67 · Tertull. l. adv. Valent. 15

II. PARS.

Erant & loca alia apud Hieruſalem ad docendum, erant & extra Hieruſalem ad ſecedendum; ſed enim per diem in templo docebat, ad noctem verò in eleonem ſecedebat. In ſeceſſu autem & ſolitudine Deus legem hominibus dedit; Chriſtus diſcipulos erudivit, de dæmone victoriam reportavit, Moyſi & Eliæ transfiguratus apparuit, multa millia hominum enutrivit, pluraque alia miracula edidit: *Ipſe Dominus in ſeceſſu frequentius agebat, ut liberius oraret, ut ſeculo cederet, gloriam denique ſuam diſcipulis in ſolitudine demonſtravit.* Ad ſolitudinem Scholaſticam duxit, quæ eſt Academia multò ab Academia mundi diverſa. In mundo utplurimum eſt ſuſpiſius oſtentatio, noxia cum hominibus converſatio, fœda generatio: Scholaſtica è converſo in ſolitudine, 1. mundo occultatur. 2. cum Deo ſanctè converſatur. 3. Virgineâ maternitate fœcundatur.

Tert. l. 4 adv. Marc. 19 · Tert. l. ad Mart. 2

1. Qui ſolitudinem captant in ea ſunt *ſilvicolæ & exules vitæ.* Non quidem exules vitæ naturalis, quæ non amittitur niſi per mortem; neque exules etiam à vita ſupernaturali, quam gratia largitur animæ; quia, ut fatur Magnus Baſilius: *Eremus mors eſt vitiorum, ac proculdubio fomes ac vita virtutum*, ſed exules vitæ mundialis. Nam ut ſubjungit Baſilius, ſolitudo eſt *ſpiritualis arx*, quæ à ſeculi vitiis propugnat, reprimens & frænans fomitem peccati; nimirum pravos appetitus, & motus inordinatos naturaliter luxuriantes ad vitia, & ſufflammans virtutum fomitem, quo ſolitarius gratiâ adjutus fertur ad virtutes, ad ſanctitates, & ad cœleſtia.

Tert. Apol. 43 · De laud. Vit. Solit.

Vitioſo fomite ad mundum propendent vitam mundialem ſectantes, ut videant, & videantur. Ad hunc finem Gentiles fœminæ olim cultæ & expictæ templa circumibant, ſpectac la poſtulabant, Deorum dies feſtos celebrabant: *Propter iſtos enim conventus, & mutuum videre ac videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, aut ut luxuria negotietur, aut gloria inſoleſcat.*

Tert. l. de cult. fœm. 11

Quarum æmulæ plures Chriſtianæ videri deſiderant, affectantque oſtentare vel generis nobilitatem, vel veſtium cultum & ornatum, vel corporis decorem, vel etiam virtutis opera. Verùm *ipſa concupiſcentia non latendi* gentilem redolet vanitatem, & libidinem, & Chriſtianam dediſcit humilitatem & caſtitatem. *Tales enim oculi volent virginem viſam, quales habet virgo quæ videri volet. Invicem ſe eadem oculorum genera deſiderant. Ejuſdem libidinis eſt videri & videre.* Quapropter fœminæ & virgines ſecundùm diſciplinam Domini incedentes, de generis nobilitate non tument, neque gloriantur; quia gloria illicita eſt eis, *quarum probatio in omni humiliatione conſtat.* Neque 2. veſtium cultum & ornatum, & faciei fucum affectant; quia *hæc pompa de proximo curant luxuriæ negotium, & obſtrepunt pudicitiæ diſciplinis* Neque 3. corporis decorem oſtentant; quia pulchritudo & venuſtas *neceſſe eſt publicatione ſui periclitetur, dum percutitur oculis incertis & multis, dum digitis demonſtrantium titillatur, dum nimium amatur.* Probè namque ſciens pudica virgo quantum ſibi & aliis periculoſus ſit faciei decor, *etiam fœminarum oculos pati non vult; alios ipſa oculos habet, confugit ad velamen capitis quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat adverſus ictus tentationum, adverſus jacula ſcandalorum, adverſus ſuſpiciones, & ſuſurros, & æmulationem, ipſum quoque livorem.* Neque 4. tandem opera virtutum quæ faciunt, divulgant; ſed potius omni ſtudio *bonum ſuum abſtrudunt*; quia illud operantur, non ut hominibus, ſed ut Deo ſoli placeant, qui *tam idoneus eſt ad conſpicienda quæ in occulto fiunt, quàm juſtus ad remuneranda quæ ſibi ſoli fiunt.*

Tert. l. de vel. virg. 14 — Tert. l. de vel. Virg. 2. — Tert. l. de vel. Virg. 13 — Tert. l. 2. de cult. fœ. 9 — L. de vel. Virg 14 — L. de vel. Virg. 15 — L. de vel. Virg. 13

Cujus illuſtre habemus in Scholaſtica exemplum, quæ claris orta natalibus, ex familia ſcilicet Aureliana, quæ Imperatores dederat Romano ſolio; admirabili pulchritudine decorata, ingenii acumine prædita, amplo patrimonio opulenter ditata, tot tamen fortunæ, naturæ, corporis animique bona hominum ſubtrahit oculis, & ut ea melius occultet, mundum fugit, in ſolitudinem ſe recipit: *Elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* Cui gratulandum eſt iiſdem verbis, queis Tertullianus Chriſtiano pro religione incarcerato: *Non vides alienos Deos, non imaginibus eorum incurris, non ſolemnes Nationum dies ipſa commixtione participas, non nidoribus ſpurcis verberaris, non clamoribus ſpectaculorum atrocitates, vel furores, vel impudicitias celebrantium cæderis; non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt, vacas à ſcandalis, à tentationibus, à recordationibus malis*: in ſolitudine commoraris velut in aſylo, quo tuta es à mundi illecebris, vanis ſeculi honoribus, inordinatis cupiditatis affectibus, blandis hominum perſecutionibus, crebris quæ occurrunt in mundo peccandi occaſionibus. *Inſuper quæ ſemper utilia fidei, ſpiritus adipiſcitur*, procul à turbis divina ediſcit myſteria, Patrem in veritate adorat, illius majeſtatem contemplatur. Nam ut fatur D. Auguſtinus, *Solitudo quædam neceſſaria eſt mentis noſtræ, ut videatur Deus; turba ſtrepitum habet, viſio iſta ſecretum deſiderat.* Quod non ignorans Scholaſtica à Chriſto edocta, Benedicti fratris receſſum æmulata, mundum fugit, à tur-

Pſ. 54 — l. ad Mart. 2. — Tert. ib. — Tract 17 in Joan.

turba ſe ſeparat, ſeſe hominibus occultat, ſolitudinem captat, ibique abſque ullo mortalium commercio vivens, divinam majeſtatem aſſidue contemplatur, & familiariter cum Chriſto converſatur.

2. *Converſatio divinæ diſciplinæ, non factis tantum, verum etiam verbis periclitatur.* Tert. l. de Idol. 20
Non ſolum mala opera contraria ſunt Chriſtianæ religioni quæ bonum præcipit & malum prohibet, ſed etiam verba ſceleroſa diſciplinæ Chriſtianæ adverſantur. At maximè his temporibus verbis ſive vanitatis, ſive voluptatis, ſive impietatis, ſive adulationis, ſive animadverſionis, ſive detractionis, divina diſciplina periclitatur; adeo eſt magnum *converſationis humanæ inquinamentum*: Tert. l. de Orat. 11
quæ illorum quibuſcum vivit tum parvo exemplo; tum verbo probroſo oculos fœdat, aures maculat, animam contaminat, à virtute revocat, & ad vitium ſufflammat. *Facile tranſitur ad plures, nemo non aliquod no-* Sen. Ep. 7.
bis vitium aut commodat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit: malignus comes quamvis candido & ſimplici, rubiginem ſuam affricuit; Multorum converſatio inimica virtutis eſt; nemo ſe tuto turbæ committit; aliena vitia, etiam quæ deteſtatur illum expugnant, per oculos, & aures, velut impetu facto in ejus animum irruunt. Quod experientia doctus moralis fatetur Philoſophus: *Numquam mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo, quod compoſui turbatur, ali-* Sen. Ep. 7
quid ex his, quæ fugans redij, avarior redeo, ambitioſior, luxurioſior; imo vero inhumanior, quia inter homines fui. Imo ipſemet Chriſtus volens patrare miracula, turbas abigit, ſecum duntaxat retinens Petrum, Joannem, & Jacobum magis familiares Apoſtolos. Chriſti virtus ex humana converſatione, & turbarum frequentia deperdere nihil poterat: & tamen, ait Theophylactus, ad exercendam vim miraculorum, *non permittit intrare ſecum quemquam niſi Petrum, Iacobum, & Ioannem.* In c. 8. Luc.
Cujus pulchram mox ſubminiſtrat rationem: *Quia cum quis debet miracula patrare, non decet ipſum eſſe in medio plurimorum, ſed ſolitarium; & ab aliis ſeparatum.*

Hujuſmodi Salvatoris cautio, hominum eſt eruditio, ut ſciant, quod frequentia ſolet lædere virtutem, culpare innocentiam, & irritare ad vitia. Quod non ignorans Tertullianus ſic hortatur Uxorem: *Convictus atque colloquia Deo digna ſectare; memor illius verſiculi ſanctificati per Apoſtolum: Bonos corrumpunt mores congreſſus mali.* Lib. 1. ad Ux. 8
Quapropter ſæculares virtutis ſtudioſi, vel regulares perfectionis cupidi, multis utuntur remediis, ne mundi converſatione amittant innocentiam. 1. Malorum fugiunt ſocietatem ad inſtar Romanorum, quos quandiu ſimplicitas viguit apud illos, merito laudat Tertullianus: *Commercium, colloquium, convictum malorum, probi quoque reſpuitis.* Apol. 11
2. Tum ſæculares, tum regulares, quibus ex officio, vel charitate incumbit negotium verſandi inter homines ad eos ſpecialiter juvandos, ſic inter hominum turbas verſantur corpore, ut in anima, ſolitudine potiantur, & ut fatur Gregorius Nazianzenus, *In media luce verſantes, ſolitariæ vitæ rationem ſervant.* Orat. de Pace. 1
Ad hanc internam cordis ſolitudinem Demetriadem virginem hortatur D. Hieronymus: *Adhibe etiam tibi in urbe ſolitudinem, & remota pauliſper ab* Epiſt. ad Demetriadem.

ab hominibus, propius Deo jungere. 3. Statutis anni temporibus remoti à turba & hominum converſatione ſeſe recolligunt & ſpiritualibus exercitiis vacant. *Ioannes in deſerto, & Ieſus ipſe, ut actiones multitudini humanaque frequentia, ita preces quieti, locisque ad hominum commercio ſemotis, fere tribuebat. Hoc exemplo praſcribens, ac veluti lata lege promulgans, nobis quoque nonnumquam faciendum eſſe, ut quietem amplexemur, ac nos ab hominum frequentia in ſolitudinem aſſeramus, ut ſine ulla facie Deum alloquamur.* Sine facie Deum alloquitur qui in ſolitudine cum Deo agit; quaſi qui inter homines verſantur, defœcatas non faciant preces; ubi enim turbæ & negotia perſtrepunt, animi quies turbatur, & orationis impeditur ſilentium. 4. De ſæculo exeunt ne mundanorum commercio depraventur. *Cæterum oportebat nos de mundo exire, ſi cum illis converſari non liceret.* 5. Ad ſtatum regularem velut ad aſylum ſe recipiunt, ubi à ſæculi tempeſtatibus exempti, quietam, tranquillam & innocuam ducunt vitam, æmulam vitæ quam agebat Adamus in paradiſo terreſtri. *Viro autem adhuc ſolitariam vitam degente, necdum formata muliere, paradiſus à Deo plantatus dicitur.* Religio adinſtar eſt paradiſi in quo Regulares à ſæculo ſemoti, velut innocentiæ reſculpunt ſtatum. *Vere clauſtrum eſt paradiſus. Hic prata virentia Scripturarum, præterfluens lachrymarum undoſitas, quam de puris affectibus amor ille cœleſtis eliquat; hic ſunt arbores erectiſſimæ, chori Sanctorum, nulla eſt quæ non multa gaudeat fructus ubertate.* Tandem 6. non contenti interna cordis ſolitudine, neque quieta clauſtri tranquillitate, etiam corpore ſeparantur ab hominibus, & in deſerto velut in cœlo commorantur. Deſerti enim nomine cœlum ſignificatur, ut docet Magnus Gregorius expendens parabolam ovis errabundæ per mundum, ubi ſunt urbes frequentia multitudinis inſignes, & campi in quibus laborant agricolæ. Errantem ovem quærens paſtor dimittit nonaginta novem in deſerto: *quia ſcilicet Angelorum choros reliquit in cœlo.*

Greg Naz Orat. 27 — Tert. l de An. 35 — Philo Jud. de Mund. Opific. — Petr. Dam Serm. 59 — Hom. 34 in Evang.

In hanc mentis & corporis ſolitudinem Chriſtus Scholaſticam duxit, ut ab humana converſatione ſejuncta, & à frequentia turbæ ſeparata, familiarius cum ea converſaretur; Abrahamum nuncupat Tertullianus, *divinæ familiaritatis virum*, quia converſatus eſt cum Angelis divinam majeſtatem repræſentantibus. At auguſtior eſt Scholaſticæ gloria quæ familiariter converſata eſt, non ſolum cum Angelis, ſed etiam cum Angelorum rege, qui illam duxit in ſolitudinem & frequenter cum ea locutus eſt: *Ducam illam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus:* ubi D. Bernardus: *Columbam blandiendo vocat, & conſpectum poſtulat & colloquium.* Ut autem liberius ſponſæ fruatur conſpectu & colloquio, à mundo eam removet & in deſertum adducit: *Publicum erubeſcit, decernitque frui deliciis ſuis in loco ſequeſtri.* Et ne quis vel umbram immunditiæ ſuſpicetur in *familiari congreſſu* ſacri ſponſi & ſanctæ ſponſæ, ſponſum Chriſtum & ſponſam Scholaſticam cogitet Et ut ſubjungit Bernardus: *Afferte pudicas aures ad ſermonem qui in manibus eſt de amore: & cum ipſos cogitatis amantes, non virum & fœminam, ſed Verbum & animam ſentia-*

Lib. de An. 18 — Oſee 2 — Ser. 61. in Cant. — Tert. l. de Jejun. 6

ſentiatis oportet. Adamus quandiu innocentiæ ſervavit ſtatum Deo multo
fuit *familiarior* Abraham. Verum mox ut divinum tranſgreſſus eſt manda-
tum: adempta eſt illi *paradiſi gratia & familiaritas Dei*. At Scholaſtica Ada- Tert. l. de vel. Virg.
mo longe fœlicior, in ſolitudine velut paradiſi gaudiis delectatur, cum Deo 10
familiariter converſatur, & duplici hac prærogativa perfruitur. Magnam Tert. l. 2. adv.
habuit cum Deo familiaritatem fidelis Abraham, majorem adhuc innocuus Marc. 2
protoparens: tandem maximam Beatiſſima Virgo: At Scholaſtica *per Dei* Tert. l. de
familiaritatem quam habuit in ſolitudine, Mariæ privilegia æmulari videtur. Reſur. 26
B. Virgo, ait D. Ambroſius: *Comites non deſiderabat, quæ bonos comites cogita-* Lib. 2. de
tiones habebat. Quin imo tum ſibi minus ſola videbatur, cum ſola eſſet. Pariter Virg.
Scholaſtica in ſolitudine ſola non erat, habens Deum ſecum habitantem &
colloquentem. Etenim *non eſt ſolus, cui Deus præſens eſt*: ut ſcite fatur D. Am- In Pſ. 38
broſius. Quo ſenſu ait Tertullianus: *Ante omnia Deus erat ſolus, ipſe ſibi &* Lib. adv.
mundus, & locus & omnia. Solus autem quia nihil aliud extrinſecus præter illum. Prax. 5
Cæterum, ne tunc quidem ſolus; habebat enim ſecum, quam habebat in ſemet-
ipſo, rationem ſuam ſcilicet. Id eſt Verbum quod ab æterno generat, & Spi-
ritum ſanctum, quem ſimul cum Filio ſpirat. Æternam hanc Dei ſolitudi-
nem imitatæ ſunt Maria & Scholaſtica, habentes in mente ſua Dei cognitio-
nem, & in corde ejus amorem; quomodo ſoli ſunt qui Deum aſſidue cogi-
tant & amant? Nam ut belle ad propoſitum D. Bernardus, *ſolus es, ſi non* Ser. 40. in
communia cogites, ſi non affectes præſentia; alioquin nec ſi ſolus corpore es, ſolus Cant.
es. Videſne poſſe eſſe te & ſolum cum inter multos, & inter multos, cum ſolus es?
Sola erat Scholaſtica in deſerto, ſola tamen non erat, habens ſecum Deum
quo cum converſabatur, ad inſtar Mariæ de qua ait D. Ambroſius: *Sola erat* Epiſt 42
Maria & loquebatur cum Angelo; ſola erat quando ſupervenit in eam Spiritus
ſanctus; ſola erat, & operata eſt mundi ſalutem, & concepit redemptionem uni-
verſorum. Quod D. Ambroſius ait de Maria, dicamus & nos de Scholaſtica:
Sola erat & loquebatur cum Chriſto, ſola erat quando concepit propoſitum
ſui Ordinis, & virginea maternitate fuit fœcundata.

3. In ſæculo eſt ſæpe ſæpius fœda fœcunditas. Virginum ſcilicet quæ ſuum
affectant oſtentare decorem: *Merito itaque dum caput non tegunt, ut ſollicitan-* Tert. l. de
tur gloriæ cauſa, ventres tegere coguntur infirmitatis ruina, virginitatem in ma- vel. Virg.
ternitatem commutantes. Maria eſt *Virgo Mater*, quia abſque ulla jactura vir- 14
gineæ integritatis Filium concepit & peperit. Scholaſtica quoque eſt virgo Tertull. lib. adv.
mater, ſtupendo miraculo matris fœcunditatem cum virginis puritate con- Jud. 9
jungens. In ſæculo virgines viris matrimonio conjunctæ non efficiuntur ma-
tres niſi poſt amiſſam carnis integritatem: at in monaſteriis *virgines generant* D. Hier.
abſque ullo damno pudoris: *Honor conjugij, matrimonij dignitas, eſt procreatio* Ep. 22. ad
dulcium liberorum. Verum ut bene animadvertit Gregorius Nazianzenus, Euſtoch.
longe dignior *fœcunditas in cœlibatu: ſiquidem præſtantiores illi fœtus ſunt, qui* Chryſol.
ſecundum Deum exiſtunt, quam qui carne ortum ducunt. Tertulliano teſte *in-* Serm. 92 Orat. 12
venitur etiam in jure Civili Græca quædam, quinionem enixa filiorum, ſemel Lib. de
omnium An. 6

omnium mater, unici fœtus parens multiplex, unici uteri puerpera numeroſa, quæ tot ſtipata corporibus, pene dixerim populo, ſextum corpus fuit. Verum Scholaſtica meliori titulo parens multiplex, puerperaque numeroſa debet appellari, quæ non quinque, ſed innumeras enixa eſt filias, quæque poſt reſurrectionem tot in cœlo apparebit ſtipata corporibus, quot ſunt Religioſæ quas Deo parturivit. In quo non ſecus ac in multis aliis aſſimilatur gemello fratri Benedicto. Uti enim Benedictus *Pater dicitur omnium* Religioſorum, qui profitentur regulam ab ipſo inſtitutam, ita Scholaſtica eſt mater cunctarum religioſarum, quæ in ejus Ordine, Deo virginitatem ſuam conſecrarunt: *Cæterum quam multas habet ſanctiſſima fœcundiſſimaque virginitas. Quam fœlix ejuſmodi generatio, fœcunda & incorrupta poſteritas!* Fœlix Scholaſtica Deiparæ imitans fœcunditatem, abſque ullo integritatis damno innumeras generans virgines. Fœlices adhuc Scholaſticæ filiæ, à Virgine Matre originem ducentes, ſed adhuc fœliciores ſi virgineam matris imitantur fœcunditatem. In Scholaſtica duplex, eaque virginea reperitur fœcunditas. Prolis una, moris & virtutis altera; omnes ejus filiæ valent imitari matris, ſi non prolis generationem, ſaltem moris & virtutis fœcunditatem. *Nec propterea vos ſteriles deputetis, quia virgines permanetis: Nam & ipſa integritas carnis, ad fœcunditatem pertinet mentis.* Æmulamini non ſolum Scholaſticæ, neque adhuc Deiparæ, ſed etiam duplicem æterni Patris fœcunditatem: internam unam, externam alteram Illa ſe ſolo producit Verbum, & ſimul cum Verbo Spiritum ſanctum: iſta ſimul cum Filio & Spiritu ſancto ad extra operatur. Similiter & vos eſtote fœcundæ ad intra, & ad extra. Ad intra per Dei cognitionem & amorem, ad extra per ſanctam virtutis operationem. Utraque hac fœcunditate decoratur Scholaſtica, quam in ſolitudine à Chriſto didicit.

Tertull. lib adv. Valent. 7 — Galfrid: apud Tilm. in Alleg. — D. Aug. Ser 60. de Diverſis.

III. PARS

Quales doctores tales diſcipuli: Duos invenio magiſtros qualitate & conditione diverſos, diabolum & Chriſtum. Diabolus eſt malus; doctrina quoque ejus mala quam ſuos diſcipulos docet. *Si doctrinæ dicendæ ſunt, mali magiſtri male docuerint neceſſe eſt.* Chriſtus è converſo eſt optimus, ejuſque doctrina eſt *diſciplina juſtitiæ, pudicitiæ, patientiæ, miſericordiæ, innocentiæ* cunctarum generatim virtutum. Ab optimo illo magiſtro erudita Scholaſtica, bonam diſciplinam didicit, quæ idcirco poſt mortem ſub ſpecie columbæ in cœlum aſcendere viſa eſt, quia vivens à cœleſti Doctore edocta eſt columbæ proprietates. Nimirum 1. ſimplicitatem cum prudentia conjunctam: 2. charitatem cum pace fœderatam: 3. orationem gemitibus comitatam.

Tert l. 1 de Cult. Fœm. 2 — Tert ibid. — Tert. l. de Car. Chr. 4

1. Qui mundana prudentia pollent, ſimplicitatem Chriſtianam dedignantur, eoſque qui in ſimplicitate cordis incedunt, velut ſtolidos depretiant, quaſi ſimplicitas ſit contraria ſapientiæ. *Ideoque ſimplices notamur apud illos, ut hoc tantum non eſſe ſapientes, quaſi ſtatim deficere cogatur à ſimplicitate ſapientia.* Quam autem inepte philoſophentur, multis rationibus oſtendit Tertullianus: Tum quia falſum eſt ſimplicitatem non poſſe reperiri cum ſapientia:

Tertull. lib adv. Valent 2

tia: *Domino utramque jungente: Eſtote prudentes, ut ſerpentes, & ſimplices ut columbæ.* Illas ad invicem conjungit Chriſtus, ut ſibi mutuum præſtent auxilium. Simplicitas abſque prudentia foret ſtolida, prudentia vero ſine ſimplicitate, maligna. Prudentia ſecuritatem dat ſimplicitati, eamque ne decipiatur tuetur. Simplicitas eſt antidotum prudentiæ, ab eaque malignitatem fugat: Tum quia, *ſi nos propterea inſipientes, quia ſimplices: num ergo & illi propterea non ſimplices, quia ſapientes?* Tum quia, ſi ſimplices de ſtultitia culpantur; prudentes de iniquitate cenſentur. *Nocentiſſimi autem qui non ſimplices, ſicut ſtultiſſimi qui non ſapientes.* Tum quia quantumvis à ſapientibus hujus ſæculi commendetur prudentia, & deprecietur ſimplicitas, tamen ſimplicitas multum prudentiæ antiſtat. *Malim in eam partem meliori ſumi vitio. Si forte præſtat minus ſapere quam pejus, errare quam fallere*, profecto Chriſtiana ſimplicitas tantum eminet ſupra mundanam prudentiam, quantum columba ſupra ſerpentem. Nam *Chriſtum columba demonſtrare ſolita eſt, ſerpens vero tentare. Illa & à primordio divinæ pacis præco; iſte à primordio divinæ imaginis prædo. Ita facilius ſimplicitas ſola Deum & agnoſcere poterit & oſtendere, prudentia ſola concutere potius & perdere.* Inde concludit D. Bernardus ſororem alloquens: *Igitur ſponſa Chriſti, nec prudentia ſerpentis ſine ſimplicitate columbæ, nec ſimplicitas columbæ ſine prudentia ſerpentis, debet eſſe in te: quatenus columbæ ſimplicitatem aſtutia ſerpentis ut mala caveat, ſollicitet; & prudentiam ſerpentis ſimplicitas columbæ ut bona faciat, temperet.* Lib. de Mod. ben. vivend. ad Sor. c. 56

In Scholaſtica mirum in modum ſplendet illa ſimplicitatis & prudentiæ conjunctio. Prudentia quidem elucet: nam ſicut prudens aſpis obturat aures ſuas, ne audeat vocem incantantium; ita Scholaſtica obturavit aures ſuas, ne mollitos & veneficos audiret mundi ſermones. Simplicitas etiam: fugiens mundum, fortunæ renuntians bonis, pauperem & ærumnoſam ducens vitam, non ut ſibi placeret, ſed ut Deo purius & perfectius ſerviret: *Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ lacte lotæ ſunt.* Per oculos intentio denotatur, quæ tunc eſt ſimplex cum Dei gloriam reſpicit. Oculi Scholaſticæ ſunt oculi columbæ, ob gloriam Dei, mundum deſerens, ſolitudinem quærens, ubi prudentiam cum ſimplicitate conjunxit, & charitatem cum pace confœderavit. Cant. 5

2. Amor perſonalis eſt *columba figura delapſus in Dominum, ut natura Spiritus ſancti declararetur per animal ſimplicitatis & innocentiæ, quod etiam corporaliter ipſo felle careat columba.* Charitas eſt proprius Spiritus ſancti character. Columba eſt amoris ſymbolum, & merito: Tum quia *gregatim incedit:* Tum quia, ut ait ſupra memoratus Bernardus *non habet fel.* Tum quia *roſtro non percutit.* Tum quia *ſæpe alienos pullos nutrit.* Pax adhuc ad Spiritum ſanctum pertinet, *cum ſit nexus amoris inter Patrem & Filium.* Quapropter, ut bene animadvertit Tertullianus emergenti de lavacro ſeu baptiſmo, *Columba Spiritus ſancti advolat, pacem Dei afferens.* Similiter per columbam denotatur pax, ideoque poſt aquas diluvii *pacem cœleſtis iræ præco columba terris annun-* Tert. l. de Bapt. 8 Guerric. Serm. 5. de Purific. Eucher. l. 1 in Gen. Tert. l. de Bapt. 8 Tert. ibid.

tiavit demiſſa ex arca, & cum olea reverſa. Columba olivæ ramum in ore deferens, denotat charitatem eſſe genitricem pacis, & viciſſim pacem charitatis partum: quia *Dilectio ſemper in ore fructum pacis habet.* Ex fructu cognoſcitur arbor, & ex pace colligitur charitas, à qua pax ducit originem. Nam ut belle ad propoſitum ratiocinatur modernus Author: (Neſcit filialis charitas alios prius parturire fructus quam pacis. Neque pax ab alio prius naſcitur, quam ab ore charitatis filialis: ſemper enim charitas in ore fructus eſt pacis.) Fructum pacis ſemper Scholaſtica habebat in ore, quia cor ejus intus charitate flagrabat, aſſiduè fundens orationem gemitibus comitatam.

Arator l. 2 in Act.

Baeza. P. 2. in Evang. l. 14 c. 3. §. 16

Tert. l. de Orat. 9

3. *Deus ſolus docere potuit, ut ſe vellet orari. Eſt igitur ordinata religio orationis, & de Spiritu ejus jam tunc cum ex ore divino ferretur animata ſuo privilegio aſcendit in cælum, commendans Patri, quæ Filius docuit.* A Chriſto edocta Scholaſtica orationi vacabat, quæ Dei animata Spiritu aſcendebat in cœlum. *Oratio juſti clavis eſt cæli, aſcendit precatio, deſcendit Dei miſeratio,* ut patet in Oratione Scholaſticæ, quæ Dei Spiritu animata ſuo privilegio aſcendit in cœlum, & inundantes aquas, tonitrua, grandines & fulgura detulit ad terras. Benedictus ſororem ſuam Scholaſticam ſemel in anno ad eam de mane accedens, eodemque die ſerotinis horis recedens; cumque Scholaſtica morti proxima inſtantiſſime deprecata fuiſſet ut ſecum ſubſequenti nocte remanere vellet, ipſeque conſtantiſſime renueret; Scholaſtica ut inflexibilem fratris vinceret voluntatem, in auxilium orationem vocat, Deum enixè deprecatur, ut grandem immittat tempeſtatem, qua egredi impediatur Benedictus: votique compos facta, efficacia orationis obtinuit, quod frater petitionibus & lachrymis ſororis denegaverat. Cui Benedictus: *Parcat tibi omnipotens Deus, Soror, quid feciſti?* Fraternæ huic exprobrationi, lætabunda modeſte reſpondit Scholaſtica: *Ecce rogavi te & audire me noluiſti: Rogavi Deum meum & audivit me: Modo ergo ſi potes egredere, & me dimiſſa ad monaſterium recede: ipſe autem quia remanere ſponte noluit, in loco remanſit invitus:* ubi pernoctavit cum Sorore, colloquentes de amore Dei.

D. Aug. Serm. 226 de Temp.

D. Greg. l. 2. Dialog. 33

Inter aves nulla eſt adeo cogitabunda ut columba, præſertim in ſolitudine à ſocio vel per mortem, vel per abſentiam ſeparata: Quare Rex Ezechias Prophetæ annuntianti ſibi latam à Deo in ipſum ſententiam ait: *Meditabor ut columba.* Scholaſtica tanquam ſpiritualis columba indeſinenter vacabat meditationi, quæ eſt *anima Chriſtianæ pabulum:* & ut fatur D. Hilarius: *Beatum virum continua legis meditatio & indefeſſa conſummat.* Hoc pabulo nutriebatur Scholaſtica & ad perfectionis conſummationem properabat. Subjungit Propheta, *Quaſi columbæ meditantes gemamus.* Columba cogitationi adnectit gemitum: nam ut animadvertit Guerricus Abbas *gemitum pro cantu reddit.* Scholaſtica quoque meditans gemebat præ dolore tot criminum, queis peccatores Deum offendunt; gemebat præ triſtitia quod anima tandiu detineretur in ergaſtulo corporis, Dei viſione privata; gemebat præ amore ſponſi

Eſa. 38

D. Hier. Epiſt. 6

In Pſal. 1

Eſa. 59

Ser. 5. de Purif.

ſponſi quem toto corde diligebat, gemebat pro deſiderio ſupernæ Hieruſalem, continue ſuſpirans poſt adeptionem æternæ fœlicitatis.

CONCIO SECUNDA.

MErito Deus admirabilis prædicatur: Imò *ſupra omnem admirationem.* Tert. l.de Bapt. 2 Admirabilis in ſua natura, quæ abſque ulla ſui diviſione & multiplicitate, exiſtit in Patre, Filio, & Spiritu ſancto, qui important tria ſuppoſita numero realiter inter ſe diſtincta: Admirabilis in tribus perſonis quæ ſunt eædem uni tertio nempe eſſentiæ; & non ſunt eædem inter ſe: Nam Filius eſt alius à Patre: Spiritus ſanctus alius à Patre & Filio. Admirabilis in ſuo intellectu, qui cognoſcit innumeras creaturas poſſibiles quæ nunquam exiſtent. Admirabilis in ſua voluntate, quæ abſque ulla vel mutabilitatis vel inconſtantiæ umbra, tranſit ab amore ad odium, & vice verſa ab odio ad amorem. Admirabilis in ſua æternitate, quæ abſque ulla diviſione, mutatione, ſucceſſione, coexiſtit præterito, præſenti & futuro: quæ ſunt partes temporis labentis ſibi continue ſuccedentes. Admirabilis in ſua cooperatione, concurrens cum peccatoribus ad phyſicum, & materiale peccati, nec tamen eſt author & cauſa peccati. Admirabilis in ſua providentia, dirigens in ſuos fines creaturas irrationabiles adeo infallibiliter, ac ſi rationis eſſent compotes. Admirabilis in ſua prædeſtinatione; quæ gratuito eligit ad gloriam, quam tamen non largitur electis, niſi ob merita, quibus illam adepti ſunt. Tandem *admirabilis Deus in omnibus viis ſuis.* Viæ Dei ſunt vel internæ, vel externæ, & ambæ admirabiles. Viæ internæ & notionales ſunt generatio Verbi & proceſſio Spiritus ſancti, utraque admirabilis. Stupenda prorſus Verbi generatio, in qua Pater generans non eſt antiquior neque prior tempore Filio generato, in quo terminus eſt independens à principio à quo procedit. Nec minus ſtupenda proceſſio Spiritus ſancti, qui ſpiratur à duabus perſonis, quæ ſunt unus duntaxat ſpirator, qui eſt perfectè ſimilis ſuo principio, nec tamen eſt ejus Filius. Qui habet eumdem intellectum infinitum; eamdemque voluntatem infinitam cũ Patre & Filio nec generat & ſpirat: qui ad intra eſt ſterilis, & ad extra ex æquo fœcundus cũ aliis perſonis divinis. Viæ Dei externæ terminantur vel ad ordinẽ naturæ, vel ad ordinem gratiæ. Ambæ adhuc admirabiles. Illæ ad opera adeo mira terminantur: quod nonniſi cum ſtupore contẽplatur Abacuc Propheta: Tert. l. 2. adv. *Conſideravi opera tua & expavi.* Et merito expaveſcit Propheta: ſiquidẽ *opera Creatoris teſtantur & bonitatem ejus qua bona; & potentiam qua tanta, & quidem ex nihilo.* Marc. 5 Iſtæ tendunt ad formandos cœlos, in quibus Deus mirabilis videtur, *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis*, & licet in cunctis Sanctis mirabilis appareat, Pſal. 67 ſpecialiter in Catharina Senenſi mirabilis exiſtit: ob 1. ſcientiæ ejus

 ſubli-

ſublimitatem: 2. admirabilem charitatem: 3. ſtupendam affinitatis nobilitatem.

I. PARS. Tert l. 1 de Cult. Fœm. 2 Greg. Naz Orat. 18 D. Chryſoſt. l. 3. de Vit. Monaſt. In Cod Theodoſ. l. 11

Interim ex doctorum ſuorum qualitate & conditione pronuntiari poteſt. Qualitas & conditio doctrinæ quam ab ipſis edocti ſunt diſcipuli. *Malorum magiſtrorum mala doctrina ſunt*, & qui ab iis erudiuntur, malam ſapiunt doctrinam. *In ſcholis malorum præceptorum, juvenes vitia prius omnia, quam eloquentiam addiſcunt*; quia ſi nemo dat quod non habet, quomodo virtutem docebunt præceptores iniqui? Nam ut belle ſubjungit Tertullianus, *nihil ad integritatem peccatores, nihil ad caſtitatem adamatores, nihil ad timorem Dei deſertores ſpiritus, aut monſtrare potuerunt aut præſtare.* Quapropter in lege civili ſapienter decernunt Imperatores: *Frequentiſſimis in civitatibus, quæ pollent & eminent claritudine præceptorum, optimi quoque erudiendæ præſideant juventuti*; Ab optimo magiſtro erudita Catharina, nimirum à Chriſto, qui eam 1. docuit: 2. à juventute docuit: 3. de omnibus docuit.

Tertull. Apol. 21

1. Unigenitus Dei Filius Chriſtianæ *diſciplinæ magiſter & illuminator*, eſt præceptor à quo edocta eſt Catharina, quo nihil glorioſius dici poteſt ad commendandam mirabilem ejus doctrinam. Alexander nomine & re magnus ſe magis adſtrictum Ariſtoteli, quam Philippo fatebatur; quia à Philippo patre acceperat ſolummodo eſſe; ab Ariſtotele vero præceptore bene eſſe: nimirum documenta ſcientiæ & præcepta virtutis. Theodoſius Imperator Arcadium & Honorium erudiendos commiſerat Arſenio, quos fœlices prædicabat ſub præceptore non minus virtute quam ſcientia prædito: Gregorius Neocæſareæ Epiſcopus ob patrata miracula Thaumaturgus nuncupatus, tanti faciebat Origenis magiſterium, quod *omnium ſummum atque præcipuum* (In Paneg.) prædicaret: Quanto fœlicior Catharina quæ edocta eſt non ab homine mortali, ignorantiæ & peccato obnoxio, ſed ab ipſomet Chriſto ſapientiſſimo & ſanctiſſimo, qui eam à juventute docuit?

Tert. l. 4. adv. Marc. 25.

2. Æternus pater *Chriſtum ſuum illuminatorem Nationum deſignavit; quas interpretamur in nomine parvulorum, ſenſu ſcilicet retro parvas, & imprudentia infantes: jam vero & humilitate fidei puſillas: Facilius utique credemus eumdem etiam parvulis revelaſſe per Chriſtum*: præſertim Catharinæ, quam Chriſtus à juventute docere voluit. Hieronymus ætate grandævus & fere ſenio confectus filiolam Lætæ Romanæ Matronæ vix balbutientem, præ charitate erudire volebat: Chriſtus executioni mandavit quod Hieron. in votis habuit, à teneris annis erudiens Catharinam: cui apparens pontificis infulis indutus anno illius ætatis ſexto, pontificiamque de Eccleſia S. Dominici impertiens benedictionem, ex tunc tantam oſtendit prudentiam, quantam mulier triginta annorum. Regius Vates Deo gratulatur: *Docuiſti me à juventute mea* De ſimili prærogativa merito gloriatur Catharina: mox enim à Chriſto benedictionem accepit, tanta fuit cœlitus ſapientia illuſtrata, ut perfectam habuerit notitiam vitæ quam in deſerto duxerant Patres, quam ut imitaretur de paterna domo egreſſa, eremum petiit, & in caverna aliquan-

diu latitavit, ibique orationi ſedulo vacans, interno divini ſpiritûs motu rediens in paternam domum, cellulam elegit à turba & frequentia remotam, de qua nunquam niſi ad audiendum Sacrum egrediebatur; tantâque ſolicitudine ſervabat ſilentium, ut toto triennio nulli mortalium, niſi ſuo Confeſſario locuta ſit. *Solitaria namque vita cœleſtis doctrinæ ſchola eſt, & divinarum artium diſciplina.* In hoc Dei gymnaſio procul à tumultu Catharina adhuc juvenis addidicit divinam diſciplinam. Idem illi fuit voluntarius ille *carcer, quod eremus Prophetis*; quia non ſecus ac Prophetæ de divinis edocta eſt myſteriis. D.Baſil. de laud. Erem. Tert. l. ad Mart. 2

Regius Vates beatos prædicat eos, qui à Deo eruditi ſunt: *Beatus homo quem tu erudieris.* Quàm felix es Catharina, hauſiſſe eruditionem à Verbo divino, doctrinam ab humanatâ ſapientia, lucem à ſole juſtitiæ, & ab ore Unigeniti Dei notiones, quæ ſexum, ætatem, & naturam humanam ſuperant. Vix diſcretionis & rationis attigiſti ætatem, & majori polles prudentiâ & diſcretione, quàm mulieres provectæ & maturæ ætatis: primas rudimenti litteras non didiciſti, & in omni momento pſalmos Davidicos optimè legis, & devotè decantas; hiſtoriam ignoras, & perfectiſſimam habes Patrum deſerti notitiam; in nulla Academia ſtuduiſti, & acutè difficillimas Theologiæ elucidas quæſtiones; à nullo mortalium ſcientias didiciſti, & te omnia ſcire meritò gloriaris: *Nos ſimplices omnia ſcimus.* In acquirendis ſcientiis nullum inſumpſiſti laborem, & in momento doctior exiſtis, quàm ii, qui toto vitæ tempore in comparandis diſciplinis inſudant. *O quàm velox eſt ſermo ſapientiæ, & ubi Deus magiſter eſt, citò diſcitur quod docetur*, ut comprobatur ex Catharina, quæ in pueritia adhuc exiſtens, à Chriſto erudita, in momento omnia didicit, Pſ. 93 Tertull. lib. adv. Valent. 3 D.Leo Serm. 1. Pentec.

3. *Quod à Deo diſcitur, totum eſt.* Catharina à Deo edocta totum didicerat, quia Deum qui eſt omnia didicerat. Ad plenitudinem ſcientiæ deſiderat ſolummodo D. Auguſtinus cognitionem ſui, & notitiam Dei, unde continuò expoſtulabat: *Noverim me, noverim te.* At Catharinam magiſter illius Chriſtus utramque notitiam docuit: *Si noſti filia, quis ego ſum, & qua tu ſis, beata eris; ego enim ſum qui ſum; tu es qua non es.* Quanta eruditio involvitur in pauculis illis verbis, *Doctrina index diſciplinæ eſt.* Catharina autem à teneris annis cunctarum virtutum ſtudebat diſciplinæ. Admirabilis porrò fuit Catharinæ Alexandrinæ ſcientia, de doctiſſimis Gentilium Philoſophis triumphans; ſed multò mirabilior Catharinæ Senenſis doctrina, vincens non Gentiles Philoſophos erroris & ignorantiæ tenebris involutos; ſed famoſiſſimos Theologos in ſchola veritatis eruditos, qui ut certò agnoſcerent an ſcientia Catharinæ eſſet vera & divina, an falſa & diabolica, difficillima quæque Religionis myſteria ei enodanda propoſuerunt; quæ ipſa tantâ claritate elucidavit, ut ipſi de veritate convicti Catharinam velut Theologorum magiſtram prædicaverint. Admirabilis illa ſapientia, qua fulgebat Catharina, tantam illi omnium conciliârat exiſtimationem, ut velut oraculum conſuleretur, ad componendas lites aſſumeretur, à ſummis Pontificibus in Tert. l. de An. 2 Tert. l. de Præſcr. Hæret. 43

rebus maximis delegaretur, & à cunctis univerſaliter adiretur, & quod eſt notatu digniſſimum: *Nemo ad eam acceſſit, qui melior non redierit.*

Tert. Apol. 18 *Propheta de officio præſandi vocantur*: quia divinitùs illuſtrati futura reſpiciunt, & quæ ventura ſunt, certò cognoſcunt. Catharinæ ſcientia velut æternitatis particeps ad tres temporis differentias ſe extendit: præterita tanquam ſi de præſenti ejus oculis objicerentur, cognoſcebat; præſentia clare perſpiciebat. Ex ſua natura *Deus conſpector eſt cordis.* Catharina ex lumine à Deo

Tert. L. 2 de cult. fœm. 13 mutuato corda adſtantium penetrabat, & cognoſcebat an eſſent in ſtatu gratiæ, vel peccati. Tandem prophetiæ dono illuſtrata, futura præſciebat, & de ſua cella velut de throno ſapientiæ intuebatur, quæ fiebant in univerſo mundo; quæ futura erant, ominabatur; de imminentibus Eccleſiæ malis ſummos Pontifices hortabatur; Principes etiam de proſperitatibus & adverſitatibus ſuis regnis eventuris monebat.

Scientia manifeſtatur tum per ſcripta, tum per ſermones. Utroque modo admirabilem ſcientiam oſtentavit Catharina. Per ſcripta quidem: Tum in libro de Providentia, in quo mirum in modum tractat de ſolitudine cordis: Tum in duobus Epiſtolarum voluminibus, in quibus continentur centum quinquaginta quinque ad inſtruendos Eccleſiaſticos quoſcunque, & centum triginta novem pro regimine Principum, regnorum, & rerumpublicarum. Per verba etiam facundiâ incredibili loquens de Deo & rebus divinis. Laudatur Doctor Angelicus quòd eodem tempore quatuor dictitaret ſecretariis. Catharina quoque tantâ erat mentis fœcunditate prædita, ut vix ad ſcribendum quatuor ſufficerent amanuenſes. Commendatur Bernardus de eloquentia & ſuavitate ſermonis, qua ſuadebat cunctis quibuſcum loquebatur: neque minori efficaciâ perſuadendi pollebat Catharina.

Dilectus diſcipulus ob doctrinæ ſublimitatem tantum eminet ſuper alios Evangeliſtas, quantum aquila ſupra cæteras aves. In primo namque capite ſui Evangelii tractat de æterna & temporanea divini Verbi generatione; unde illi præ cæteris eminens & ſublimis notitia? ſcilicet eò quòd quieverit ſupra Dominicum pectus, in quo ſunt abſconditi omnes theſauri ſapientiæ &

Tert. L. de Præſc. Hæret. 22 ſcientiæ Dei. *Latuit & Ioannem aliquid dilectiſſimum Domino, pectori ejus incubantem.* Catharina vulnus lateris Dominici deoſculata eſt, & de divino illo fonte hauſit ſapientiam illam cœleſtem, quam tum ſcriptis, tum verbis poſtea eructavit. Inter Apoſtolos de ſublimitate doctrinæ commendamus

Tert. L. de Pud. 14 *Paulum Apoſtolum Chriſti, Doctorem nationum in fide & veritate, vas electionis, Eccleſiarum conditorem, cenſorem diſciplinarum*; qui ut ipſemet teſtatur, ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcit, raptus eſt ad tertium cœlum, & vidit gloriam, quam præparavit Deus diligentibus ſe. At Catharina violentiâ amoris divini verè moriens, & per quatuor horas fato functa permanens, per id tempus conſpexit tum beatitudinis gloriam, tum damnationis miſeriam; Deo tamen volente rediit ad vitam, ut fiduciam juſtis, terrorem incuteret

teret peccatoribus, enarrans bona cœli, & mala inferni: *Bonorum quorundam ſicut & malorum intolerabilis eſt magnitudo.* Tert. l. de Pat. 1

Ad ſublimem illam recipiendam ſapientiam ſex viis, & velut diſpoſitionibus præparata eſt Catharina: nimirum abſtinentiâ & jejunio, oratione & meditatione, extaſi & contemplatione, ſeceſſu & cordis ſolitudine, virgineâ puritate, Dominicâ converſatione. 1. Abſtinentiâ & jejunio, ut patet ex Daniele & fratribus ejus, leguminum pabulum, & aquæ potum ferculis regiis præferentibus: *Dedit enim Deus adoleſcentulis ſcientiam & intelligentiam in omni litteratura, & Danieli in omni ſophia, qua hoc ipſum quoque ſaperet, quibus modis de Deo impetraretur agnitio ſacramentorum.* Tert. l. de jejun. 9 Dedit quoque Deus Catharinæ ſcientiam & intelligentiam in omni verbo, & in omni ſophia, ob abſtinentiam & jejunium, quod in toto vitæ decurſu ſervavit: à teneris annis à carnibus abſtinuit, victitans ſolo pane & aquâ, cum quibuſdam herbis crudis: ubi autem vigeſimum ætatis attigit annum, herbis duntaxat crudis veſcebatur, neque ullo alio alimento, pane etiam utebatur. 2. Oratione & meditatione divinorum notitiam acquiſivit Catharina. Si enim Moyses ex familiari cum Deo colloquio ita etiam in corpore illuſtratus fuit, quòd *velamine faciem tegebat incontemplabilem filiis Iſrael*: Tert l. 5 adv. marc. 11 quis dubitabit Catharinam fuiſſe interiùs irradiatam, quæ orationi vacabat non ſolùm per diem, ſed etiam per noctem, præſertim cùm Fratres Dominicani poſt matutinum à choro recedebant; ne ulla eſſet etiam noctis hora, in qua Dei laudes non decantarentur; Et quia 3. conſtat *extaſim hoc quoque operari de ſuo proprio, ut ſic nobis ſapientia imagines inferat*; Tert. l. de An. 45 ut Catharinæ comprobatur exemplo, quæ, ut refertur in Bulla ſuæ canonizationis, rapiebatur ſanè à ſpiritu, & in aëra ſuſpenſa velut mortua, abſque motu & ſenſu remanebat; & in una extaſi admirabilem dictitavit de providentia librum. Quemadmodum 4. *Ipſe Dominus gloriam ſuam diſcipulis in ſolitudine demonſtravit*; Tert. l. ad Mart. 2 ita Catharinâ in ſolitudine cordis edocuit. Ut enim de illa refertur: [intra ſeipſam conclave fabricata eſt, unde nunquam cujuſcunque rei causâ egrediebatur.] 5. Virginea puritas non parum ſervivit Catharinæ ad ſcientiæ donum. Si ex D. Hieronymo Sibillis quanquam paganis largitus eſt Deus ob virginitatem prophetiæ donum: & ſi, ut fatur Tertullianus: *in virginibus integritas ſolida & tota ſanctitas de proximo viſura faciē Dei*; Lib. 8 ad Ux. 8 qualis quæſo & quanta fuit Catharinæ ſapientia, quæ nondum completo ſexto ætatis anno [facibus divini amoris mirabiliter incenſa, ad ſervandam virgineam puritatem vehementer aſpirare cœpit?] Cùmque ei cœlitùs fuiſſet revelatum beatiſſimam Mariam Deo virginitatem ab infantia voviſſe, ad illius exemplum Catharina, [prius Deo ſeſe dedicavit, quàm Deum poſſet per ætatem cognoſcere.] Tandem 6. ex ejus convictu & familiaritate cum Chriſto, licet ſublimem Catharinæ colligere doctrinam, quo argumento utitur Tertullianus ad demonſtrandam univerſalem Apoſtolorum ſcientiam: *Quis integræ mentis credere poteſt, aliquid ignoraſſe Apoſtolos, quos magiſtros Dominus* L. de Præſcript. 22

dedit

dedit, individuos habens in comitatu, in diſcipulatu, in convictu, quibus obſcura quæque ſeorſim diſſerebat? Idem de Catharina poteſt dici. Quis enim niſi rationis inops poteſt de inſcitia arguere Catharinam, quam magiſtram Dominus dedit ad componendas civitatum factiones, ad tollenda Eccleſiæ ſchiſmata, ad pertractanda præcipua Eccleſiæ negotia? Unde, ut aſſeverat Pius V. ſummus Pontifex: [Gregorio II. & Urbano VI. ejus ſucceſſori acceptiſſima fuit, adeò ut legationibus eorum fungeretur.] Quam habens Chriſtus individuam in comitatu & convictu. Aſſeverat namque Lippolus [tantam fuiſſe inter Chriſtum & ſacram hanc virginem familiaritatem, ut major inter duos homines arctiſſimo amoris vinculo ſociatos eſſe non poſſet: ſive enim orationi, ſive lectioni, ſive externis occupationibus, vel etiam corporis neceſſitatibus intenta eſſet, utplurimum jucundiſſimâ Chriſti viſione fruebatur.] Idipſum teſtatur Surius: [Manebat diutius ſolito cum illa, & interdum beatiſſimam Matrem ſuam ſecum adducebat, itemque diverſos alios Sanctos; ſed utplurimum ſolus ad eam veniebat, loquens cum ea amiciſſimè adeò ut non raro cum illa pariter dicens pſalmos, ambularet cum ea ſurſum, deorſum in cellula.] Ex ſingulari illa Chriſti cum Catharina familiaritate tria rectè colligi poſſunt. Unum, ſublimis ſcientia, quâ illuſtrata fuit Catharina. Alterum, tener amor, quo Chriſtus Catharinam dilexit. Tertium, ardens charitas, quâ Chriſtum Catharina amavit.

II. PARS. Tert. l. de Pat. 12 *Dilectio ſummum fidei ſacramentum, Chriſtiani nominis theſaurus, quam Apoſtolus totis viribus Spiritûs ſancti commendat.* Trinâ utitur Tertullianus ratione ad commendandam dilectionem: Tum quia nullum eſt ſignum quo magis denotetur Chriſtianus, quàm dilectio; quæ videtur propius Chriſtiani character: Tum quia virtutis pretium ex dilectione deſumitur, & unuſquiſque eſt tantò in ſanctitate ditior, quantò in charitate eſt perfectior: Tum quia Apoſtolus à Deo ſpecialiter electus ad docendam virtutis & perfectionis ſemitam, nihil omittit ut dilectionis ſuadeat exercitium. Verùm ſi quis unquam inter Sanctos Apoſtolicum ſecutus eſt ſuaſum, pretioſo illo locupletatus eſt theſauro, & ſacro denotatus ſigno; maximè Catharina, quæ tota dilectioni conſecrata videtur. 1. Chriſtum ardenter amans. 2. peccatorum converſionem zelans. 3. inimicis & perſecutoribus ſuis bona pro malis præſtans.

1. Tanto charitatis ardore Chriſtum Catharina diligebat, ut non ſolùm ignis quo æſtuabat, nullatenus potuerit extingui, neq; etiam tantiſper minui; dicere valens cum Apoſtolo: *Quis ſeparabit nos à dilectione Chriſti? preſſura, an* Tertull Scorp 13 *anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an machæra? Sed in omnibus iſtis ſupervincimus pro eo qui nos dilexit. Perſuaſum enim habemus, quòd neque mors, neque vita, neque virtus, neque ſublimitas, neque profundum, neque alia conditio poterit nos ſeparare à dilectione Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Audacter provocat Catharina poſt Paulum cuncta, quæ illam poſſent à charitate Chriſti dimovere; quia tota dilectionis Dei exardeſcens amore, generosè ſupe-

ſuperat cuncta quę eam à ſummè dilecto ſeparare moliuntur. Illam ab amore Chriſti ſeparare tentavit peccatum: at tota in Deo occupata *locum vitijs non relinquebat*. Idipſum tentavit mundus; at ipſa [omnes mundi delicias à ſe abdicavit, totam ſe orationi, ac divinarum rerum ſtudio tradens, corpuſculum ſuum jejuniis ac verberibus afflixit, & coæquales puellas, ut idem facerent, & docuit, & perſuaſit.] Id tentavit diabolus, ſive fœdas immittens cogitationes, ſive cruentas infligens flagellationes: at ipſa ſævientem illum fugavit ſigno crucis inimicum, edocta à Chriſto, [ſi velis vincere hoſtem, crucem pro refrigerio accipe, & amara pro dulcibus ſume.] Id tentavit ſoror ejus Bonaventura nomine, ſuadens ei ut orna è induta incederet; at Catharina tantum abeſt, ut ejus annueret conſilio, quin imò pulcherrimos, quibus nitebat, abraſit capillos. At ſuper omnes id tentarunt proprii Catharinæ parentes, eam ad ineundum matrimonium modò blanditiis, modò minis, modò ſuavibus ſermonibus, modò colaphis, & culinæ officiis vilioribus inducere ſatagentes. Verùm quia *& pater & mater eſt, diligentur; cum Deo non comparabuntur.* Tertull. Catharina divinum præferens amorem parentum dilectioni, in fervida Scorp.1 Chriſti perſeveravit charitate, converſionem adhuc peccatorum zelans.

2. Dei Filius humanatus eſt ob hominum ſalutem: unde poſtquam Tertullianus multa retulit quæ operatus eſt Chriſtus in humana carne, ſic concludit: *Horum bonorum unus eſt titulus ſalus hominis, criminum priſtinorum abolitione præmiſsâ.* L. de Pœnit. 2 Catharina divino amore ſuccenſa, & zelo ſalutis animarum ſufflammata, peccatorum totis viribus procurabat converſionem: ad quod potiſſimum trinâ ſtimulabatur ratione. 1. Animarum pulchritudo, quam ei Chriſtus demonſtrârat, eam urgebat [ut tantò magis ad curandam earum Lippolus. ſalutem accenderetur] quas Deus tanto decore donaverat, ad ſuî imaginem formaverat, & æternæ beatitudinis capaces effecerat. 2. Ut æmularetur amorem ſponſi ſui Chriſti, qui *concupijt in hominis ſalutem*, effundens ſuum ſanguinem, ut eos à peccatis mundaret, & mundatos in cœlum introduceret. Tert. L. 1 adv. Marc. 25. 3. Ut illos imitaretur Sanctos, quos ſciebat majori zelo ſalutis animarum fuiſſe accenſos; præcipuè Dominicum patriarcham, cujus charitatem tanquam ejus filia referre ſatagebat. [Principio igitur cùm hæc ſancta virgo in puellari adhuc ætate conſtituta, incredibili ſalutis animarum deſiderio flagraret, illos Lippolus. peculiariter amabat Sanctos, qui curandis animabus operam navâſſent, intellexitque divinitùs B. Patrem Dominicum zelo fidei & ſalutis animarum incenſum, Ordinem Fratrum Prædicatorum inſtituiſſe:] quapropter terram devotè oſculabatur, quam tranſeuntes Dominicani pedibus calcâſſent.

His, aliiſque rationibus ad peccatorum converſionem accenſa Catharinâ, animarum ſalutē continuò zelabat ſuis orationibus, exhortationibus, exemplaribus virtutibus. [Quis ſufficiat narrare quot ſceleratos homines ab ipſis inferni faucibus extraxerit? quot obſtinatos ad ſuî cognitionem adduxerit; quot mundo huic deditos ad ejus contemptum induxerit? quot variis di-

vexatos tentationibus à ſatanæ laqueis liberaverit? quot cœlitùs vocatos per virtutis iter deduxerit?] Tantus erat fructus zeli, quo ardebat Catharina, quòd [ex remotiſſimis partibus ad ipſam utriuſque ſexûs perſonæ confluebant, & ad ejus aſpectum & colloquium taliter compungebantur, ut ſine dilatione ſurgerent ad confitenda peccata ſua] Hac de cauſa Gregorius XI. Pontifex Maximus tres conſtituit Confeſſarios, qui ſemper adſtarent Catharinæ ad excipiendas pœnitentium confeſſiones, quibus dedit poteſtatem abſolvendi à caſibus etiam reſervatis Epiſcopis.

Rupertus.

Tert l. de Pat. 12 — *Dilectio nec ſua requirit, ſi offert ſua, dum alteri proſit.* Trinum, illudque prorſus ſtupendum dilectionis exemplum invenio: primum Moyſis, qui Deum iratum placavit, malens deleri de libro vitæ, quàm populum perire: *Cùm Deus ob vituli conſecrationem efferatus in populum, de famulo ſuo poſtulat Moyſe: Sine me, & in ira diſperdam illos, & faciam te in nationem magnam. Non facies enim, inquit, iſtud, aut & me unà cum eis impende.* Secundum, eſt Pauli Apoſtoli, qui, ut ipſemet fatetur: *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe Chriſto pro fratribus meis.* Ut enim animadvertit D. Chryſoſtomus: *Nec ſimpliciter dixit, velim; ſed id intendens ait, Optabam.* Tertium, non minori admiratione dignum, Catharinæ poſtulantis poni ad portam inferi, ut impediendo ingreſſum animarum damnandarum, ſic aliis à pœnis liberatis ipſa ſola pateretur. [Mi Domine, quonam modo ferre potero, ut qui ad imaginem tuam formati ſunt, in æternum pereant? annon in majorem gloriæ tuæ cumulum cederet, ut ſalvâ charitate ego ſola perirem, corporiſque mei objectu aditum ad inferos obſtruerem, omniaque gehennæ tormenta perferrem, quàm ut tot animarum millia à beatitudinis tuæ conſortio excluderentur?] Lippolus qui Catharinam prodidit deprecantem, Chriſtum adhuc ſic reſpondentem inducit: [Ut charitati locus apud inferos eſſet, deberet tanta charitatis vis atque potentia eſſe, ut magis ipſa gehennæ flammas extingueret, quàm ab eis ipſa lædi poſſet.] Admirabilis prorſus Catharinæ dilectio volentis pati gehennæ ſupplicia, ut ab eis eximeret ſceleroſos! Nec minus ſtupenda ejus charitas, quâ inimicis & perſecutoribus ſuis de facto præſtat bona pro malis.

Tert. l. 2 adv. Marc. 26

Rom. 9

Hom. 16

Tert. l. de Pat. 12 — 3. Dilectio Catharinæ *benefica eſt*; ut patet ex eleëmoſyna quam erogabat egenis ex miniſterio, quod reddebat ægrotis; ex bono, quod præſtabat etiam inimicis. Licentiam à parentibus obtinuerat Catharina eleëmoſynam dandi pauperibus, quam eis benignè erogabat. Nonnulla munificæ ejus charitatis exempla referam, etiam miraculis commendata. Vinum mendicantibus abſque ullâ ſuî diminutione abundè fudit: ſaccum frumenti, duoque vaſa vino & oleo plena, ad viduam prole onuſtam & penuriâ gravatam detulit Catharina adeo debilis & languens, ut vix ſupra pedes poſſet ſtare: in Eccleſia S. Dominici orans, mendicanti eleëmoſynam poſtulanti crucem argenteam, quam collo deferebat, dedit, quam nocte ſubſequenti Catharinæ demonſtravit Chriſtus gemmis intextam. Alterâ vice hiemis tempore eidem Chri-

Chriſto in forma juvenis algentis veſtem poſtulanti, internam largita eſt tunicam, quam nocte etiam ſequenti Catharinæ Chriſtus oſtendit.

Magna eſt equidem Catharinæ dilectio in largiendis eleëmoſynis, ſed abſque comparatione major in juvandis ægrotis. Inter opera miſericordiæ corporalia computatur auxilium ægrotis præſtitum, quod tantò eſt laudabilius, quantò major eſt ægritudo. Inter morbos majores & horribiliores abſque dubio ſunt lepra & cancer, quibus corpus miſerè ulceratur, & fœdè cruciatur. Catharina tamen miſericordiâ inflammata, Senis mulieri cuidam Teccæ nomine adeò leprâ infectæ, ut nullus ad eam accedere auderet, auxilium præſtitit, eique ſingulis diebus matutino & ſerotino tempore aſſiduè miniſtravit. Idem charitatis officium reddidit adhuc alteri fœminæ putrido cancere in mamilla laboranti; cùmque quadam vice ex ulcere, quod lavabat, fœtidum afflâſſet odorem, quo ejus cor penè defecit, de defectu charitatis erga ſororem ſuam redemptam Chriſti ſanguine ſemetipſam arguens, ulcus putidum & malè olens ſæpè ſæpius deoſculata eſt, & quaſi parum fuiſſet afflaſſe fœtidum odorem, aquam hauſit quâ putridam laverat mamillam.

Magnam profectò oſtendit Catharina dilectionem largiens eleëmoſynas egenis, majorem ſerviens ægrotis putidis, infectis & malèolentibus, ſed maximam bona præſtans inimicis ſuis eam injuſte perſequentibus. Chriſtianæ religionis profeſſores prodit Tertullianus tanquam *neminem lædentes, neminem contriſtantes.* Duæ illæ mulieres, quibus tanto charitatis affectu ſervierat Catharina, chriſtiano nomine indignæ, benfactricem ſuam ingrate contriſtarunt, injuſteque læſerunt: nam una lepra infecta, eam injuriis impetivit, inſolenter exigens velut ex juſtitia auxilium, quod Catharina ex mera charitate præſtabat: mulieris tamen ingratitudo Catharinam non ab opere miſericordiæ deterruit, ſed magis ad illud exercendum ſufflammavit. Altera vero mulier cancere fœtens, ore adhuc fœtidiore Catharinam velut minus pudicam prædicavit. Ad tantam tamen detractionem Catharinæ charitas *non irritatur*, ſed inceſſanter maledicenti fœminæ opitulatur, cui cum Deus in viſione repræſentaſſet Catharinam gloria & majeſtate fulgentem, peccatum ſuum agnovit, ſeſe de maliloquio redarguit, Catharinæ innocentiam ſimul & pudicitiam decantavit. *Quid eruditius de maleficio, an & de maliloquio interdicere?* Catharina in ſchola Chriſti erudita non ſolùm abſtinuit à maleficio reddens malum pro malo, ſed etiam à maliloquio maledictum maledictione repellens: *Quid inſtructius injuriam non permittere, an nec vicem injuriæ ſinere?* Hoc eſt injuriam non inferre: ſed nec Catharina injuriam ulli intulit, neque ſibi injuſtè illatam injuriam retulit, imò odientes ſe dilexit, injuriantes ſermonibus charitatis delinivit, malefacientibus bona præſtitit: & ad inſtar Chriſti pro inimicis ſuis Patrem deprecantis, pro fœmina quadam Palmerina nuncupata, ſibi infenſiſſima Deum oravit: ardentiſſimâ illâ cha-

Apol. 39

Tert l. de Pat. 12

Tert. Apol. 45

Tert. ibid.

 ritate

ritate ſeſe dignam demonſtravit Catharina nobilis affinitate, ad quam ſublimata eſt.

III. PARS *Unde ſufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonij* inter Chriſtum
Tert.l.2.ad & Catharinam initi? De quo ſic fatur Lippolus: [Fidelis in promiſſis ſuis
Ux. 8 Chriſtus Dominus, ſanctiſſimâ Matre, & beatis Apoſtolis Joanne & Paulo, cum Patre Dominico ſtipatus, ad Virginem venit, eamque ineffabili quadam ratione deſponſavit, quæ nullâ humanâ facundiâ pro dignitate explicari poteſt.] Tria ſunt potiſſimum quæ matrimonium aliquod inſigne reddunt. Unum, ſponſorum nobilitas; aliud pompæ, quâ celebratur ſolemnitas; tertium, mutua contrahentium unio & ſocietas. His tribus mirum in modum
Tert.l.adv. illuſtratur præſens matrimonium. *Sponſus & Sponſa* ſunt Chriſtus Deus &
Valent 31. homo, & Catharina, ab ineunte ætate pietati, orationi, & virginitati conſe-
Tert. l.de cra'a. *Sponſalium & nuptialium ſolemnitas* celebratur adſtantibus Deiparâ,
Idol.16 Joanne dilecto diſcipulo, Paulo Apoſtolo, & Patriarchâ Dominico; ſed nihil
Tert l.adv. ita illud *ſponſale* commendat quemadmodum mutua contrahentium, 1.
Valent 31 amor & dilectio. 2. præſentia & converſatio. 3. tolerantia & paſſio.
Tert. l. 2. 1. Inter conjuges *nulla ſpiritûs carniſque diſcretio*; quia mutuo ſibi tradunt
ad Ux.8 tum carnem, tum ſpiritum. Catharina cœleſti ſponſo tradidit ſuam carnem: Tum velut rem ſacram per virginitatis votum: quo ſenſu D. Ignatius martyr virgines nuncupat *Chriſti ſacramenta*: Tum velut hoſtiam ſupra altare pœnitentiæ & mortificationis immolatam. Chriſtus viciſſim ſponſæ ſuæ tradit ſuum corpus: Tum tanquam rem ſacram in Euchariſtiæ ſacramento: Tum tanquam victimam ſemel cruentè in ara crucis, & quotidie in Miſſæ ſacrificio incruentè immolatam. Verùm quia primùm contrahitur ſpiritûs & cordis, quàm carnis & corporis conjugium; Chriſtus & Catharina ſunt mutuo ad
In Vit S. invicem ſpiritu & carne conjuncti. Spiritu quidem: quapropter D. Antoni-
Cathar.c. nus Florentinus Antiſtes inducit Chriſtum Catharinæ dicentem: *Cogita de*
4. *me, & ego cogitabo de te.* Corde etiam: oranti namque Catharinæ Chriſtus apparuit cor flammeum portans, ereptoque Catharinæ corde, ejuſque loco poſito corde flammeo, quod manu geſtabat, dixit: Ecce ſponſa mea, habes pro corde tuo cor meum, clauſoque latere receſſit. Sive ejuſmodi cordis mutatio ſit moralis tantummodo, ſcilicet per affectuum mutationem; ſive effectiva, per veram novi cordis productionem, ſingularis hæc prærogativa innuit magnum Chriſti erga Catharinam amorem, & viciſſim ardentiſſimam Catharinæ erga Chriſtum dilectionem, quæ quoties reſectam conſpiciebat cicatricem; præ amoris teneritudine dicebat: *Vulnerata charitate ego ſum.*
Cant 4. *Quàm pulchrum vulnus, & dulcis plaga? Nam ſimul atque telum accepit chari-*
Greg.Nyſ. *tatu, ad nuptialem lætitiam protinus transmutatio fuit incolatio*, & mutua
Hom.4 in Cant. ſponſorum converſatio.

Tertull. 2. *Honorandorum conjugiorum ſupernorum gratia, dicitur apud illos,*
l.adv. Va- *meditandum atque celebrandum ſemper ſacramentum, comiti, id eſt, fœmi-*
lent. 30 *næ adhærendo.* Alludit ad legem, quam ab exordio mundi dedit Deus
Gen. 2 nuben-

nubentibus, & quam in Evangelio renovavit Christus: [Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ;] quam Dei Filius obſervare voluit in Incarnatione exiens quodammodo de ſinu Patris, ſervique aſſumens formam, ut ſibi humanam aſſumeret naturam; Synagogamque relinquens ut ſibi deſponſaret Eccleſiam. Quod Eccleſiæ, idipſum præſtitit Catharinæ quam ad ſponſæ ſuæ ſublimavit honorem: *Unde tibi titulus immortalis gloriæ, ut ejus poſſis eſſe ſponſa, in quem deſiderant Angeli proſpicere*, ejuſque D.Bern. præſentia fruaris qui Sanctos in cœlo beat? Trina Christi præſentia potiebatur Catharina, eaque jucundiſſima. Una mere ſpiritualis, qua fruebatur mediante gratia ſanctificante & charitate: ſed tanta amoris dulcedine, ut diceret: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Cant. 4 Altera partim ſpirituali, partim corporea medio Euchariſtiæ ſacramento: & ſacramentalis hæc præſentia tot ei conferebat delicias, quòd poſt ſuſceptum ſponſi corpus, nullo alio cibo uti poterat: Tertia tantum miraculoſa & ſenſibili, qua ſæpe ſæpius in ſpecie viſibili & corporea ei apparebat. Poſt Incarnationem *ex æquo agebat Deus cum homine, ut homo ex æquo agere cum Deo poſſet.* Tert. l. 2. adv. Marc. 27 Similiter velut ex æquo cum Catharina converſabatur Christus, & familiariter loquebatur, amoroſe blandiebatur: *Cedit quippe faſtus, ubi invaleſcit affectus: Adeſt dilectus, amovetur Magiſter. Rex diſparet, dignitas exuitur, reverentia ponitur;* D Bern. Ser. 45. in Cant. & Catharina Christi ſponſa, cœleſti ſponſo in paſſione aſſimilatur.

3. *Dilectio omnia ſuſtinet, omnia tolerat.* Tert. l. de Pat. 12 Tanta eſt connexio inter dilectionem & paſſionem, quanta eſt inter effectum & cauſam: unde ſicut effectus inducit in cognitionem cauſæ, ita, ait Chryſol. *amor probatur paſſionibus.* Serm. 16 Neque ſolummodo probatur, ſed etiam menſuratur. Dilectionis namque menſura paſſio eſt; qui minus diligit, minus dolet. At è converſo, ait Abbas Gilibertus, *qui plus diligit, plus dolet.* Plus audet D. Cyprianus dilectionem cum paſſione confundens, neque unam ab alia diſcernens: unde Apoſtolum expendens non legit; *Charitas omnia ſuffert*; ſed, *Charitas omnia diligit*; 1. Conc. 13 ac ſi amare & ſufferre ſit una & eadem res. Inde aliquo modo poteſt colligi quantus ſit Catharinæ amor & dolor, cuncta generoſe patiens, & cunctas paſſiones placide diligens, & tum in dilectione; tum in paſſione ſponſo aſſimilatur. 1. Christus habitus fuit velut impoſtor perverſam doctrinam prædicans, & velut magnus in nomine dæmonum miracula operans: *Samarites & dæmonium habens.* Tert. l. de Spect. 30 Catharinæ quoque doctrina tanquam erronea exiſtimata eſt & miracula ab ea patrata, tanquam opere diaboli facta credita. 2. Christus fuit detractionibus dehoneſtatus ut guloſus vini potator & *ignominia hominis.* Tertull. lib. adv. Jud. 14 Catharina quoque fuit calumniis denigrata & velut minus caſta, propalata. 3. Christus injuſte perſecutus à Judæis quos beneficiis cumulaverat, *omnem humilitatem, & patientiam, & tranquillitatem* exhibuit. Tertull. lib. adv. Jud. 9 Catharina quoque calumnias fœminarum quibus charitatis officia præſtabat, benigne, humiliter, & pacate ſuſcepit. 4. Christus *ipſe à diabolo tentatus* fuit, Tert. l. de Orat. 8 quo proſtrato [acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei. Matth. 4 Catharina ſimiliter fuit à dæmoni-

Tert. l. de Cor. Mil. 14

Tertull. lib. adv. Jud. 10

bus tentata, quibus debellatis apparuit Chriſtus, ei de victoria congratulans. 5. *Chriſtus Ieſus, quale oro deſertum ſubijt? Ex ſpinis opinor & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abſtulit autem virtus crucis, omnem aculeum mortis in dominici capitis tolerantia obtundens.* Catharina quoque ſpineam coronam ſuo capiti impoſuit, cum ei apparuiſſet divinus Sponſus coronam auream habens in dextera manu, ſpineam vero in ſiniſtra, Catharinæ autem poteſtatem dediſſet eligendi quam voluerit ex duabus, ipſa ſpineam coronam accipiens, vi multa in caput ſuum impreſſit. 6. Chriſtus fuit clavis perfoſſus, Judæi namque *nervos ejus ſuffigendo clavis deſævierunt.* Catharina etiam Raymundo Confeſſario ſuo revelavit [ſe quinque vulnerum Chriſti ſtigmatibus inſignitam fuiſſe, prorſus ut tantos illis in locis corporis ſui dolores ſentiret, ut nonniſi magno Dei miraculo in vita permanere poſſet:) attamen ita impreſſa remanſiſſe vulnera [ut ſentiret dolorem, illapſa vi vulnerum, & cruenta ſigna non apparerent.]

Tert. l. de Cor. Mil. 14

Tertull. lib. adv. Jud. 10

Tert. ibid

Lib. 1. de Cult. Fœm. 4

Tert. l. de Pud. 22

In ſuppliciis quæ in cruce pertulit Chriſtus, duo ad invicem conjuncta ſunt: ſcilicet *turpitudo & dedecoratio, & his implexa ſævitia.* Dedecoratio quidem, Tum quia crux erat pœna qua mulctabantur ſervi: Tum *quoniam maledictus à Deo omnis qui ſuſpenſus fuerit in ligno.* Sævitia etiam, quia crucis ſupplicium crudeliſſimum eſt, & qui cruci affiguntur magnum ſentiunt in pedibus & manibus dolorem. Quod declarat ipſemet Salvator, de Judæis loquens. *Foderunt,* inquit, *manus meas, & pedes, quæ propria eſt atrocitas crucis.* At Chriſtus ſua paſſione abſtulit omnem à cruce dedecorationem & turpitudinem & in honorem & gloriam convertit. De qua idem dici poteſt, quod de tellure prædicat Tertullianus: *Terra ſcilicet plane glorioſior, quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis, pœnali opere deplorata nomen terræ in igne reliquit; atque exinde, de tormentis in ornamenta, de ſuppliciis in delicias, & de ignominiis in honores, metalli refuga mutatur.* Non diſſimiliter crux Chriſtum crudeliter crucians & ignominioſe dehoneſtans, omnem ignominiam in paſſione Chriſti reliquit, & exinde infamiam in honorem commutavit. Quapropter Apoſtolus de ſtigmatibus Chriſti corpori ſuo impreſſis multum gloriatur. Ut enim animadvertit D. Chryſoſtomus, *Stigmata propter Chriſtum membris ſuis impreſſa fert: & ſicut corona regalis undique decorata fulgores varios emittit.* Chriſtus Dominus ſtigmata ſuæ paſſionis ſingulari privilegio impreſſit Seraphico Franciſco, & Catharinæ Senenſi, ſed magno cum diſcrimine. Impreſſio ſtigmatum facta Franciſco, habuit ſimul dolorem, & honorem, quia cicatrices exterius in ejus pedibus, manibus & latere apparuerunt, *& ſic quoque glorioſa,* in quarum honorem Officium inſtituit & celebrat Eccleſia. Impreſſio autem ſtigmatum Catharinæ facta habuit quidem dolorem, ſed non honorem; quia exterius non apparuerunt, neque ab Eccleſia venerantur; in quo ſponſo ſuo magis aſſimilatur, qui in ſua paſſione fuit & acerbiſſimis doloribus cruciatus, & omni ignominia dehoneſtatus. Verum uti Chriſtus *favos poſt fella guſtavit, & rex gloriæ à cœleſtibus*

corona-

coronatus eſt, poſtquam rex Iudæorum proſcriptus cruci : ſic Catharina ſimilis Tert. l.de
effecta Chriſto in doloribus & ignominiis, aſſimilatur illi in deliciis & glo- Cor.Mil.
ria. 14.

CONCIO TERTIA.

DEus plenitudinem & abundantiam ſuam ſuo Verbo mirum in modum
declarat: Sermo internus quem *ex Deo prolatum didicimus & prolatione* Tertull.
generatum, & ideo filium Dei, & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ, cuncta Apol. 21
complectitur cunctaque manifeſtat. Qūod innuere videtur Lucas Evange-
liſta, ajens: (Factum eſt verbum Domini ſuper Joannem.) Nam ut acute Luc. 3
animadvertit D. Ambroſius, *Lucas compendio uſus eſt: unum dixit, & omnia*
declaravit. Sermo Dei externus ſcriptoribus canonicis inſpiratus, nimirum
Scriptura ſacra : *Magnæ ac beatæ interpretationis ſubſtantia fulta eſt: quan-* Tert. l.de
tumcumque ſubſtringitur verbis, tantum diffunditur ſenſibus. Quare D.Chry- Orat. 1
ſoſtomus verbum Dei ſcriptum conſiderat velut pretioſum theſaurum, qui
licet parvus appareat, varias eaſque opulentiſſimas rerum continet ſenten-
tias. *Divinorum eloquiorum notatio in paucis verbis, multas ſententiarum affert* Hom. 29.
divitias: ut evidenter comprobatur ex ſubſequenti textu ad encomium ſan- in Gen.
ctæ Claræ ſpecialiter electo: *Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi aurora conſur-* Cant. 6
gens, pulchra ut luna, electa ut ſol? Hunc enim Apponius intelligit de hu-
manitate Chriſti: Rupertus de Beatiſſima Virgine Maria: Caſſiodorus de
Eccleſia militante: D.Ambroſius de quavis anima gratia ſanctificante deco-
rata: D.Bernardus in communi de perſona Deo per religionis profeſſionem
conſecrata: Et ego ſpecialiter flecto ad Beatam Claram, quæ tanquam 1.
aurora niteſcit: 2. luna pulchreſcit: 3. ſol ſplendeſcit.

Chriſtus Dominus non ſolum Apoſtolos, ſed adhuc viros Apoſtolicos I. PARS.
lucem mundi vocat. Lux mundi fuit Franciſcus vitam regularem multum il- Tert. l. 2.
luſtrans: ſed illam adhuc Clara *lucere magis fecit ortu luminis ſui*, quod cœ- de Cult.
litus declaratum fuit Hortulanæ matri ejus, quæ adhuc prolis gravida, pro Fœm. 13 Tertull.
felici parturitione ante Crucifixum orans, vocem audivit dicentem: (Nihil lib. adv.
timeas, paries enim lucem, quæ univerſum illuſtratura eſt orbem.) Prædictio- Jud. 9
nis veritatem probavit eventus; nam Clara de ſinu matris egreſſa eſt tanquam
aurora, ſuo nitore, 1. oculos recreans: 2. aves ad Deum laudandum invitans:
3. tenebras noctis diſſipans, dieique lucem annuntians.

1. *Quid jucundius* aurora, quæ paſſim inter omnia mundi pulchra, pul- Tert. l.de
chertima judicatur? Quoties Scriptores prophani, rem aliquam pulcher- Spect. 29
rimam ſignificare volunt, illam auream ſolent nuncupare. V.g. *Venus au-* Richard. à
rea, mala aurea; vellus aureum. Eodem modo *aurora* dicitur quaſi *aurea* S Laur. de
hora, ob miram qua nitet venuſtatem: quapropter inter Hiſpanos Magnus laud. Virg.
quidam

quidam Philippo ſecundo Hiſpaniarum Regi ad meridiem uſque dormienti, dixit ſe privare re quæ ſit in mundo pulcherrima, nimirum auroræ aſpectu, quæ teſte Virgilio :

Aurea fulgebat roſeis aurora capillis ; de ſinu terræ egrediens aurea coma decorata; diademate ex liliis & roſis contexto coronata; radiis lucis velut veſte induta; nube tanquam triumphali curru delata; auris faventibus attracta; fugans nubes diei ortum velut impedire ſatagentes. Verum quamtumvis pulchra viſu appareat aurora, ſpectaculum multo venuſtius & jucundius ſeſe hodie objicit oculis noſtris; & pompa illa quacum egreditur aurora, eſt minor ea qua Clara progreditur *quaſi aurora conſurgens* cum capite deaurato, id eſt altis de divinitate cogitationibus ; cum diademate & liliis & roſis contexto, id eſt corona, ex pulchrioribus virtutibus compoſita ; luce induta, id eſt corporis integritate, & cordis puritate ornata; nube delata, hoc eſt conſtanti propoſito ſerviendi ſupremo Numini toto vitæ decurſu; fauſtis zephiris pulſata, hoc eſt gratiis Spiritus ſancti ſuaviter allecta ; ſuperans nubila quæ ortum diei impedire poſſent, hoc eſt generoſe vincens cuncta obſtacula, quæ ſeſe opponunt proceſſui auroræ, quæ ſua venuſtate oculos recreat, & aves ad Deum laudandum invitat.

Tert. l. de Spect. 29 2. Si harmoniæ & voces *delectant*, *ſatis canticorum*, *ſatis vocum* habemus aurora progrediente. Vix enim apparet aurora, cum ecce continuo avium ora elapſa nocte recluſa & muta, ſolvuntur ad cantum; ideo *aurora* nuncupatur *avium hora*, ſeu ut vult Richardus à S. Laurentio, quaſi *avium ora aperiens*. Quod innuit Eccleſia decantans, *Aurora lucis rutilat, cœlum laudibus intonat*. Uti autem aurora exurgente cœli volucres ad Dei decantandas laudes provocare conſpicitur : ſic mox ut Clara *progreditur quaſi aurora conſurgens*, Patriarcha pauperum Franciſcus, & ſui filii decantant Dei magnalia , ejus

Pſal. 73 prædicant bonitatem , eique gratias agunt quod auroram formaverit : *Tu fabricatus es auroram*, tu ô Deus es author & auroræ & egreſſus ejus; tu contemptus mundi ſanctam inſpiraſti Claræ cogitationem ; tu eam firmaſti in propoſito acquirendæ perfectionis Evangelicæ : tu ejus greſſus direxiſti, & ad finem uſque deduxiſti.

Neque fortuito ſed præmeditato Dei conſilio Clara de mundo egreditur, & in monaſterium ingreditur die palmarum , quo Chriſtus velut triumphans intrat in civitatem Hieroſolymitanam. Hebræi exeuntes de civitate, obviam veniunt Chriſto & Franciſcani de æde Portiunculæ exeuntes, occurrunt progredienti Claræ. Hebræi decantabant, Benedictus qui venit in nomine Domini, o ſanna filio David : Franciſcani intonant alta voce , *Veni creator*, ſancti Spiritus gratias poſtulans. Judæi palmas in manibus deferunt, victorem & triumphatorem Chriſtum prædicantes ; & Franciſcani luminaria manibus tenent queis teſtantur victoriam quam de ſæculi tenebris reportat Clara. Judæi ſternunt veſtimenta ſua , quæ conculcat Chriſtus ad denotandam mundi vanitatem : Clara exuit veſtimenta pretioſa, pulcherrimos abſcin-

abſcindit capillos, ut innuat quantum contemnat omnia quæ ſunt in mundo ſplendidiora. Chriſtus velociter properat verſus civitatem Jeruſalem, quia in illa oblaturus erat æterno Patri vitam ſuam in ſacrificium; Clara ad Portiunculam accelerat, quia ibi pœnitentiæ vitam ſuam erat immolatura. De nocte autem exit de paterna domo, & ingreditur Eccleſiam Dominæ Angelorum, mundi relinquens tenebras, & religionis amplexans lucem.

3. Aurora progreditur, radiis lucis *illuminantibus tenebras*. Aurora, ut docet Rupertus, eſt finis noctis; & initium diei: Finis noctis, quia tenebras quibus occultatur mundi decus, diſſipat; initium diei, quia ſecum afferens lucem, univerſi venuſtatem manifeſtat. Motus verſatur in terminum à quo & terminum ad quem, cum terminus ad quem acquiritur, terminus à quo deperditur: illuminatio eſt motus, terminus ejus à quo ſunt tenebræ: terminus ad quem, lux: *Nova Religionis illuminator* Franciſcus mundi tenebras deſerit, ſtatum quem fundavit, *luminibus expreſſit*; nimirum præceptis regulæ, mundi dogmatibus oppoſitis: Clara *luce Chriſti luminoſa* mundi tenebras deſerit: ubi difficillime Deus colitur, nam *qui in tenebris ſæcularibus manet, & in negotiorum obſcuritate verſatur, non poteſt ſervire Domino*; ad religionis lucem fœliciter ſe recipit: ubi *illuminator generis humani Dei Filius*, adeo abunde illam illuminat ut tanquam luna pulchreſcat.

Tertull. Apol. 3
Lib. 6. in Cant.
Tert. l. 4 adv. Marc. 17
Tert. l. de Pud 7
Tert l. de Fug. in Perſ. 14

Deus noctis *tenebras ſolatio lunæ temperavit*: Eccleſiaſticus lunam in accretione, plenitudine, & diminutione conſiderat, & in trino illo ſtatu pulchram repræſentat. Pulchra in accretione *creſcens mirabiliter*: pulchra in plenitudine, utpote *ſpecies cæli, gloria ſtellarum*: pulchra in diminutione, quæ ex luminis conſummatione procedit, *luminare quod minuitur in conſummatione*. Merito Clara prædicatur *pulchra ut luna*, in 1. accretione: 2. plenitudine: 3. diminutione.

Orig in c. 5. Exod.
Tertull. Apol. 21
II. PARS.
Tertull. lib. adv. Hermog. 29.
Eccleſ. 43

1. Certum eſt *à primordio & pluvias de cælo ruiſſe, & ſidera radiaſſe, & lumina floruiſſe*. Quod de univerſo orbe aſſeverat Tertullianus, idipſum de Clara fatendum eſt. A teneris quippe annis, gratiarum imbribus irrigata fuit, velut ſidus lucis radios emiſit, luminis flores produxit. Quod nullus negare poterit attente conſiderans ejus zelum ad diſcenda fidei elementa, & religionis myſteria; fervorem in oratione; aſſiduitatem in recitanda & numeranda ſalutatione Angelica; teneritudinem, ex meditatione paſſionis Chriſti; compaſſionem in miſeros; charitatem in pauperes, quibus perſæpe ſuum prandium & cœnam ſubminiſtrabat; contemptum cultus & ornatus quem mulieres tanto ardore ſectantur; mortificationem, & jejuniis & ciliciis afflictationem; ſtudium ſervandæ in perpetuum virginitatis: pluresque alias virtutes quibus pulchreſcens luna in accretione, magis adhuc in plenitudine decoratur.

Tertull. Apol. 11

2. In plenilunio *redornantur & ſpecula lunæ, quæ menſtruus numerus attriverat*. Dum autem luna luminis plenitudine venuſtatur, *reaccenduntur & ſtellarum radij quos matutina ſucceſſio extinxerat*; *reducuntur ſiderum abſen-*

Tert. l. de Reſ. 12

tia, quas temporalis diſtinctio exemerat. Hac de cauſa luna *æmula ſolis* prædicatur: Sol diei, luna nocti præeſt; ſol diei, quem ſuis radiis illuminat oculus eſt: Luna oculus noctis quam ſua luce illuſtrat: Sol arborum decus, florum ſplendor; Luna ſpecies cœli, gloria ſtellarum: Sol terræ ornatus cujus detegit venuſtates; Luna ornatus cœli, cujus manifeſtat pulchritudines. *Poſt exortum ſolis illuſtrantur in terris omnia, in cœlo vero calantur; è diverſo poſt ejus occaſum, ſidera quidem promicant, terreſtria vero cuncta obteguntur.* Quanto cœleſtia pulchriora ſunt terrenis, tanto Luna Soli præferenda videtur, quia *nitorem ſiderum nox infuſa non obruit;* Imo nocturno tempore magis *cælum luminibus floret.* Clara pulchra ut luna, in plenitudine detegit non terræ decorem, quem pedibus calcat, ſed cœli ſplendorem, quem attente conſiderat.

Apulei l. de Deo Socrat.
Phil. J. d. l. de Som.
Ennod.
Tert. l. 4. adv. Marc. 24.

Philippus Macedoniæ rex adhuc puer, de nocte ſurgens ſagittas vibrabat in ſtellas in cœlo lucentes; inde Diognetus vates concluſit Philippum fore magnanimum, multaſque nationes ſuo imperio ſubditurum. Zelus Claræ ad ſurgendum de nocte, certum eſt illius virtutis indicium: tanto affectu ad matutinas properabat horas, ut evigilandi Sorores curam aſſumeret, prima in choro adeſſet, campanam pulſaret, candelas accenderet, cunctaque ad decantandum officium neceſſaria præpararet. Verum quanto fervore matutinis aſſiſtebat! dicens cum Regio Propheta: *Deus meus clamabo per diem, & exaudies, & nocte, & non in vanitatem mihi.* Quot pſalmos ad Dei honorem decantabat Clara, tot erant tela, quot ejus cor amoroſe ſagittabatur. Poſt matutinum meditationi vacabat; verum tanto cum fervore, ut ſplendor quo intus illuſtrabatur redundaret in corpus, illudque ſororibus incontemplabile redderet, præcipuam noctis inſumebat partem meditans, tum amorem Chriſti in Euchariſtiæ inſtitutione; tum atrociſſimos quos pertulit in Paſſione cruciatus.

Tert. l. 4. adv. Marc. 13

Luna ſoli oppoſita palleſcit, & pallor quo afficitur, pluviam ominatur. Clara opponitur ſoli juſtitiæ in cruce patibulato, *per fidem ſpiritu imaginante repræſentato.* Meditatio Chriſti patientis vulnerat Claræ cor: & de vulnerato corde profluunt lachrymæ dilectionis & compaſſionis, verum tanta cum abundantia, ut ſuaſa fuerit ab eis abſtinere, ſi vellet conſervare viſum. Olim Deus pollicitus eſt domui David donum precum & lachrymarum: *Effundam ſuper domum David, & ſuper habitantes Ieruſalem ſpiritum gratiæ & precum, & aſpicient ad me quem confixerunt, & plangent eum quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti.* Pollicitatio illa adimpleta eſt in domo ſanctæ Claræ, in qua tam mater quam filiæ habentes ſpiritum gratiæ & precum, indeſinenter vacant orationi; die noctuque dominicam meditantur Paſſionem, fundentes lachrymas ſuper Redemptorem, qui earum dilectione tot & tanta pertulit ſupplicia.

Tert. l. de Spect. 30
Zachar. 12

Chriſtiane *habes tempus noctis, & ſonum vocis.* In quo teris tempus noctis? ſomno an oratione? ſceleri, an divino cultui? quibus adhibes ſonum vocis? blaſphe-

Tert. l. 4. adv. Marc. 13

blaſphemiis, an pſalmis? detractionibus, an pietatis ſermonibus? cantilenis fœdis & inhoneſtis, an divinis laudibus? Sceleroſe peccator *ubi eras, cum me laudarent ſimul aſtra matutina?* Ex magno autem Gregorio *nec negligenter audiendum eſt, quod additur ſimul.* Quaſi dicat, Ubinam eras, quid mente volvebas, ore promebas, opere conſummabas, quando filiæ ſanctæ Claræ de nocte me laudabant, Officium matutinum decantabant, & meditationi tempus inſumebant? Proh dolor! eodem tempore quo illæ invigilant, vos ſomno indulgetis; eodem tempore quo illę ſuſpirant, lachrymaſque fundunt, vos ridetis, & deliciis operam datis; eodem tempore quo illæ ſumunt diſciplinam, vos carnis ſectamini voluptates; eodem tempore quo illæ ante Dei majeſtatem dejiciuntur, ſuperbia & ambitio occupant cogitationes veſtras: & de bonis fortunæ & naturæ tumetis, in quo multum à Clara diſcriminamini humiliter de ſe ſentiente, & lucem quam in plenitudine effundebat minuente, pulchraque in diminutione apparente.

Job. 38
Lib. 28. Mor. 14

3. *Confitetur & luna quantum amiſerit, cum reſumit.* Clara quoque præ humilitate fatetur multos ſibi ineſſe defectus, & plures deeſſe virtutes. Luna eſt *excelſa & humilis*; eſt cœlo affixa, & interdum telluri adhærere videtur, Clara pulchra ut luna eſt humilis & excelſa: tanto humilior, quanto virtutibus & meritis eſt ſublimior: quæ dejicitur dum ad dignitates quæritur; quæ toto triennio recuſat nomen & authoritatem Abbatiſſæ, quæ ſuperioris munus non accipit, niſi ne de inobedientia culpetur: & in prælatura eſt luna quæ minuitur in conſummatione. Dum Moyſes lunæ productionem narrat, de illa ut de magno luminari loquitur: *Fecit Deus duo luminaria magna:* mox vero ut lunæ præſidentiam refert; de ea ut de parvo luminari fatur: *Luminare minus, ut præeſſet nocti*, quaſi authoritas quam Deus contulit lunæ præſidenti nocti, ejus minuat magnitudinem, & obſcuret lucem: Simili modo Clara antequam Abbatiſſæ ſuſcipiat miniſterium, eſt luminare majus: accepta autem per obedientiam Franciſco præſtitam, ſuperioritate, luminare minus efficitur; ſeſe omnium minimam reputat, cæteris ad lavandum aquam præbet, inter cœnandum miniſtrat, ipſis in menſa ſedentibus retro ſtat, eademque officia, ac ancilla dominæ præſtat. Luna *quanto longius abit à ſole, tanto largius illuminatur, pari incremento itineris & luminis.* Clara pulchra ut luna, cujus *laudum fugitiva humilitas* magis abſcondi nititur, quo magis ſplendeſcit. Verum, quia, ut ſubjungit Cyrillus, *humilitas per ſemitam caliginis, in finem luciditatis adducit.* Clara de nocte egrediens in diem egreſſa eſt, de tenebris tranſiit ad lucem, & poſt auroræ nitorem, lunæ decorem, ſolis demonſtravit ſplendorem.

Tert. L. 2. ad Nat. 6
Plin.
Apulei.
Clē. Alex. l. 2. Apol. Mor. c. 28

Omnia opera ſua Deus ordine conſummavit. Nam cœlum non ſtatim ſideribus ſtelliſque ſignavit, & lumen non ſtatim ſplendore ſolis implevit. Eumdem fere ordinem quem Deus ſervavit in opificio mundi, ſervavit adhuc in luce quam Claræ contulit. Nam primò ei largitus eſt auroræ nitorem, dehinc lunæ decorem, tandem ſolis ſplendorem quod *ipſius ſolis radio putem*

III. PARS
Tertull. lib. adv. Hermog. 39

 ſcriptum,

Tert. l. de ſcriptum, ita claret. In ſomniis apparuit Mardochæo *parvus fons, qui crevit* Reſ. 4 *in fluvium & in lucem ſolemque converſus eſt.* Per parvum illum fluvium ad Eſther. 10 litteram intelligitur Eſther, quam rex accepit in uxorem, & regio diademate coronavit. Verum in ſenſu accommodationis parvus ille fons converſus in ſolem, eſt Clara, quæ electa ut ſol, miraque fœcunditate pollens, producit 1. flores lucis: 2. fructus lucis: 3. filias lucis.

Tertull. 1. Tellus *carens ſole* nequaquam flores poteſt producere, at terra Scorp. 10 quam ſol ſua luce illuminat, ſuoque calore fœcundat, producit flores, miram venuſtatem exhibentes, & ſuavitatem exhalantes. Quemadmodum D. Chry. varia ſunt ſidera, ita ſunt *aſtrorum varij flores*, quorum nonnulli viſum qui- ſoſt. Hom. dem recreant, ſed olfactum non delectant; vivis coloribus coruſcant, 10. ad Pop. ſed ſuavem odorem non afflant: at flores ſolis, & pulchris coloribus venuſtantur, & ſuaviſſimis odoribus commendantur. Ex D. Ambroſio Seraphini ſunt flores ſolis, pulchritudine venuſtiſſimi, & odore ſuaviſſi- In cap. 12. mi: tantus eſt illorum ſplendor ut ab eo venuſtetur mundus. *Vere iſtius* Luc. *mundi flores ſunt quod eorum claritatibus ornatur mundus*, & miræ quibus redolent ſuavitates, *bonum odorem ſanctificationis aſpirant.* Clara eſt flos ſolis, non minus odore quam colore commendatus, venuſtate vernans, ſuavitate delectans, exempli ſplendoribus alliciens, virtutis odoribus attrahens: in illo flore nihil non decorum, nihil non ſuave. D. Auguſtino In Pſ. 44 Chriſtus ubique pulcher videtur: *Pulcher in cœlo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro.* Clara ſimiliter in quovis ſtatu conſideretur, pulchra eſt, pulchra in paterna domo, pulchra in monaſterio, pulchra obtemperans; pulchra imperans; pulchra meditationi vacans, pulchra miracula operans; pulchra ſanitate præſtans; pulchra morbo la- Tert. l. de borans: ubique pulchreſcit; ubique *rorem lucis ſpargit:* & ut fatur Alexan- Pat. 2 der quartus ſummus Pontifex, ubique claret *Clara multimode titulis præ-* In Bull. Cant. *dita claritatis*, ubique ſuaviſſimos ſanctitatis afflat odores. Nam ut ſubjungit præfatus Pontifex, *Cum in anguſto ſolitudinis reclusorio alabaſtrum ſui corporis hoc dure contereret, tota omnino Eccleſia odoribus replebatur;* & tum exempli ſplendoribus, tum virtutis odoribus flores lucis ſibi ſimiles In Vit. S. producebat, ut fuse refert Sedulius, (Spargitur enim paulo poſt opinio Clar. c. 4 ſanctitatis virginis Claræ per proximas regiones, ut in odorem unguentorum ejus undique mulieres currant. Feſtinant virgines ejus exemplo, Chriſto ſervare quod ſunt; maritatæ caſtius agere ſatagunt; nobiles & illuſtres contemptis palatiis arcta ſibi monaſteria conſtruunt; atque pro Chriſto in cinere & cilicio vivere, magnam gloriam ducunt. Plures denique matrimonio juncti mutuo conſenſu continentium ſe lege vincientes, viri ad Ordines, uxores ad Monaſteria tranſeunt: mater filiam, filia matrem invitat ad Chriſtum, ſoror ſororem allicit, omnes æmulo fervore Chriſto ſervire deſiderant, omnes hujus vitæ angelicæ quæ per Claram

in

inclaruit, fieri participes optant: innumeræ virgines Claræ rumoribus excitatæ, dum ad clauſtralem vitam tranſire non prævalent, in paternis domibus ſine regula regulariter vivere ſtudent.] Hucuſque Sedulius, mox ſubjungens: Replet fama virtutum ejus cameras dominarum illuſtrium, attingit Ducisſarum palatia, ipſarum quoque penetrat penetralia Reginarum: flectitur nobilitatis apex ad ejus ſectanda veſtigia, ornantur monaſteriis innumeræ civitates, ipſa quoque campeſtria & montana hujus cœleſtis ædificii fabricâ decorantur, multiplicatur caſtitatis cultus in ſeculo Clarâ ſanctiſſimâ præcedente.]

2. Clara flos lucis, ſterilis non eſt, ſed fœcunda. *Flos enim fructus, quia per florem, & ex flore omnis fructus eruditur in fructum.* Flores autem & fructus à Clara producti virtutem redolent, honeſtatem ſpirant, ut ipſamet fatetur: *Flores mei fructus honoris & honeſtatis.* Quot virtutes ad praxim redigit Clara, quot filias in bonis moribus format, tot lucis producit fructus; *fructus enim lucis eſt*, ſupple ſitus, *in omni bonitate, & juſtitia, & veritate.* Bonitas, benignitas, ſeu beneficentia excludit iracundiam, aſperitatem, & malignitatem: Juſtitia expellit injuſtitiam, fraudem, & iniquitatem: Veritas verò mendacium, & hypocriſim arcet. Homines ſeculo addicti nec flores, nec fructus lucis producunt, quia neque bonitate, neque juſtitiâ, neque veritate radiant. Non bonitate, quia iracundiâ exagitantur, malignitates machinantur; non juſtitiâ, quia injuſti & iniquiſſimi ſunt; non veritate, quia vita illorum nihil aliud eſt, quàm mendacium, ſimulatio, & hypocriſis. At Clara, ejuſque filiæ, ſunt fructus lucis, quia non iracundæ, non aſperæ, non malignæ; ſed mites, benignæ, & beneficæ: non fraudulentæ, ſed juſtæ; non mendaces & hypocritæ, ſed ſinceræ & veraces. *Dicunt Stoici ſolem eſſe intelligens vinculum*: ſed ut docet D. Dionyſius, ſol nuncupatur *quod omnia congregat.* Clara quoque electa ut ſol, cunctas congregans virtutes producit fructus lucis, & adhuc filias lucis generat.

Tert. l. de Car. Chr. 21 — Eccleſ. 24 — Epheſ. 4 — Clem. Alex. Strô. 8 — De div. Nom. 4

2. *Sol mundum hunc temperat optimus & utilis.* Clara electa ut ſol, Eccleſiæ multum utilis, quam virtutum ſplendoribus illuſtrat. Sol puritate decoratus, eſt *vitæ dator, animantium pater*: Clara etſi mente & corpore virgo, eſt mater, filiaſque lucis generat. *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate!* Trino commendatur elogio Claræ generatio: Venuſtate, caſtitate, & claritate. *Sol unicus eſt*; attamen *ſol omnibus, qui ejus lucem capere poſſunt, collucet, habetque lumen per omnia diffuſum ſurſum & deorſum.* Clara quoque illuminat non ſolùm filias quas Deo parturivit, ſed adhuc ſeculares in mundo exiſtentes. Corpora à ſole illuſtrata non eodem modo recipiunt ejus lumen: quædam in ſuperficie duntaxat, ut lapides, & corpora opaca, quæ lux Solis non penetrat: alia penetrantur quidem à luce, ſed eam non retinent niſi dum illuminantur, ut corpora diaphana: v. g. aër, aqua. Tertia tandem lumine penetrantur, lucemq; abſente ſole conſervant: cujuſmodi ſunt adamas, carbunculus, cæteraque *lumina lapillorum, quibus monilia variantur.* Eodem

Tert. l. 2 adv. Marc. 2. — Greg. Nazian. orat. 2 de Theolog. — Sap. 4 — Tertull. — D. Dion. de divin. Nom. 4 — Tert. l. 1 cult. fœ. 2

 modo

modo lux Claræ, filiari mque ejus recipitur ab hominibus: in nonnullis ſuperficie tenus, qui vel terræ addicti, vel in ſuis criminibus obdurati, Moniales, earumque ſtatum contemnunt, ſimiles Æthiopibus, qui *ſolem orientem occidentemque dirâ increpatione contuentur, ut exitioſum ipſis agriſque.* Alii velut corpora diaphana, luce virtutum quam emittunt filiæ S. Claræ, penetrantur quidem, ſplendorem mirantur, odorem exiſtimant; ſed in converſionis propoſito non perſeverant. Tandem alii, ut gemmæ, lucem ſuſcipiunt & retinent, virtutes Claræ exemplares imitantes. Sol ſigilli inſtar ſui imaginem in ſubjecto capaci imprimit & exprimit. Quod innuere videtur Tertullianus de Dominica Paſſione loquens: *Eodem momento dies medium orbem ſignante ſole ſubducta eſt.* Sol ſuis radiis velut tot ſigillis diem ſigillat; & ſicut ſigillum ceræ impreſſum ſemetipſum imprimit & exprimit, eodem modo ſol ſui ſimilitudinem imprimit. Clara electa ut ſol, imaginem virtutum, quibus ſplendet, ſuis imprimit filiabus; quæ radiis ſigillaris Matris impreſſæ, maternam ſanctitatem exprimunt, ad modum quo ſpeculum Soli expoſitum, ita ejus radios recipit, ut velut alter ſol videatur & ſplendeat. Sic filiæ S. Claræ velut tot ſoles maternæ perfectioni reſpondent: *De ſpeculo ſcilicet morum, & ingeniorum, & affectuum.*

Plin. l. 5. c. 1. — Apol. 21 — Tert. l. de An.

Apoſtolus Chriſtianos alloquens tria eorum oculis objicit. 1. Dignitatem, quâ pollent, repræſentat; *Omnes vos filii lucis eſtis.* 2. Ad gratitudinem eos invitat: *Cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine.* 3. Ut vitam ducant ſuæ dignitati convenientem, ſollicitat: *Ut filij lucis ambulate.* Ad quod illis duo neceſſaria declarat: *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus.* In baptiſmate Chriſtiani velut athletæ dimicaturi contra mundum, carnem, & diabolum, ſunt *ad ſolem uncti.* Militibus duo armorum genera ſunt neceſſaria: offenſiva ſcilicet, & defenſiva: lancea nimirum quam in hoſtem jaculent; clypeus, quo ſe ab ictibus inimicorum protegant. Hujuſmodi duo armorum genera in ſole reperiuntur. Et quidem *lanceâ Solis* milites Chriſtiani adverſarios ferire poſſunt, ſeſe adhuc ab eis defendere: *Habentes ſolem utique in ſuo clypeo.* Quod Paulus à Chriſtianis deſiderat: idipſum à Claræ filiabus exopto, ut 1. ſe filias lucis conſiderent. 2. de lucida generatione Deo gratias agant. 3. tanquam filiæ lucis ambulent. 4. ad ſolem unctæ, Solis lanceâ & clypeo pugnent. Euchariſtia eſt clypeus, quo munita Clara adverſarios terruit, & debellavit. Eodem clypeo ejus filiæ tartareas proſternent acies. Ipſa adhuc Clara eſt clypeus protegens eos, qui ejus implorant auxilium, virtutes imitantur, & vias ſequuntur, quibus immortalem ſibi comparavit felicitatem.

Theſſal. 5. — Coloſſ. 1. — Epheſ. 5. — Rom. 13. — Lib. 3. adv. marc. 13 — Tert. l. de Pud. 6 — Tert. Apol. 16

CONCIO

CONCIO QUARTA.

ELOGIUM Sanctorum utplurimum innititur nobilitati generis, quam à ſuis proximis mutuantur; miraculis, quibus tum in vita, tum poſt mortem commendantur; & perſonalibus virtutibus, quibus decorantur. Magnam Joanna à nativo genere trahit nobilitatem, utpote filia, ſoror, & ſponſa Regis. Filia Ludovici XI. Francorum regis tantâ ſeculi prudentiâ præditi, ut Reges Francos de minoritate & tutela eruiſſe dicatur. Soror Caroli VIII. regis inviƈtiſſimi, qui poſt accepta Romæ de manu ſummi Pontificis orientalis imperii inſignia, poſt regnum Neapolitanum intra quadraginta dies ſuæ dominationi ſubditum, Fornuæ cum paucis copiis ingentem exercitum profligavit, glorioſamque de hoſtibus victoriam reportavit. Tandem uxor Ducis Aurelianenſis, qui ſolium etiam regium occupans ſub nomine Ludovici XII. ob ſingularem in ſubditos amorem, pater populi nuncupatus eſt. Verùm quantumvis generis nobilitate ſplendeat Joanna, magis adhuc commendatur miraculis, quę tum in vita, tum poſt mortem operata eſt, quæ centum triginta numerantur: At maximum ejus miraculum, præcipua nobilitas, inſignior laus, eſt propria virtus quâ coruſcat. Ex D. Bernardo *tres ſunt calices, quos Dominus nobis propinat: Patientiæ & laboris, pœnitentiæ & doloris, benevolentiæ & amoris.* In trino illo calice bibit Joanna: 1. invictam patientiam demonſtrans. 2. corpus ſuum per pœnitentiam macerans. 3. Dei ſervitio ſe conſectans. In Sentẽt.

Longè diſſimilis eſt ratio *patientiæ ſcilicet Chriſtianæ* ac terrenæ, cujuſmodi eſt *illa patientia gentium terræ.* Nam ut ratiocinatur D. Aug. [Patientia amica eſt bonæ conſcientiæ, non inimica bonæ innocentiæ. Cùm ergo quemquam videris patienter aliquid pati, noli continuò laudare patientiam, quam non oſtendit niſi cauſa patiendi. Non enim ſicut omnes qui ſciunt, ſunt participes ſcientiæ: ita omnes qui patiuntur, ſunt participes patientiæ; ſed qui paſſionibus rectè utuntur, ii patientiæ veritate coronantur.] Gentilium patientia eſt falſa, quia iniquitate, cupiditate, & vanitate dedecoratur; Chriſtiana è contrario vera, quia ſanctitate, charitate & humilitate coronatur: qualis fuit Joannæ patientia commendata, 1. ſanctitate. 2. charitate. 3. humilitate. I PARS. Tert. l. de Pat. 15 L. de Pat. 5 & 6

1. Gentilium patientia *falſa, probroſa.* Ideò falſa, quia probroſa; ideò probroſa, quia ex crimine, & ob crimen patitur. Patientiæ veritas aut falſitas ex ejus cauſa deſumenda eſt: *Quando illa bona eſt, tunc iſta vera eſt; cùm verò illa tenetur crimine, tum hujus multum erratur in nomine.* Quàm falſa fuerit Gentilium patientia, hoc indicio denotatur; quia tenetur crimine. Gentiles namque *tanti boni nomen ſuis operationibus occupant.* Quàm vera fuerit Joannæ patien- Tert ib. D. Aug. l. de Pat. 6 Tertull. ibid.

patientia, rectè colligitur, quia non ex crimine culpatur, neque criminoſis operationibus dedecoratur, ſed potius innocentiâ venuſtatur, & charitate commendatur.

2. Gentilium patientia falſa: Tum quia probroſa & criminoſa: Tum quia
Tert ib. cupiditate turpata, *quæ maritos dote venales, aut lenociniis negotiantes uxorum poteſtatibus ſubjicit; quæ aucupandis orbitatibus omnem coacti obſequii laborem mentitis affectionibus tolerat; quæ ventris operarios contumelioſis patronis, ſubjectione libertatis addicit.* Plures recenſet Tertullianus, quos patientes efficit lucri cupiditas, quæ quantò major, tantò majoribus malis illos addicit: at Chriſtiana patientia vera eſt, non ſolùm quia innocua; ſed quia adhuc lucri terreni minimè cupida. Itaque *quando non polluitur cupiditate, tunc à falſitate di-*
D. Aug. l. de Pat. 6 *ſtinguitur.* Trinum autem agnoſcit D. Auguſtinus diſcrimen inter falſam Genti[illegible] & veram Chriſtianorum patientiam. 1. Illa à mundi cupiditate, hæc à charitate procedit: *Vnuſquiſque malorum tantò ad mala ferenda fortior*
L. de Pat. 17 *eſt, quantò in eo major eſt cupiditas mundi; & quiſquis juſtorum tantò eſt ad quæcunque fortior, quantò in eo eſt major charitas Dei.* 2. Cupiditas, quæ malos ad
Tert l. de Pat. 15 patiendum ſtimulat, ortum habet à diabolo, qui *docuit & ſuos patientiam propriam*: Charitas autem, quæ bonos ad patiendum ſufflammat, à Spiritu ſancto procedit: *Concupiſcentia, qua fit ut peccantes omnia pertinaciter patian-*
D. Aug. *tur, ex mundo eſt; Charitas autem, qua fit ut rectè viventes omnia fortiter patiantur, ex Deo eſt* 3. Gratiæ divinæ auxilium non requiritur ad falſam patientiam, qua mali ratione cupiditatis patiuntur: adjutorium verò Spiritûs ſancti ad veram patientiam eſt neceſſarium, ut boni ex charitate patiantur. *Et ideò*
D. Aug. *illi falſæ patientiæ poteſt ſine adjutorio Dei voluntas humana ſufficere; tantò durior, quantò cupidior; & eò tolerabilius mala ſuſtinens, quò ipſa fit pejor. Huic autem quæ vera patientia eſt, ideò voluntas humana niſi deſuper adjuta & inflammata, non ſufficit, quia Spiritus S. eſt ignis ejus: quo niſi accenſa diligat, impaſſibile bonum ferre non poteſt, quod patitur malum. Quiſquis ergo contendit haberi poſſe Dei charitatem ſine Dei adjutorio, quid aliud contendit, niſi haberi Deum poſſe ſine Deo?*

Loquitur D. Auguſtinus de patientia charitate formata, gratiæ & gloriæ meritoria, ad quam deſiderat 1. gratiæ auxilium: *Nequaquam dubitant piæ*
L. de Pat. 26 *mentes, ſicut charitas ſanctè amantium, ita patientia piè tolerantium Dei donum eſſe.* 2. Liberum voluntatis exercitium, quo à gratia excitata & adjuta, non coactè, ſed ultrò & ſpontaneè patitur mala. Quod probat expendens illud: [In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.] *Non eſt patientia tua,*
L. 50 Hõ. hom. 14 *ſi non eſt voluntas tua.* 3. Charitatis habitum, quæ cum ſit idem cum gratia ſanctificante, eſt principium meriti. Charitas autem diffuſa eſt in cordibus
L. de Pat. 17 veſtris, *non utique ex nobis*; ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. *Proindè ab illo eſt patientia juſtorum, per quem diffunditur charitas eorum.* 4. Ju-
Serm. 6. de uno Mart. ſtam patiendi cauſam, non ob crimen, ſed ob virtutem: *Tunc erit vera patientia, ſi fuerit juſta.* Eſt autem juſta, cùm ob innocentiam, & cum innocentia

quis

quis patitur. Quatuor hæ veræ patientiæ conditiones in B. Joanna relucent. 1 Spiritûs ſancti gratia, quæ ei patiendi vires ſubminiſtravit. 2. Voluntatis libertas, quâ ſpontaneæ patientiæ occaſiones acceptavit. 3. Charitas, quâ ſufflammata meritorum theſauros cumulavit. Tandem juſta patientiæ cauſa; nam immeritò repudiata à ſponſo, Deo gratias agens, patientiam ſuam humilitate coronavit.

3. Gentiles Philoſophi *omnem ſapientiæ oſtentationem de patientia præferunt*, de ejus affectatione gloriam captantes, vanamque hominum exiſtimationem ſectantes. Verùm *ſicut ſuperborum falſa eſt ſapientia, ſic eorum falſa eſt patientia: A quo eſt enim vera ſapientia, ab illo eſt & vera patientia.* Quod recognoſcens regius Vates decantat: [Deo ſubjecta eſto anima mea, quoniam ab ipſo patientia mea,] Idcircò autem ſubjectatur Deo, quia humilis; & ideò patientiam demonſtrat, quia humilitatem profitetur. *Quis enim humilis, niſi patiens? Quia nemo ſeſe ſubjicere poteſt, ſine prima patientia ſubjectionis ipſius.* Nec latuit Prophetam, cui incerta & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtaverat Deus; & ideò dicit: [Bonum mihi quia humiliâſti me, ut diſcam juſtificationes tuas.] Ubi D. Bernardus: [Vides quia humilitas juſtificat nos? Humilitas dixi, non humiliatio. Quanti humiliantur, & humiles non ſunt? *Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, & alii libenter. Primi rei ſunt, ſequentes innoxii, ultimi juſti.* Primi rei ſunt, quia cum odio, & vindictæ deſiderio ſuſtinent humiliationem. Secundi innoxii ſunt, quia patienter tolerant; non tamen promerentur, quia non libenter: *Etenim ſola gratiam, quam præfert, meretur læta & abſoluta humilitas, qualis utique in viro patiente, qui poſſidet animam ſuam: Hæc, inquam, humilitas etſi vitam obtineat propter patientiam; propter triſtitiam tamen gratiam non habebit, quoniam non ſponte humiliatur, neque libenter.* Ultimi juſti ſunt, [Quoniam non humiliatis, ſed humilibus Deus dat gratiam.] Eſt autem humilis qui humiliationem convertit in humiliationem, & ipſe qui dicit Deo: Bonum mihi quia humiliâſti me; probans *etiam ſibi bonum eſſe quòd humiliatur, nec ſufficere omninò ut poſſideat animam ſuam tanquam patienter humiliatus, niſi & gratiam accipiat tanquam ſponte humiliatus.* Qui patienter ſimul & libenter, non ex triſtitia aut ex neceſſitate; ſed ex ſpontanea & læta voluntate, is verè humilis eſt, poteſtq; dicere: Bonum mihi quia humiliâſti me. *Non poteſt hoc dicere qui invitus tolerat, minus qui murmurat*; ſed qui ultrò, voluntariè, & lætanter humiliationem acceptat. Cujuſmodi fuit B. Joannæ humilitas, libenter & lætanter ſuſtinentis humiliationem ſibi injuſtè irrogatam.

Tert. l. de Pat. 1; D. Aug. l. de Pat. 15 Pſ. 61

Tert. l. de Pat. 11

Pſ. 118 Serm. 34 in Cant.

Jacobi 4

A Ludovico Aurelianenſi Duce in conjugem quæſita, & cum eo viginti annorum ſpatio matrimonio conjuncta, ab ingrato ſponſo repudiata fuit. Si ab inimico, cui fortè feceris malè, convitia pateris, aliqua patientia neceſſaria eſt; ſi ab eo, cui nec benè feceris unquam, nec malè, major adhuc patientia requiritur; ſin autem ab eo, cui feceris quàm optimè, tum verò longè maxima deſideratur patientia; quia beneficiũ beneficio compenſari natura vult, ratio

docet, juſtitia requirit; pro beneficio maleficium reddi nec juſtitia, nec ratio,
neque natura patitur. Una eſt patientia quæ illud tolerat, non ſine aliquo vir-
tutis miraculo, utpote quod naturæ leges excedat, quodque illius ſuperet vi-
res. Tale patientiæ miraculum ſplendet in B. Joanna, quæ ſponſo ſuo mille
obtinuerat favores à patre Ludovico XI. quæ eundem ſæpè ſæpius recon-
ciliaverat Carolo VIII. fratri ſuo; quæ Carolum fratrem erga ſponſum ira-
tum multoties pacaverat, ab eoque obtinuerat libertatem Ducis ſponſi, qui
diu Biturigibus incarceratus remanſerat. Tot tamen beneficiorum imme-
mor, mox ut ſucceſſionis jure regium Franciæ ſolium aſcendit, matrimonii
diſſolutionem à Sede Apoſtolica poſtulavit, jurejurando aſſeverans, coactè
conjugium iniſſe cum Joanna, ut Ludovici XI. patris ejus declinaret violen-
tiam. Commiſſarii autem ab Alexandro VI. juxta Ludovici placitum depu-
tati matrimonium invalidum declarârunt; & Joanna contumeliam ſibi illa-
tam ſuſtulit patienter, humiliter, & æquanimiter, nihil aliud ore promens, ni-
ſi [Benedictus ſit Deus, qui id obvenire permittit, ut liberior ſim, perfectiuſ-
que illi ſerviam inpoſterum, quàm huc uſque feci.]

Chriſtus Dominus ab ingratis Judæis injuſtè perſecutus, & pro bonis in-
Tert. l. de jurias, contumelias, & cruciatus patiens: *Veniam offenſa, patientiâ eruditus,*
Pat. 3 *non contendit, non reclamavit, nec quiſquam in plateis vocem ejus audivit, ſed*
cùm traditur, cùm adducitur ut pecus ad victimam: ſic enim non magis aperit os,
Serm. Fer. *quàm agnus ſub tondentis poteſtate.* Et ut fatur D. Bernardus: *Non adverſus*
4. Hebd *Patrem murmurans, à quo miſſus fuerat; non adverſus humanum genus, pro quo*
Sanct. *quæ non rapuit, exolvebat; non denique vel contra populum ipſum peculiarem*
ſibi, à quo pro tantis beneficiis tanta mala recipiebat. Joanna Dominicæ pa-
tientiæ æmula, audit diſſolutionem matrimonii, non murmurans adverſus
ſummum Pontificem univerſalem Chriſtianorum patrem, qui tam citò Re-
gis acquieverat voluntati; non adverſus Commiſſarios, qui ad Regis nutum
ſententiam tulerant; non adverſus Ludovicum, qui ipſam repudiârat, ut ſume-
ret ſibi in uxorem Annam Britanniæ Armoricæ Duciſſam, Caroli VIII. viduá:
ſed calicem patientiæ ſibi à Chriſto oblatum humiliter ſuſcepit, in eo lætanter
D Bern bibit, *contumelia ſagittas fregit clypeo patientiæ*, quæ eſt ſecundus calix Joan-
l de Mod. næ oblatus à Chriſto, ut in illo bibat cordis dolorē, & carnis macerationem.
benè viv. 4 Patientia *pœnitentiam miniſtrat.* In virtute pœnitentiæ duo poſſunt conſi-
II. PARS. Tert. l. de derari: interius, & exterius. Interius importat dolorem animi de peccato
Pat. 1 a commiſſo, cum firmo propoſito non amplius peccandi. Exterius complecti-
tur carnis macerationes, quæ internum animi denotant dolorem; patientia
autem miniſtrat pœnitentiæ; tum quoad interius, tum quoad exterius. Quo-
L. de Vera ad interius; nam ut docet D. Auguſtinus: *patientia eruditio eſt pœnitudinis.*
Innoc. c. 4 Tert. l. de Quoad exterius etiam, *cùm ſordes, cùm anguſtias victûs Domino libat.* Quantum
Pat. 13 patientia Joannæ ejus pœnitentiæ miniſtraverit, conſtat ex magna carnis af-
flictatione, quam continuò macerabat, 1. jejuniis. 2. ciliciis. 3. catenis ferreis.

1. *Virtus duritiâ ſtruitur, mollitie verò deſtruitur.* Quod probè ſciens B. Tert. l. ad
Joanna, etſi corpore debilis, & infirma ſatis valetudine, virtutem non mol- Mart. 3
litiâ deſtruebat, ſed duritiâ potius ſtruebat; neque carnem ſuam lautis cibis
delicatè nutriebat, ſed abſtinentiâ & jejuniis afflictabat; toto quadrageſima-
li tempore, ſingulíſque anni diebus Veneris, Sabbathi, & vigiliis abſtinens
ab ovis, piſcibus, butyro; ſolis herbis & leguminibus contenta. Si Tertulliano
adhibeatur fides, primiceri Chriſtiani erant *jejuniis aridi, in ſacco & cinere*
volutantes: Similiter B. Joanna jejuniis arida, carnem ſuam macerabat ciliciis. Apol. 40

2. Quis veram negabit pœnitentiam, quæ *jejunia conjungit, cineri & ſacco* Tert. l. de
inoleſcit? Cilicium nuncupat Tertullianus ſaccum. Verus pœnitens cordis Pat. 13
dolorem denotat: tum per jejunia quibus carnem ſuam macerat; tum per
ſaccum & cilicium, quod eſt *contritionis indicium, & pœnitentia ſymbolum.* Ruric. ep.
Hoc ſigno contritionem ſuam manifeſtabat B Joanna, hoc pœnitentiæ ſym- 20
bolo utebatur. Regius Vates cùm aliquid adverſi pateretur, induebat ſe cili- D. Hier.
cio: *Ego autem, cum mihi moleſti eſſent, induebam me cilicio.* B. Joanna non ſo- ep. 28
lùm adverſitatis tempore, ſed etiam proſperitatis tempeſtate deferebat cili- Pſ. 34
cium, & ſacco inoleſcebat; hoc eſt, præ conſuetudine pœnitentiam ſibi fami-
liarem, ac veluti naturalem reddebat; metaphorâ ſumptâ ab arboribus, quæ
inſitæ in alias arbores & inoculatæ alimento per truncum educto & attracto:
Sic B. Joanna ſibi pœnitentiam præſtiterat velut naturalem, jejuniis vacans,
cilicium portans, ſuumque corpus cingulo ferreo, ſeu catenâ ferreâ macerans.

3. Et hoc *ut pœnitentiam commendet*. Quod ut impenſius exequeretur Tert. l. de
B. Joanna, non ſolùm aſpero cilicio corpus macerabat, non ſolùm cingulo Pœn. 9
ferreo tenellula membra domabat; ſed novo adhuc pœnitentiæ genere
quinque clavos argenteos ſupra nudam carnem deferebat, verſis circa cor
acuminibus. Unde tam inſolens pœnitentia, tam inaudita maceratio corpo-
ris? non è ſilvis & ſaltibus, non è rupibus & montibus, non etiam è ruſtica
caſa agreſtique taguriolo petita; ſed ex aulæ mollitie, & ſanguine regio pro-
gnata; è regina, è natalibus mollicula, à parentibus delicatè enutrita, à com-
plexione tenera & infirma; & tamen non obſtante complexionis teneritudi-
ne, parentum blanditiis, natalium mollitie, Joanna pœnitentiæ, mortificatio-
ni & macerationi incumbit: & nos complexione fortes, educatione agreſtes,
genere ignobiles nihil horum moliri, nihil tentare audemus, pœnitentiæ &
afflictationis nomen ne audire quidem valemus: itaque cùm ſimus toti car-
nei, nihil niſi carnem & terram ſapimus. Per carnis blanditias animus ſancti-
tati moritur, caro concupiſcentiis famulatur; at èconverſo *per voluntarias af-* D. Leo
flictiones caro concupiſcentiis moritur, virtutibus ſpiritus innovatur: ut B. Joan- Ser. de je-
næ comprobatur exemplo, quæ in pœnitentiæ ſcypho macerationes bibens, jun. dec.
meruit bibere in calice benevolentiæ & amoris à Chriſto ſibi oblato, Dei menſ.
ſervitio ſe conſecrans.

Magna profectò Dei erga Joannam benevolentiâ, qui eam de regali pro- III. PARS
ſapia oriri voluit, bonam indolem ei contulit, mœrendi materiam per affli-

ctiones ſubminiſtravit, gloriam animæ per apparentem ſupra corpus fato-
functum injuſtam lucem, manifeſtavit. Joanna quoque in calice benevolen-
tiæ ſibi à Chriſto oblato bibens, magnum Dei demonſtravit amorem. 1.
Mundum aſpernans. 2. pietati vacans. 3. religionem in Deiparæ honorem
fundans.

1. Joanna mox ut boni & mali habuit notitiam, mundum eſt aſpernata,
Tertull. Scorp 6 — proſpiciens *imbecillitates conditionis humanæ, adverſarij inſidias, rerum falla-
cias, ſeculi retia, periclitaturam fidem, perituros pleroſque rurſum poſt ſalutem,
qui veſtitum obſoletâſſent nuptialem, qui faculis oleum non præparâſſent.* Multis
Tert. Apol. 1 — rationibus ad mundi contemptum ſtimulata fuit Joanna. 1. Quia ſciebat *ſe
peregrinam in terris agere*; peregrinus autem non debet ſiſtere in via, ſed velo-
citer ad patriam tendere. Unde ſi in hac peregrinatione, commoda quædam
blandiantur, *non amplectenda nequiter, ſed tranſeunda ſunt fortiter*, ad inſtar
S. Leo Serm. 2. de Reſurr. — Vatis regii, qui argenteas columbæ exoptabat alas, quibus citiſſimè à mun-
do evolaret. Nam *amor rerum terrenarum viſcus eſt ſpiritualium pennarum:
D. Aug. Ser. 13. de Verb. Dñi. — Ecce concupiſti, hæſiſti.* 2. Non ſolùm velut ſe peregrinam in terris noverat, ſed
adhuc *genus, ſedem ſpem gratiam, dignitatem in cælis habere* attentè conſide-
Tert. ib. — rabat. *Ad æterna productos peritura non occupent*, juxta ſapiens D. Leonis mo-
D. Cypr. — nitum: 3. Animum ſuum longè ſeculo majorem certò ſciebat. At *nihil appe-
tere jam de ſeculo poteſt, qui ſeculo major eſt.* 4. Rerum mundanarum vanitas
Tert. l. de Cor. mil. 13 — & falſitas Joannam inducebant ad mundi contemptum: *Omnia imaginaria
in ſeculo, & nihil veri.* 5. Pericula quę in mundo occurrunt, illum Joannę red-
Caſſiod. in Pſ. 44 — debant contemptibilem: *mari juſtè comparatur hic mundus, quia falſitatibus a-
marus eſt: fluctibus diabolicis quatitur, vitiorum tempeſtatibus commovetur.* 6.
Mundi inconſtantia & mutabilitas, quę citò tranſit, evaneſcit, & deperditur,
Greg. Nazianz. Or. 17 — Joannæ ejus contemptum ingenerabat: *Adhuc paululum, & ecce mundus tran-
ſit, ac ſcena diſſolvitur.* Quid enim hæc vita niſi paululum? quid mundus niſi
D. Aug. l. 4. Cõf. 10 — ſcena, quę aperitur & clauditur? quid cuncta temporalia niſi modicus vapor,
qui illicò ſolvitur ac diſſolvitur? *Illa pulchra cùm oriuntur, & tendunt ad eſſe,
Tert. l. de Cor. Mil. 15 — quo magis celeriter creſcunt ut ſint, eò magis feſtinant ut non ſint.* Similia floribus
qui tantò citius evaneſcunt, quantò velocius ſplendent. Chriſtiane, *quid tibi
cum flore morituro?* quid tibi cum volaticis & perituris mundi bonis, quæ ne-
D. Chryſoſt. hom. 25. in ep. ad Hebr. — ceſſariò vel ſibi, vel tibi pereunt? *Omnia mundi bona triplex interitus tollit. Aut
enim ex ſeipſis veteraſcunt, aut luxu dominorum ſuorum conſumuntur, aut ab
extraneis diripiuntur*: ideò una ex his tribus rationibus tollantur neceſſe eſt.
D. Aug. in Tract. 2 in ep. Joã — Quę cùm ita ſint, Chriſtiane *quid vis? utrùm amare temporalia, & tranſire cum
tempore, an mundum non amare, & in æternum vivere?* Chriſtianum eligere
Epiſt. 64 — jubet D. Auguſtinus: cunctoſque fideles ut benè eligant, hortatur S. Bernar-
dus: *Ne caſuri gloriam mundi quaſi ſtantem aſpiciatis, & verè ſtantem amit-
tatis; ne plus vobis, aut pro vobis veſtra diligatis, & ſic vos & veſtra perdatis; ne
blandiens præſens proſperitas ſui vobis finem abſcondat, & adverſitas ſine fine
ſuccedat; ne lætitia temporalis luctũ vobis æternũ & operiat quem parit, & pariat*

quem

quem operit. Duo hominum genera agnoſcit D. Auguſtinus. Nonnullos *inhærentes humo curvatos in terram, ea quæ ima ſunt cogitantes, in rebus tranſeuntibus ſpem ponentes, quas tranſilivit iſte qui vocatur tranſiliens*, nempe mundus. Nam ut unus fatur Apoſtolus, *Mundus tranſit*: & ut aſſeverat alter, *præterit figura hujus mundi*. Alios vero qui jam *vilem habentes mundum, & omnia quæ delectant in mundo, eligunt recte vivere*. Cujuſmodi fuit B. Joanna, quæ mundum deſpiciens, elegit vacare pietati, Deoque ſervire. In Pſal. 38

2. *Deum exiſtimo omnibus colendum* & vera pietate proſequendum, quo nihil eſt homini magis neceſſarium, præſtantius, & utilius. 1. Magis neceſſarium, quod etiam Gentiles natura duce cognoverunt. Pittacus *Numen divinum ante omnia venerandum*, & colendum aſſeverat: Cleobulus *pietatem tuendam* prædicat: Plinius quoque *religione vitam conſtare* humanam declarat. Ea de cauſa Deus apud Tertullianum nuncupat hominem *religionis ſuæ ſacerdotem*. Et ſi quæramus ab Arnobio qui ſint Chriſtiani: & ad quem finem ſint Chriſtiani, primam quæſtionem ſolvet dicendo: *Nihil ſumus aliud Chriſtiani, niſi magiſtro Chriſto, ſummi regis veneratores*. Inde ad ſecundam reſpondet quæſtionem: *Hic propoſitus terminus divinorum officiorum, hic finis* quo nihil 2. præſtantius poteſt excogitari. *Religione nihil potius aut præſtantius eſſe putatur*. Adeo magnum bonum eſt religio ac pietas, *quo generi hominum nullum à Deo datum eſt præſtantius*. Unde Hierocles Pitagoreus, etſi Chriſtianæ religionis hoſtis acerrimus, pietatem *principem atque ducem omnium virtutum* appellat. Conſtantinus quoque & Licinius Imperatores, quæ ad Dei cultum pertinent *prima & præcipua* nuncupant: & merito, quia pietate nihil præſtantius, nihilque 3. utilius. Etenim *theſaurus bonorum eſt*, ut ait Apoſtolus, *pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ*. Perutilis ad conſervationem Reipublicæ: quapropter duo Imperatores ad Cyrillum Alexandrinum ſcribentes ultro fatentur *à pietate quæ eſt in Deum Reipublicæ conſtitutionem pendere*. Perutiles ad animæ ſanctitatem & virtutum acquiſitionem. Quare Euſebius omnes virtutes affirmat eſſe quaſi ſpecies pietatis, niſi dicamus pietatem eſſe omnium virtutum fundamentum, fontem & parentem. Perutilis ad regulandam vitam, juxta religionis diſciplinam. Ut enim docet D. Chryſoſtomus, *pietas rectiſſima vitæ norma eſt, & converſationis optima diſciplina*. Eodem fere modo definitur à D. Auguſtino: *Pietas eſt verax veri Dei cultus, unde omnia recte vivendi ducuntur officia*. Tandem perutilis, ad immortalem comparandam fœlicitatem. Idcirco dicitur à Clemente Alexandrino, *ſufficiens ſæculorum viaticum*; hoc eſt rectum iter ad immortalitatem. Et ob eamdem rationem Theodoſius Imperator Chriſtiani hominis fœlicitatem in pietate ponebat, quam moriens filiis ſuis Arcadio & Honorio ſuper omnia commendavit. Pietas autem interdum ſumitur pro beneficentia & miſericordia in proximum, quam præ ſacrificiis acceptat Deus, eaque ſe coli declarat, ut docet D. Auguſtinus: quo ſenſu, eleemoſynas quas olim Chriſtiani in arca deponebant pauperibus erogandas, vocitat Tertullianus *depoſita pietatis*.

Tert. L. 2. ad Nat. 8 — Lib. 14. Hiſt. — Lib. de Reſ. 9 — L. 1. cont. Gent. — D. Juſtin. cohort. ad Græcos. — Clē Alex. adhort. ad Gent. — Eugub. L. 10. c. 12 — Niceph. l. 7. c. 41 — D. Athan. Diſput. in Conc. Nicen. — 1. Tim. 4. — Epiſt. 17 Inter Ep. Cyrill. 17 — Lib. 8. de Præp. Evang. 2 — Epiſt. 52. — Adhort. ad Gent. — Niceph. L. 13. c. 1 — Lib. 10 Civ. 1 — Apol. 39

Pietatem in communi commendavimus, ut in particulari B. Joannæ pietatem referamus: quæ ab ineunte Deo ſervire propoſuit. Vix quintum ætatis attigerat annum, cum puerilibus exercitationibus deſpectis, pietatis ſolummodo vacabat operibus; mundi oblectamenta nihili ducens, totum ſuum in Dei cultu adhibebat ſtudium; cujus gratiam crebris & ferventiſſimis orationibus poſtulabat. Tanta pietate ferebatur in pauperes & ægrotos, ut illis eleemoſynas abunde largiretur, & iſtis provideret de Medicis, Pharmacopolis, Chirurgis, ſervis, qui eis remedia, alimenta, & charitatis præſtarent officia. Et quia Verbi humanatio eſt *magnum pietatis ſacramentum*, id eſt pium
1. Tim. 3 religionis myſterium, quo maxime colitur Deus, quo præſertim incitantur fideles ad pietatem Deique cultum & venerationem; quodque piiſſime recolendum & venerandum eſt, Joanna tantum divini amoris myſterium magno proſequebatur honore, Chriſtum ardentiſſime diligebat, & erga Deiparam tanta devotione ferebatur, ut in ejus honorem religionem Annuntiationis fundaret.

Tert. l. de An. 47 3. Cuncti fere Religionum fundatores, *viſionibus Deum diſcunt*, & viſionibus ad fœcundandam nova prole Eccleſiam incitantur, ut conſtat ex Franciſco, Dominico & Joanna, quæ ſingulis diebus Beatiſſimam Virginem deprecans, ut ſibi perpetuo adeſſet; ejuſque auxilio & patrocinio, in virtute & pietate proficeret, & filio ſuo grata eſſe poſſet, quem ſibi in ſponſum elegerat, quadam die qua incredibili fervore Deiparam deprecabatur, ab illa iſtam accepit revelationem, Bono animo eſto Joanna, antequam ex hac vita diſcedas Religionem fundabis, quæ mihi maximum præſtabit honorem. Hac revelatione magis ac magis divino amore ſufflammata, & in devotione erga Deiparam confirmata, diſſolutione matrimonii cum Ludovico Duodecimo, initi propalata, novam Religionem fundare propoſuit. Propoſitum tamen non adimplevit niſi magna cum patientia; quæ ut fatur Tertullianus,
Lib. de Pat. 1 *ita propoſita Dei rebus eſt, ut nullum opus Domino complacitum perpetrare extraneus à patientia poſſit.* Quod experta eſt Joanna quam V.P. Gabriel Ave Maria Ambaſiæ Guardianus, ejus Confeſſarius à propoſito dimovere molitus eſt, ſuadens ei ut ſanctæ Claræ regulam amplexaretur; cumque Joanna conſilio Franciſci de Paula in propoſito perſeveraſſet, præfatumque patrem Gabrielem ad ſummum Pontificem miſiſſet, obtinendæ novæ religionis gratia, ipſe ab Alexandro Sexto ſummo Pontifice, curiaque Romana, repulſam paſſus, ad Joannam rediit, quæ patienti & conſtanti animo, in ſuo deſiderio perſiſtens, denuo eamdem Romam mittit, totam ſuam ſpem in Dei miſericordia, & Mariæ patrocinio ponens. Neque fiducia ſua fruſtrata fuit, nam Joannes Baptiſta Ferrerius Epiſcopus Modenæ Cardinalis qui potiſſimum Joannæ propoſito fuerat contrarius, in viſione à ſanctis Laurentio & Franciſco admonitus, animum mutavit, & ſummo Pontifici viſionem manifeſtans, ab eo obtinuit Inſtitutionem Monialium Annuntiationis B. Mariæ, quarum regulam decem beneplacitorum ſeu virtutum

Deiparæ Pater Gabriel fœliciter compoſuit : quam religionem Joanna exornavit *votivis donis pietatis*, Bituricibus cœnobium virginum ſufficienti proventu aſſignato fundans. Et quoniam *Aſſumptio religioſa ſponſio eſt devotionis*; Joanna de die in diem in devotione proficiens religionis ab ipſa fundatæ habitum ſuſcipere voluit; prima omnium ſolemnia vota emittens, regulamque magno fervore ſervans, ſuo exemplo ſorores ad virtutem & perfectionem ſtimulans & Eccleſiam nova prole adeo fœcundans, ut in præcipuis Franciæ urbibus ſint monaſteria Annuntiationis, in quibus filiæ B. Joannæ parentis æmulantes pietatem Deum religioſe colunt, myſterium Incarnationis aſſiduè meditantur, Deiparam ſpeciali honore venerantur, ſub titulo Annuntiationis, Eccleſiam novo òrdine illuſtrant : & Joannæ parentis pietatem demonſtrant. Quæ longe fœlicior extitit ſub ſacco & cinere quam ſub purpura & diademate, multoque fœcundior ſoluta à viro, quam ei matrimonio conjuncta. Nam repudiata ab homine mortali, nupſit Deo immortali. In conjugio ſterilis remanens, in cœnobio fuit *ſine maſculo mater.* Cui probe competit congratulatio Eccleſiæ facta ab Apoſtolo : *Lætare ſterilis, quæ non paris; erumpe & clama, quæ non parturis: quia multi filii deſertæ magis quam ejus quæ habet virum* : nam Anna à Ludovico in uxorem aſſumpta, unicam duntaxat peperit filiam, Joanna vero à Ludovico derelicta plures parturivit filias: tot ſcilicet, quot ſunt Sanctimoniales, quæ decem Deiparæ Virginis beneplacita ſeu virtutes quotidie celebrant : Neque ſolummodo filiarum mater extitit Joanna quas Deo & Deiparæ parturivit, ſed adhuc eximiis fuit fœcunda virtutibus, queis ſibi immortalem comparavit fœlicitatem.

Iſid. Peluſ. l.1. Ep. 189

Salv. l. 2. de Eccleſ. Cath.

Tert. lib. adv. Valent. 10

Galat 4

CONCIO QUINTA.

NOnnumquam *& in procella confuſis veſtigiis cœli, & freti, aliquis portus offenditur, proſpero errore*; ut Urſulæ comprobatur exemplo, quæ juxta vulgarem opinionem cum ſociis à littore Angliæ verſus Britanniam Armoricam navigans, naves quibus vehebantur procellis ac tempeſtatibus agitatæ, appulerunt ad ripas Rheni prope Coloniam, ſed proſpero errore, quia ibi Urſula longe fœlicius invenit idipſum quod in Britannia reperire credebat. Ob trinum namque finem patrium ſolum deſerens ad Britanniam properabat, nimirum ut Conano ſecundo ab Imperatore Maximo nuberet; deinde ut ſponſo prolem generaret, tandem ut ex illo connubio magnum ſibi honorem compararet. At media procella invenit hæc tria, quæ tranquillo mari vix reperiſſet; nam proſpero navigii errore, 1. Chriſto deſponſatur: 2. numeroſa prole fœcundatur: 3. diademate coronatur.

Tert. l. de An. 2

Regius Vates Dei filium velut ſponſum conſiderat. *De quo pſalmus, Ipſe* I. PARS.

tanquam

tanquam ſponſus egrediens de thalamo ſuo ; à ſummo cœlo profectio ejus. Exiens
Tert. l. 4. adv. Marc. 11 ſcilicet de ſinu Patris, ut in utero Beatiſſimæ Virginis humanam ſibi deſponſaret naturam. Sacrum illud divinitatis & humanitatis connubium initum
Pſal. 18 cenſet D. Auguſtinus in Incarnationis myſterio : uti enim conjuges ſunt duo
In Pſ. 44 in carne una, ita in magno illo pietatis ſacramento, Dei Filius, *in utero Vir-*
Tertull. Apol. 21 *ginis caro figuratus naſcitur homo Deo miſtus* ; non per confuſionem divinitatis & humanitatis, ſed per unionem utriuſque naturæ in una & eadem perſona Verbi. Tertullianus exiſtimat Chriſtum Eccleſiæ ſponſum quam ſibi aſſumens in ſponſam, omnes conditiones quæ apud homines obſervantur,
Gen. 2 ſervare voluit: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & erunt duo in*
Tert l. 5 adv. Marc. 18 *carnem unam.* Dei Filius reliquit patrem de ſinu ejus velut exiens, ut divinam magnitudinem, humanæ uniret puſillitati : reliquit matrem, nimirum novercantem Judæorum ſynagogam, ut Eccleſiam ex Gentilibus formaret, & in ſponſam aſſumeret : una & eadem caro cum ſponſa efficitur, media Euchariſtia, in qua fidelibus qui ſunt Eccleſiæ membra, corpus ſuum manducandum, & ſanguinem bibendum præbet. De myſtico illo connubio ipſe
Tert ibid. *etiam per Eſaiam gaudens ad patrem ; Exultet,* inquit, *anima mea in Domino; induit enim me indumentum ſalutaris, & tunicam jucunditatis velut ſponſo, circumpoſuit mihi mitram velut ſponſæ. In ſe enim & Eccleſiam deputat : de qua idem ſpiritus ad ipſum. Et circumpones tibi omnes eos, velut ornamentum ſponſa. Hanc ſponſam Chriſtus ſibi etiam per Salomonem, ex vocatione Gentium*
Ser. 2. Dominic. 1. poſt Epiph *accerſit. De idololatria enim ſibi deſponſavit Eccleſiam.* Tandem ex D: Bernardo Chriſtus ſigillatim cujuſvis animæ juſtæ eſt ſponſus, quam media gratia ad tantam ſublimat dignitatem. *Unde tibi, ô humana anima, unde tibi hoc? Unde tam inæſtimabilis gloria, ut ejus ſponſa merearis eſſe, in quem deſiderant Angeli proſpicere? Unde tibi hoc ut ipſe ſit ſponſus tuus, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur, ad cujus nutum univerſa mutantur?* Verum ultra hanc affinitatem quam iſti contrahunt cum Chriſto, Urſula ſpeciali quadam ratione eſt ejus ſponſa; ſcilicet tanquam 1. Chriſtiana : 2. Virgo : 3. Martyr.

Tert. l. de Pud. 18 1. *Hæc enim ſunt conſultata Chriſti Eccleſiam diligentis, qui ſe pro ea tradidit, uti eam ſanctificet, emundans lavacro aqua in verbo, ut ſiſtat ſibi Eccleſiam glorioſam, non habentem maculam aut rugam, utique poſt lavacrum : ſed ſit ſancta & ſine opprobrio, exinde ſcilicet ſine ruga vetuſtatis ut virgo ; ſine macula fornicationis, ut ſponſa; ſine probro vilitatis, ut emundata.* Quod de Eccleſia in communi fatur Tertullianus, idipſum de quavis anima Chriſtiana dici poteſt : quam etiam ignobilem & facilem adamavit Chriſtus. Ut enim ait ſupra laudatus Bernardus, *propter Æthiopiſſam iſtam filius Dei de longinquo venit, ut ſibi deſponſaret illam. Moyſes quidem Æthiopiſſam duxit uxorem, ſed non potuit ejus mutare colorem : Chriſtus autem quam adamavit ignobilem adhuc & fœdam, glorioſam ſibi exhibuit, non habentem maculam aut rugam* ; quia eam emundavit in baptiſmatis ſacramento, & gratiæ decore

venuſta-

venuſtavit, ſeu, ut acute ait Tertullianus, *eam aqua ſignat, Spiritu ſancto veſtit.* Lib. de
Aqua ſignat emundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, & ſacro inſuper charactere ſigillans: Spiritu ſancto veſtit, nimirum virtutibus quas illi largitur Spiritus ſanctus; *de qua dicitur*: Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circundata varietate. *Quare quæ nunc pannoſo veſtitu ac ſervili habitu vilis putatur, in regno cœlorum regina, & nobilis regi aſtans reperitur.* Ex D. namque Chryſoſtomo, ſponſalia ejuſmodi in hac vita aguntur; thalamus autem erit in futura vita quando Eccleſia ſponſa, id eſt electi omnes ad Agni nuptias & æternum regnum inducentur.

Præſc. 36 D. Baſil. l. de ver. Virgin. Pſal. 44 In cap. 11. Epiſt. 2. ad Corint.

Illius autem deſponſationis paranymphum ſeſe declarat Apoſtolus: *Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Quaſi dicat, ut expendunt Anſelmus & Theophylactus, per fidem, Baptiſmum, Chriſtianiſmum, jam deſpondi vos Chriſto, ut in die judicii, nuptiali thalamo Chriſti exhibeam vos virgines, id eſt integros fide, ſpe & charitate. In nuptiis quas in mundo contrahunt homines, ſponſæ poſt nuptias non manent virgines: Chriſti autem ſponſæ quaſi prius virgines non fuerint, poſt nuptias cum Chriſto virgines fiunt, id eſt puriſſimæ in fide, moribus integræ & incorruptæ: ſic Eccleſia tota eſt virgo.

2 Cor. 11

D. Chryſoſt.

Deſponſatio autem illa per quam Eccleſia & quævis anima fidelis, eſt quaſi virgo, & ſponſa Chriſti ſponſi, fit, ut docet D. Auguſtinus, per fidem, ſpem & charitatem. *Virginitas mentis eſt integra fides, ſolida ſpes, ſincera charitas.* Attamen licet hujuſmodi deſponſatio fiat per quaslibet virtutes; præſertim tamen fit per charitatem: hæc enim ſecum in Deum rapit omnes animæ vires & affectiones; quo magis creſcit in homine charitas, eo magis creſcit hæc animæ cum Deo unio & deſponſatio, ita ut animæ charitate flagrantes, in eaque ſe aſſidue exercentes, nuptiis cum Deo, & nuptialibus bonis ac gaudiis divinis fruantur. Charitas enim eſt connubium, conſpiratio, & conformatio duarum voluntatum, humanæ ſcilicet & divinæ, qua ſibi mutuo in omnibus conſentiunt, & conformantur Deus & homo. Vir matrimoniali vinculo adglutinatus uxori, cum ea *unum corpus efficitur: Erunt duo in unam carnem. Qui autem adglutinatur Domino, unus eſt ſpiritus.* Hinc oritur communicatio & familiaritas animæ cum Deo; oritur & quies & mira voluptas animæ, æſtuſque tantus divini amoris, ut eo abſorbeantur, & in Deum immergantur omnes aliæ animæ affectiones; ut belle quamvis fusè declarat D. Bernard. *Talis conformitas maritat animam Verbo, cum cui videlicet ſimilis eſt per naturam, ſimilem nihilominus ipſa ſe exhibet per voluntatem, diligens ſicut dilecta eſt. Ergo ſi perfecte diligit nupſit. Quid hac conformitate jucundius? Quid optabilius charitate, qua fit ut humano magiſterio non contenta, per temet ô anima fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo conſtanter inhæreas; Verbum familiariter percuncteris, conſulteſque de omni re; quantum intellectu capax, tantum audax deſiderio? Vere ſpiritualis ſanctique connubij contractus eſt iſte. Parum dixi, contractus, complexus eſt. Complexus plane, ubi idem velle, & nolle idem, unum facit ſpiritum de duobus.*

Tract. 19. in Joan.

Tert. l. de Pud. 16

Ser. 38. in Cant.

Hacuſque Bernardus, mox ſubjungens; *Nec verendum, ne diſparitas perſonarum claudicare faciat convenientiam voluntatum, quia amor reverentiam neſcit. Amor ſibi abundat, amor ubi venerit, cæteros in ſe omnes traducit & captivat affectus. Propterea quæ amat, amat, & aliud novit nihil, ſponſus & ſponſa ſunt. Quam quæris aliam inter ſponſos neceſſitudinem, vel connexionem præter amari & amare*; neque dicas inter Deum & animam non poſſe eſſe amicitiam? Neque connubium & deſponſationem; hæc enim inter pares eſſe debent, anima autem tum in natura, tum in amore, eſt inferior & impar Deo:

Tert. l. de Car. Chr. 5 *Sed Deo nihil par eſt, natura ejus ab omnium rerum conditione diſtat.* Hoc dubium acute ſolvit Bernardus: *Non plane pari ubertate fluunt amans & amor, anima & Verbum ſponſa & ſponſus, Creator & creatura, non magis quam ſitiens & fons. Quid ergo? peribit propter hoc, & ex toto evacuabitur nupturæ votum, deſiderium ſuſpirantis, amantis ardor, præſumentis fiducia, quia non valet ex æquo currere cum gigante, dulcedine cum melle contendere, lenitate cum agno, candore cum lilio, claritate cum ſole, charitate cum eo qui charitas eſt? Non. Nam etſi minus diligit creatura, quoniam minor eſt, tamen ſi ex tota ſe diligit, nihil deeſt ubi totum eſt. Propterea dixi: ſi amare nupſiſſe eſt: niſi quis dubitet animam à Verbo & prius amari, & plus. Prorſus & prævenitur amando, & vincitur. Fœlix quæ meruit præveniri in tanta benedictione dulcedinis!* Fœlicior, quæ erga adeo benevolum ſponſum, grata exiſtit; feliciſſima, quæ ſponſum diligentem ſe, & infinite diligibilem, toto cordis affectu diligit. O anima à

D. Bern Ser. 2 Dominic. 1 poſt Epiph Verbo ſic amata, ſic deſponſata: *quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi; ut ſis ſocia menſæ, ſocia regni, & ſocia thalami, ut introducat te rex in cubiculum ſuum? Vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus & amplectendus ſit, qui tanti te æſtimavit, imo qui tanti te fecit. Deſere carnales affectus, ſæculares mores dediſce, conſuetudines noxias obliviſcere: quid enim putas? Nonne ſtat Angelus Domini qui ſecet te mediam, ſi forte (quod avertat ipſe) alterum admiſeris amatorem?*

Lib. de An. 41 Lubet modo exclamare cum Tertulliano; *O beatum connubium, ſi non admiſerit adulterium!* Anima efficitur adultera quando infidelitati, iniquitati,

Orig Hō. 12 in Lev. & dæmonis voluntati conſentit. *Si ergo ſuſcepeſis ô homo, in cubili animæ tuæ adulterum diabolum, meretricata eſt anima tua cum diabolo. Si ſpiritus iræ, ſi invidiæ, ſi ſuperbiæ, ſi impudicitiæ, ingreſſus fuerit ad animam tuam, & receperis eum, & conſenſeris ei loquenti, & in corde tuo delectatus fueris his, quæ tibi ſecundum ſuam mentem ſuggerit, meretricatus es cum eo*; reuſque exiſtis erga ſponſum animæ tuæ, ingratitudinis, infidelitatis, & iniquitatis; tibique eſſicetis noxius, honorem tuum dehoneſtans, dignitatem depretians, interminabili ſupplicio te mancipans; Noli quæſo tale tibi inferre damnum, tantam cœleſti ſponſo irrogare injuriam. Anima ergo Dei ſponſa, ſponſum

D. Baſil. l. de ver. Virgin. amans, ejque promiſſam in Baptiſmo fidelitatem ſervans: *Contemnat quidquid oculis apparet, & nuda mente, amore ſponſi ſatietur, totas vires ſuas proprij ſponſi ancillas faciens, & in nulla parte oportet virginem adulteram eſſe. Non lingua,*

qua, non auribus, non oculo, non alio omnino ſenſu, imo neque cogitatione, ſed corpus quidem velut quoddam templum aut thalamum ſponſi habeat præparatum: Adinſtar Urſulæ Chriſto deſponſatæ, tanquam Chriſtianæ per fidem, ſpem, & Charitatem; & adhuc tanquam virgo, per mentis puritatem, & illibatam corporis integritatem.

2. *Chriſtum ejus ſponſum facis* cui deſponſata eſt Urſula per virginitatem; ſicut cæteræ virgines, præſertim per ſolemne caſtitatis votum. Ut enim ait D. Auguſtinus: *quæ virginitatem Deo vovent, quamquam ampliorem honoris & dignitatis gradum in Eccleſia teneant ſine nuptiis non ſunt; nam & ipſæ pertinent ad nuptias cum tota Eccleſia, in quibus nuptiis ſponſus eſt Chriſtus.* Olim trino indicio denotabantur virgines Chriſto deſponſatæ. Dabatur eis annulus, quo quidem deſpondebantur Chriſto; quapropter B. Agnes ſic fatur apud D. Ambroſium: *Annulo fidei ſuæ ſubarravit me.* 2. Eis ſolvebantur crines, quo carnalibus nuptiis ſe renuntiaſſe & cæleſtes cum Chriſto nuptias celebraſſe demonſtrabant. *Spirituale nubendi hoc genus eſt, in nuptias ſponſi jam venerant voluntate, & profeſſione ſua, & ut ſæcularibus nuptiis ſe renuntiaſſe monſtrarent, ſpirituali ſponſo ſolverant crinem, jam cæleſtes celebraverant nuptias.* 3. Velabantur virgines, (ſic velantur illæ quæ maritis nubunt:) idque ſolemni pompa à ſacerdotibus, & nonniſi certis diebus ad hoc deſtinatis. *Cæterum quæ ſeſe ſpondit Chriſto, & ſanctum velamen accepit, jam nupſit, jam immortali juncta eſt viro, & jam ſi voluerit nubere communi lege, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Hac etiam tempeſtate virginibus amputantur crines, & velamē imponitur, dum per religionis vota Chriſto deſponſantur; ſicut enim ſponſa totum amorem omniaque ſua ſecum tradit marito; ſic virgo ſtatum ſuſcipiens regularem, ſeſe ſuaque omnia conſecrat, & tradit Chriſto. Deinde ſicut ſponſa contrahens matrimonium cum ſponſo, dicit; Accipio te in meum; ita virgo vovens caſtitatem, ita adſtricta & devincta eſt Chriſto, ſicut uxor obligata eſt marito: Quam ideo ſic hortatur Tertullianus: *Nupſiſti Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam, incede ſecundum ſponſi tui voluntatem.* Inſuper dum uxor nobili conjungitur, mater ejus tali affinitate nobilitatur; ſimiliter mater virginis Chriſto deſponſatæ tali deſponſatione honoratur, quam audet D. Hieronymus *Dei ſocrum nuncupare.* Tandem ſicut uxor alteri adhærens viro, adulteratur: eodem modo virgo regularis Chriſto deſponſata, ſæculo inhians adulteratur.

Tert. l. 4 adv. Marc 11
Tract 9. in Joan.
Serm. 90
Optat. Milev. l. 6
D. Ambr. ad Virg. lapſ.
Lib. de vel. Virg. 16
Epiſt. 27

Utinam virgo ſponſa Chriſti ad ſuam dignitatem attenderet; quid debeat ſponſo recogitaret, ornamenta ſpiritualia, queis Chriſto placeat, quæreret, & ſola ſponſi converſatione gauderet. 1. Quanta ſit virginis dignitas alliorſum fuſe demonſtratum eſt: in præſentiarum ſufficiat dicere quod virginitas *nihil aliud eſt, quam futuræ vitæ glorioſa meditatio, perſeverantia infantia, voluptatum triumphus.* Quid 2. debeat ſponſo virgo eruditur à Regio Vate: (Audi filia & vide & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuũ, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum) *Non ſuffi*cit *tibi exire de terra tua, niſi obliviſcaris populi tui, & domus patris tui, ut carne contempta*

Tertull. Prædic. Tom. 2. Tract de Caſtit. Côc 4 5 6
D. Cypr. de Bon. pud.
D Hier. Epiſt. ad Euſtoch.

tempta ſponſi jungaris amplexibus. Quibus indumentis debeat ornari, ut 3. ſponſo placeat, optime declarat D. Hieronymus: *Sponſa Chriſti arca eſt Teſtamenti, intrinſecus & extrinſecus deaurata, cuſtos legis Domini; ſicut in illa nihil aliud fuit niſi tabulæ Teſtamenti, ita & in te nullus ſit extrinſecus cogitatus.* Tandem 4. relictis ſæculi negotiis, deſpectis cunctis terræ oblectamentis, virgo à mortalium ſeparata commercio converſetur, & in illo & cum illo lætetur cum Chriſto. Nam *gaudia propria virginum Chriſti non ſunt eadem non virginum, quamvis Chriſti.* Siquidem *gaudia virginum Chriſti, de Chriſto, cum Chriſto, in Chriſto,* cui uniuntur quandiu ſunt in ſæculo, & quem ſequentur in cœlo. *Quo ire putamus hunc Agnum? quo nemo eum ſequi audeat vel valeat, niſi vos virgines.*

Ep. 29. ad Euſtoch.

D. Aug. l. de ver. Virg. c. 27

Agnum in cœlo ſequitur Urſula Dionethi Britonum regis filia, & ipſa unica, paterni regni hæres futura, cum Chriſto, de Chriſto, & in Chriſto, cui per virginitatem deſponſata, omnes mundi contempſit delicias, ſolique ſponſo placere ſtuduit. Regius Urſulæ erat ſanguis, indoles regia, regiuſque formæ decor, & rara pulchritudo longe lateque diffuſa, quæ (ſi verum eſt quod nonnulli referunt authores) ad tyranni Gentilis aures perveniens, filium quem habebat unicum, Urſulæ deſtinavit ſponſum: Hinc ad regem Dionethum, ſeu ut volunt alii, Deonotum, Urſulæ parentem adornata legatio, pro petenda Urſula in ſponſam. Addita munera donaque è gazis regiis quibus parentis & filiæ capi poſſet animus; ſimul etiam adjectæ minæ, bellique declaratio, ſi forte Britonum rex recuſaret nuptias. Quid hic Deonetus Chriſtianæ religionis ſimul & filiæ amantior? Si hanc nuptiis tradat, gentili tradit, ejuſque fidem periculo idololatrandi exponit; ſi recuſet, barbari principis potentiam, arma, & furorem pertimeſcit. Quid igitur conſilii? & hinc & inde periculoſæ plenum opus aleæ. Legationis capita audierat Urſula; vidit & anxium in re tanti momenti parentis animum. Quo mentem, quo conſilium vertet? ſi admittat nuptias, virginitatem violat Deo dicatam, & ab ſponſo gentili fidei metuit naufragium: ſi vero renuat, imminentem conſpicit patriæ cladem, urbium ruinam, paterni regni devaſtationem. In tanta animi anxietate, Urſula confugit ad divina præſidia, Deum enixe deprecatur, ut paternam ditionem ab inſtante ſtrage liberet, ſuamque virginitatem ſervet. Dumque intempeſtæ noctis ſilentio, orationi vacat, fatiſcente corpuſculo, in ſomnum incidit, in quo objecta ſunt ei per imaginem, ſua, & ſociarum virginum, prò religione, pro fide certamina, trophæa, de quibus omnibus cœleſti oraculo jam docta, certaque, nuptiis parenti ſibique propoſitis, quatuor appoſuit conditiones. Primam, ut tam amaſius quam ejus parens, ſibi eligerent virgines decem; & genere & forma nobiles; tum & ſibi & ſingulis mille alias colligerent conſcriberentque. Alteram, ut undecim pararentur naves, quas & conſcendere poſſent ipſæ, & vela facere quo cœleſtis favonius duceret. Tertiam, ut trienni ſpatium concederetur, ad dedicationem ſuæ virginitatis, torique maritalis inducias. Quartam, quod

Apud Lobb Opuſcul 3 Engelgrave Pantheon to. 2

Herm. Côbrach. Urſula Vindic. l. 1. c. 3

quod per id temporis & futurus ſponſus in Chriſti fide probè inſtrueretur, & ſacro lavacro tingeretur. His conditionibus legatis propoſitis atque acceptatis, Urſula nuptias tot votis expetitas declinavit, virginitatem ſuam cœleſti ſponſo ſervavit: cui per martyrium nupta, connubium proprio ſanguine purpuravit, dicens:

3. *Teneo meum Chriſtum, etiam in nomine ſponſi*, cui tanquam Martyr deſponſata ſum. Nobilem fœminam & martyrem prodit Procopius, quæ ſub Dunaan tyranno apud Homeritas, cùm primò duas filias per virginitatem Deo deſpondiſſet, ſecundò eaſdem ei per martyrium unà ſecum deſpondit & conſecravit. Cùm enim eas enſe confodi videret, earumque ſanguinem porrigi à tyranno, eum accipiens, deguſtans, in cœlum ſuſpiciens dixit. *Tibi Chriſte Domine, hoc meum offero ſacrificium, & tibi martyres exhibeo caſtas virgines, quæ egreſſæ ſunt ex utero meo, cum quibus me quoque connumeratam introduc in tuum thalamum*; ſicque ipſa per martyrium Chriſto copulata eſt. Urſula quoque ſemel Chriſto tanquam Chriſtiana deſponſata, iterum tanquam virgo, tertiò tandem velut martyr nubit cœleſti ſponſo. Nam poſt longæ navigationis tædia, tandem Coloniam appulit unà cum virgineis copiis, quas ad pugnam, ad cædem, ad victoriam, & ad duplicem virginitatis ac martyrii lauream cœlum evocabat. Nam Hunni inculti, feroces, & barbari, qui fortè tum Coloniam obſederant, in has lectiſſimas virginum turmas excurrunt, & velut agnos feroces lupi invadunt. Quid hîc Urſula? quid aliæ virginum turmæ? Retrocedere, an fugam adornare? an detrectare pugnam? an nudatum ferrum extimeſcere? vulnera an mortem effugere? Minime gentium in Urſulam, in virgines Deo jam ſacratas, nec armorum metus, nec ferri mortiſque horror cadere potuit. Stant omnes fixo pede, paratæ pro virginitate ac religione cadere ac mori. Quod ne temerè fieret, & ſine militari ſtatione, ſine lege, ſine modo, ſine ordine, ſuas ipſa acies inſtruere atque explicare videtur Urſula, velut dux & anteſignana ſacræ illius militiæ, quam in undecim veluti legiones diſtribuit. Dignum cœlo, dignum Angelis, dignum Deo ſpectaculum, quod nulla hactenus vidit ætas, nulla viſura eſt poſteritas. Ad Rheni adlabentis ripas ingens erat atque effuſa planities, in hac ordines ſuos diſpoſuit Urſula. In prima acie mihi conſiſtere viſæ ſunt virgineæ legiones quatuor; in ſecunda totidem; in tertia verò tres: ſingulis autem præeſſe una, ut genere nobilis; ita virtute præſtans ac robore, quæ cæteris animos faceret. Media videtur atque eminet Urſula, ut avito ſanguine & formâ, ita conſtantiâ militari, invictâque fortitudine omnibus ſuperior. Ubi ſic in acie ſtetêre virgines: ex adverſo incurrere viſæ ſunt armatæ Hunnorum copiæ, è quibus hi telis ac ſagittis horridi, illi nudato ferro enſeque formidabiles; iſti bipennibus & haſtis inſtructi; omnes in vulnera, in cædem, ſtragemque proni ac præcipites. Ab his pars virginum una telis configitur, pars altera ferro cæditur, pars bipennibus ſecatur & haſtis, & per immania vulnera purpureas, imò & candidas emittit animas; purpureas à martyrio, à virginitate candidas. Una

Tert. l. 4 adv. marc. 11

Baron. an. 522

ſuis adhuc ſuperſtes Urſula, quam conſpiciens Julius, ſeu ut alii volunt, Cila, Hunnorum rex, in illam celeri curru involat, jamque telis configere parat? *O pulchritudo, naturæ privilegium!* O potentes decoris illecebræ! ſimul atque Urſulam vidit barbarus, & in ea formæ elegantioris miraculum, manum ſuſtinuit, iras repreſſit, & pronum ac præcipitem in cædes animum, à cæde tamen cohibuit. Adeò verum eſt iſtud Origenis effatum: *Forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat, vincentur ſpecie qui non vincuntur prælio.* Et certè vicit in Urſula, captivumque tenuit & ferrum & animum ferocientis tyranni. Qui amabili illâ virgineâque ſpecie captus, à minis, à ferro, à cæde ad amatoria verba blanditiaſque deſcendit, ſic Urſulam alloquens: Gaude virgo, & tibi, tuiſque jam ſuperſtes; ſuperſtites illæ etiamnum forent, ſi prius in oculos veniſſes: qua te forma, & vitæ ſervabit diuturniori & regiæ, ſi mecum pateris inire nuptias, quas ne ſpernas, ne reſpuas, & Germaniæ domitorem, & Europæ propè totius intuere victorem, fruereque dum licet oblato tibi connubio; ſic enim & imperii mei conſors eris, & ſceptra manu geres, nobileque capite diadema, quod augebunt ornabuntque collectæ prope omnes imperii Romani divitiæ: his utere virgo dum licet. Ad hæc intrepidè Urſula reſpondit: Si quærendus mihi ſponſus, non è terris ille, ſed è cœli regia quærendus; & ſanè jam quæſitus. Æterni Patris is eſt Filius, generis humani redemptor, & ipſe *ſponſus ſanguinum.* Data illi fides, datus & animus, data & hæc, qualis qualis eſt, corporis forma; idcircò ne verba, ne oleum perde, ſtat cum cœleſti ſponſo Christo Jesu vivere & mori. *Magni animi eſt cadi, & vincere:* & ita vicit Urſula; & ne tela Cupidinis virgineum violarent pectus, ultrò cervicem barbari telis porrexit. Nec mora, amore in odium verſo, arcum inflexit, ſagittam in Urſulæ latus emiſit, è quo dum virgineus copiosè effluit ſanguis, ſimul & effluit ingens animus, & in cœleſtis ſponſi amplexus proruit. *Habetur igitur in una hoſtia duplex martyrium: pudoris & religionis; & virgo permanſit, & martyrium obtinuit*, & tum per virginitatem, tum per martyrium numeroſâ prole fœcundata fuit.

Plato l. de Repub. — *Exod. 4* — *S. Ignat. ep. 8. ad Policarp* — *D. Amb. l. 1. de Virg.*

II. PARS.

Ex deſponſatione Urſulæ cum Christo pulcherrimæ ſunt conceptæ & natæ proles. Sub trina ratione Urſula nupſit Christo: ſcilicet ut Chriſtiana, ut virgo, & ut martyr; & ſub trina illa ratione fœcundiſſima fuit. 1. ut Chriſtiana fœcunda fuit viribus. 2. ut virgo fœcunda fuit virginibus. 3. ut martyr fœcunda fuit martyribus.

1. Urſula etiam ut Chriſtiana eſt *parens multiplex*, ſponſo Chriſto plures generans proles; tot nimirum quot actus virtutum operata eſt: Chriſtianæ autem illius fœcunditatis pater, eſt Chriſtus; mater, humana voluntas habitibus virtutum, præſertim charitate, formata: ſemen, gratia Spiritûs ſancti: proles, actus virtutum, & bona opera. Ut enim bellè ad propoſitum fatur Origenes: *Dum anima adhæret ſponſo ſuo, & audit verbum ejus, & ipſum complectitur, ſine dubio ab ipſo ſemen ſuſcipit. Et ſicut ille dixit: De timore tuo Domine in utero concepi, & parturivi, & ſpiritu ſalutis tuæ feci ſuper terram.*

Tert. l. de An. 6 — *D. Hiér. in ep. ad Gal. c. 4* — *Hom. 20 in cap. 25 Num.*

Inde

Inde naſcetur generoſa progenies, inde pudicitia orietur, inde juſtitia, inde patientia, inde manſuetudo & charitas, atque omnium virtutum proles veneranda ſuccedet. Quemadmodum autem anima Chriſtiana à Chriſto fœcundata, ſuſceptâque velut ſemine Spiritûs ſancti gratiâ, producit actus virtutum velut tot venuſtas proles; ita anima criminoſa cum dæmone adulterans, *ſemine diaboli concepta, malitiæ fœcunditate* cuncta vitia velut tot horribiles & deformes producit fœtus. De adulterina illa conceptione, & de illegitima prole, quam parturit anima ſceleroſa, à diabolo fœcundata, ſubjungit Origenes: *Quòd ſi infelix anima divini Verbi dereliquerit ſancta connubia, & in adulterinos ſe complexus diaboli tradiderit, generabit ſine dubio inde filios, ſed illos de quibus ſcriptum eſt: Filii autem adulterorum imperfecti erunt; & ex iniquo concubitu ſemen exterminabitur. Omnia ergo peccata filij ſunt adulterij, & filij fornicationis.* Quanta peccatoris iniquitas, qui poſt deſponſationem cum Chriſto in baptiſmate factam, promiſſam frangit fidem; qui poſtquam diabolo ſolemniter renuntiavit, cum eo adulteratur; qui à Chriſtiano degenerans qui creatus eſt in operibus bonis, nonniſi malum operatur; qui pulchras virtutis debens producere proles, horrenda vitiorum parturit monſtra! Qui eſt hujuſmodi, perverſè imitatur Urſulam, fœcundam virtutibus velut Chriſtianam; & adhuc virginibus tanquam virginem. Tert. l. de Pat. 5

2. Urſula eſt mater virginum, quas Chriſto ſponſo per virginitatem parturivit. Antequam Verbum in utero Virginis conciperetur, erat infœcunda virginitas; verùm ex quo tempore Maria *Virgo Mater meritò creditur*, virginitas non eſt amplius ſterilis, fitque non ſolùm Marianæ puritatis, ſed etiam fœcunditatis particeps: ut Eccleſiæ exemplo comprobat D. Hieronymus: *Eccleſia diu ſterilis, non peperit antequam Chriſtus de Virgine naſceretur; ſed cùm Chriſtum quaſi Iſaac, id eſt, riſum mundo peperit de Abrahamo, id eſt, de electo Patre, cum voce ſublimium dogmatum reſonante, proles plurimas Deo peperit*: neque pariendo virginitatem amiſit; ſed ſimul & ſemel ſponſa, virgo & mater permanſit. Quod bellè declarat D. Fulgentius: *Eccleſia una, vera & Catholica ſponſa eſt, quia inhæret Chriſto; virgo eſt, quia incorrupta perſeverat in Chriſto; mater eſt, quia fœcundatur à Chriſto.* In quo multum diſcriminatur à conjugibus, quæ mortalibus nubunt, in quibus fœcunditas excludit virginitatem: *nam utique nunc licet bona ſint conjugia, tamen habent quòd inter ſe ipſi conjuges erubeſcant*; nimirum pudoris jacturam, & virginitatis damnum, quæ tum coitu, tum fœcunditate amittitur; at in connubio inter Chriſtum & Eccleſiam inito: *Hujus ſponſa nec fœcunditate virginitas corrumpitur, nec virginitate fœcunditas impeditur; & tanta in hac matre virginitatis perſeverat integritas, ut niſi virgo ſemper eſſet, mater eſſe non poſſet.* Tertull. l. adv. Jud. 9 In c 4. ep. ad Gal. L. de Virginit. D. Ambr. Exh. ad Virg. D. Fulg.

Quod de Eccleſia docet Fulgentius, idipſum & nos de Urſula aſſeramus, quæ eſt ſponſa, virgo, & mater. Sponſa, quia per virginitatem inhæret Chriſto; virgo, quia incorrupta perſeverat in Chriſto; mater, quia fœcundatur

Tert. l.de An.6 datur à Chriſto ; fitque *omnium mater* virginum, quæ ejus ſermonibus animatæ, & exemplo ſtimulatæ, ſuam Chriſto conſecraverunt dignitatem ; &, quod eſt admiratione digniſſimum, Urſulæ fœcunditas Eccleſiæ fœcunditati antiſtare videtur. Tum quia Eccleſia cunctas ſuas proles non uno die D. Ambr. generat. *Unâ die terra non parturit omnes fructus* : at Urſula *unici uteri puerpera numeroſa*, Tert.ib. in uno die ſponſo Chriſto undecim mille generat virgines: Tum quia omnes filii, quos parit Eccleſia, non ſunt electi, nec cœli cives; at cunctæ virgines, quas Chriſto parturivit Urſula, immortali in cœlo felicitate potiuntur: Tum quia non omnes Eccleſiæ filii pro Chriſto fuderunt ſangui- Tertull. Scorp.13 nem; at omnes Urſulæ filiæ *martyrio candidantur*, quas ſuo ſanguine tanquam martyr Chriſto generavit ſponſo.

3. Chriſtus Dominus meritò dicitur Martyrum pater : Tum quia eos Tertull. Scorp.9 ſuis exhortationibus ad patiendum ſufflammat : *Beati*, *inquit*, *qui perſecutionem patiuntur ob juſtitiam, quoniam illorum eſt regnum cœlorum* : Tum Tertull. Scorp. 12 quia ſuo exemplo ad tormenta conſtanter toleranda incitat : *Chriſtus paſſus eſt pro nobis relinquens nobis exemplum ſemetipſum, uti adſequamini veſtigia ipſius* : Tum quia eos ſuo ſanguine ad fortiter præliandum animat; quapropter olim Eccleſia corpore & ſanguine Chriſti muniebat martyres, ut adverſus tyrannorum minas, & tormenta carnificum fortiores exiſterent. Quod teſtatur Carthaginenſe Concilium ad Cornelium ſummum Pontifi- D.Cypr. ep.54 cem ſcribens : *Quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus.* Urſula ſponſi æmula his tribus modis ſponſo generat martyres : Tum eas ſuis ſermonibus ad moriendum pro fide, pro religione, pro virginitate exhortans : Tum conſtantiæ ſuæ & magnanimitatis exemplo eas ad fortiter præliandum Tert.Apol. 50 ſufflammans: Tum eas ſuo ſanguine ſponſo generans: *Semen eſt ſanguis Chriſtianorum.* Urſulæ ſanguis fuit ſemen, quo fœcundata, tanquam martyr Chriſto ſponſo plura millia martyrum parturivit.

Prov.31 Sciſcitatur Sapiens: *Mulierem fortem quis inveniet?* Abenelra legit: *Mulierem divitiarum*; alii interpretantur: *Mulierem virtutis, ſeu virginitatis.* Septuaginta vertunt: *Mulierem virilem & maſculam*; alii verò apud Salazar exponunt: *Mulierem militarem, ſeu exercitûs.* Quæſtionem illam injecit olim Sapiens, nec ſolvit; oculos reflexit ad ſecula jam præterita, nec ſuo calculo mulierem fortem invenit; ad ſuam ætatem reſpexit, neque in hac reperit. Verùm ſi mentis aciem ad futura extendere potuiſſet, eaque quaſi præſentia proſpexiſſet, in una Urſula Chriſtiana, virgine & martyre inveniſſet, 1. Mulierem divitiarum, non ſolùm ob regium genus, regiam domum, regias gazas; ſed D. Aug. l. de Pat.12 etiam ob charitatem, quæ eſt *Chriſtiani nominis theſaurus.* 2. Mulierem virtutis ſeu virginitatis, Chriſto ſponſo ſuam ſacrantem virginitatem. 3. Mulierem virilem & maſculam, fortiter ac viriliter contra blanditias & minas Tert. l. ad Mart.4 barbari ad mortem uſque dimicantem, *ut gloriam caſtitati ſuæ pareret*, & fidem cœleſti ſponſo inviolatam ſervaret. 4. Mulierem militantem ſeu exercitûs,

tûs in campum inducentem, & in copias diſtribuentem, quæ conſtanter pro tuenda virginitate & fide dimicantes, & ſanguinem fundentes, *palmu victoria inſignes revelantur.* Tertull. Scorp. 12.

Mulier fortis fuit S. Felicitas nomine & re felix, ſeptem filiis & Martyribus fœcunda, quos ad toleranda pro Chriſto martyria ſuis ſermonibus conſtanter incitabat: Sed mulier fortis Urſula, virginei exercitûs dux, ac bellatrix magnanima, quæ tot virginum millibus fœcundata, eas verbo ac exemplo ad moriendum pro virginitate hortabatur. Beata Felicitas *meruit filios tot habere, quot dies mundus accepit. Verè mater luminum, fons dierum, quæ ſeptenario coruſco germinis ſui toto orbe ſplendet.* Urſula tot meruit habere filias, quæ nonniſi per millia numerari poſſunt. Verè mater luminum, quæ undecimo milliario coruſco germinis ſui illuſtrat Eccleſiam. Felicitas *jam tunc eos fratres, martyres genuit, quando eos partûs ſui ſeptenario numero conſecravit.* Urſula jam tunc virgines genuit, quando eas partûs ſui undecimo milliarii numero conſecravit: *Huc huc ſanctus Paulus veniat, qui adhuc parturit, donec Chriſtus formetur in homine. Ecce mulier iterum atque iterum parturit, donec in virtutem mutetur infirmitas; caro tranſcendat in ſpiritum, terra transferatur in cœlum.* Urſula quoque iterum atque iterum parturit virgines, quas Chriſto generavit, donec ſublatas de vita barbarorum telis, triumphantes animæ aſcendant in cœlum. B. Felicitas *ardebat, anhelabat, ut eos uno die Martyres pareret, quos vix parvulos per annorum curricula generabat.* Simili modo Urſula ardebat, anhelabat, ut virgines uno die Martyres pareret, quas longâ navigatione Chriſto parturierat. *Ecce mulier, ecce mater, quam vita filiorum fecit anxiam, mori ſecuram.* Ecce Urſula virgo, ecce Urſula mater, quam filiarum vita fecit anxiam, ne quædam metu aut dolore deficiat à fide; mors verò fecit ſecuram de illarum gloria & immortalitate. Felicitas *beata, cui in futura gloria tot adſtant candelabra, quot germina beata, quæ tot præmiſit ad regnum beatior, quæ ſuum in ſeculo nihil amiſit.* Felix Urſula, cui in cœlo tot adſtabunt ſtellæ ſplendeſcentes, quot filiæ: felicior, quæ nullam ex tot virginibus ſibi in ſeculo reliquit ſuperſtitem: feliciſſima, quæ non ſeptem duntaxat, ſed undecim mille filias ad ſupernam præmiſit Hieruſalem. Felicitas *diſcurrebat lætior inter confoſſa cadavera, quàm inter cunabula chara filiorum; quia internis oculis tot cernebat bravia, quot vulnera; quot tormenta, tot præmia, quot victimas tot coronas.* Neque minori lætitiâ Urſula cernebat confoſſa telis, aut dilacerata gladiis filiarum corpora; fidei oculis tot conſpiciens præmia, quot vulnera; tot animas in cœlo coronatas, quot cadavera inanimata proſtrata ſuper terram. Eloquenter Chryſologus B. Felicitatis conſtantiam refert: ſed non impari facundiâ Magnus Gregorius ejuſdem commendat animi magnitudinem: *Non ergo hanc fœminam martyrem, ſed pluſquam martyrem dixerim, quæ ſeptem ante ſe mortuos præmiſit.* Urſula non martyr, ſed pluſquam martyr prædicanda eſt, quæ undecim mille ante ſe mortuas præmiſit. Felicitas *timuit viventibus, gaviſa eſt morientibus.* Timuit

Chryſol. Serm. 134

Hom. 3. in Matth.

muit pro viventibus Urſula, ne ſi ſibi eſſent ſuperſtites ſuper terram, ſibi non aſſociarentur in cœlo: gaviſa eſt morientibus, quas ſibi in regno cœlorum paraturas locum certò ſciebat. Felicitas *ipſa eorum vulnera accepit.* Urſula charitate flagrans ſentiebat in corde vulnera, quæ filiæ recipiebant in corpore. *Vicit ergo Felicitas Martyres, quæ tot ante ſe morientibus filijs pro Chriſto frequenter occubuit: quia ad illius amorem ſola ſua mors ei minimè ſuffecit.* At quantum Felicitas cæteros ſuperat Martyres, tantum Felicitatem Urſula ſuperat, millies in ſuis filiabus moriens, per earum venas ſuum ſanguinem fundens, per earum vulnera animam emittens, & tot ipſa ſola, quot omnes ſimul, martyria perferens.

Chriſtiana mater Pelagia nomine, ut caſtitatem ſuam, triumque filiarum à vi inſequentis tyranni illibatam cuſtodiret, ultrò ſe cum filiabus fluvii rapidiſſimi nec-non profundiſſimi commiſit undis, dicens apud D. Ambroſium: *Has tibi hoſtias Chriſte immolo, pugnam virginitatis & caſtitatis communem patimur.* Urſula quoque cum tanta virginum multitudine ſub barbarorum cadens ferro, Sponſo ait: Tibi Chriſte undecim mille filias velut tot virginitatis & fidei victimas, ſanguine pro te effuſo purpureas offero, quas cœleſtis Sponſus benignè acceptans, in ſupernam introduxit Hieruſalem, ubi *indutæ*
Tert. ib. *ſtolis, candidam claritatis uſurpant* in conſortio ducis & parentis Urſulæ, quæ Chriſto deſponſata diademate coronatur.

III. PARS *Nemo non diliget imaginem quoque ſponſæ, imò & ſervabit illam, & honora-*
Tert. l. 5 adv. Marc. 17 *bit, & coronabit.* Quòd ſi ſponſus diligit, honorat & coronat ſponſæ imaginem; quantò magis ipſam ſponſam, præſertim cùm deſponſatio communia faciat utriuſque conjugis bona? quapropter Rex conjugem ſuam, etſi ſervam, etſi vilem, etſi pauperem efficit reginam, eamque diademate coronat:
Tert. l. de Cor. mil. 12 Chriſtus Rex regum Urſulam in ſponſam aſſumpſit. Quòd ſi *coronant & nuptiæ ſponſos*, quantum à fortiori Chriſtus Urſulæ ſponſus, & ipſe *gloriâ & ho-*
Tert. l. de Cor. mil. 14 *nore coronatus* ſuam coronabit ſponſam? Ex Seraphico Doctore [duplex eſt corona Sanctorum: ſcilicet aurea, & aureola. Aurea dicitur præmium ſubſtantiale; aureola eſt quædam gloria accidentalis, quæ debetur Sanctis ra-
Titulo Diætæ ſalutis. c. 2 tione operis excellentis. Datur autem tribus generibus operum: Doctoribus, & hæc eſt ſtellata; Virginibus, & hæc eſt florea; Martyribus, & hæc eſt gemmea.] Urſula ultra gloriam eſſentialem, & coronam auream, quam
Tert. l. 4 adv. Marc. 11 à Chriſto ſuſcepit, ut ipſamet fatetur: *Circumpoſuit mihi mitram ſicut ſponſa.* Alludit ad illud Eccleſiaſtici: *Corona aurea ſuper mitram ejus*; trinâ aureolâ
Cap 45 coronata eſt, contextâ ex 1. ſtellis. 2. liliis. 3. gemmis.

Tertull. Scorp. 12 1. Doctoribus pollicetur Chriſtus *ſtellæ matutinæ claritatem*, id eſt, ait D. Bonaventura, *aureolam ſtellatam Doctoribus, qui cœleſtia docuerunt*: quod probat duplici ſacri textûs authoritate. Una deſumitur ex Daniele, ubi dici-
Cap. 12 tur: *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Secunda continetur in Apocalypſi, ubi dilectus Diſcipulus de muliere glorioſa loquens, ait: quòd

erat *amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duo decim.* Ut autem expendit Seraphicus Doctor, [Mulier amicta ſole, eſt anima Doctoris juſtitiæ, & ſapientiæ divinæ; habet plenam pietatem, quæ per lunam intelligitur, quæ eſt valdè humida: Corona ſtellarum ſignificat aureolam Doctorum; unde & erant ſtellæ duodecim in corona, quia duodenarius numerus abundans eſt, in quo dicitur doctrina Scripturæ ſacræ eſt abundantiſſima omnis juſtitiæ.] Stellatâ Doctoratûs aureolâ meritò coronatur Urſula; eò quòd tot milia Virginum probatiſſimo docendi genere, verbis ſimul & exemplis ad omnem morum honeſtatem, perfectioniſque Chriſtianæ diſciplinam inſtruxerit: habens in ſchola Chriſti *Spiritûs ſancti pedagogatum.* Illarum magiſtra effecta eſt; à quo ſacro magiſterio & in terris, & in cœlis donata eſt doctorali laureâ, & ſtellatâ aureolâ coronatur. Hujus aureolæ participes ſunt Sanctimoniales, quæ in Urſulinarum ſocietate, Urſulam agnoſcunt matrem, neque illuſtris parentis nomine duntaxat gloriantur; ſed ejus virtutem & zelum gloriæ divinæ, & ſalutis animarum imitantur: & hoc in colligendis puellarum virginumque manipulis, quas ad pietatem, probosque mores, & ſimul ad artes huic ætati ſexuique convenientes ac proprias erudiunt. Nobili ſanè, utilique inſtituto, plurimis ſummorum Pontificum Bullis tanquam oraculis approbato & confirmato. Approbato primùm à Paulo III. confirmato à Gregorio XIII. nec-non à Paulo V. tandem ab Urbano VIII. ſub titulo Societatis Urſulæ, quæ tanquam virgo floribus & liliis coronatur.

Cap 12

Tert. l. adv. Valent. 13

An. 1544
An 1572
An. 1618
An. 1619

2. Quandiu virgo degit in ſeculo, illam Tertullianus ſpinis quidem coronatam exoptat, ſed non floribus, ut ſponſo Chriſto ſit conformis, qui prius ſpinis, quàm gloriâ & honore fuit coronatus: *Si ob hæc caput ei tuum debes, tale ſi potes ei repende, quale ſuum pro te obtulit: aut nec floribus coroneris, ſi ſpinis non poteſt: quia floribus non potes.* Ut autem Chriſtus, in cœlo gloriâ & honore coronatur, ita virgo ejus ſponſa *iridis ambitu ornatur, cæleſti prato.* Iridem nuncupat Tertullianus cœleſte pratum, ob ſpeciem ſmaragdi inſtar viridantem; vel ob varios colores, quibus repræſentat lilia, violas, roſas, alioſque flores venuſtate decoros. Aureola autem virginum, ſeu corona illis in cœlo debita, eſt florea: *Centenariis roſis, utriſque liliis, & omnibus violis contexta.* Ut autem docet D. Bonaventura: Aureola florea datur Virginibus, [quia honore virginitatis floruerunt. Unde dicitur in Pſalmo de Virgine virginum Chriſto & Agno, quem virgines ſequuntur: Gloriâ & honore coronâſti eum.] Aureolâ floreâ coronata fuit Urſula, quam probè meruerat virginitatem ſervans, cunctaque quæ eam aggreſſa ſunt, generosè ſuperans.

L. de Cor. Mil. 14

Tert. l. de Cor. Mil. 15

Tert. l. de Cor. Mil. 14

Pſ. 8

Quatuor ſunt potiſſimum, à quibus periclitatur virginum pudicitia, juventus; nam ut ſcitè ait D Hieronymus: *Adoleſcentia multa corporis prælia ſuſtinet.* In illa æſtuat concupiſcentia carnis. Ut autem fatur Tertullianus: *Carnis concupiſcentia ætatis officia defendit, decoris meſſem requirit.* A decore

Ep. ad Nepot.

L. 1. ad Uxo.

Tert. l. 2 de cult. fœm. 3 — 2. periclitatur virginum pudicitiâ; quia *propriè uſus & fructus pulchritudinis, luxuria; niſi ſi quis aliam meſſem decori corporis arbitretur.* Unde *etſi accuſandus decor non eſt, ut felicitas corporis, ut divina plaſtica acceſſio, ut animæ aliqua veſtis bona: timendus eſt tamen propter injuriam, & violentiam ſectatorum.*
Lib 2. de de cultu fœm. 2 — In aula autem Regum 3. periclitatur virginitas: Tum quia maximè *ex-
Tert. ib. — poſita tentationibus*: Tum quia ibi maximè vigent mundi illecebræ, & blan-
Tert. l. de Pud. 1 — dæ voluptates: Tum quia *is ſatis caſtus habetur, qui minus caſtus fuerit*:
Tert. l. 1 — Tum quia in aula utplurimum mulier non curat de bono nomine, ſed po-
ad Ux. 4 — tius *de contumelia gaudet.* Sed nunquam magis virginea periclitatur pudicitia, quàm dum eſt expoſita Regum voluntati, qui auctoritate & poteſtate ſuâ abutentes omnia ſibi licere præſumunt. A quovis homine metuere de-
Tert. l. de cult. fœ. 8 — bet virgo: *Siquidem & viris propter fœminas, ut fœminis propter viros, vitio naturæ, ingenita eſt placendi voluntas.* Sed præſertim timere debet Principes & Reges, qui tum blanditiis, tum promiſſis, tum minis, tum vi eas opprimere nituntur. His quatuor modis impugnata fuit Urſula, ſed non expugnata. Mirâ pulchritudine fuit ornata, ſed nullam ejus requiſivit meſſem, niſi aug-
Tert. Apolog. 50 — mentum pudoris & virtutis. *O præconium caſtitatis!* Juvenili florebat ætate, ſed concupiſcentiæ extinxit ignes, & carnis petulantiam animi ſubjecit
Tertull. — imperio, *O vigor mentis!* In aula regia permanſit, ſed aulæ illecebris non fuit ineſcata, nec voluptatibus contaminata. *O ſublimitas animi!* In Regis potentiam incidit, qui eam in uxorem aſſumere voluit, & tam blanditiis, quàm minis ejus conſenſum obtinere tentavit; ſed blanditiis & minis non ceſſit,
Tert. l. ad Mart. 4 — mortem non expavit, quæ ab ipſa non ſecus ac à ſuis ſociis virginibus *æquo animo excepta*, ſibi martyris adepta eſt aureolam.

Tert. l. de Cor. Mil. 14 — 3. Chriſti ſponſa proprio ſanguine purpurata, coronatur *gemmis & auro, ut & illam Chriſti coronam æmuletur, quæ poſtea ei obvenit.* Ut autem docet D. Bonaventura; [Aureola gemmea datur Martyribus, quia inſtar lapi-
Pſ. 20 — dis fortiſſimi & pretioſi fuerunt. Unde dicitur: Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo.] Coronâ gemmeâ coronata fuit Urſula ob effuſum pro ſponſo ſanguinem: qui ut ejus fidelitatem, virginitatem, & charita-
Cant. 4 — tem remuneret, ad trinam aureolam eam invitat: *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Evocatur Urſula voce *veni*, tertiò à ſponſo repetitâ: Tum ut indè noſcamus, quo deſiderio, quo æſtu amoris ardet ſponſus, utque veniat ſponſa, deſiderat: Tum ut trino illo *veni, veni, veni*, inſinuet evocari ſponſam ad ſanctiſſimæ Trinitatis viſionem, amorem, & fruitionem, in quibus operationibus eſſentialis conſiſtit beatitudo: Tum triplex illud *veni* denotat trinam Doctoratûs, Virginitatis, & Martyrii aureolam, quâ coronatur in cœlis Urſula.

Tert. l. ad Mart. 4 — Trinam hanc coronam meruit Urſula, ſuo exemplo vos erudiens, *ut vos quoque benedicta ſexui veſtro reſpondeatis*, invictam animi fortitudinem oſtendatis adverſus mundi fallacias, carnis illecebras, hominum blanditias, perſecutorum violentias; immobiliter cœleſti adhærea-

tis

tis ſponſo, fugiatis cuncta in univerſum quæ ejus amori contraria ſunt : *A* Tert. l.de
quibus obſervando rectè agitis ; *vectante vos Spiritu ſancto*. Tandem Urſulæ Pud. 12
imitemini fidelitatem, virginitatem, & charitatem qua Chriſto deſponſata
eſt tanquam Chriſtiana, virgo, & martyr. Unaquæque veſtrum trina hac ra-
tione, poteſt eſſe ſponſa Chriſti. Ut Chriſtiana, Chriſto deſponſata eſt in Ba-
ptiſmo, & hujus *deſponſationis initium eſt fides*, ait D. Auguſtinus; quod ipſe- Oſee 2
met declarat cœleſtis Sponſus : *Deſponſabo te mihi in fide*. Ut virgo Chriſto
deſponſata eſt per virginitatis propoſitum, vel per ſolemne caſtitatis votum:
Cum tantam obligationem Deo offerimus, ipſius corporis & ſpiritus noſtri : cum Tert. l.de
illam etiam naturam conſecramus. Ut martyr, adverſus mundum, carnem, & vel. Virg. 13
dæmonem fortiter dimicans. *Magnum quoddam martyrium eſt, longum mar-* D Bern.
tyrium eſt, parcitas in ubertate, largitas in paupertate; caſtitas in juventute, in Sent.
martyrium eſt ſine ſanguine. Caſtitatis martyrio adſtipulatus D. Hieronymus
audacter pronuntians : *Habet & pudicitia ſervata martyrium ſuum*. Epiſt. 8

Sponſa Chriſti, adhære ſponſo & ab eo coronaberis: Chriſtiana cuſtodi
fidem, & *dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te* : Prov. 4
Septuaginta vertunt, *corona gratiarum*. Chaldæus Paraphraſtes habet; *coro-
na pulchritudinis* : D. vero Ambroſius legit; *corona deliciarum*. Et quidem
corona gratiarum, quia gratiam in baptiſmo acceptam incrementat; coro-
na pulchritudinis, quia ſanctitas admirabilem confert animæ pulchritudi-
nem; corona deliciarum, quia gratia, eſt ſemen gloriæ quæ beatis ineffabi-
lem affert voluptatem. Virgo ſponſa, *Chriſto tradidiſti carnem tuam, illi ſpon-* Tert. l.de
ſaſti maturitatem tuam per virginitatis propoſitum vel votum. *Serva Deo rem* vel. Virg. 15
ſuam incontaminatam, ille eam ſi volet, coronabit : imo & vult : eſt enim fidelis Tert. l. de
in ſuis pollicitationibus. Ex divinis autem promiſſis virgines ſecuturæ ſunt Cor. Mil. 15
agnum in veſtibus albis. *Hi ſunt qui veſtimenta ſua non coinquinaverunt cum* Tert. l.de
mulieribus; virgines ſcilicet ſignificans, & qui ſemetipſos caſtraverunt propter Reſ. 27
regnum cœlorum : itaque in albis erunt veſtibus; id eſt in claritate innuba carnis.
Tandem ut martyr, (Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime; Pſal. 44
ſpecie tua & pulchritudine tua.) *Iſtum arbitror te locum optime intelligere &* D.Hier.
accinctam Chriſti gladio militare: ut autem ſcias ſemper virginitatem gladium In Pſ. 140
habere pudicitia, per quem truncat opera carnis, & ſuperat voluptates, gentilis Eccleſ. 26
quoque error, deas virgines finxit armatas : quo vel gentiles ſignificabant, ſine
armis & robore, virginitatem nequaquam poſſe ſervari. Suſcipe cœlum, &
videbis in Zodiaco, Virginem, inter Libram & Leonem collocatam, ut hinc
temperantia, inde fortitudine ſe muniat atque defendat: Virgo continentiæ
amans, ad libram omnia examinet, laborem, ne otietur; ſocios, ne ſeduca-
tur; ſermones, ne excedat; veſtes, ne laſciviat; oculos, ne longius evagentur;
peccandi occaſiones, ut fugiat; carnis ſpurcitias, ne conſentiat; oblatas
mundi divitias, delicias, & dignitates, ne eas diſpendio caſtitatis acquirat:
Hac trutina utens, in hac libra terrena ponderans, reperiet quod *omnis pon-
deratio, non eſt digna continentis animæ* : ſeu, ut explicat Hugo Cardinalis

ad comparationem animæ continentis : Inde eſt quod votum continentiæ non habet diſpenſationem , quia non habet compenſationem. Si quis virgini Chriſto deſponſatæ offerat crumenam nummis plenam, appendat torques aureos, armillas, inaures, munera regia , *ponderatio non eſt digna continentis animæ.* Si virgini pauperi, dotem offerat opulentiſſimam; humili , dignitatem altiſſimam; mœrenti voluptatem ſæculi lætiſſimam, *ponderatio non eſt digna continentis animæ.* Si minetur formæ ruinam , famæ maculam, vitæ jacturam : potius illi hæc toleranda ſunt mala, quam pati pudicitiæ naufragium. Ut autem puritatem ſervare valeat, adverſus oblata fortunæ bona ; & comminata fortunæ, famæ, & vitæ damna; illi neceſſaria eſt leonis fortitudo; nam caſtitati tuendæ pugnandum eſt, luctandum eſt, tentationibus & illecebris fortiter reſiſtendum. Qui pugnare non vult, nec vult vincere, nec virgo permanere. Hæc virtus, nonniſi quotidianis præliis conſervatur. *Pinge mihi virginitatem, atque rei magnitudinem diſce; quod bellum habet quotidie nullatenus ſedandum, ipſo barbarico bello deterius.* In hoc prælio, leonis fortitudinem demonſtret virgo , ut victrix de certamine exeat. *Ea victoria habet & gloriam placendi Deo; & prædam vivendi in æternum,* & coronam ad quam invitat & quam pollicetur qui fallere non poteſt Deus : *denique invitat : Qui vicerit,* inquit, *dabo ei coronam vitæ.*

Eccleſ. 26

D. Chryſoſt. Hom. 9. de Pœn.

Tertull. Apol. 50

Tert. l. de Cor. Mil. 15

CONCIO SEXTA.

SEx ſunt præſertim , quæ mirum in modum Thereſiam commendant. 1. Sanctitatis continuitas , gratiam baptiſmalem nullo unquam lethali peccato perdens, ſed toto vitæ decurſu conſervans : 2. Doctrinæ cœleſtis magnitudo & veritas, quæ apparet tum in libris,quos typo mandavit , & quam teſtatur Eccleſia, orans ut *cœleſtis ejus doctrinæ pabulo nutriamur* : Tum in præſcientia futurorum & cognitione ſecretorum cordis ; Tum in notitia gloriæ beatorum , & miſeriæ præſcitorum, quam illi Deus in viſionibus revelavit. 3. Contemplationis ſublimitas ſæpe ſæpius à ſeipſa deficiens , extaſeſque patiens, quibus non ſolum anima in Deum ferri , ſed & corpus ipſum è terra elevari videbatur. 4. Virginalis integritas, quam teſtatur etiamnum, tum incorruptio corporis; tum ſuaviſſimus quem efflat odor. 5. Humilitatis profunditas; virtutes quibus eminebat occultans , Confeſſariis & ſuperioribus ſubmiſſe obtemperans,ab omnibus contemni deſiderans. 6. Deſponſationis cum Chriſto initæ nobilitas, & perfecta cum divino ſponſo, in amore conformitas. Tertullianus trinum refert Dominici amoris indicium : nimirum, unionem, operationem, paſſionem. Poſtquam enim dixit : *Certe Chriſtus dilexit hominem* , teſſeras hujus amoris oſtendit : *Propter eum deſcendit* ſibi , humanam naturam hypoſtatice uniens. *Propter eum prædicavit* virtutes exercens,

Lib de Carn. Chr. 4

exercens, miraculoſas operationes faciens. Tandem *propter eum omni ſe humilitate dejecit uſque ad mortem, & mortem crucis*, eam in Calvario patiens. Thereſia autem ſponſi æmulatur & imitatur amorem, 1. unione: 2. operatione: 3. paſſione.

Incarnatio eſt unionum maxima, per quam *naſcitur homo Deo miſtus.* Tertull. Apol. 21
Amor autem eſt ineffabilis unionis principium, quapropter Verbi humanatio
nuncupatur ab Apoſtolo, *magnum pietatis ſacramentum*, id eſt amoris. Ut 1. Tim. 3
enim docet Dionyſius Areopagita Pauli diſcipulus, *hoc amoris verbum vim* De div.
habet faciendi unum, & colligandi, præſtantique modo res inter ſe miſcendi, ut Nom. c. 4
ex Thereſia comprobatur, quam amor univit cum 1. Deo: 2. proximo: 3. animabus exiſtentibus in purgatorio.

1. *Qui adglutinatur Domino unus eſt ſpiritus* cum eo. Unus, inquam, gra- I. PARS.
tia & ſanctitate, amore & charitate; ſacramentali unitate, dominica affini- Tert. l. de
tate. 1. Gratia & ſanctitate, per quam fit divinæ conſors naturæ, habetque Pud. 16
ſocietatem cum Patre, Filio, & Spiritu ſancto, qui in eo velut in templo in- D. Aug.
habitant. *Facit Spiritus ſanctus cum Patre & Filio in Sanctis manſionem ut in* Tract. 76. in Joan.
templo ſuo. 2. Amore & charitate; Siquidem *amor eſt vis unitiva*: Tum quia D. Dion.
amans per affectum manet in amato, illique cogitatione & affectu præſens D. Bern.
eſt: *Neque enim præſentior ſpiritus noſter eſt ubi amat, quam ubi animat*: Tum de Præcep
quia *dimovet de ſtatu amor* ipſumque amantem transfert in amatum, ut in eo & Diſpẽſat.
vivat, ſentiat, gaudeat: & ipſum illi quodammodo incorporat, ut ſit unum D. Dion.
cum illo. Amans enim, quantum in ſe eſt, optat à ſe deficere, & in amatum ibid.
velut colliqueſcere, ut unum efficiatur cum illo: Tum quia amante jam in dilectum tranſlato, omne bonum dilecto vult & procurat, quantum poteſt, tanquam ſibi ipſi, quia jam unum eſt cum illo. Quod de amore in communi dictum eſt, divino perfecte competit amori: quem D. Dionyſius nuncupat *vim motricem, & ſurſum trahentem in Deum.* Ita enim hominem unit Deo, ut prorſus à ſeipſo deficiens, in Deum tranſeat, & velut colliqueſcat, nihil amplius cogitans, intelligens aut ſentiens; nihil aliud appetens, deſiderans aut amans; nulla alia re gaudens quam bonis Dei. Qui ſic adhæret Deo, unus cum eo ſpiritus efficitur; quia totus cogitatione & affectu eſt in Deo; quia à ſeipſo deficiens, in Deum velut tranſmutatur: quia ſic velut transformatus, nihil aliud ſentit aut guſtat, quam Deum; nihil aliud æſtimat quam bonum Dei. Qui ſic Deum amat, valet dicere cum Vate Regio: Mihi autem
adhærere Deo bonum eſt: *Bonum plane ſi omni ex parte adhæſeris. Quis eſt* Pſal. 72
qui perfecte adhæret Deo, niſi qui in Deo manens tanquam dilectus à Deo, Deum D. Bern.
nihilominus in ſe traxit, viciſſim diligendo. Mutua autem hæc manſio homi- Serm. 7. in Cant.
nis in Deo, & Dei in homine, fit non ſolum per charitatem, ut vult dilectus
diſcipulus: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: ſed etiam 3. 1. Joan. 4
virtute ſacramenti Altaris, ut docet ipſemet Chriſtus: *Qui manducat meam* Joan. 6
carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Belle Eucha- Tract. 26
riſtia nuncupatur à D. Auguſtino, *Sacramentum pietatis, vinculum charita-* in Joan.

tis,

tis, ſignum unitatis. *Sacramentum pietatis*; quia Dei amor erga homines maximè elucet in hoc myſterio, *Vinculum charitatis*; quia eſt fomes & follis charitatis homines ad Dei amorem excitans. *Signum unitatis*; quia per illud homines cum Chriſto uniuntur, non fide tantum, neque duntaxat per dilectionem, ſed per *individuitatem à corpore ejus*, tanquam *concorporei & conſanguinei Chriſti*: ſeu potius tanquam membra capiti coaptata & compaginata. *Vt non ſolum per dilect onem, ſed reipſa in illam carnem convertamur*; *per cibum id efficitur quem nobis largitus eſt. Cum enim ſuum in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in unum nobiſcum redegit; ut corpus cum capite uniretur; hoc enim amantium maxime eſt.* Tandem 4. nobili affinitate ſponſa Chriſti, ſuo ſponſo adglutinatur. *Anima quæ diligit Deum, ſponſa vocatur. Hæc enim duo nomina, ſponſa & ſponſus: maxime indicant internos affectus; his enim omnia communia ſunt, una hæreditas, una domus, una menſa, unus lectus, una caro.* Subjungit Bernardus amoris ſponſæ Chriſti declarans puritatem & vehementiam: *Amat profecto caſte, quæ ipſum quem amat quærit, non aliud quid præter eum. Amat ſancte, quia non in concupiſcentia carnis, ſed in puritate ſpiritus. Amat ardenter, quia ita proprio inebriatur amore, ut majeſtatem non cogitet, ſed ab eo poſtulet oſculari.*

Tert. l. de Orat. 6
Cir. Hieroſol. Catech. 4
D. Chryſoſt. Hom. 45. in Joan.
D. Bern. Ser. 7. in Cant.

His quatuor modis Thereſia divino æſtuans amore adglutinata eſt Chriſto; ſcilicet ratione gratiæ & ſanctitatis; dilectionis & charitatis; Euchariſticæ unitatis; ſponſalis affinitatis. 1. Ratione gratiæ & ſanctitatis; quæ tanta erat, ut ex anima in corpus exundans facies ejus viſa ſit cœleſti luce perfuſa, emittens ſplendores velut radios deauratos. Tunc temporis Thereſiæ vultus formoſiſſimus, lucidiſſimus & inflammatus apparens, ratione ignitæ charitatis, qua erat 2. Deo agglutinata, quam multa demonſtrant: Tum perennis Dei præſentia. Amantium hoc eſt, ut ne momento quidem abeſſe velint ab amato, ſed adeſſe continuo cogitatione & affectu. Perfectiſſima Dei amans Thereſia, illum ſemper habens in oculis, in animo, in corde: Tum votum quod emiſit ſemper agendi quod Deo gratius foret & acceptius, plane effuſam ejus in Deum charitatem oſtendit: Tum Seraphicæ nomen quod obtinuit non ſolum ob amoris ignem quo intus ardebat: ſed adhuc quia Seraphim de cœlo miſſus ignito jaculo cor ejus & viſcera trajecit, & charitate ſufflammavit: *Vulnerata charitate ego ſum.* Et hinc ab illa amoris ſagitta, fœlicique vulnere, Seraphinorum incendia, quo Seraphinis æmula ardebat, hinc languor, hinc extaſes, hinc perennes prope raptus. Præſertim 3. cum accederet ad ſacramentum Altaris, quod eſt *amor amorum.* Unde cum quodam die in Eccleſia exiſteret, & de manu Epiſcopi Avilæ communicatura ad ſacram menſam accederet, in extaſim rapta, ſeptem pedibus ſublevata, miraculoſe ſacra hoſtia de manu Præſulis ad os Thereſiæ evolavit; quæ cum Chriſto 4. tanquam ſponſa ſponſo adglutinatur. Ut enim habetur in bulla Canonizationis illius à Gregorio Decimoquinto edita, Chriſtum ſeſe ei ſpectandum præbuiſſe, dataque dextera, clavoque oſtenſo,

Cant 4
D. Bern. de Cœna Domini.

oſtenſo, illam verbis alloquens, in ſponſam adoptavit: *Aſpice clavum hunc, qui te ſponſam meam ex nunc fore ſignificat, deinceps ut ſponſa mea meum zelabis honorem. Iam ipſe ſum totus tuus, & tu tota mea.* Tria hic ſunt notatu digniſſima; imprimis Chriſtus dat Thereſiæ ſeu ſponſæ dexteram, en fidei teſſeram; deinde clavum oſtendit, en paſſionis, en doloris inſtrumentum; poſtremo eam monet ut tanquam vera ſponſa ſuum zelet honorem. Quidni zelet; cum jam & ipſius totus eſt Chriſtus, & ipſa tota Chriſti? quia Deo unita eſt per amorem, & per dilectionem proximo.

2. Tertullianus fraternam dilectionem commendat, ajens: *Evangelium Chriſti hoc præcepto adimpletur.* Alludit ad Apoſtolum dicentem: *Qui diligit proximum, legem implevit*, quia in dilectione Dei & proximi omnia legis mandata virtualiter & implicite continentur: Proximi autem dilectio, includit & præſupponit dilectionem Dei tanquam fontem & principium. Cum enim proximus ſit diligendus propter Deum, nequit vera charitate diligi, niſi prius diligatur Deus. *Si quis dixerit, Quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt*, quia charitas ſeſe extendit ad Deum & ad proximum; Deique amor continet & complectitur dilectionem proximi, qui eſt imago Dei: Quod duplici argumento probat Evangeliſta. Prius eſt. *Qui enim non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere?* Oculi enim ſunt in amore duces: & *Ex his quæ animus novit, ſurgit ad incognita quæ non novit; ut per hoc quod non ſcit notum diligere, diſcat & incognita amare.* Poſterius vero: *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Ex hoc argumento fratris oſorem redarguit D. Auguſtinus: *Si frater eſt & eum non diligis, quomodo Deum diligis, cujus mandatum contemnis?* Mandatum autem de dilectione proximi, non accipit nec excipit perſonas; ſed omnes tam pauperes quam divites, tam amicos quam inimicos; tam exteros quam domeſticos, eodem charitatis gremio complectitur: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Proximus autem eſt quivis homo, ejuſdem nobiſcum compos naturæ; factus ad imaginem Dei; à Deo ad eamdem deſtinatus gratiam, gloriam & æternam fœlicitatem: quem ideo debetis diligere, *Si legem perficitis regalem.* Fraternæ dilectionis præceptum eſt lex regalis; Tum quia lata à Chriſto regum Rege, qui eam impenſe & crebertime commendavit: Tum quia ſui obſervatores ducit ad regnum cœleſte & æternum: Tum quia communis & univerſalis omnes obligans atque ad omnes omnino homines ſeſe extendens; non ſecus ac via regia dicitur, via communis & publica quâ omnes incedunt: Tum quia eſt à charitate quæ eſt omnium virtutum regina & princeps. Sic amorem finxere veteres undique coronis aureis cinctum, quaſi totum regalem.

Lib. 5. adv. Marc. 14
Rom. 13
1. Joan. 4
D. Greg. Hom. 11. in Evang.
Jacob. 2
Jacob. 2

Quantum Thereſia unita ſit proximo, colligendum eſt ex unione quam habet cum Deo. *Quo magis à Dei dilectione recedimus, eo magis & à proximi amore diſtamus; quantum vero Dei charitati adhæremus, tantum & proximi.*

Tom. 3. Biblioth. Pat. Doctrina 6

mi, quantumque proximo, tantum & Deo conjungimur. Quod ſimilitudine circuli & centri pulchre ſanctus Dorothæus declarat. [Circulus eſt mundus, centrum eſt Deus, lineæ à circumferentia ad centrum ductæ, ſignificant hominis varias affectiones, actiones & amores. Sicut ergo lineæ quo magis à circunferentia diſtant, magiſque accedunt ad centrum, eo ſibi invicem magis appropinquant, adeoque tandem in centro coeunt: ita amor noſter quo magis à mundo & à carne avellitur, magiſque ad Deum accedit, eo magis & ad proximum accedit, tandemque in Deo ipſo coit & unitur.) Thereſia à mundo & carne penitus ſeparata, Deoque per amorem intime adglutinata, fuit etiam proximo per dilectionem conjuncta. Regalem charitatis legem exacte ſervans, cunctos homines propter Deum ardenter diligebat. Charitatis æſtuans ardore, tot ſuſcepit itinera, hiberno & æſtivo tempore, tot exanthlavit labores, infirma etiam valetudine, ut animas ad mundi contemptum & Dei cultum induceret. Charitatis æſtuans ardore, ſancta æmulatione æmulabatur zelum Concionatorum ſuis concionibus Chriſto animas lucrantium; orationibuſque nitebatur obtinere, quod ipſi ſermonibus exequebantur. Charitatis æſtuans ardore, dolebat ægre ferens quod hæreſis in Gallia tot Chriſtianos à fide & à cœlo avocaret; inhortans ſuas filias, ut enixe Deum deprecarentur, quatenus tot animarum impediret jacturam. Charitatis æſtuans ardore, nullum præteribat diem, abſque aliqua fraternæ dilectionis actione. Charitatis æſtuans ardore, ultro atrocia à dæmone ſuſtinuit tormenta, quibus animas à peccato ad gratiam adduxit, & à gravi tentatione exemit. Charitatis æſtuans ardore, volebat in purgatorio uſque ad finem mundi permanere, modo criminoſam unam lucraretur animam. Tandem charitatis æſtuans ardore, unita fuit per amorem, non ſolum proximis in terra degentibus, ſed etiam animabus in purgatorio patientibus.

Tert. l. de vel. Virg. 2 — 3. *Una Eccleſia ſumus* quæ eſt corpus myſticum comprehendens Beatos, qui in cœlo regnant; Fideles qui in terra militant; tandem juſtos, qui in purgatorio temporales pœnas tolerant. Quapropter Eccleſia in communi dividitur in triumphantem in cœlo, militantem in terra, & patientem in purgatorio. *Neque enim piorum animæ defunctorum ab Eccleſia ſeparantur:* Credentes *Sanctorum communionem* in ſymbolo Apoſtolorum contentam, credimus quoque unionem quæ intercedit inter Beatos in cœlo regnantes, fideles in terra militantes, & juſtos in purgatorio patientes, ex quibus *Eccleſia unita* univerſaliter ſumpta coaleſcit. Quod ex D. Thoma denotat Sacerdos in Miſſæ ſacrificio Hoſtiam conſecratam in tres partes dividens, quia per hoc myſterium Sancti qui in cœlo regnant, honorantur; fideles qui in terra militant, adjuvantur; animæ quæ patiuntur in purgatorio, aliquod ſolatium mutuantur. *Non poteſt corpus de unius membri vexatione lætum agere; condoleat univerſum, & ad remedium conlaboret neceſſe eſt. In uno & altero Eccleſia eſt.* Tria docet Tertullianus diligenter animadvertenda. Unum, tam

[Margin: D. Aug. l. 20. Civ. 9 — Tert. l. de Præſc. Hæret. 42 — Tert. l. de Pœn. 10]

Chri-

Chriſtianum in terra militantem, quam iuſtum in purgatorio patientem eſſe membra Eccleſiæ: Alterum, Chriſtianum qui in Eccleſia militat, debere compati juſto qui in purgatorio patitur. Ad quod ſtimulatur, tum ex compaſſione & miſericordia, quæ eſt *ſpecioſum humanæ naturæ ornamentum*: Tum ex dilectione, quæ eſt *ſummum fidei Sacramentum*. Tertium, requirendum & adhibendum eſſe remedium, quo Chriſtianus militans, fratri in purgatorio patienti ſubveniat. Quomodo autem defunctorum animæ ſolatium accipere poſſint, docet D. Auguſtinus: *Orationibus enim ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis; quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari.* Hildeb. Epiſt. 23 Tert. l. de Pat. 12 Ser. 14. de Verb. Apo

Thereſia ex una parte purgatorium credens ſemper ab Eccleſia Catholica tanquam dogma fidei receptum. *Quod ſit purgatorium, hoc tenet abſque ulla controverſia à finibus uſque ad fines, Chriſti Dei, Apoſtolica Eccleſia, ab eo tempore uſque in præſenti, & uſque in finem mundi.* Ex altera parte probe ſciens animas defunctorum debitrices divinæ juſtitiæ pœnarum temporalium, in purgatorio adſtringi *ad exſolutionem totius debiti*, neque ex illa cuſtodia exire, *niſi modico quoque delicto, mora reſurrectionis expenſo.* Aliunde non ignorans, quantum dolorem inferat purgatorii ignis, qui eſt ejuſdem naturæ cum eo qui præſcitos cruciat: nam *ſub eodem igne purgatur electus, & crematur damnatus*; compaſſione mota, & dilectione ſufflammata, orationibus crebris, animabus patientibus in purgatorio opitulabatur, quarum multæ Thereſiæ precibus ſolatium, vel totalem pœnarum ſolutionem acceperunt. Præſertim una, quam vidit aſcendentem in cœlum, mox ut ad ſatisfaciendum pro ea, Deo obtulit omne ſatisfactorium opus, quod hucuſque operata fuerat. Mirabiles hos effectus produxit Thereſiæ amor uniens, cujus amor agens & operans, non eſt minori admiratione dignus. D. Damaſ Orat. pro Defunct. Tert. l. de An. 35 D Greg. l. 4. Dial. 55

Chriſtus in ſtabulo naſcitur, *caro ſpiritu inſtructa nutritur, adoleſcit, affatur, docet, operatur, & Chriſtus.* Chriſtus eſt Deus homo ex momento incarnationis; attamen non agnoſcitur Chriſtus neque dum naſcitur, neque dum adoleſcit, neque toto tempore quo in ſilentio latet; ſed dum operari incipit. *Operatur & Chriſtus*; in tribus potiſſimum operibus ſeſe Chriſtum demonſtrans, ſcilicet Patris honorem zelans, legem Moſaicam reformans; Eccleſiam formans & fœcundans. Thereſia ſponſa Chriſti operationes ſponſi velut æmulans, operantem ſuum amorem oſtendit, 1. Dei honorem zelans: 2. Carmelum reformans: 3. Eccleſiam multimoda prole fœcundans. II. PARS. Tertull. Apol. 21

1. Chriſtus Patris gloriam & honorem ſemper zelatus eſt. Ob hanc cauſam interdum ſe à Patre miſſum confitetur, *Et qui me miſit Pater, ipſe teſtimonium dixit de me.* Interdum aſſeverat deſcendiſſe de cælo, *non ut ſuam, ſed ut Patris faceret voluntatem.* Interdum Patrem deprecatur ut glorificet nomen ſuum. *Pater glorifica nomen tuum.* Interdum Patris nomen manifeſtaſſe hominibus teſtatur: *Nomen tuum manifeſtavi hominibus.* Interdum ſe in nomine Patris operari declarat. *Opera quæ ego facio in nomine Patris,* Tertull. lib. adv. Prax. 21 Tert. ibid. Tert. l. de Orat. 3 Tert. ibid.

ipſa de me teſtimonium dicunt. Interdum increpat Judæos qui eum dicebant
Tertull. lib. adv. in nomine Belzebub operari. *Ego dæmonium non habeo, ſed honoro Patrem*
Prax. 22 *meum.* Thereſia in cunctis ſponſo conformata, tanto affectu Dei zelabat
Tert. ibid. honorem, ut de quærenda in omnibus majore Dei gloria, votum emiſerit.
Tert. l. 5 adv. Inter omnes Prophetas maxime zelotes fuerunt Elias & Elizæus. De *zelo*
Marc. 14 *erga Deum, proprium teſtimonium perhibet* ſacer Textus. Plurimum zelotes
fuit Elias, cujus mater cum eſſet in partus anguſtiis, Sabac illius pater ſibi
videre viſus eſt viros quamplurimos albis indutos, infantem ſalutare, &
flammas jacere ad ubera materna, imo & infantis ori lactis adinſtar affun-
dere. Credidiſſes jam tum Eliam una cum lacte ignem & flammam exſuge-
re. Quo doctus Sabac intellexit filiolum ſibi deinde natum & flammas &
ignes evomere aliquando debere, & hoc à zelo divinæ gloriæ. Et certe de-
Eccleſ. 48 inde igneus totus ſurrexit. *Elias Propheta quaſi ignis, & verbum illius quaſi fa-*
cula ardens. Elizeus Eliæ pallio indutus, duplicique ejus ſpiritu imbutus,
Tert. l. 5. adv. fuit etiam zeli ardore ſuccenſus. Verum quantumvis *zelo Dei agerentur*, ad
Marc. 4. proprias vindicandas injurias prompti erant. Elias enim accerſito igne de
cœlo duas cohortes quinquaginta militum cum ducibus combuſſit: Elizeus
quoque quadraginta pueros canitiem ejus deridentes urſis devorandos tra-
Tert. l. 2. adv. didit. *Immiſit & pueris urſos.* Thereſia eorum filia, à parentibus zeli hære-
Marc. 14 ditavit affectum, ſed clementia & lenitate temperatum, quam hauſerat ab
Spiritu ſancto ſibi in ſpecie columbæ incumbenti. Olim fideles ſupra crucem
D. Paulin. pingebant columbas: *Super ſignum reſident cæleſte, columbæ*; quia per cru-
cem Chriſtus pacificavit quæ in cælis & quæ in terris ſunt. Super Thereſiæ
Tert. l. de etiam caput appinxere poſteri columbam quæ *ſedet in throno: Spiritus ejus*
Pat. 15 *mitiſſimi & manſuetiſſimi, qui non turbine glomeratur, nec nubilo livet, ſed eſt*
teneræ ſerenitatis, apertus & ſimplex. Talis fuit Thereſiæ ſpiritus, etiam in
contumeliis, injuriis, calumniis, quibus etiam in honore & fama impetita eſt:
quæ patienti animo & ſereno ſpiritu pertulit, de ſua fama nihil curans, mo-
do Dei zelet honorem, & Carmelum reformet.

Tertull. lib. adv. 2. *Nec adimamus hanc Dei poteſtatem pro temporum conditione legis præ-*
Jud. 2 *cepta reformantem in hominis ſalutem.* Trinam diſcriminat Tertullianus
legem, Primordialem, Adamo in Paradiſo terreſtri datam. *Primordia-*
lis lex eſt enim data Adæ & Evæ in paradiſo, quaſi matrix omnium præ-
ceptorum. Moſaicam, Moyſi in monte Sina datam, quam ſubſequentem
ad principalem, id eſt ad legem Adamo datam nuncupat, *Ut non jam*
ad Moyſis legem ita attendamus, quaſi ad principalem legem, ſed ad ſubſe-
Lib. adv. *quentem*, Evangelicam: Chriſtus autem eſt hujus *novæ legis lator.* Primor-
Jud. 3 dialem legem, non ſecus ac Moſaicam, à Deo reformatam aſſeverat
Lib. adv. Tertullianus. Primordialem quidem; *Unde intelligimus Dei legem etiam*
Jud. 2 *ante Moyſem, nec in Chorebtantum, aut in Sina & in eremo, ſed anti-*
quiorem priorem in paradiſo, poſt Patriarchis; atque ita & Iudaâ certis
temporibus reformatam. Moſaicam etiam; *Quam certo tempore Deus &*

Genti-

Gentibus exhibuit, & repromiſſam per Prophetas in melius reformavit. In lege Moſaïca tria erant præceptorum genera, ſcilicet legalia, ceremonialia, & naturalia. A præceptis legalibus exoneravit nos Chriſtus: *Compendiatum eſt enim novum Teſtamentum,& legis laciniofis operibus expeditum.* Ceremonialia quoque magna ex parte abrogavit,vel immutavit Dominus: *Sic & ab ipſo Iudaiſmo divertentes univerſa nationes,cùm legis obligamenta & onera Evangelicâ jam libertate mutarent.* Naturalia verò non abſtulit, ſed ut perfectius obſervarentur,ordinavit. Præcepta namque naturalia vel ſunt affirmativa, & bonum præcipiunt; vel negativa,& malum prohibent. Affirmativa *pleniore diſciplinâ* confirmavit; ſed negativa obſervanda *cumulatiore præcepto* obligavit. Nam *pro non mœchaberis, qui viderit ad concupiſcentiam, jam mœchatus eſt.* Hinc ſequitur novum Teſtamentum eſſe ſeparatum, & non ſeparatum à veteri Teſtamento. Non ſeparatum: Tum quia utrumque eundem Deum agnoſcit auctorem: Tum quia in utroque viget eadem lex Naturalis. Separatum verò: Tum quia præcepta legalia & ceremonialia legis Moſaïcæ locum non habent in lege Evangelica: Tum quia in lege Evangelica nobiliora ſunt documenta virtutis,& diviniora ſacramenta. *Non nego diſtare documenta eloquij,præcepta virtutis,legis diſciplinas; dum tamen tota diverſitas in unum & eundem Deum competat: illum ſcilicet à quo conſtat diſpoſitam ſicut & prædicatam.* Tum quia novum Teſtamentum majorem reformationem & perfectionem importat. *Sic concedimus ſeparationem iſtam per reformationem,per amplitudinem,per profectum. Sicut fructus ſeparatur à ſemine, cùm ſit fructus ex ſemine: ſic & Evangelium ſeparatur à lege, dum provehitur ex lege; aliud ab illa,ſed non alienum; diverſum,ſed non contrarium.*

Tert.l.4 adv. Marc. 1.

Tert. l. 3 adv. Marc. 2.

Tert.l.de Pud.6

Tert.l.4 adv. Marc. 11

Tert. l.4 adv. Marc. 11

Eodem modo Thereſia ſuſcepto habitu Carmelitarum, Regulam mitigatam obſervantium, velut fructus ex hoc ſemine ſeparavit per reformationem, per amplitudinem, per profectum. Carmelitarum Ordo ut antiquiſſimus,ita & ſanctiſſimus,originem habuit ab Elia; nomen,à Monte Carmelo; ſanctitatem,à regula; cœleſte præſidium,à Virgine Dei Matre; famam,à viris doctrinâ & ſanctitate commendatis. Primitiva Ordinis Carmelitani Regula fuit ab Alberto Patriarcha Hieroſolymitano conſcripta, & ab Innocentio ſummo Pontifice confirmata: ſucceſſu tamen temporis,tum Religioſi,tum Moniales ab exacta ejus obſervatione defecerunt, & tum in veſtitu, calceati incedentes;tum in victu,carnes comedentes; tum in paupertate, cæteriſque Regulæ obſervationibus mitigationem quandam inducentes. At Thereſia ad perfectionem aſpirans, Regulam priſtinæ obſervationi reſtituit, & Eccleſiam prole reformatâ fœcundavit.

3. Nihil ita opponitur fœcunditati,quemadmodum virginitas; quas Gentiles incompoſſibiles adinvicem exiſtimârunt: *Sed & virginem,inquiunt, parere natura non patitur.* Romani ſuum imperium æternum fore credide runt,quia illis prædictum fuerat non defuturum, quoadusque virgo pareret, & ob hanc cauſam elegerunt virgines Deæ Veſtæ dicatas ad cuſto-

Tertull. adv.Jud. 9.

diendum ſacrum ignem, qui inter elementa ſterilis eſt, ut eſſet quædam proportio inter numen, & eas quæ illi ſerviebant. Terra producit fructus, aqua abundat piſcibus, aër repletur volucribus; ignis verò nihil generat, ſed omnia conſumit: ad cujus cuſtodiam Romani deputârunt virgines, ut infœcundæ

D. Aug. l. 4. Civ. 10 crederentur, quæ ſterili miniſtrabant elemento. *Veſtæ ſerviebant virgines; quia ſicut ex virgine, ita nihil ex igne naſcatur.* Judæi quoque unionem virginitatis & maternitatis ſibi ad invicem repugnare cenſebant; unde cùm Deus illis dediſſet virginem parturam in ſignum, id novitatem monſtruoſam &

Tert. ib. incredibilem crediderunt. *Præſtruxit enim fidem incredibili rei, dicendo, quod ſignum eſſet futurum*: propterea, inquit, dabitur vobis ſignum: Ecce virgo

Tertull. concipiet in utero, & pariet filium. *Signum autem à Deo, niſi novitas aliqua monſtruoſa fuiſſet, ſignum non videretur.* Verùm quantumvis reluctent Judæi, *attamen credendum eſt Prophetæ. Et meritò*, quia miſſus eſt à Deo veraci, qui neque mentiri, neque fallere poteſt; ſuâque abſolutâ potentiâ valet virginitatem unire cum maternitate, quæ naturaliter inter ſe repugnant. Ejuſmodi unionem reperio in Maria, in Eccleſia, & in Thereſia. In Maria

Tert. l. de Car. Chr. 17 quidem, quæ unigenitum Dei Filium concepit, & peperit: qui *ſicut nondum natus ex Virgine, patrem Deum habere potuit ſine homine matre; æquè cùm de Virgine naſceretur, potuit matrem habere hominem ſine homine patre.* In Eccleſia etiam reperitur unio virginitatis & maternitatis. Ut enim bellè ad propoſitum fatur D. Ambroſius: *Sancta Eccleſia, immaculata coitu, fœcunda*

L. 1. de Virg. *partu, virgo eſt caſtitate, mater eſt prole: parturit itaq; nos virgo, non viro plena; ſed ſpiritu: parit nos virgo, non cum dolore membrorum, ſed cum gaudio Angelorum: nutrit nos virgo, non corporis lacte; ſed Apoſtolorum: virgo eſt, ſacramentis & virtutibus; mater eſt, populis: cujus fœcunditatem Scriptura teſtatur, quoniam plures filij deſertæ, quàm ejus quæ habet virum & ſponſum; eò quòd ſive Eccleſia in populis, ſive anima in ſingulis, Dei verbo ſine ullo flexu pudoris quaſi ſponſo innubit æterno.* Longiuſculè Mediolanenſis Antiſtes, ſed pulchrè virginitatem & maternitatem in Eccleſia confœderat: quiſnam ſit ejus ſponſus, declarat; quomodo fœcundetur, prolemque generatam nutriat, demonſtrat. Quod Ambroſius de Eccleſia deducit, optimè Thereſiæ competit, quæ

Tertull. lib. adv. Jud. 9 *virgo mater meritò creditur*, quia in illa virginalis puritas cum matris fœcunditate unita repetitur.

Verùm quia D. Auguſtinus cunctas virgines Deo dicatas tali commendat

Serm. 60 de Diverſis. elogio: *Nec propterea vos ſteriles deputetis, quia virgines permanetis; nam & ipſa integritas carnis ad fœcunditatem pertinet mentis.* Deinde quoniam quævis Ordinis regularis fundatrix eſt *virgo mater*, poteſtque vocitari *unici fœtûs*

Tert. l. de An. 6 *parens multiplex; unici uteri puerpera numeroſa; ſemel omnium mater* filiarum, quas ad Religionem adduxit. Tale elogium ſpeciali quadam ratione Thereſiæ appropriatur: Tum quia aliæ fundârunt Ordines, Thereſia Ordinem à longo tempore fundatum reformavit. Longè facilius eſt novum fundare Ordinem, quàm veterem reformare; quod fieri nequit niſi deponatur innata

& in-

& inveterata vivendi conſuetudo : Tum quia illæ ad ſuum Ordinem aſſumunt duntaxat mulieres ejuſdem ſexûs ; at Thereſia non ſolùm mulieres, ſed adhuc viros reformat , & uterque ſexus regulam à virgine reſtauratam amplectitur : Tum quia aliæ habuerunt Ordinum Fundatores & Patriarchas ſibi coætaneos , qui eas in aſſequenda Evangelica perfectione, velut coadjutrices ſibi aſciverunt : ut Benedictus Scholaſticam, Franciſcus Claram, Dominicus Catharinam; & quod eſt prorſus ſtupendum, ipſemet Chriſtus *in reformatione generis humani* Deiparam velut corredemptricem habere voluit : Tert. l. de jejun. 4 at Thereſia ſe ſolâ ſine exemplo , ſine conſilio , ſine adjutorio alicujus Patriarchæ regularis, antiquiſſimi & inſigniſſimi Ordinis ſuſcepit reformationem : Tum quia aliæ parturierunt ſine ullo dolore , & abſque ulla læſione membrorum ; at Thereſia nonniſi cum dolore, latere ſagittâ vulnerato, in quo mirum in modum cœleſti conformatur ſponſo.

Chriſtus Dominus aquam & ſanguinem *de vulnere perfoſſi lateris emiſit.* Tert. l. de Bapt. 16 Per quam intelligit Tertullianus Baptiſmi ſacramentum ; per ſanguinem verò, martyrium , quod ſecundum lavacrum ſanguinis, & baptiſmum nuncupat: *Hic eſt baptiſmus, qui lavacrum & non acceptum repræſentat, & perditum reddit.* Per ſanguinem adhuc denotare videtur Euchariſtiæ myſterium , non ſecus ac baptiſmus per aquam. *Quatenus qui in ſanguinem ejus crederent, aquâ lavarentur*, ſcilicet in baptiſmo. Et *qui aquâ lavâſſent , etiam ſanguinem potarent* in Euchariſtiæ ſacramento. Neque duntaxat Baptiſmus & Euchariſtia ex perfoſſo Chriſti latere, ſed etiam cuncta Sacramenta fluxerunt, ut vult D. Auguſtinus. Chriſti namque *exanimis in cruce pendentis latus lanceâ perforatum eſt, atque inde ſanguis & aqua profluxit : quæ Sacramenta inde novimus, quibus ædificatur* Eccleſia. D. Aug. l. 22. Civ. 19 Simili modo fluxiſſe videtur Carmelitarum reformatio de latere Thereſiæ ſagittâ percuſſo, miſsâ de Seraphini manu. Duplici lanceâ percuſſum Chriſti latus meditatur D. Bernardus : Lanceâ furoris, & lanceâ amoris : *Iudæi quoque latus & ſanctiſſimi cordis intima perfoderunt , quod jam dudum amoris lanceâ fuerat vulneratum.* Cap. 3. de Vite. Quod innuere videtur Evangeliſta ajens : [Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.] Joan. 19 Nam ut acutè animadvertit D. Auguſtinus : *Vigilanti verbo uſus eſt, ut non diceret, latus ejus percuſſit, aut vulneravit; ſed aperuit:* Tract. 120 in Joan. quia ſacratiſſimum Chriſti pectus jam fuerat amoris cuſpide vulneratum. Thereſiæ latus percuſſum non fuit lanceâ furoris, ſed ſagittâ amoris, ut ipſamet fatetur : *Vulnerata charitate ego ſum*, Cant. 4 ut cœleſti conformetur ſponſo , non ſolùm in operatione, ſed etiam in paſſione.

III. PARS

Apoſtolus *utique beatos affirmavit, quibus donatum eſſet non tantùm credere in Chriſtum; ſed etiam pro ipſo pati.* Tertull. Scorp. 13 Quàm beata Thereſia Chriſtum diligens amore non ſolùm uniente & operante, ſed etiam patiente ! *quando hoc ipſum ſufficere ei ad gloriam debeat, æquari paſſionibus Domini*, Tertull. Scorp. 9 in iiſdem ferè patiens, in quibus paſſus eſt Chriſtus, ſcilicet in 1. honore. 2. corpore. 3. corde.

1. Chri-

1. Chriſtus Dominus paſſus eſt in honore detractionibus dehoneſtatus, & tanquam *vorator & potator* calumniatus. D. Auguſtinus de Chriſto, eiuſque uxore Eccleſia ait: *Sunt duo in paſſione una.* Chriſtus ſimiliter & Thereſia ſunt duo in paſſione una: nimirum in paſſione famæ, quâ majus nullum eſt bonum, non fortunæ, non corporis, imò nec vitæ. Et tamen in fama, tanto utique bono, paſſa eſt Thereſia. Viſiones namque & revelationes, quibus in extaſi & mentis exceſſu frequenter potiebatur, vel pro dæmonum præſtigiis, vel pro inanibus vacuæ mentis ludibriis habitæ ſunt. Hinc à nonnullis (alioquin ſapientibus) æſtimata quaſi obſeſſa à dæmone; ab aliis, ut mendax & vanula, quæ famam inde captaret; à quibuſdam, ut mali nominis muliercula. Uti autem Chriſtus calumniis dehoneſtatus, ductus fuit examinandus ad Pontifices, ad Reges, ad Præſides, abſque ullius patrocinio; ita Thereſia tum apud Regem Catholicum, tum apud Nuntium Apoſtolicum, tum apud ſacros Inquiſitores traducta, & in jus vocata, calumniis onerata, ac propè oppreſſa, nemine mortalium ipſius patrocinium ſuſcipiente, ne quidem Monialibus, quibus præerat, apud quas, etiam linguâ maledicenti, percutiebatur. Attamen inter hæc Thereſia non contraxit frontem, animum non abjecit, fletus & gemitus non emiſit, à benè cœpto propoſito non deſtitit; ſed quemadmodum olim Apoſtoli ibant *exultantes in preſſuris*: ita Thereſia in intimo pectore exultabat, quòd per malam famam digna habita fuerit pro Chriſto pati in honore, & in corpore adhuc adinſtar ſponſi ſuſtinere dolorem.

Tert. l. de Jejun. 8
In Ps. 61
Tertull. Scorp. 13

2. Tanta pertulit in ſuo corpore Chriſtus *homo in plaga poſitus*, ut à Propheta vocitetur *vir dolorum*. Thereſia cœleſtis ſponſi velut æmulans dolores, magno patiendi æſtuabat deſiderio; quod exprimebat nota illi teſſera, & ſupplex ad Deum oratio: *Domine aut mori, aut pati.* Votis illius annuens Deus, eam malis prope omnibus exercuit. Primùm morbis, aliis atque aliis: tum vehementi nervorum contractione per annos tres, itaut nonniſi digitum unum movere poſſet; tum cordis deliquio, & violento capitis, brachiorum, ac ferè totius corporis tremore; tum noctibus ſingulis importuno vomitu, denique & febriculâ. Dixiſſes Thereſiæ corpuſculum morborum propè omnium domicilium extitiſſe: & quidem eâ pertinaciâ, ut per annos omninò quadraginta ne uno die fuerit exempta.

Ter. l. adv. Jud. 9
Lobb. tó. 3 Opuſc.

In morbis non æquabit Thereſia paſſiones Chriſti, qui nullo unquam corporis morbo laboravit, ſed una fuit illi paſſio cum ſponſo, injuſtè patiens contumelias & perſecutiones. Fuit namque petulans fœmina, quæ illi inter ipſa Miſſæ ſolemnia calceum detritum in caput immiſit, non ſine vulnere & ſanguine, quam injuriam eo loci ac temporis illatam æquiſſimo tulit animo. Fuit & alia inſolentior, quæ dum fortè pontem ligneum pertranſit, nefando auſu in aquam injecit, & in horrentem fœtidamque cloacam intruſit, è quo non emerſit Thereſia niſi luto malè deformata. Initas, in vindictam, in pugnos, in alapas iviſſet alias, & debitam tantæ injuriæ pœnam erogiſſet;

giſſet; at ſubriſit Thereſia, & Religioſas ſibi comites etiam verbis abſtinere juſſit, & liberam abire voluit, ne verbulo quidem aſperiore exceptam: revocans ad memoriam iſtud: *Malum pro malo nemini retribuentis; & malitiæ fratris veſtri ne memineritis; nec voſmetipſos ulciſcentes Mihi enim vindictam, & ego vindicabo, dicit Dominus.* Ea fuit Thereſiæ virtus, lætanter etiam patientis in corde adinſtar cœleſtis ſponſi. Ter. l. 4. adv. Marc. 14

3. Chriſtus & Thereſia ſunt *pariter in anguſtiis, & refrigeriis.* Chriſtus fuit ſimul & ſemel comprehenſor & viator. Ut comprehenſor, ſuperior pars animæ ejus fuit in refrigeriis, viſione & amore beatifico, nec non gaudio perfruens. Ut viator, inferior pars animæ fuit in anguſtiis, ſcilicet *triſtis uſque ad mortem.* Ex D. Hieronymo *Sponſa Chriſti arca eſt Teſtamenti intrinſecùs & extrinſecùs deaurata.* In arca erat virga Aaron, erat etiam & manna. Virga, anguſtiam denotat; manna, dulcedinem ſignificat. Thereſia ſponſa Chriſti arca eſt Teſtamenti: virgæ aſperitatem ſentiens, & mannæ guſtans ſuavitatem etiam inter famæ jacturam, corporis dolores, malignantium perſecutiones; ad inſtar Martyrum, qui, ut refert D. Auguſtinus, mediis in tormentis lætabantur: *Quàm mirandi generis mors eſt, cui non ſatis fuit non eſſe in pœnis, niſi eſſet inſuper in deliciis.* Arca erat intrinſecùs & extrinſecùs deaurata. Aurum eſt ſymbolum amoris, quia ſicut aurum eſt metallorum pretioſius, ita dilectio eſt *Chriſtiani nominis theſaurus.* Thereſia erat auro charitatis intrinſecùs & extrinſecùs deaurata. Intrinſecùs quidem intùs in corde ſponſi charitate flagrans, & præ amoris magnitudine languens: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Extrinſecùs etiam, patiendi pro Chriſto occaſiones deſiderans. Appello tenellulam illius ætatem, & prope infantiam, quæ vidit quod adulta in aliis vix vidit ætas. Septennis erat, cùm cœpit cum fratre Roderico amare ſolitudinem, & Martyrum acta decurrere non tam oculo, quàm mente, quæ eò uſque accenſa eſt martyrii deſiderio, ut ad illud unà cum fratre convolare decreverit, *Chriſtum datura, aut ſanguinem.* Audierat apud Mauros in Africa multos fidei ac religionis causâ capite plecti, vitamque cum ſanguine fundere. Nec mora, cum fratre vix duodenni dat ſe in viam, flumen trajicit, levique pede iter aggreditur, quod in Africam ducit; ſed occurrens illi patruus, neptem cum fratre domum reducit, redditque matri, martyrii deſiderio æſtuantem. Inde conjectari poteſt quanta fuerit Thereſiæ provectæ ætatis dilectio, quæ, ut fatur Tertullianus, *Hominem martyrem excudit.* Tert. l. 2 ad Ux. 8 Tert. l. de Car. Chr. 13 Epiſt. 17 ad Euſtoc. Tract. 65 in Joan. Tert. l. de Pat. 12 Cant. 2 Scorp. 6

Hucuſque admirati ſumus Thereſiæ amorem unientem, operantem, & patientem; ad illius exemplum eſtote Dei amore ſuccenſi: Trino autem indicio demonſtrabitis ſi cor veſtrum charitate æſtuet. 1. Si ſitis diviſi, & uniti: diviſi à peccato & mundo, uniti Deo. *Iniquitas dividit & unit, charitas dividit & unit.* Iniquitas dividit ab immutabili bono, & unit bono commutabili; charitas verò dividit à peccato, & unit Deo. 2. Si bona opera facitis; quia *nunquam eſt Dei amor otioſus: operatur enim magna ſi eſt; ſi verò* Hug. Vict. l. 1. Miſcella. tit. 78 D. Gregor. Hom. 30 in Evang.

Chryſol. *operari renuit, amor non eſt.* 3. Si pro Deo patienter mala toleratis. *Certè*
Serm. 16 *verus amor nonniſi paßionibus probatur. Verus amor eſt feciſſe ſuas anguſtiatis anguſtias*; quæ ut æquo animo patiantur, tria conſideranda exoptat Tertul-
Scorp. 13 lianus cum Apoſtolo. Unum, *non intuenda quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia, de incommodis dicens: quæ verò non videntur, æterna, de præmiis ſpondens.* Aliud, *paßiones hujus temporis non eſſe dignas ad gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Tertium, quod eſt præcedentis probatio: *Nam quod ad præſens, temporale & leve preſſura noſtra, per ſupergreſſum in ſupergreſſum, æternum gloriæ pondus perficit in nobis.*

SANCTO-

SANCTORUM CELEBRITATES.

SCHOLIUM.

In hoc Tractatu, 1. *Puerilis innocentia martyrio coronatur:* 2. *Invicta Laurentii fortitudo prunis ardentibus probatur:* 3. *Quàm ſit magna Rochi charitas, demonſtratur:* 4. *Anna pretioſo theſauro opulenter ditatur:* 5. *Magdalena ſacris amoris ardoribus ſufflammatur:* 6. *Genovefæ paſtoralis conditio ſublimatur.*

CONCIO PRIMA.

DEI providentiam fides confitetur, ratio demonſtrat, ordinata rerum diſpoſitio proclamat, & nemo niſi mentis inops negat. Quare impium, Deum agnoſcentem, & improvidum affirmantem, meritò inſequitur Tertullianus velut ſibi contrarium, cunctorumque ſapientum cenſuræ & condemnationi expoſitum. *Nemo te ſuſtinebit, improvidentiam adſcribentem Deo ei, quem Deum non negans, confiteris & providum.* Lib. 2. adv. marc. 24 Providentia ita eſt Deo eſſentialis, ut nequeat Deus exiſtere niſi ſit providus: unde qui Dei exiſtentiam aſſeverat, & ejus providentiam negat, Deum de medio tollit, qui non eſſet Deus, ſi in eo providentia nō eſſet. *Hac enim illi propria divinitas conſtat.* Dei autem providentia non ſolùm bonum complectitur quod dirigit, quod imperat, & ad cujus productionem concurrit. Nam *ſcientia eſt, ut dirigens; voluntas, ut imperans; potentia, ut exequens:* Hug. Vict. ſed etiam ad malum tum culpæ, tum pœnæ ſeſe extendit; quod malum culpæ permittit, ſed non poſitivè vult; malum verò pœnæ interdum permittit, interdum poſitivè Lib. 2. adv. marc. 24 immittit, ut ipſemet teſtatur: *Ecce ego mitto in vos mala, non peccatoria, ſed ul-*

 toria.

toria. Ma'a autem pœnæ non ſemper ſunt ultoria, cujuſmodi ſunt ea quæ eveniunt inſontibus ob bonum aliquem finem.

Tert. l. de Fug. in Perſ. 3

Ab eo permittatur vel imperetur neceſſe, eſt Catholicè fieri hæc, à quo & ex parte, ſcilicet ab illo qui dixit : Ego ſum qui facio pacem, & condo mala. Quod ita certum videtur Tertulliano, ut Deum credens, confiteatur neceſſe eſſe nullum pœnæ malum evenire hominibus ſine Dei voluntate poſitiva, aut ſaltem permiſſiva : *Credas utique, ſi tamen in eũ Deum credis, ſine cujus voluntate nec paſſer unius aſſis cadit in terram.* Verùm ſi unquam Dei providentia mali permiſſiva eluxit, maximè in occiſione Innocentium, quam multiplici de cauſa permiſit, è quibus tria tantùm eligo:

Theophylact.

1. *Ut oſtendat Herodis crudelitatem.* 2. Ut Innocentes ſicut Chriſti ætatis conſortes, ita paſſionis ejus fierent participes.

S. Leo Ser. 2. de S. Epiph.

Ortûs ſui tempore editos martyrio conſecravit, ut in Bethleem ubi Chriſtus natus eſt, geniti per communionem ætatis, conſortes fierent paſſionis. Tandem 3. Ut Chriſtus ſuam oſtenderet juſtitiam, immortali eos gloriâ remunerans, qui ipſius cauſâ ſubiiſſent mortem.

Ser. 9. de Sanctis.

Ex D namque Auguſtino *occiduntur pro Chriſto parvuli, pro juſtitia moritur innocentia.* Innocentes itaque poſſunt conſiderari in Judæa, in Eccleſia, & in cœleſti patria. In Judæa trucidantur; in Eccleſia venerantur; in cœlo coronantur. 1. Perſequuntur Herodis crudelitate. 2. Martyres recognoſcuntur Eccleſiæ auctoritate. 3. Victores coronantur Chriſti juſtitiâ & æquitate.

I PARS.

Tert. Apol. 6

Pluses fuêre tyranni de crudelitate famoſi, qui in Chriſtianam diſciplinam deſævierunt. Conſtat *Neronem primum in hanc ſectam Cæſariano gladio feroциſſe*: tantâq; inhumanitate eam eſt aggreſſus, ut Domitianus, qui fuit ejus ſucceſſor tum in imperio, tum in odio Chriſtianorum, ſit tantummodo

Tertull.

portio Neronis de crudelitate. Verùm quantumvis crudeles & ferocientes fuerint Domitianus & Nero, nõ ſunt tamen in ſęvitia æquandi Domitiano & Maximiano,

Tert. Apol. 27

à dæmone ſubornatis & modulatis ad omnem ſæviendi iniquitatem. Quibus omnibus ſuperior Herodes crudeliter 1. Innocentes infantes trucidat. 2. Matrum viſcera dilacerat. 3. Semetipſum cruciat propriumque filium enecat.

Tert. l. 4 adv. Marc. 23

Tert. Apolog. 8

Tertull. ibid.

Ferocientis ſanè eſt animi averſari infantium *innocentem adhuc ætatem*: Non odio ſed amore dignus eſt *infans adhuc tener; qui neſciat mortem, qui ſub cultro rideat.* Herodes tantum abeſt ut benevolentiâ feratur erga amabilem infantiam; ut compaſſione moveatur erga innocentiam etiam ſub cultro ridentem: quin imò *demergit ferrum in infantem nullius inimicum, nullius reum, omnium filium.* Cujus enim poteſt eſſe inimicus infans cunctis adblandiens? cujus criminis rea innoxia ætas, mali neſcia? quinam reatus in puerulo omnes homines vocitante patres? Attamen quantumvis amabilis & innocuus

Tert. l. de An. 19

infans, ſtatim ac vitam vagitu ſalutavit, tanquam hoſtis ab Herode perſequitur, & velut criminoſus à tyranno illo, morte mulctatur. Neque unum duntaxat, ſed quindecim millia enecat infantes Herodes

Chryſol. Ser. 152

magiſter mali, miniſter doli, iræ artifex, inventor ſcelerum, impietatis auctor, pietatis prædo, inimicus innocentiæ: quam injuſtè aggreditur, in quam furit, & quam ſuis ſatellitibus, & innatæ ſibi ſævitiæ miniſtris committit trucidandam. Nihil non ten-

tat tyrannus aut ut dominationem ſibi comparet, aut per nefas comparatam conſervet. Herodes ut vulpes Judææ occupaverat ſolium, regnaverat ut leo, de medio tollens regiam familiam, neque etiam Marianæ parcens uxori inſigni virtute, & incomparabili pulchritudine prædıtæ. *Audierat natum regem: quæſierat ubi, quando, unde, & ad quid : At qualiter debuerat non quæſivit : quia apud illum peccandi amor, amor innocentiæ non manebat : deſtinatus ad ſcelus, ad piaculum promptus, paratus ad crimen, cauſas innocentiæ non requirit; jus abrogat, confundit fas nefaſque : cui nequitia eſt ſodalis, cui odioſa eſt æquitas, iniquitas ſemper eſt amica, qui cædibus vivit, qui ſe munit ſanguine, qui crudelitatem ſectatur.* Belle declarat Chryſologus crudelem Herodis animum, qui ut per nefas occupatum conſervaret ſolium, cuncta patravit facinora. *Nequiſſimus Herodes in peſtifero ambitu cordis ſui, omnium facinorum crimina ſupergreſſus eſt.* Chryſol. ibid. Orig. Hō. 3. de Diverſis.

In illo namque conglomerantur multa ſed præſertim ſex crimina ad ſævitiam & crudelitatem incitantia; nimirum impietas & perfidia, livor & invidia, puerilis timor & ignavia, cæcitas & ſtultitia, ambitio & ſuperbia, crudelitas & ſævitia, iniquitas & injuſtitia. 1. Perfidia & impietas. *Herodes obſidens terrenum regnum impugnat cœleſte : terrenis inhians, irruit in divina: ipſamque pietatem tota impietate ſectatur, Herodes tunc cæcus, ſic Chriſtum gladiis quærit, inveſtigat cruore, crudelitate rimatur.* Impietate & perfidia ad ſævitiam ſuccenſus Herodes: 2. Livore & invidia furens efficitur. *Zelus quo tendat, quo proſiliat livor, invidia quo feratur, Herodiana hodie patefecit immanitas; qua dum temporalis regni æmulatur anguſtias, æterni regis ortum molitur extinguere; ſicut ait Evangeliſta :* Tunc Herodes videns quia illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde: & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus. Videns quia illuſus eſſet à Magis: *Dolet impietas ſe illuſam, dilatam ſe crudelitas furit, fremit doloſitas ſe deceptam, & in ſe fraus reverſa colliditur. Herodes ſtridet cadens ipſe in laqueum quem tetendit. Hinc iniquitatem quam condiderat evaginat : de fide perfidia ſumit arma : terreno quærit furore, quem natum cœlitus non credit : ad ſinus matrum militum cogit caſtra, inter ubera arcem pietatis oppugnat, in teneris uberibus ferrum durat, lac fundit antequam ſanguinem, dat ante mortem ſentire quam vitam, tenebras ingerit intrantibus lucem.* Ad horrendam illam & inauditam immanitatem timore 3. adhuc inducitur Herodes tyrannus: *Cui de timore ſtat totum, de amore nihil conſtat :* nihil niſi ſævitiam ſpirat, cunctoſque de medio tollere nititur, quos ſibi infenſos imaginatur, aut à quibus dignitatis & imperii pertimeſcit jacturam : Herodes & ipſe tyrannus *ſucceſſorem timens, inceſſit in Authorem: peremit Innocentes, volens innocentiam deperire :* in quo demonſtravit tum demiſſi animi formidinem : tum 4. ſtultæ mentis caligmem. *Putabat ſe infœlix Tyrannus Domini Salvatoris adventu, regali ſolio dejiciendum; ſed non eſt ita. Non ad hoc venerat Chriſtus ut alienam gloriam invaderet, ſed ut ſuam daret. Non venerat ut regnum terreſtre præriperet, ſed ut cœ-* Chryſol. Serm. 152 Chryſol. Matth. 2 Chryſol. Chryſol. D. Aug. Ser. 9. de Sanctis.

leſte donaret.Non venerat ad poteſtates dignitateſque rapiendas, ſed ad contumelias & injurias perferendas. Non ad hoc venerat ut ſacrum illud caput gemmato diademate coronaret, ſed ut ad coronam ſpineam præpararet. Non ad hoc venerat, ut conſtitueretur ſupra ſceptra magnificus, ſed ut crucifigeretur illuſus. Perfidus tamen & infidelis Herodes, vano timore formidans,& ſuperbo dominandi ambitu æſtuans, ad ſanguinem, ad cædes anhelat. 5. *O ambitio quam cæca ſemper! ô quam ſemper præſumptio peſſima!* exclamat Chryſologus.

In Pſ. 7 Et ut belle ad propoſitum D.Chryſoſtomus, *amor principatus, ut homo fera eſſet effecit*, dediſcens humanitatem, & belluinam redolens feritatem. Ut ait Severianus: *Quid enim non ambitioſus attentat? Quod crudelitatis genus non aggreditur?* Ut Herodis comprobatur exemplo, quem ambitio ad crudelitatem ſufflammat, & 6. injuſtitia & iniquitas ad fundendum innocuum ſanguinem ſtimulat. Nam ut eloquenter ſubjungit Chryſologus; *Rector populi, morum cuſtos, diſciplinæ cenſor, juſtitiæ indagator, æquitatis defenſor, ſervator innocentiæ, ampliator populi, innocentis cauſam fecit Innocentium crimen, munus nati natorum vertit in pœnam, authoris ortum, orientem mandat occaſum, negotium ſalvantis ſalvandorum jubet eſſe diſcrimen.* Neque in hoc duntaxat apparet injuſtus Herodes, perſequens Innocentes quos tueri & defenſare debebat, ſed adhuc quod innocuos Innocentes morti condemnat antequam cognoſcat an ſint criminoſi. Ut enim proſequitur Chryſologus; *Iudex audientes vocat, interrogat loquentes, negantes arguit, urget reos, percellit noxios, conſcios corripit, addicit complices, ſententiæ dat detectos. Infantes quid? quorum linguæ tacuit, oculi nihil viderunt, nihil audierunt aures, manus nihil fecerunt, & quibus actus nullus eſt, unde culpa? Sumpſerunt mortem qui vivere neſcierunt, non tempus affuit, non excuſavit ætas, ſilentium non defendit, quibus apud Herodem ſolum quod nati ſunt hoc fuit crimen. Et revera quomodo non redderent naturæ creditum à quibus cauſa exigebatur authoris.* Quod

In Pſal. 9 ſi ex D. Aug. *Innocentem interficere, eſt ex innocente facere nocentem*, quam injuſtus, quam iniquus, quam ſceleroſus Herodes, tot Innocentium millia membra crudeliter trucidans,& materna viſcera ſæve dilanians?

2. Deus *adeo diligit parvulos, ut apud Ægyptum beneſecerit obſtetricibus*

Tert. l. 4 adv. Marc 23 *protegentibus partus Hebræos periclitantes edicto Pharaonis:* Herodes è contra ita crudelis eſt in Infantes, ut pro crudelitate qua ſævit in parvulos, materna

Chryſol. Ser. 152 dilaceret viſcera. *In martyrio filiorum paſſæ ſunt matres, nam gladius filiorum pertranſiens membra, ad matrum corda pervenit.* Tantus fuit earum dolor, quantus erat erga filios amor. Parentum amorem non ſatis commen-

Lib. 8. Ethicor. dat Philoſophus, dicens: *Æque parentibus liberorum vita chara eſt, atque ſua.* Rationabilior & naturæ conformior eſt Latini Pacati ſententia, aſſeverantis

In Paneg. Theodoſ. parentes plus prolem, quam ſemetipſos diligere. *Inſtituente natura liberos*

Pſal. 102 *plusquam noſmetipſos diligimus.* Unde quoties Deus ſuum erga homines exaggerat amorem, hunc comparat amori parentum. *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe.* Regio Vati arridens Propheta

Evan-

Evangelicus ſub matris metaphora introducit Deum dicentem : *Domus Iacob*
qui portamini ab utero meo. Uti parentes magis filios quam ſemetipſos amant, Iſa. 49
ita multo magis de illorum quam de propria morte dolent. Hac de cauſa,
ut fatur Chryſologus de Abrahamo loquens parato ad immolandum Iſaac
unigenitum ſuum : *Patris erat paſſio ibi tota, ubi filius immolabatur.* Idipſum
aſſeverat D. Chryſoſtomus de Anna Samuelis matre, filium ſuum in templo Serm. 11
conſecrante. *Facta eſt viſcerum ſuorum immolatrix.* D. quoque Ambroſius Hom. 16
Mariæ dolorem in Paſſione Chriſti ex materna pietate metitur, *Matrem con-* in Gen.
ſiderate, Matrem cogitate. Eadem menſura metiendus eſt dolor matrum tot
Infantium quos interfecit Hærodis ſævitia. *Teſtis eſt ipſa natura qua pugnabat*
in Martyres, cum Tyrannus mactaret infantes. Matres crines capitis diſſipabant, D. Aug.
qua ornamentum capitis amittebant. Quantis modis Infantem volebant abſcon- Serm. de
dere, & ipſe ſe infantulus publicabat : & neſciebat tacere, quia necdum didice- Sanctis.
rat formidare. Pugnabant mater & carnifex, trahebat ille, illa tenebat. Ad car-
nificem mater clamabat : Quid ſeparas à me, quem genui ex me ? uterus meus
genuit, ubera mea nutriunt, & tu crudelis interimis : modo eum effuderunt vi-
ſcera mea, & tu elidis ad terram. Alia mater acclamabat , cum exactor latro
compelleret, ſimul occide matrem cum parvulo : Vt quid me dimittis inanem ?
Si culpa eſt, mea eſt : ſi non eſt crimen, junge mortem, & libera matrem. Alia di-
cebat : Quid meum quaritis ? Vnum quaritis, & multos occiditis , & ad eum qui
unus eſt attingere non poteſtis. Alia contra clamabat : Veni jam, veni Salvator
mundi; quandiu quareris? nullum times, videat te miles, & noſtros non occidat
infantes. Miſcebatur lamentatio matrum, & ad cœlum tranſibat oblatio parvu-
lorum. His verbis nititur D. Auguſtinus declarare deſolatarum matrum do-
lores , & acerba lamenta de eorum pectoribus & oculis, quarum viſcera di-
laniant ferrei carnifices inſtar leonum rugientium ferocientes. Unus in pe-
ctus inſultat, alter caput amputat, ille manus & brachia ſcindit, iſte infantu-
los ad parietem allidit; unus ſtrangulat vivos , alter in cunis dormientes ex-
tinguit: Ille *vagienti infanti ſupervenit*, iſte adblandienti & ridenti vitam eri- Tertull.
pit. Unus *de nutricis aut gerula ſua collo* violenter ſeparat, alius ubera lacten- Apol. 7 Tert. l. 3
tem trucidat, pueri ſanguinem miſcens cum lacte matris. Quam triſte ſpe- adv.
ctaculum! mater nondum à partu doloribus libera, & vix in lucem editum Marc. 13
puerum, cogitur videre occiſum: mater ut filiolum ſalvet, fugam accipit, ſed
non evadit; ad preces recurrit, ſed nihil proficit : prolem conſpiciens humi
laniatam, lachrymas fundit, pectus tundit, nec ullam conſolationem recipit:
altera vociferans natum inclamat, & non eſt qui reſpondeat : illa ſollicite
dilectum quærit, neque reperit: vel inventum exanguem lachrymis abluit:
hæc extinctum amplectitur ulnis, ut calefaciat, ut hac teneritudine ad vitam
revocare valeat: ſi quæ chariſſimum uteri ſui pignus dimittere renuit, & am-
plexibus retinet, gladio confoditur , ut inde parvulus hauriat ſanguinem
mortis, unde lac vitæ ſuxerat. Veriſſimum eſt iſtud Chryſoſtomi : *Nihil eſt* Hom. 25
quod majorem tyrannidem habeat, quam natura; ut patet in illis matribus quas in Matth.
infan-

infantium amor acerbius cruciabat, quam nec Herodis tyrannis, nec ſatellitum ſævitia: cuncti namque ictus quos pueruli recipiebant in corpore illæ recipiebant in corde, quarum viſcera dilaniabant carnifices quando puerorum diſcerpebant membra. Et ut ſubjungit D. Auguſtinus:

Grande martyrium, & crudele ſpectaculum! Oves cernimus matres, quæ ſuperant agnos lugentes. Vox in Rama audita eſt: ploratus & ululatus multus. *Oves ululant matres, quia agnos perdunt ſine voce balantes.* Crudele profecto ſpectaculum! Nam *cum parvuli victimabantur, matres miſere lamentabantur:* ſed grande martyrium, nam dum infantes martyrium tolerant ſanguinis, matres (præſertim quæ in Meſſiam venturum credebant, & pro eo pati exoptabant,) martyrium patiuntur lachrymarum. Nam ut fatur Chryſologus: *Neceſſe eſt ut ſint præmij conſortes, quæ fuerunt ſocia paſſionis: Arridebat parvulus occiſori, gladio adjocabatur infantulus, nutricis collo attendebat lactens percuſſoris horrorem, neſcia lucis ætas moritura gaudebat; infans filius omnem hominem non hoſtem reſpicit, ſed parentem. Matres tulerunt quidquid & angoris extitit, & doloris, & ideo non martyrij gaudio fruſtrantur, martyrij lachrymas quæ fuderunt.* Beati Parvuli, qui Chriſti cauſa, ſanguinem fuderunt, & mortem ſubierunt. *Beati, quos martyrio natos vidimus non ſæculo. Beati, qui labores in requiem, in refrigerium dolores, mærores in gaudium commutarunt.* Beatæ quoque matres, quæ fundentes lachrymas Deo obtulerunt ſanguinem cordis. Beatæ matres quæ infantes martyres parturierunt: *Beati ventres qui portaverunt tales; beata ubera quæ ſe talibus infuderunt: beata lachrymæ quæ pro talibus fuſa, flentibus gratiam baptiſmatis contulerunt.*

Serm. 152

Chryſol.

Chryſol.

Serm 106 Chryſologus fuſas à Petro lachrymas jucundas prædicat: *Nec quiſquam in Apoſtolo imbrem irrigui luctus accuſet: jucundæ ſunt lachrymæ, quæ gaudium immortalitatis emerunt.* Si Petri lachrymæ non ſunt accuſandæ quas ex peccatorum recordatione fundebat, neque accuſandæ ſunt matrum lachrymæ; quæ de teneritudine materni cordis diffluebant: nam *cum parvuli victimabantur matres miſeri lamentabantur.* Si lachrymæ Petri ſunt jucundæ, quia gaudium immortalitatis emunt, jucundæ ſunt quoque matrum lachrymæ, quia Angelis gaudium afferunt. *Naſcente Domino, luctus cœpit, non cœlo, ſed mundo. Indicitur matribus lamentatio, Angelis exultatio, Infantibus tranſmigratio.* Petri lachrymæ, eum à peccati ſordibus mundaverunt, quia *lachrymæ peccata baptizant:* fuſæ quoque matrum lachrymæ *flentibus gratiam baptiſmatis contulerunt.*

D. Aug. Serm 8. de Sanctis.

D. Aug.

Chryſol. Serm. 106

Duplex diſcriminat Tertullianus lavacrum: Aquæ unum, *Propterea de uno lavacro definitum eſt.* Sanguinis alterum: *Eſt quidem nobis etiam ſecundum lavacrum unum & ipſum, ſanguinis ſcilicet.* De lavacro æquæ fatur Dominus, ajens: *Niſi natus ex aqua quis erit, non habet vitam.* De lavacro ſanguinis loquitur adhuc Chriſtus: *Habeo, inquit, baptiſmo tingui, cum jam tinctus fuiſſet.* Lavacrum aquæ, ſordes peccati tum originalis, tum actualis diluit. *Fœlix aqua, quæ ſemel abluit, quæ ludibrio peccatoribus non eſt, quæ non aſſiduitate*

Lib de Bapt. 15

Tert. l. de Bapt. 12

Tert. l. de Bapt. 16

Tert. l. de Bapt. 15

ſordium

ſordium infecta, rurſus quos diluit, inquinat, Lavacrum quoque ſanguinis, à peccato emundat, effectumque baptiſmi præſtat. *Hic eſt baptiſmus, qui lavacrum non acceptum repræſentat.* Duplici illo lavacro lavantur, duplici baptiſmo baptiſantur Matres & Infantes: Matres lavacro aquæ, Infantes lavacro ſanguinis. *Nam diverſo modo, dono uno, in lachrymis ſuis matres, & ſui filij ſanguine baptizantur.* Niſi prius dicamus cum Chryſologo, Matres etiam fuiſſe lavacro ſanguinis baptiſatas; Tum quia ſanguinem quem fuderunt pueruli, à matribus acceperant: Tum quia matres per oculos cordis ſanguinem fundebant: Tum quia non minorem perſentiebant dolorem quam ſi de facto mortem ſuſtinuiſſent. Ut enim jam diximus ex Chryſologo, *in martyrio filiorum paſſæ ſunt matres: nam gladius filiorum pertranſiens membra, ad matrum corda pervenit*, quæ perfodit crudelis Herodes Infantes de medio tollens, neque etiam proprio filio parcens. Tert. l. de Bapt. 16 Chryſol. Serm. 152

3. *Propriis filiis Saturnus non pepercit*, ſi fides adhibeatur Poëtarum figmentis. *Sed eleganter quidam ſibi videntur phyſiologice per allegoricam argumentationem, de Saturno interpretari tempus eſſe, & ideo falcatum, quia tempore omnia dirimantur; & ideo voratorem ſuorum, quod omnia ex ſe edita in ſeipſum conſumat:* cuncta namque temporalia mutabilia ſunt, & devorantur *ipſorum temporum propria gula.* Non fabuloſe neque allegorice, ſed vere & de facto, filii ſui interfector eſt Herodes, infantem à ſe genitum non ſecus ac cæteros Innocentes de medio ſuſtulit crudelis ille parens: *Scytha tetrior, Maſſageta inhumanior; jam & beſtiis illius barbariei ferocior.* Belluæ namque editos fœtus ardenter diligunt, ſollicite nutriunt, totis viribus defendunt; & ut eorum vitam conſervent, morti ſeſe exponunt: *Quæ fera pro catulis ſuis non ipſa potiſſimum ſe offert morti! Quæ fera fœtus ſuos innumeris licet obſeſſa cuneis armatorum, non ſuis viſceribus tegat? Ingruat licet telorum ſeges, illa tamen parvulos ſuos muro ſui corporis ſeptos, immunes præſtat periculi:* at Herodes filium ſuum non diligit, ſed odit, non protegit, ſed morti exponit; non defendit à ſatellitibus cum diſpendio ſuæ vitæ, ſed carnificibus crudeliter dilaniandum tradit: *Inimicus innocentiæ, hoſtis naturæ, malus omnibus, ſuis pejor, peſſimus ſibi, inimicus innocentiæ.* puerulum morti condemnans, *prius quam agnoſcat puer vocare patrem & matrem.* Tertull. Apol. 8 Tert. l. 2. ad Nat. 12 Tert. l. de Reſ. 4 Tert. l. 1. adv. Marc. 1. D. Ambl. 6 Hexam 4. Tert. lib. 3 adv. Marc. 13

2. *Hoſtis natura* dediſcens humanitatem, & paterno renuntians amori, ad quem parentes naturaliter feruntur, *Sic aves, ſic feræ, fœtus ſuos diligunt, quarum concitatus eſt amor & pene rabidus.* 3. *Malus omnibus*, amicis, inimicis, extraneis, domeſticis, ſuis pejor uxorem detruncans & tres filios enecans, quarum necem audiens Imperator, non facete ſed ſerio dixit; malle ſe eſſe ſuem quam Herodis filium, quia Judæi ſuinam non comedebant carnem. Seneca.

Poſtremo *peſſimus ſibi*, Tum quia mens ejus ambitione, invidia cæteriſque paſſionibus, velut tot carnificibus dilaceratur: *In ſe vadit, qui vadit ad Deum; ſe occidit, qui vitam conatur occidere:* Tum quia anxietate continuo turbatur, neſciens an parvulus cujus formidat regnum, cum tot pue- Chryſol. Serm. 152 Chryſol.

rulis ſit occiſus: *Nihil ferociſſima egiſti authoritatis audacia: potes martyres* D.Aug. Serm 9 de Sanctis. *facere, Chriſtum non potens invenire*; multominus valens illum perdere & occidere; *quia capi non poteſt perditione ſalus, occiſione vita*: Tum quia ab occiſis Innocentibus accuſatur, & intus in conſcientia ſanguineis eorum imaginibus, velut tot furiis dilaceratur. Chryſol. Chryſol. *Infœlix homo, qui ſibi ad accuſationem paravit omnia; ad excuſandum ſpatium non reliquit, ſed totum paravit ad pœnam. Quis excuſabit, quem pulſat innocentia, infantia impetit, lac ut ſanguis accuſat?* Tum quia horrendo & crudeli illo facinore in infernum æternaliter puniendus præcipitatur. Chryſol. *In altum tendens, cadit ab alto: cœlum pulſans, intrat profundum.* Tum quia in ultimo judicio formidans, humiliatus, deſpectus, judicandus & condemnandus, apparebit ſimul cum diabolo, qui eum ad tantam incitavit crudelitatem. Ser.8.de Sanctis. *Manet authori & inimico ſupplicium, diaboli & Herodis judicium, cum iſta cœperit reſurrectio mortuorum.* Tum quia confuſione & deſperatione agitabitur, ſe conſpiciens condemnatum à Chriſto quem ſtulte quæſivit ad necem; & ab Innocentibus, quos injuſte ſuſtulit de vita. D. Aug. ibid. *Herodes, quid putas acturus eris, quando contra te tantorum claſſes Infantium judiciale cœperint exercere litigium? Invenies claram linguam, vocem magnam, menſuram perfectam, omnes juvenes candidatos in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti fulgentes. Cum ſtare cœperint ante eum, quem putaveras occidendum, pro quo fuderunt ſanguinem pretioſum; ipſum videbis in throno igneo præſidentem, illos ſolium Dominicum circundantes, candore rubeo ſplendeſcentes. Quid acturus eris, quid dicturus? Tacebis reus, dum tantus contra te clamabit numerus Sanctorum.* Apocal. 6. Vindica Domine ſanguinem ſervorum tuorum.

Has aliaſque pœnas merito patitur Herodes in infernum detruſus ſimul cum diabolo, qui eum incitavit ad quærendum Chriſtum in cunis jacentem: Chryſol. Ser. 150 *Herodes quærebat, ſed quærebat diabolus per Herodem, qui videbat ſibi Magos quos habebat in erroribus ſuis principes aufugiſſe; Chriſtus ſi vinctus pannis, ſi ſub matris uberibus occupatus, ſi tacens lingua, ſi latens opere, ſi greſſus nullus; diaboli ſigniferos, hoc eſt Magos, in duces fideliſſimos commutavit. Perfectæ ætatis Chriſtus quid poſſet facere, diabolus jam videbat: & ideo monebat Iudæos, inſtigabat Herodem, ut Chriſti ſuſpectam ſibi præveniret infantiam, ut futura virtutis ejus anticiparet inſignia, ut peremptorium ſibi, nobis victorioſiſſimum vexillum crucis callidus machinator auferret.* Tyrannus Herodes, tyrannus diabolus. Herodes Judææ regnum injuſte uſurpaverat, diabolus mundum mendacio divinitatis repleverat; utrique ſuſpecta Chriſti infantia. Herodi quidem, qui metuebat ne natus rex eum de tyrannide deponeret: diabolo etiam, qui ex converſione Magorum colligebat quanta facturus eſſet Chriſtus quando ad perfectam perveniſſet ætatem. Ea de cauſa ad præveniendam utriuſque ruinam, Herodem jam ad cædes adhelantem inſtigat, & ne in concepto facinore aberret, ei Infantium occiſionem inſpirat. *Sed ille qui agnum tentavit, ipſe*

ipſe per Herodem agnos jugulavit, exiſtimans Chriſtum quem imperii ſui præ-
videbat deſtructorem in tanta Infantium multitudine reperiri. *Herodes* D. Aug. Serm. 8. de
quoque in diabolo fremit, unde ſi parvulos interficiat, Ieſum ſibi videtur occidere, Sanctis.
& per ejus necem thronum ſuum ſolidare. Quod diabolus per Herodem D. Leo
tentavit, id quotidie per ſceleroſos exequitur Chriſtianos. Herodes quæſivit Serm. 5. de
Chriſtum, ſed fugientem non invenit; voluit occidere ſed non occidit: At Epiph.
peccatores ultro ſe offerentem Chriſtum inveniunt, & inventum in Altaris
myſterio, in ſemetipſis interimunt: *Sceleratiſſimi de ſacramento infanticidij.* Tertull.
Herodes iratus quod illuſus eſſet à Magis, occidit cunctos pueros qui erant Apol. 7
in Bethleem à bimatu & infra; idipſum diabolus *utique facere ſine ceſſatione* D. Leo ib.
molitur; dum primordiis renatorum, Spiritum ſanctum eripere, & quamdam
teneræ fidei velut infantiam tentat extinguere. Cum hoc tamen diſcrimine,
quod renatis diabolus infantiam eripiens fidei, affert eis mortem, non natu-
ralem & corporis, ſed ſupernaturalem & animæ: Herodes vero auferens in-
fantibus naturalem corporis vitam; eos à ſupernaturali animæ morte libera-
vit, & ad vitam immortalem acceleravit; quia pro Chriſto, qui eſt vera vi-
ta, morientes, Martyres habentur, & ut tales ab Eccleſia venerantur.

Parvulorum dilector, cur Innocentes Herodis ſævitiæ expoſitos relinquit, & II. PARS.
Chriſtus ſola fuga fit ſalvus? Hujus fugæ plures refert Chryſologus rationes, è Tert. l. 4 adv.
quibus duas ſelegi, quarum una reſpicit Chriſtum; alia ſpectat Innocentes. Marc. 23
Fratres, quod fugit Chriſtus, myſterij fuit non timoris: Chriſtus, ſi mactatus in illo Chryſol.
grege lactentium tunc fuiſſet, mors ei caſus fuerat, non voluntas; non virtus Serm. 151
fuerat, ſed infirmitas; neceſſitas fuerat, non poteſtas; innocentiæ fuiſſet præ- Chryſol.
mium, majeſtatis gloria non fuiſſet. Chriſtus autem oblatus eſt quia ipſe voluit, ibid. Ser. 150
ſuſtinuit mortem, non ex neceſſitate, ſed ex electione. *Sed quid dicimus, quod* Chryſol.
rex ipſe qui ſtare debuit fugit ſolus, & fugit mortem? Fugere iſtud eſt amoris in- Serm. 152
timi, non timoris ignaviæ. Si ſteiiſſet Chriſtus, haberet Infantes ſynagoga filios;
hos Eccleſia Martyres non haberet: at nunc ab Eccleſia ut Sancti 1. veneran-
tur: 2. Martyres declarantur: & 3. ut tales, in cœlo immortalitate donantur.

1. *Ad innocentiæ commendationem* qua decorantur Infantes, tria potiſſi- Tertull.
mum concurrunt: ſcilicet Chriſti ſanctitas, Eccleſiæ auctoritas. Herodis ini- Apol. 2
quitas. 1. Chriſti ſanctitas in Innocentes ſeſe diffundit: *Neque enim otioſe ve-*
nit, quod ex Maria natum eſt Sanctum, ſed copioſe diffundit, & nomen & gra- D. Bern. Serm. de
tiam ſanctitatis. Nimirum inde Stephanus ſanctus, inde etiam ſancti Innocentes; Sanct. In-
quos ut Sanctos veneratur Eccleſia; quæ 2. pro authoritate qua pollet inſti- noc.
tuendi dies feſtos ad Sanctorum honorem, ſingularem ſolemnitatem inſti-
tuit, ad ſanctorum Innocentium venerationem. Ut autem ſubjungit D.
Bernardus de feſtis S. Stephani, S. Joannis, & Innocentium loquens: *Vtili*
proinde diſpenſatione, triplex iſta ſolemnitas Natale Domini comitatur, ut non
modo inter continuas ſolemnitates devotio continua perſeveret, ſed & fructus
Dominicæ Nativitatis exinde nobis ex quadam proſecutione velut innoteſcat. Si-

quidem advertere eſt in his tribus ſolemnitatibus triplicem quamdam ſpeciem ſanctitatis; triplici ſcilicet martyrio annexam, martyrio voluntatis & operis in B.Stephano, martyrio voluntatis & non operis, in dilecto Diſcipulo; martyrio operis, & non voluntatis, in ſanctis Martyribus. Ad quod 3. non parum ſervivit Herodis iniquitas. Quapropter ſic illum alloquitur D.Auguſtinus: *Vis noſſe quid infantibus quos trucidaſti praſtiteris? Iam acceleraſti eos ad vitam, ne cum ſuis parentibus occiderent veram vitam. Hoc illo per te agente, qui novit bene etiam uti malis tuis, illorum animas liberavit à parentum internecionis ſua ſocietate, & te ſolum reliquit inanem in ſcelere.* In occiſione Infantium merito Dei providentiam miratur D. Auguſtinus; permittentis Herodis crudelitatem ut trucidatos Infantes à malo erueret, & bonum eis procuraret. Erueret à malo; tum ne forent participes iniquitatis patrum ſuorum qui Chriſtum injuſte morti tradiderunt; tum ut ab originali culpa, ſuo ſanguine mundarentur; ut eis immortalem procuraret vitam, quam ſibi per verum martyrium compararunt.

Lib.3 de Symb ad Catechũ. c.4.

2. *Martyriorum praſtantiam* alioſum demonſtravimus, quam adhuc commendat D. Auguſtinus. *Ecce martyrium Chriſti, & apud homines in hoc mundo, non ſolum non eſt opprobrium; ſed magnum eſt ornamentum. Ecce non ſolum in conſpectu Domini, verum etiam in conſpectu hominum jam pretioſa eſt mors Sanctorum ejus. Ecce non ſolum non contemnuntur, verum etiam magnis honoribus praferuntur Martyres.* Tantus eſt martyrii honor, ut illud gloriam nuncupet D. Hilarius, qua decoratos vult Innocentes. *In aternitatis enim profectum per martyrij gloriam efferebantur:* addens illorum ſtragem meram fuiſſe gloriam ſub martyrij habitu repoſitam. Univerſalis etiam Eccleſia Innocentium agnoſcit gloriam, quos tanquam veros martyres recognoſcit, *Non fruſtra Infantes illos, qui cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus necandus ab Herode quaereretur, occiſi ſunt, in honore Martyrum receptos commendat Eccleſia.* Quod ita certum videtur D.Bernardo, ut de eo nullus valeat dubitare, niſi neget fuiſſe ſuo ſanguine regeneratos, & à Deo in filios adoptatos. *An vero de Innocentium coronis quis dubitet? Ille pro Chriſto trucidatos Infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos à Chriſto non credit inter adoptionis filios numerari.* Qui eis negat regenerationem, Dei adoptionem, & conſequenter martyrii coronam, Eccleſiæ authoritati derogat, quæ eos inter Martyres numerat; Dei providentiam culpat, permittentis occidi Infantes quos ſolo nutu à morte liberare poterat. *Alioquin quando coavos ſibi pueros, Puer ille, qui natus eſt nobis, non contra nos, propter ſe pateretur occidi, quod utique ſolo nutu poterat prohibere, niſi melius aliquid eis provideret.*

Tertull. Prædic. tom. 4. Conc. 3 de martyr Ser.9. in Pſal.118 Apud Jãſen.inCõcord. Evang.c.11

D.Aug. Epiſt.28 ad Hiero.

D. Bern.

Verum parva non eſt difficultas, quomodo Infantes poſſunt martyrio coronari qui martyrii palmam non potuerunt mereri. Ad meritum enim requiritur rationis uſus, & liberum voluntatis exercitium. Trucidati autem infantes neque rationis uſu, neque libertatis exercitio pollebant.

Non

Nonnulli ut nodum illius difficultatis ſolvant, volunt ratiocinationē & libertatem Parvulis miraculosè acceleratas, qui à bimatu ita voluntate & libertate uſi ſunt, ac ſi perfectæ fuiſſent ætatis. Illorum mentem non approbans Chryſologus, parvulis denegat rationis uſum, exercitium libertatis, & voluntatis meritum: *In parvulis qua voluntas, quod arbitrium, ubi captiva fuit & ipſa natura?* Sermo 152 Alii exiſtimant Infantes in momento quo paſſi ſunt, habuiſſe rationis uſum, eorumque animas à corporibus ſolutas Chriſtum cognoviſſe, eumque confeſſas fuiſſe. Verùm hæc ſententia difficultatem inſolutam relinquit: confeſſio enim Chriſti, ut ſit voluntaria, debet fieri ab anima dum eſt in corpore, non poſtquam eſt ſeparata à corpore; & libera acceptio debet præcedere, non ſequi martyrium: Neque illi ſententiæ favet D. Cyprianus de puerulis ajens; *Adepti rationis & intellectûs plenitudinem, in occurſum Chriſti feſtinant.* Serm. de Mag. & Innoc. Sanctus enim Martyr duntaxat docet Innocentes poſt mortem fuiſſe rationis uſu præditos, perfectèque Chriſtum cognoviſſe poſt ſeparationem animæ à corpore, quem nullatenus cognoſcebant quandiu anima informabat corpus. Quidam plus audent, tribuentes Infantibus ultra rationis uſum & voluntatis arbitrium, loquelam & oris ſermonem, quo Herodi, ejuſque ſatellitibus ſuam exprobrârunt crudelitatem. Verùm, ut bellè Chryſologus, Innocentes *confitentur tacentes, neſcientes pugnant, vincunt inſcij, moriuntur inſcij, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes.* Serm. 158 Cùm ſermo externus ſit mentis interpres, Infantes loqui neſcientes ſunt quoque tacentes, Chriſtumque non linguâ & ſermone; ſed ſanguine & morte confitentur. Congruum enim erat ut tacentes confiterentur Chriſtum nondum loquentem. Si ex Magno Gregorio conveniens fuit ut natus Infans annuntiaretur Magis per ſtellam, *ut nedum loquentem elementa muta prædicarent*; Hom. 10 in Evang. quantum à fortiori fuit rationi conſentaneum, ut Chriſtum nondum loquentem confiterentur infantes non linguâ & ſermone, ſed fuſis lacrymis & ſanguine? D. Chryſologus ad martyrium meritum non requirit: Serm. 152 *Hoc loco attendat auditor, attendat ut intelligat; martyrium non conſtare per meritum, ſed venire per gratiam. De martyrio debemus totum Deo, nihil nobis. Vincere diabolum, corpus tradere, contemnere viſcera, tormenta expendere, laſſare tortorem, capere de injuriis gloriam, de morte vitam, non eſt virtutis humanæ, muneris eſt divini. Ad martyrium qui ſuâ virtute currit, per Chriſtum non pervenit ad coronam.* Verùm licèt martyrium ſit Dei donum; licèt nemo ſolâ ſuâ voluntate ſine Dei auxilio poſſit pervenire ad martyrii palmam; licèt gratia præveniens & adjuvans ſit neceſſaria: præveniens, ut voluntatem ad patiendum pro Deo excitet; adjuvans, ut patientem pro Deo mediis in tormentis adjuvet: attamen neutra gratia tollit liberam voluntatis cooperationem, quam ad merendum neceſſariam exiſtimat Tertullianus: Lib. 2. adv. Marc. 6. *Quoniam & aliàs poſitum hominem ſub judicio Dei, oportebat juſtum illud efficere de arbitrii ſui meritis, liberi ſcilicet; cæterùm nec boni, nec mali merces jure penſaretur ei, qui aut bonus, aut malus neceſſitate fuiſſet inventus, non voluntate.* D. Bernardus licèt in aliis Martyribus

bus requirat propriæ voluntatis libertatem, & adhuc meritum quo immortalitatis coronâ efficiuntur digni; quia ſcilicet ſunt rationis usûs, & exercitii libertatis capaces: in Innocentibus tamen ut martyrii honore donentur, neque voluntatis conſenſum, neque virtutis meritum neceſſarium judicat.

Luc. 2. Voluntatis cônſenſum non requirit: Gloria in excelſis Deo, *Angeli dicunt*; &

Matth. 19 in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Magna quidem, ſed audeo dicere, nedum perfecta laus, donec veniat qui dicat*: Sinite parvulos ad me venire, quia talium eſt regnum cœlorum. *Et pax hominibus etiam ſine voluntatis uſu, in ſacramento pietatis.* Neque adhuc proprium meritum deſiderat Bernardus: *Si quaris eorum apud Deum merita ut coronarentur, quare & apud Herodem crimina ut trucidarentur. An fortè minor Chriſti pietas, quàm Herodis impietas, ut ille quidem potuerit innoxios neci dare, Chriſtus non potuerit propter ſe occiſos coronare?* Inde trinum martyrii genus diſcriminat D. Bernardus: Voluntatis, & operis ſimul; voluntatis duntaxat, ſed non operis; operis ſolummodo, & non voluntatis. *Habemus in S. Stephano martyrii ſimul & opus, & voluntatem: habemus ſolam voluntatem in B. Ioanne: ſolùm in beatis Innocentibus opus. Biberunt hi omnes calicem ſalutis, aut corpore ſimul & ſpiritu, aut ſolo ſpiritu, aut corpore ſolo.* Bibit Stephanus corpore & ſpiritu ſimul; bibit Joannes ſolo ſpiritu; biberunt innocentes corpore ſolo. B. Stephanus bibens corpore ſimul & ſpiritu, eſt verè martyr; B. quoque Joannes eſt verè martyr bibens ſpiritu duntaxat & non corpore, de quo D. Hieronymus: *Ioanni defuit martyrium, ſed Ioannes non defuit martyrio; ideoque nec Ioanni defuit martyrij præmium.*

De dupliei Martyr. Quod de cunctis generatim aſſeverat D. Cyprianus, qui martyrii æſtuant deſiderio, etſi de facto non patiantur martyrium: *Martyrium ſine ſanguinis effuſione voluntas prompta deputatur.* Cujus hanc ſubminiſtrat rationem: *Deus enim non æſtimat quemquam ex eventu rerum, ſed ex affectu.* Tandem Innocentes veri ſunt Martyres, etſi non ſpiritu, ſed corpore biberint:

D. Bern. *Vt quemadmodum cæteris infantibus tunc quidem circumciſio, nunc verò baptiſmus ſine ullo propriæ voluntatis uſu ſufficit ad ſalutem; ſic nihilominus pro eo ſuſceptum martyrium illis ſufficeret ad ſanctitatem.* Originale peccatum dicitur voluntarium reſpectu parvulorum, non quòd actu illud commiſerint; ſed quia eorum voluntates erant implicitè & interpretativè contentæ in voluntate Adami, qui actuale commiſit peccatum. Quapropter Deus attemperans remedium ad naturam mali, ordinavit ut quemadmodum pueri in voluntate Adami contrahunt originalem culpam; ita per merita Salvatoris ſalutem conſequantur in baptiſmate, & in voluntate Chriſti recipiant gratiam, ſicut in voluntate Adami contraxerunt peccatum. Ut autem ratiocinatur D. Cyprianus:

De Mag. & Innoc. *Non minus eſt ſanguis, quàm aqua ad lavacrum animæ efficax.* Sicut ergo renati in voluntate Chriſti baptizantur, ita & Innocentes martyrio coronantur. Ex his concludit D. Bernardus: *Si ergo Stephanus martyr apud homines, cujus voluntaria paſſio evidenter apparuit in eo vel maximè, quòd in ipſo mortis articulo tam pro perſequentibus, quàm pro ſeipſo ſolicitudinem gereret amplio-*

ampliorem, vinceretque in eo ſenſum corporea paſſionis interna compaſſionis affe-ctus, ut illorum magis ſcelera, quàm ſua vulnera plangeret. Sic Ioannes apud Angelos martyr, quibus tanquam ſpiritualibus creaturis ſpiritualia devotionis ejus ſigna certius innotuerunt. Cæterùm hi ſunt planè martyres tui, Deus; ut in quibus nec homo, nec Angelus meritum invenit, ſingularis tuæ prærogativa gratiæ evidentius commendetur. Verùm, dicet aliquis, trinum illud martyrii genus eſt gratis & ſine fundamento à D.Bernardo inventum, neque Innocentium mors eſt verum & perfectum martyrium, ad quod meritum, ſicut & liberum voluntatis arbitrium neceſſariò requiritur: *Tota libertas arbitrij in utramque partem conceſſa eſt homini, ut ſui dominus conſtanter occurreret & bono ſponte ſervando, & malo ſponte vitando.* Neque majori fundamento aſſeritur voluntatem Innocentium contentam eſſe in voluntate Chriſti, velut capitis Martyrum. Chriſtus quidem in quantum Martyrum caput, illis præeminet, in eoſque ſecretò influit, non tamen eorum voluntates in ſua voluntate continet; quod probè ſciens D.Bernardus ad ſingularem gratiæ recurrit prærogativam. Idem aſſeverat Chryſologus: *Verè, verè fratres, iſti ſunt gratia Martyres.* Innocentibus ſine uſu rationis & libertatis ab Herode enecatis extraordinario quodam modo Chriſtus vagituum quos promit in ſtabulo, & lacrymarum quas fundit in præſepio, fructum & meritum applicat; quatenus ſuppleat defectum rationis & libertatis Innocentium, & extraordinaria illa applicatio dat illis martyrii palmam. Quomodo ſeſe explicat Chryſologus: *Sicut virginitas corruptionis neſcia contulit honorem Matri; ſic infantia paſſionis ignara, martyrij palmas rapuit & coronas.* Quemadmodum enim olim in circumciſione, & nunc in baptiſmo infantes emundantur ab originali culpa, & gratiâ ſanctificante donantur abſque ulla eorum actuali voluntate; quia Deus ſupplet defectum voluntatis infantium per applicationem meritorum Chriſti, quæ cùm ſint infiniti valoris, ſine voluntatis libertate valent delere originalem culpam, & conferre ſanctificantem gratiam. Similiter ſingulari privilegio idem præſtitit Innocentibus uſu rationis & libertatis carentibus. Concludamus igitur cum D.Auguſtino: *Egit & agit gratia cauſas ſuas, & per inimicos ſuos, & per ipſos, & in ipſos. Nam & ipſi qui moriebantur, naturâ erant filij iræ, ſicut & cæteri. Sed quid eis præſtitit gratia, niſi ut erueret eos de poteſtate tenebrarum? Præſtitit eis Chriſtus ut pro Chriſto morerentur; præſtitit ut ſuo ſanguine ab originali peccato diluerentur: Nati ſunt ad mortem, ſed continuò eos mors reddidit vitæ.* Dinumerat D.Auguſtinus privilegia, quæ ſingularis Chriſti gratia contulit Innocentibus. 1. Præſtitit illis ut pro Chriſto morientes honore martyrii donarentur. 2. Sanguis, quem pro Chriſto fuderunt, emundavit eos à peccato originali, & ſanctitatem eis contulit. 3. Præſtitit, ut illi qui erant nati ad mortem, immortali vitâ donarentur.

Tert. l.2. adv. Marc. 6.

Serm. 152.

L.3. de Symb ad Catech. 4.

3. Sævientes tyrannos ſic alloquuntur Martyres: *Cruciate, torquete, atterite nos; probatio eſt enim innocentiæ noſtræ crudelitas veſtra: Ideò hæc nos Deus pati patitur.* Neque ſolummodo patitur Deus nos pati tanta ſupplicia, ut veſtrâ

Tert. apolog. 50.

ſtrâ crudelitate noſtram oſtendat innocentiam ; ſed etiam ut veſtra inhu-
manitas nobis ſerviat ad acquirendam immarceſſibilem gloriæ coronam: ſa-
Tert. l. ad nè *crudelitas veſtra noſtra eſt gloria.* Uti tyrannorum ſævitia multum profe-
Scap.4 cit Martyribus, ita Herodis inhumanitas utiliſſima fuit Innocentibus. Ut
Apud Lu- enim fatur D.Auguſtinus: *Nunquam profanus hoſtis beatis parvulis tantum pro-*
dolph à *deſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio.* Quantum autem Innocentibus
Saxon.p.1 profecerit Herodis animadverſio & crudelitas, alioſum fusè declarat Hip-
c.13 ponenſis Antiſtes: *Quàm beata ætas,quæ necdum Chriſtum poteſt loqui,& jam*
Serm.9. *pro Chriſto meretur occidi! Nondum opportuna erat confeſſioni , & jam idonea*
de Sanctis. *paſſioni! Quàm feliciter nati, quibus in primo naſcendi lumine æterna vita ob-*
viam venit? Incurrunt quidem inter ipſa primordia accepta lucis periculum,
& finem ſalutis,ſed de ipſo protinus fine capiunt principia æternitatis. Immatu-
ri quidem videntur ad mortem,ſed feliciter moriuntur ad vitam. Vixdum degu-
ſtaverunt præſentem , ſtatim tranſeunt ad futuram. Nondum ingreſſi infantiæ
cunas,& jam perveniunt ad coronas. Rapiuntur ab amplexibus matrum , ſed
recipiuntur gremiis Angelorum. Longiuſculè quidem, ſed tamen eloquenter
D. Aug. l. refert D.Auguſtinus damna & lucra Innocentium : *Quos interfecit mortique*
de Symb. *propinavit Herodes,ſed eis immortalitatem æternamque vitam donavit Chriſtus:*
legendo quos ob hanc cauſam meritò prædicat Chryſologus ; *Beati, quos martyrio*
de Adv. *natos vidimus,non ſeculo. Beati, qui labores in requiem, in refrigerium dolores,*
Dom. *mœrores in gaudium commutarunt!* D. Ambroſius expendens iſtud Joannis:
Serm 152 Quod factum eſt in ipſo vita fuit,ſic fatur: *Infantia in Chriſto facta fuit, ergo*
Joan. 1 *Infantia in Chriſto vita fuit* , quam infans Chriſtus largitus eſt Infantibus
Chryſol. ſuî causâ morientibus. Itaque *vivunt, vivunt, qui verè vivunt, qui pro Chriſto*
Serm 152 *merentur occidi.* Hi ſunt Innocentes, qui ex Chriſti æquitate in cœlo coro-
nantur.

III. PARS Chriſtus conſiderari poteſt tanquam Rex, tanquam exercitûs Imperator,
& tanquam Deus. Tanquam Rex habet ephœbos honorarios, qui ejus ho-
nores deferunt ; tanquam ductor exercitûs habet milites, qui pro eo decer-
tant; tanquam Deus habet victimas,quæ ad ejus honorem immolantur. In-
nocentes ſunt ephæbi Chriſti Regis; milites Chriſti ductoris; victimæ Chri-
ſti Dei. Ut 1. ephæbi,regiis coloribus ornantur: 2. ut milites,palmâ victo-
riæ coronantur: 3. ut victimæ, Dei majeſtati immolantur.

Tert l. de 1. *Proprius habitus uniuſcujuſque eſt ad honorem & dignitatem.* Alium ha-
Idol. 17 bitum propriæ dignitatis habent Sacerdotes & Antiſtites; alium Senatores
& Præſides ; alium Reges & Imperatores. Olim *apud Aegyptios & Babylo-*
Tert. ib. *nios purpura & aurum,& cervicis ornamentum,inſignia erant dignitatis.* His
ornamentis præſertim denotabantur Reges,& ab aliis diſcriminabantur; quæ
Tertull. interdum *honoris nomine conferebantur his , qui familiaritatem Regum mere-*
bantur. Sic Aſſuerus Perſarum rex Mardochæum induit veſtibus regiis: eun-
dem honorem Joſepho contulit Pharao rex Ægypti: hac etiam tempeſtate
Reges habent inſignia ſuæ majeſtatis, proprioſque colores,quibus ephœbis
hono-

honorariis deferendos conferunt : *Chriſtus Rex regum* proprios habet colo- Tert. l de
res; nempe rubeum, & candidum : ideò *candidus & rubicundus* apparet. In Reſ. 23
curia Herodis fuit veſte candidâ indutus, in prætorio verò Pilati purpurâ or- Cant. 5
natus. Candida, quâ fuit indutus, ejus innocentiam denotat; purpura verò,
charitatem ſignificat. Innocentes ſunt magni illius Regis ephœbi honorarii,
ſuos deferentes colores. *Vnde & purpurati vocantur à purpura, ſicut à toga* Tert. l. de
candidati. Utrumque colorem à Chriſto mutuantur, & in martyrio pro Idol. 17
illo paſſo purpurantur & candidantur : *Candore rubeo ſplendentes propter* D. Aug.
candidam ætatem, & ſanguinem paſſionis. Quare dum in cœlum intrant Serm. 8. de
triumphatores, Angeli præ honore decantant: *Hi ſunt, qui veniunt ex illa preſ-* Sanctis.
ſura magna, & laverunt veſtimentum ſuum, & dealbaverunt ipſum in ſanguine Tertull.
Agni. Sanguis pro mundo effuſus purpurat quidem, ſed non candidat; quia Scorp. 12
peccatorum maculas non emundat : at ſanguis pro Chriſto effuſus utrum-
que præſtat colorem. Rubeam quidem; quapropter D.Cyprianus ſic Mar-
tyri congratulatur : *Velut ſocio Chriſti cruore decoraris.* Candidum etiam :
ideoque generoſus ille miles coronam ex floribus contextam, de manu Im-
peratoris recuſat, *ruſſatus ſanguinis ſui ſpe, de martyrij candida melius coronan-* Tert. l. de
dus. Martyrii candidam nuncupat Tertullianus; quia, ut ipſe aliorſum do- Cor. mil. 1
cet, *ſordes baptiſmate abluuntur, macula verò martyrio candidantur*, quod Scorp. 12
eſt baptiſmus ſanguinis, eoſdem præſtans effectus quos aquæ lavacrum : nam
à peccatis emundat, gratiæ decorem communicat, largitur jus ad æternam
beatitudinem. Innocentes *vice Chriſti, & pro Chriſto avulſi à matrum ube-* D Cypr.
ribus detruncantur, & tanquam ejus ephœbi *pro Chriſto mortui ſunt, & marty-* de Mag &
rij tulerunt coronam, tanquam cœleſtis illius Ducis milites fortiter decer- Innoc.
tantes. Orig. Hó. 3. de Diverſis.

2. *Et tu Bethleem, non minima es in ducibus Iuda : ex te enim exiet dux,*
qui paſcat populum meum Iſrael. De quo ominatur Propheta Evangelicus, Tertull.
cujus verba tantiſper immutata refert Tertullianus: [Priuſquam cognoſcat lib. adv.
puer vocare patrem & matrem, accipiet virtutem Damaſci, & ſpolia Samarię Jud. 13
adverſus Regem Aſſyriorum.] *Maneant Orientales illi Magi, in infantia* Iſa 8
Chriſtum recentem auro & thure munerantes, & acceperit infans virtutem Lib. 3.
Damaſci. Conſtat enim *Orientis virtutem, id eſt, vim & vires, auro & odori-* adv. marc.
bus pollere ſolitam; virtutem cæterarum quoque gentium, aurum conſtituere. 13
De illo autem auri munere, quod Chriſto nato obtulerunt Magi, fatur Re-
gius Vates: [Et dabitur illi de auro Arabiæ.] &, [Reges Arabum & Saba
munera afferent illi.] At *Damaſcus Arabiæ retro deputabatur, antequam*
tranſcripta eſſet in Syrophœnicen, ex diſtinctione Syriarum : cujus tunc virtutem
Chriſtus accepit, accipiendo inſignia ejus, aurum ſcilicet & odores. Spolia au-
tem Samariæ, ipſos Magos : qui cùm illum cognoviſſent, & muneribus hono-
râſſent, & genu poſito adorâſſent quaſi Deum & Regem, ſub teſtimonio indicis &
ducis ſtellæ, ſpolia ſunt facta Samariæ, id eſt, idololatriæ, credentes videlicet in
Chriſtum. Idololatriam enim Samariæ nomine notavit, ut ignominioſa ob ido-

Idolatriam, quâ deſciverat tunc à Deo ſub rege Hieroboam. Adverſus Regem
autem Aſſyriorum, *adverſus Herodem intellige, cui utique adverſati ſunt Magi
tunc, non renuntiando de Chriſto, quem intercipere quærebat.* Iſaiæ vaticinium
optimè explicat Tertullianus, cujus allegorica prædicatio, & figurata locu-
Tert. l. de Idol. 9 tio adimpleta eſt Herodis tempeſtate, in qua *Magi ab Oriente venerunt, na-
tum Chriſtum annuntiaverunt, primò muneraverunt*: quique in ſomnis admo-
niti ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.
Tert. l. 3 adv. marc. 14 *Sic bellipotens & armiger Chriſtus* allegoricè & figuratè dicendus. Hujus au-
tem figuræ veritas adimpleta eſt in Bethleem, ubi *infantes in prælium erum-
punt* adverſus Herodem, & de immani & ferocienti illo tyranno glorioſam
Tert. l. 3 adv. marc. 13 reportant victoriam, quam ſic commendat D. Auguſtinus: *O magnum donum
gratiæ! quibus eorum meritis præſtitutum eſt ut vincerent infantes! Necdum
L. 3. de Symb. ad Catech. 4. loquuntur, & Chriſtum confitentur; necdum motibus membrorum valent ſuſci-
pere pugnam, & jam victuri efferunt palmam. Quomodo regnas Herodes, qui ſic
vinceris? Non te armatorum virorum fortium ſuperavit manus, ſed innumera-
bilis vicit turba morientium parvulorum.*

Tertullianus fuſè refert certamen Jobi cum diabolo: Chryſologus etiam
Serm. 135 L. de Pat. 14 *divina narrat prælia parvulorum.* Job nuncupatur à Tertulliano *operarius vi-
ctoriæ Dei*: Innocentes pariter ſunt operarii victoriæ Chriſti. In conflictũ Jo-
Tertull. bi cum dæmone *ridebat Deus, diſſecabatur malus*: in prælio Innocentium cum
Herode ſtridebat, diſſecabatur ſævus ille tyrannus; ridebat & lætabatur
D. Cypr. epiſt 9. ad Mart. Chriſtus. *Quàm lætus illic Chriſtus fuit, quàm libens in talibus ſervis ſuis, & pu-
gnavit, & vicit!* Deus per Jobum de diabolo triumphavit: *Quale in illo viro
Tertull. feretrum Deus diabolo extruxit! Quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit!*
Chriſtus ſimiliter de Herode triumphavit, glorioſumque de inimico gloriæ
Chryſol. Ser. 153 ſuæ vexillum extulit mediis Innocentibus, qui *Chriſto dicati milites cœperunt
antè militare, quàm vivere; antè pugnare quam ludere; fundere antè ſanguinem,
quàm lactu ubera perpotare. Ardentes animæ moras corporis non tulerunt, à
gremio ad furentes hoſtium cuneos pervolantes, anticipant virtutibus blandi-
menta, vulneribus oſcula, unguenta ferro, ut cœlum poſſint antè inhabitare, quàm
terram; præmia ſpiritûs antè portare, quàm carnem; antè referre triumphos Deo,
quàm perferre hominum nutrimenta.*

Reges ſtipantur militibus ad ſuî conſervationem deſtinatis. *Eſt & alia mi-
Tert. l. de Cor. Mil. 12 litia regiarum familiarum.* Ductores quoque exercitus habent milites ſuî cu-
ſtodes, qui & *Caſtrenſes appellantur.* Chriſtus natus eſt Rex, & exercitûs
Tert ib. Imperator, ad cujus cuſtodiam deputati Infantes, omnes occubuerunt, ut
eum ab hoſtis furore liberarent. *Cohorta Regi cohors ſua magis præmori, quàm
Chryſol. Ser. 153 commori tota geſtit.* Ductor exercitûs in bello peritus aliter ſe habet quando
cum hoſte præliatur, aliter cùm à prælio recedit. Quando vult cum hoſtibus
congredi, in prima acie exercitûs validiores ponit milites, ut magno impetu
irruentes in inimicos, eorum frangant cuneos, & proſternant phalanges;
quando autem ab hoſtibus ſe recepit, in acie exercitûs fortiores ſtatuit co-

pias,

pias, quæ inimicorum impetus validius ſuſtineant, & totum tueantur exerci-
tum: Chriſtus ducum & bellatorum peritiſſimus, illo uſus eſt ſtratagemate.
Nam congrediens cum hoſte, in anteriore parte ſtatuit innocentes, qui primi
martyrium ſubierunt, & ut fatur D. Auguſtinus, cæteris Martyribus martyrii Ser. 28. de
formam demonſtrârunt: *In occiſione Infantium cunctorum Martyrum forma* Epiph.
præceſſit: recedens verò ab hoſte in poſteriori parte infantes collocat, qui
ad necem uſque decertantes, ſuâ morte Ducis conſervârunt vitam. Quibus
multò magis addictus eſt Chriſtus, quàm cæteris Martyribus ſive veteris, ſive
novi Teſtamenti. Martyres veteris Teſtamenti, tantum abeſt ut Chriſtum
exemerint à morte, quin imò eum aliquo modo morti adſtringebant, tan-
quam figuræ ſuæ paſſionis, quæ non poterant adimpleri, niſi verè moreretur Chryſol.
in cruce. Illas figuras *Chriſtus impleturus vir, infans mortem diſtulit, non au-* Ser. 150
*fugit. Denique fuga ejus non de periculi metu, ſed de prophetia veniebat myſte-
rio. Chriſtus ergo fugit ut ſtaret legis veritas, prophetiæ fides*: ſcilicet ut adim-
pleret cuncta, quæ in veteri Teſtamento de ipſo prophetata & præfigurata
fuerant: *Quoniam ipſe eſt ſignaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia* Tertull. l.
quæ retrò Prophetæ de eo nuntiaverant. Martyres novi Teſtamenti Chriſtum adv. Jud. 8
quidem ad mortem non obligaverunt, quia eam non præfigurabant, illum
tamen ſuâ nece à morte non exemerunt, quia Chriſtus reſurgens ex mortuis Rom. 6
jam non moritur, neque amplius ſævitiæ & injuſtitiæ inimicorum ſuorum
exponitur: at Innocentes multò feliciores Martyribus tum veteris tum novi
Teſtamenti, nec ſunt figuræ nec pignus paſſionis Chriſti, ſicut Martyres vete-
ris Teſtamenti, ſed ſuâ morte Chriſtum à morte eximunt, quod non præſtant
Martyres novi Teſtamenti.

At Chriſtus futurorum præſcius, conſcius ſecretorum, cogitationum judex, Chryſol.
mentium perſcrutator, quare deſeruit quos ſciebat quærendos eſſe propter ſe, & Serm. 152
*propter ſe noverat occidendos? Natus Rex, & Rex cœleſtis, quare neglexit milites
innocentiæ ſuæ? coætaneum ſibi quare contempſit exercitum? quare cuna-
bulis ſuis deputatas excubias ſic reliquit, ut Regem ſolum quæſiturus hoſtis, totum
graſſaretur in militem?* Plures eaſque pulcherrimas præbet Chryſologus fu- Ser. 150
gæ ſeu perfectionis Chriſti in Ægyptum rationes, quibus prætermiſſis ad- 151
duco ſolutionem, quam ipſemet præfatæ dat objectioni: *Fratres, Chriſtus
non deſpexit ſuos milites ſed provexit, quibus dedit antè triumphare, quàm vive-
re; quos fecit capere ſine concertatione victoriam; quos donavit coronis ante-
quam membris.* Coronæ victoribus debentur. *Quinam iſti tam beati victores,* Tertull.
niſi propriè Martyres? Illorum enim victoria, quorum & pugna; eorum verò pu- Scorp: 12
gnæ, quorum & ſanguis. Innocentes ſanguinem fuderunt; fundentes ſangui-
nem fortiter pugnaverunt, generoſèque pugnantes, victores extiterunt; & in
præmium victoriæ tanquam Chriſti milites coronantur, cujus adhuc gloriæ
tanquam victimæ immolantur.

3. *Infantes penes Afri am Saturno immolantur.* Verùm impiè, quia ſoli
Deo, & non homini offerendæ ſunt victimæ; Saturnus autem non erat Tert. A-
pol. 8

 Deus,

ideò deflet quaſi non ſint reputati; ſoloſque Judæ filios pro Chriſto immolatos felices exiſtimat.

Et meritò: nam quid glorioſius quàm pro Deo mori, & Chriſto nato immolari? Quod innuere videtur Salomon: *Sapientia*, inquit, *ædificavit ſibi domum, immolavit victimas ſuas*. Per domum, quam ædificavit ſapientia Dei, Ignatius martyr Virginalem Mariæ interpretatur uterum. Sed quid eſt, quòd poſtmodum victimas ſuas immolâſſe dicitur? Pro ly *immolavit*, Aquila legit *diſpoſuit*; Theodotion vertit, *ſtravit*, quo innumeram victimarum multitudinem denotet; Cajetanus verò, *laniavit laniationem ſuam*: tandem Tertullianus: *jugulavit filios ſuos*. Et quinam ſunt illi filii, qui ad laniationem diſponuntur, & ad jugulationem ſtipantur? Hi ſunt Innocentes Martyres, qui primitias tyrannici furoris contra infantem Deum concepti, in corpuſculis ſuis feliciter exceperunt. *Par namque erat, ut Deo nato in terra virginalibus ex ſanguinibus, coætanei in cœlis fuſo ſanguine naſcerentur*. Notanter ſanguinem ſanguini componit. Nimirum quia in terra infans Deus natus eſt ex virginalibus ſanguinibus; idcircò oportebat ut Infantes ejus coætanei, in cœlis fuſo ſanguine naſcerentur. Chriſto nato Innocentes ſuum debebant ſanguinem, quo ejus nativitatem honorarent, & vice ipſius morientes, ab Herodis furore Chriſti vitam conſervarent. At immuneratum non remanſit Chriſto præſtitum à ſuis coætaneis officium; nam immolatæ infanti Deo *ipſæ hoſtiæ coronantur* in cœlo *coronâ æternitatis*: & ſicut in terra Deus naſcitur ex virginalibus ſanguinibus; ſic Innocentes tunc in cœlis fuſo ſanguine naſcuntur ad immortalem vitam. Quemadmodum *tunc Paulus civitatis Romanæ conſequitur nativitatem, cùm illic renaſcitur martyrij generoſitate*; ita Innocentes tunc in cœlo conſequuntur nativitatem & gloriam, cùm in Bethleem ſuo ſanguine purpurantur, & martyrio coronantur.

Prov. 9

Epiſt. ad Philipp.

Leo Auguſtus Orat. 4

Tert. l. de Cor. Mil. 10

Tert. l. ad Mart. 3

Tertull. Scorp. 13

Sed expendendum reſtat cur illa filiorum jugulatorum laniena, quæ infanti Deo nato crudeliter perpetratur, ab ipſamet Dei ſapientia fieri dicitur: *Sed & homicidam Deum de fiducia rationis amplectar, qua ratione etiam ipſe ſe plusquam homicidam pronuntiavit ex ſophia ſuæ perſona, voce Salomonis. Sophia*, inquit, *jugulavit filios ſuos. Sophia, ſapientia eſt*. Ut autem ſubjungit Tertullianus: *Verba non ſono ſolo ſapiunt, ſed & ſenſu. Nec auribus tantummodo audienda ſunt, ſed & mentibus. Crudelem Deum qui non intelligit, credit. Quanquam & non intelligenti poſita ſententia eſt, quæ temeritatem cohibeat aliter intelligendi*, id eſt, malè & pravo ſenſu intelligendi. Non eſt magis ſtupendum quòd Deus intelligatur jugulâſſe Innocentes, quàm jugulâſſe Filium ſuum unigenitum. Ex Apoſtolo namque [Deus Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.] *Vides quomodo etiam proprium ſuum Filium primogenitum & unigenitum Sophia divina jugulaverit*: & quod eſt adhuc majori admiratione dignum, *Poſſum dicere cum Sophia Dei, Chriſtus eſt qui ſe tradidit pro delictis noſtris, jam & ſemetipſam Sophia jugulavit*. A multis traditus & jugulatus fuit Chriſtus. Traditus ab æterno Patre, qui ob

Tertull. Scorp. 7.

Tertull.

amorem noſtrî dedit illum ; traditus à ſemetipſo, oblatus eſt enim quia ipſe voluit,& ultra ſe miſit in manus inimicorum ſuorum ; traditus à Juda, qui eum cohorti militum comprehendendum tradidit ; traditus à Judæis, qui eum morti damnârunt; traditus à ſatellitibus,qui eum crucifixerunt. *O quantos Domine Ieſu,habes percuſſores ! Percutit te,Domine, Pater tuus, qui proprio Filio ſuo,id eſt tibi non pepercit,ſed pro nobis omnibus tradidit te ; percutis tu teipſum, tradis enim in mortem animam tuam , quam nemo poteſt tollere à te ſine te;percutit te diſcipulus impius oſculo falſo; percutit te Iudæus colaphis & alapis; percutiunt te Gentiles flagellis & clavis.* Ab omnibus illis traditus, percuſſus, jugulatus,& crucifixus eſt Chriſtus. Sed longè diverſâ ratione. Pater æternus Filium tradidit ex amore & benevolentia ; Filius ſemetipſum tradidit,ex compaſſione & miſericordiâ ; Judas tradidit magiſtrum ſuum,ex perditione & avaritia ; Judæus tradidit Chriſtum benefactorem ſuum,ex livore & invidia; ſatelles tradidit Deum ſuum ex inhumanitate & ſævitia : *Tradidit Iudas Chriſtum,& damnatur ; tradidit Pater,& glorificatur ; tradidit ſeipſum Filius, & laudatur.* Tres cauſæ concurrunt ad producendum eundem effectum ; ſed diverſâ,ut dixi,ratione. Unde cum motiva ejuſdem actionis ſint diverſa,varios producunt effectus : *Malus diabolus,malus Iudas;uſus eſt Dominus ambobus benè.* Eodem modo ratiocinandum eſt in præſenti materia. Diabolus, Herodes,& Deus,concurrunt ſimul ad occiſionem Innocentium ; Diabolus illam conſuluit ex malitia ; Herodes illam operatus eſt ex ſævitia ; Deus illam permiſit ex benevolentia. Malus diabolus,malus Herodes,bonus Deus,qui *benè filios ſuos jugulat* , utens malitiâ diaboli, & injuſtitiâ Herodis,ut Innocentes à peccato emundet , & in cœlum inducat. *Sapienter utique jugulavit, dum in vitam;& rationabiliter dum in gloriam. O parricidii ingenium ! ô ſceleris artificium ! ô argumentum crudelitatis, qua idcircò occidit,ne moriatur quem occiderit.* Diaboli malitia culpatur,Herodis ſævitia damnatur, Dei ſapientia laudatur, Innocentium martyrium coronatur. *Et ideò quid ſequitur ? Sophia in exitibus cantatur : hymnis cantatur & exitus Martyrum* , qui pro Chriſto morientes immortalem vitam adipiſcuntur.

D. Bern. l. de Paſſ. Dom. c. 5.

D. Aug. Ser. 114. Diverſis.

Tertull.

Tertull.

Tertull.

D. Ambroſius natale Virginis celebrans , inde loquendi de virginitate ſumit occaſionem : *Quoniam hodie natalis eſt Virginis* , *invitat nos integritatis amor* , *ut aliquid de virginitate dicamus* , *ne veluti tranſitu quodam præſtricta videatur quæ principalis eſt virtus.* Si Mediolanenſis Antiſtes de Virginis natali loquens ſumit anſam commendandi virginitatem , Innocentium celebrantes feſtivitatem , innocentiam commendemus , quæ plurimum de amabilitate , pretioſitate , & æquitate commendatur. 1. De amabilitate, *nihil enim charius eſſe poteſt* , *quàm ut innocentia totâ obſervatione teneatur* , quæ Chriſti infantiam veneratur. Singulæ virtutes ſingulares Chriſti honorant ſtatus. Humilitas, vitam ejus ſolitariam ; charitas, publicam vitam ; patientia , vitam patientem & doloribus obnoxiam; innocentia verò , Chriſti veneratur infantiam , qua nihil in eo amabilius.

Lib. 1. de Virg.

D. Aug. l. de Vit. Chr. c. 10

2. De pretioſitate: *Cuſtodi innocentiam; pretioſa res eſt. Quomodo tenebas ſacculum ne tibi extorqueretur à fure, ſic cuſtodi innocentiam ne tibi extorqueatur à diabolo. Sit illa certum patrimonium tuum, de qua ſunt divites & pauperes.* Cum illa pauperes divites ſunt; ſine illa divites, pauperes ſunt: qui cuſtodiunt innocentiam quantumvis pauperes videantur, vere tamen ſunt divites. Deus enim (non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia.) Sine innocentia qui cenſentur divites, pauperes ſunt? *Si arcam plenam auro habueris, niſi cor habueris plenum innocentia, pauper eris.* Quantum ſtulteſcit Chriſtianus qui cum damno innocentiæ, terrena bona adipiſcitur, vel adepta injuſte detinet! *Aurum vult habere & perdet innocentiam. Quid lucratur qui damnificatur? Habet lucrum auri, paſſus eſt damnum innocentiæ. Eſt aliquid pretioſius innocentia? ſed ſi innocentiam retinebo,* inquit, *pauper ero: parvane divitia ipſa innocentia?* Quæ 3. de æquitate commendatur. Nam *tota juſtitia ad unum verbum innocentiæ redigitur.* Cæteræ virtutes ſpeciale quoddam reſpiciunt objectum, ad quod arctantur: Prudentia actiones recte regulat; Fortitudo puerilem timorem propulſat, & audaciam temperat: Temperantia paſſiones frænat: *ſola innocentia lata eſt,* ſpectat cunctorum peccatorum averſationem, cunctorum vitiorum deſtructionem, omnium virtutum operationem, & totius ſanctitatis acquiſitionem. *Quid quæris multa verba? Innocens eſto & perfeciſti juſtitiam.* Quod ſi quæras quid eſt innocens? reſpondebit D. Auguſtinus: *Qui non alii nocet, nec ſibi nocet, qui enim & alii, & ſibi nocet, non eſt innocens. Duobus enim modis nocet homo quantum in ipſo eſt, aut faciendo miſerum, aut deſerendo miſerum.* Ille facit miſerum, qui ſibi nocet; ſibi autem nocet, qui mala facit: ille autem deſerit miſerum, qui fratris non miſeretur. Neque latus eſt ad innocentiam nec ſibi, nec alii nocere, ſibi & alii prodeſſe nititur.

D.Aug. In Pſ. 36 — Pſal. 83 — D.Aug. in Pſal. 83 — D. Aug. — D. Aug. in Pſ. 100 — D. Aug. ibid. — D. Aug In

Ad Chriſtianos proprie innocentia pertinere videtur, quam in baptiſmate receperunt, deperditam in Pœnitentiæ ſacramento recuperant: *Nos ergo ſoli innocentes. Quid mirum, ſi neceſſe eſt? Enimvero neceſſe eſt. Innocentiam à Deo edocti & perfecte eam novimus, ut à perfecto magiſtro revelatam, & fideliter cuſtodimus, ut ab incontemptibili diſpectore mandatam.* Multiplici ratione innocentiam Chriſtianis neceſſariam demonſtrat Tertullianus: Tum quia illam edocti ſunt à Chriſto: Tum quia Deus qui non eſt contemnendus, ſed metuendus, illam mandat: Tum quia jubet *repueraſcere nos & Apoſtolus ſecundum Deum; ut malitia infantes per ſimplicitatem:* Tum ut per innocentiam honoremus infantiam Chriſti, quam Innocentes ſua morte venerati ſunt: *Infantes teſtimonium Chriſti ſuo ſanguine litaverunt:* Tum quia ad beatam ducit immortalitatem. *Serva innocentiam. Erit enim poſtea requies, æternitas, immortalitas & impaſſibilitas. Ipſa ſunt bona quæ ſervat Deus juſtis ſuis,* quæ in cœleſti patria conſecuti ſunt Innocentes.

Tertull. Apol. 45 — Lib. adv. Valent. 2 — Tert. ibid — D. Aug in Pſal. 38

CON-

CONCIO SECUNDA.

Tert. l. ad Mart. 4
Senec. ep. 66
Liv. l. 1 Decad.
Mart l. 1 Epig. 21
Tert. Apolog. 50
Valer. Max l. 3 c. 3

M*Vtius dexteram ſuam in ara cremavit, ut hoc factum ejus famam haberet.* Tale facinus à Philoſophis jactatur, ab Hiſtoricis commendatur, à Poëtis decantatur, & per univerſum orbem celebratur. Moralis Philoſophus illud omni encomio prædicat; Livius magna cum laude commemorat, nullus non vates Scævolæ manum ad cœlum uſque ſublimat, & tota Romana Reſpublica concelebrat: *Mutius dexteram ſuam libens in ara reliquit. ô ſublimitas animi!* Sed & ſuum Mutium, ſuum Scævolam Chriſtiana habet reſpublica: Laurentium ſcilicet, qui non dexteram tantum, ſed & totum corpus uri, cremari, admirabili prorſus conſtantia pertulit. Jactet antiquitas; *nullum profectò dij immortales admodum aris cultum attentioribus oculis viderunt* quam uſtulatam in ara Scævolæ manum. Verum Laurentius, non pro vanitate, ſed pro veritate; non in pœnam regicidii haud perpetrati, ſed pro religione Dei vivi, totum corpus ignibus tradit. Ad iſtud Chriſtianæ fortitudinis ſpectaculum, lætatur cœlum, terretur infernus, ſtupet univerſus orbis, & Laurentii gloria ubique coruſcat, *cujus egregij Martyris merita, nulla pars Romani orbis ignorat*; nemo non ſcit Chriſtianus. *Quam glorioſa, & quanta virtutum multitudine, quaſi florum varietate diſtincta ſit Laurentij coronatio, univerſa teſtis eſt Romana Eccleſia.* Itaque, *Gloriemur in Domino Patre omnipotenti, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, atque ita per univerſum mundum clarificavit gloriam ſuam, ut à ſolis ortu uſque ad occaſum, luminum leviticorum coruſcante fulgore, quam clarificata eſt Ieroſolyma Stephano, tam illuſtris fieret Roma Laurentio.* Roma urbs Regina, Eccleſiæ parens, nobilitata Petro, ornata Paulo, innumeris circumdata Sanctis, Laurentio illuſtratur: & ut ait Metaphraſtes, gaudet aſſignare patronum. *Hinc eſt chariſſimi, quod triumphum beati Laurentii totus ubique mundus conſona devotione concelebrat; quod inſuperabilem fidem ejus lætior Roma miratur.* Nec mirum ſi univerſus orbis Chriſtianus concelebrat Laurentii triumphum, cujus lætans Roma invictam fidem, ardentem charitatem, & victoriæ gloriam miratur. Per ignem namq; Laurentii, 1. fides probatur: 2. charitas commendatur. 3. victoria coronatur.

Chryſol. Ser. 135
D. Aug. Ser. 37. de Diverſ.
S Leo Ser. de S. Laurent.
D. Maxim. Hom. 1. de S. Laur.

Tertull. Scorp. 11

Ecce autem & odio habemur ab hominibus nominis cauſa, & tradimur, & perducimur ad poteſtates, & interrogamur, & torquemur, & confitemur, & trucidamur. Sic loquuntur Martyres probè declarantes ordinem, qui in perſecutiònibus ſervatur à tyrannis: ſiquidem odio habentur ob Chriſtianam, quam profitentur, religionem; ob odium traduntur, & ad judices, præſides, & imperatores perducuntur, à quibus interrogantur, examinantur, & ut fidem negant, torquentur; quam dum confitentur, trucidantur. Hunc ordinem ſervavit Decius erga Laurentium, cujus fides fuit in igne 1. examinata. 2. probata. 3. propagata.

1. *Viam*

1. *Vram illos ſicut uritur argentum, per martyria fide examinatoria.* Martyria quibus fides examinatur, procedunt tum à Deo, tum à tyrannis. A Deo permiſſive, à tyrannis effective: Deus martyria permittit ut per ea examinetur fides, & confeſſores à negatoribus diſcriminentur. *Quis eſt enim exitus perſecutionis, quis effectus alius, niſi probatio & reprobatio fidei, qua ſuos utique Dominus examinavit? Hac pala illa, qua & nunc dominicam aream purgat, Eccleſiam ſcilicet; confuſum acervum fidelium eventilans, frumentum Martyrum, & paleas negatorum.* Tyranni quoque Chriſtianos effective perſequuntur, & in eos crudeliter ſæviunt, ut à fide dimoveant, & ad negandam Chriſtianam diſciplinam compellant. Ob hunc finem illos interrogant, examinant, cruciant, & enecant, *Porro & odium nominis hic erit, & perſecutio erumpit, & traditio producit, & interrogatio compellit, & carnificina deſevit, & totum hunc ordinem confeſſio vel negatio expungit.* Qui in tormentis fidem negant, ſunt palea ab igne gehennæ comburenda; qui vero inter ſupplicia fidem confitentur, ſunt frumentum, in cœleſtibus horreis collocandum: Laurentius fuit à Deo igne examinatus, & fidelis inventus; ut ipſemet fatetur: *Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas*: quia non fidei negator, ſed confeſſor inventus ſum. Fuit etiam à Decio imperatore examinatus de fide quam conſtanter confeſſus eſt, tyranno qui eum ad idololatriam inducere minis, promiſſis, blanditiis & tormentis conabatur, reſpondens: *Præſcribitur mihi, ne quem alium Deum dicam, ne vel dicendo, non minus lingua, quam manu Deum fingam: ne quem alium adorem, aut quoquo modo venerer, præter unicum illum, qui ita mandat, quem & jubeor timere, ne ab eo deſerar, & de omni ſubſtantia diligere, ut pro eo moriar.* Hac confeſſione ita concitatus Decius, & in furorem verſus, mortis ſententiam tulit adverſus Laurentium, qui Imperatoris mandato *ignibus datus* Chriſtianam fidem probavit.

Tertull. Scorp. 7

Tert. l. de Fug. in Perſ.

Tertull. Scorp. 10

Pſ. 16

Tertull. Scorp. 4

Tert. l. de Fug. in Perſ. 5

2. *Alios ignis, alios gladius, alios beſtiæ Chriſtianos probaverunt.* Paulus fuit enſe truncatus, Ignatius à feris devoratus, Laurentius ab igne crematus. *Quoſdam ſanguis roſeus cruentavit, alios flamma tanquam in fornace ſuccendit: in his rutilus, in iſtis purpureus color effulſit. Inter omnes Martyres Laurentius palma victrice radiavit*, nõ enſe abſciſſus, non leonibus expoſitus, ſed *ſummam ignium pœnam* paſſus: unde poſtquam Romanus Scriptor diverſa diſcriminavit ſuppliciorum genera, demum pronuntiat: *Ignis ſuppliciorum ultimum:* Tum quia ignis maxima pollens activitate, maximum incutit dolorem: Tum quia non ſiſtit ad externam corporis ſuperficiem, ſed intus uſq; ad cor penetrat: Tum quia eſt ſupplicium univerſale cunctas hominis affligens partes: Tum quia Deus eo utitur ad cruciandos in inferno reprobos. Et ob hanc cauſam humana crudelitas poſt cetera tentata ſupplicia, ad ignem veniebat. Ut plurimum judices & præſides in torquendis Chriſtianis gradatim procedebant; quos imprimis incarcerabant, deinde equuleis torquebant, poſtea ſcorpionibus dilacerabant, & poſt *omne carnificis ingenium in tormentis*, flammis conſumendos tradebant. Illum ordinem non ſervavit

D. Aug. Ser. 10 de S. Laur.

Tert. l. ad Mart. 5

Curt. l. 6. c. 12

Tert. l. ad Mart. 4

ta Laurentium pro Chriſti nomine vidiſſent certare gentiles, erroreſq; eorum manifeſto ſic convincere: tunc illi inebriati furore rapuerunt eum, & cæde crudeliſſima ſauciarunt, & prunis ardentibus addixerunt, non ad criminis purgationé, ſed ad ſanctitatis demonſtrationem, & fidei probationem. Aurum fidei quo opulenter ditatur Laurentius, & ſanctitatis theſaurus, quo pulchre ornatur, nõ ſunt commiſſa igni ad purgationé, ſed ad probationem. *Ibi fides non ſolum non arſit, ſed & conſolabatur ardentem.* Nec mirum quia non eſt immiſſus ignis in culpæ ſupplicium, ſed in juſtitiæ præmium, non ad vitii expurgationem, ſed ad virtutis oſtentationem. *Sed & ipſa flamma ideo ſuſcepit Martyrem, ut probatum Domino ſuo redderet, non ut mutaret fidem ſuam.* Tanta enim ſanctitate munitus erat Laurentius, ut velut immutabiliter perſeveraret in fide: Alii Martyres, licet Sancti, poſſunt adhuc repurgari tormentis: at Laurentius eximia ſanctitate pretioſus in craticula non purgatur, ſed probatur. In ſemetipſo verificavit Laurentius iſtud ipſiuſmet Dei effatum: *Probabo illos ſicut probatur aurum, utique per tormenta ignium & ſuppliciorum.* Quod de Martyribus in communi fatur Deus, id in particulari Laurentio appropriat D. Bonaventura, in cujus ore ponit iſta Jobi verba: *Probavit me quaſi aurum, quod per ignem tranſit.* Et merito Doctor Seraphicus comparat Laurentium cum auro: 1. Quia auro nihil pulchrius, ſic nihil Laurentio venuſtius. 2. Auro nihil ductilius, Laurentius quoque ab obedientia ductilis, & in omnem partem verſatilis. 3. Auro nihil ſolidius, quod in igne non conſumitur, ſic nec igne vinci potuit Laurentius. 4. Aurum percuſſum ſonum non reddit, velut æs & argentum, Laurentius inter tormenta, nec queri, nec gemere, nec ullum impatientiæ ſignum edere, nec inimicis male precari, auditus eſt. 5. Aurò nihil purius, ſic nec Laurentio. 6. Auro nihil virtuoſius, ſic nihil & Laurentio.]

Chryſol.

D.Aug. ibid.

Tertull. Scorp. 7

Ser. 1. de S.Laur.

Fidem, tribulationibus, tentationibus & paſſionibus examinatam, probatam & exploratam, auro per ignem probato pretioſiorem exiſtimat princeps Apoſtolorum Petrus. *Probatio veſtra fidei multo pretioſior auro quod per ignem probatur.* Sicut enim purum aurum per ignem probatur, ita fideles & conſtantes igne tribulationis probantur, & ab infidelibus & inconſtantibus diſcriminantur. Ut enim ait Eccleſiaſticus: *in fornace probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis*: ſeu, ut explicat Hugo Cardinalis, *qui digni ſunt ut recipiantur.* Sic dicimus triticum receptibile, pecuniam receptibilem, aurum receptibile quod ſcilicet igne probatum eſt. Siquidem (igne omne metallum probatur, nec umquam melius denarius falſus cognoſcitur, quam ſi in igne probetur:) ignis enim aurum purum ab ſcoria ſeparat, & ab adulterino diſcriminat. Vis ſcire quinam ſint cœlo & Deo receptibiles? reſpondet Sapiens: Illi ſcilicet qui igne tribulationis probati ſunt, non ſecus ac aurum in fornace. *Quoniam probavit eos, & invenit eos dignos ſe.* Sic Deo digni fuere tot Martyres quorum fides cruciatibus tentata & explorata multo pretioſior inventa eſt auro, quod per ignem probatur. De

1. Petr. 1

Eccleſ. 2

D.Bonav. Serm. 1. de S.Laur.

Sap. 1

Tert. l.de Fug. in Perſ. 3 quibus ipſemet Deus: *Vram, inquit, illos ſicut uritur argentum, & probabo,* inquit, *illos ſicut probatur aurum. Cum enim exurimur perſecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore.* Sic lento igne examinatus & explotatus Laurentius demonſtravit fidem examinatam, probatam & propagatam.

Tertull. Scorp. 9 3. Chriſtianam religionem *cum toto ſacramento, cum propagine nominis,* dilatavit, multiplicavit, propagavit Laurentius, verbis, miraculis, ſuppliciis. Verbis & ſermonibus quibus idolorum vanitatem redarguit, Chriſtianæ religionis veritatem oſtendit, 1. in craticula poſitus non ſiluit, ſed ſuis ſermonibus animi conſtantiam, & fidei firmitatem aperuit. Nunc Deo gratias agit: *Gratias tibi ago Domine.* Nunc Decio ſuam ſævitiam objicit: *Aſſatum eſt jam, verſa & manduca:* Nunc cum ſatellitibus tractat, & in eos inſultat: *Miniſtrantibus prunas inſultat Levita Chriſti:* Nunc ſe ab Angelo confortatum declarat: *Miſit Dominus Angelum ſuum, & liberavit me de medio ignis:* Nunc Hyppolitum ad amplexandam Chriſtianam religionem incitat: *O Hyppolite ſi credideris in Dominum Ieſum Chriſtum, & theſauros tibi oſtendo, & vitam æternam promitto.* Laurus in igne ſtridet & ſtrepitat; Inde deſumptum eſt Emblema cum hac inſcriptione: *Non poſſum uri, & tacere.* Laurentius laurum in ſuo nomine deferens, igne crematus non tacet, ſed verbis Chriſtianam prædicat fidem, quam 2. miraculis propagavit. Ut enim fatur de illo Laurentius Juſtinianus, *tanto cum ſtudio Martyrum circuiebat criptas, Sanctorum lavabat pedes, cæcorum aperiebat oculos, lucrabatur animas Chriſto:* cujus doctrinam & religionem præſertim 3. in tormentis propagavit. *Debitricem martyrii fidem* docet Tertullianus, potiſſimum quando fidelis provocatur ad negandam veram religionem, & amplexandam idololatriam. Cujus illuſtre prodit exemplum trium puerorum, qui in veteri lege maluerunt mitti in fornacem ardentem, quam regis Aſſyriorum adorare ſtatuam. *Proinde & trina fraternitas, cum dedicatio imaginis regia urbem urgeret officio, non ignoraverunt quid fides, quæ ſola in illis captiva non fuerat, exigeret, moriendum ſcilicet adverſus idololatriam.* Non minorem fidei firmitatem oſtenderunt in lege gratiæ Martyres, potius eligentes mortem & ſupplicia, quam Chriſtianam negare diſciplinam, & idololatriæ conſentire.

(Serm. de S Laur. — beside "ſtinianus"; Scorp. 8 — beside "religionem præſertim"; Tert ibid. — beside "dentem")

4 Inde bonitatem martyrii commendat Tertullianus: Tum quia adverſatur idololatriæ quæ mala eſt; nam *à Deo prohibetur & punitur idololatria:* quod autem à Deo prohibetur & punitur, malum eſt. Martyrium autem *obnititur & adverſatur idololatriæ, malo autem obniti & adverſari niſi bonum non poteſt.* Tum quia *liberat ab idololatria. Quod à malo liberat, quis non bonum pronuntiabit?* Tum quia religionis & fidei veritatem probat: *Cæterum pati oportebat omnem Dei prædicatorem atque cultorem, qui ad idololatriam provocatus negaſſet obſequium, ſecundum illius quoque rationis ſtatum, qua & præſentibus tunc & poſteris deinceps commendari veritatem oportebat, pro qua fidem diceret paſſio ipſorum defenſorum ejus; quia nemo voluiſſet occidi niſi compos veritatis.* Tum quia tormenta pro fide conſtanter tolerata, ſunt argumenta quæ ejus veritatem evidenter de-

(Scorp. 5 — beside "autem à Deo"; Scorp. 8 — beside "quia religionis")

monſtrant, & Gentiles ad illam amplectendam ſtimulant. Ut enim ait D. Hieronymus: *Cùm quis viderit tantâ perſeverantiâ ſtare martyrem, torqueri, & in ſuis tormentis gloriari, odor notitia Dei diſſeminatur inter Gentes, & ſubit tanta cogitatio, quod niſi verum eſſet Evangelium, nunquã ſanguine defenderetur.* Itaque ut magnificè Tertullianus, tyrannorum iniquitas eſt probatio fidei & innocentiæ noſtræ; exquiſitor illorum crudelitas, illecebra eſt Chriſtianæ ſectæ: Effuſus ab ipſis Martyrum ſanguis ſemen eſt Chriſtianorum. *Sed hoc agite, boni præſides, meliores multò apud populum, ſi illis Chriſtianos immolaveritis. Nec quicquam tamen proficit exquiſitior veſtra crudelitas, illecebra eſt magis ſectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis, ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum.* Metitur in manifeſto caput Martyrum, & in terram cadit, ſemen eſt terræ creditum, à quo ſurgit uberrima Chriſtianorum ſeges. Ut enim ſemen in terram projectum atque emortuum, aliud trigeſimum, aliud ſexageſimum, aliud centeſimum reddit ingenti fœnore: ſic & Martyrum ſanguis dum in terram effluit, adinſtar ſeminis ſeſe multiplicat, & effundit in gentem magnam, Chriſtianorum inerem entans numerum. Quod in communi de Martyrum ſanguine aſſeverat Tertullianus, ſpecialiter B. Laurentio convenit, qui fidem potiſſimum ſeminavit, quando *pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit*, illum velut ſemen ſpargens ad copioſiſſimæ meſſis collectionem.

Epiſt. 150. ad Hedibiam.

Apol. 50

D. Aug. Ser. 37 de Diverſ.

Quod innuere videtur Eccleſia legens in exordio Evangelii feſtivitatis B. Laurentii iſta Salvatoris verba: [Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.] Quantum autem afferat fructum granum in terra mortuum, bellè declarat Tertullianus: *Quippe etiam terra de cœlo diſciplina eſt, exhibere ea quæ aſſumpta ſunt, ſemina; nec prius exhibere, quàm aſſumpta. Mira ratio, de fraudatrice ſervatrix, ut reddat, intercipit; ut cuſtodiat, perdit; ut integret, vitiat; ut etiam ampliet, prius decoquit: ſiquidem uberiora & cultiora reſtituit, quàm exterminavit. Revera fœnore interitu, & injuria uſura, & lucro damno.* Laurentius fuit granum frumenti, in ſuo martyrio emortuum ubertim multiplicatum. Hoc granum primò obſcuro mancipatum carceri, ex tenebroſo illo terræ ſinu germinare cepit, & fructus edere quàm uberrimos. Lucillum Gentilem eâdem cuſtodiâ clauſum, & ab ingenti lacrymarum copiâ oculis orbatum, Chriſto peperit, & Eccleſiæ matri donavit, futurum in eius area granum frumenti, & ſemen multorum Chriſtianorum. Hypolitum etiam cuſtodiæ præfectum ſimul cum familia, quæ numerabat capita novemdecim, ad Chriſtianam fidem addu xit. Et hic primus manipulus, qui à Laurentio, ſeu grano frumenti, ſeu ſemine pullulavit. Quòd ſi eos etiam in carcere quaſi in horreo fructus dedit, quos exiſtimamus tuliſſe ubi in aream tormentorum abjectus eſt, ut qua ſcorpionibus cæderetur, qua fuſtibus, qua plumbatis tunderetur, ut ſolet in ſpicis tundi, atque ex eis excuti granum frumenti? Quos deinde in cataſta extenſus, in equuleo malè tortus? eo loco ac

Joan. 12

L. de Reſ. 12

temporis factum invicto Martyri quod grano quod ſemini: ut hoc germinet, primùm humore modico madeſcit atque imbuitur, tum incaleſcit, fervet, æſtuat, ac germen edit. Quod ſemini, hoc & Martyri: dum in equuleo pendet, multo ſudore madet atque diffluit, multo etiam calore æſtuque divini amoris exardeſcit: ab hoc & illo quaſi provocatus & animatus, germen & nobile frumenti granum ex ſe fundit. Romanum ſcilicet egregium militem, quem ad Chriſtum convertit, & ſacris baptiſmi undis regeneravit; qui etiam & ipſe capite minutus, granum frumenti & ſemen Chriſtianorum extitit. Quòd ſi Laurentius in primis tormentis, cùm ei vita paulatim excutitur, ut è ſpica granum, tanto fœnore eos fructus tulit: quos dabit in extremis, liberâ voce confitens Chriſtum? Quot enim tunc temporis ejus conſtantiâ permoti nomen dedere Chriſto? quot idola abjecêre? quot corpus ferro,
Dionyſ. ignibus, tormentis, mortique obtulêre? *Quàm verè impletum eſt quod in ex-*
Cart. Ser. *ordio Evangelij hodierni aſſerit Chriſtus*: Si autem mortuum fuerit, multum
3. de S. fructum affert: *Laurentius enim poſt ſuum martyrium, copioſiſſimum attulit*
Laur. *fructum, multos convertendo ad Dominum, imò & perducendo ad glorioſum martyrij triumphum; nempe ut Leo Papa teſtatur, grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata reſurgunt.* Sic ſeminata & multiplicata ſunt grana & ſemina, quæ projecit in terram morienda Laurentii paſſio & martyrium. Ut enim fatur D. Auguſtinus expendens iſtud Davidicum: Non eſt qui ſe abſcondat à calo-
Pſ. 18 re ejus, *tanta ejus martyrij gloria extitit, ut paſſione ſuâ mundum illuminave-*
Serm. 30 *rit univerſum. Mundum planè Laurentius, eo lumine quo ipſe accenſus eſt, &*
de Sanctis. *flammis quas ipſe pertulit, omnium Chriſtianorum corda caleſecit. Laurentij exemplo provocamur ad martyrium, accendimur ad fidem, incaleſcimus ad devotionem. Non ardemus quidem corpore pro Chriſto, ſed ardemus affectu.* Bellè Laurentius mundum univerſum illuminavit & accendit; illuminavit quidem luce veritatis, luce fidei; accendit etiam vel ad martyrium ſtimulans, vel ad devotionem ſufflammans, ardore charitatis commendatæ.

II. PARS. *Etiam nunc aurum ignis.* Charitas denotatur tum per aurum, tum per
Tert. l. 2 ignem; quia ſicut aurum eſt metallum pretioſius, & ignis elementum nobi-
de cult. lius, ita charitas tum in pretio, tum in nobilitate cunctas virtutes ſuperat. Id-
fœm. 13
Apocal. 3 circò Angelus Epiſcopo Laodiceæ ſuadet ut emat aurum ignitum: *Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum, ut locuples fias.* Ejuſmodi ignem de cœlo Chriſtus miſit in terras, ut hominum corda charitatis ardore ſufflamma-
Luc. 12 ret: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?* Pretioſo illo auro locupletatus, ſacro illo igne ſufflammatus Laurentius, 1. eleëmoſynas pauperibus liberaliter erogat. 2. martyrium ardenter deſiderat. 3. martyrium patienter tolerat.

1. In primitiva Eccleſia erat arca, in qua erant *depoſita pietatis*, ſcilicet
Tert. A- eleëmoſynæ à fidelibus ſponte oblatæ, & liberaliter donatæ. *Inde non epulis,*
pol. 38 *nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſatur; ſed egenis alendis humandiſque, & pueris ac puellis, re ac parentibus deſtitutis, jamque domeſticis ſenibus, item nau-*

naufragu, & ſi qui in metallu, & ſi in inſulu, vel in cuſtodijs, duntaxat ex cauſa Dei ſecta, alumni confeſſionis ſuæ fiunt. Fusè dinumerat Tertullianus eos, quibus erogabantur congregata in Eccleſia pietatis depoſita. Levita Laurentius priuſquam pro fide Chriſti in arenam dimicaturus deſcenderet, theſauros, quos Philippus Imperator Eccleſiæ reliquerat, pauperibus Chriſtianis diſtribuerat. Audiens enim à Xiſto ſummo Pontifice: Noli mœſtus eſſe, poſt triduum me ſequeris: *Ergo ut comperit ex ore Sacerdotis ſe quoque aſſumendum, congregatis inopum turbis, Eccleſiaſticum cenſum religioſâ liberalitate diviſit.* Laurentius non tam auri & argenti, quàm ovium, id eſt, fidelium cuſtos. Eccleſiæ namque theſauros in pauperes commutârat, quos paſcere Eccleſiæ opibus ſatagebat; unde ut verum Eccleſiæ cuſtodiret theſaurum, in pauperum ſcilicet gregem eccleſiaſticas inſumpſit opes; & ut fatur S. Leo, *numeroſiſſimos Sanctorum greges, in quorum victu atque veſtitu inamiſſibiles condiderat divitias,* ſibi commiſſum Eccleſiæ theſaurum vocitabat. *Pretioſam in agro Domini repererat margaritam;* pauperes ſcilicet, *quam ut vindicaret cuſtodiendam, diſtractu omnibus, emere ſatagebat. Hinc eſt quòd Eccleſia theſauros, quos erogandos pauperibus acceperat, diſperſit abundè;* ſeminans abundanter ut colligeret pauperes aſſervandos, veluti Eccleſiæ theſauros, quos tyranno præſentaret: Hæ ſunt, inquit, Eccleſiæ facultates. *Quàm profundum ſpiritualis viri, & quàm cœleſte conſilium, ut & egenis conſuleret Laurentius, & multitudine pauperum conſumente quæ ipſe dederat, inveniri non poſſet quod raperet perſecutor! Illam nimirum ſecutus ſententiam:* Diſperſit dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi. *Miſericordia fuit, quòd alimoniam pauperibus dedit; juſtitia autem, quòd ut vir prudentiſſimus procuravit, ne Sanctorum ſubſtantiam avaris manibus ſacrilegus occuparet.* Pietate autem & miſericordiâ in pauperes *ſtola martyriorum præparantur*, quas Laurentius ardenter deſiderabat.

S. Maxim. Hom. 1. de S. Laur. — Laur. Juſt. Serm. de S. Laur. — S. Maxim. — Pſ. 111 — Ter. l. 2. de cult. fœ. 13

2. Chriſtus *paſcha cum diſcipulis ſuis edere concupiſcit*, & pro hominum ſalute mori deſiderat, quod diſcipulis notum fecit dicens: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur?* Quaſi dicat, expendit Euthymius, *Velut anxius ſum propter tarditatem.* Laurentius Chriſti imitator perfectus *flagrabat amore martyrij*, tantoque ardore illud deſiderabat, ut Sixtum ſummum Pontificem conſpiciens inter ſatellites martyrio coronandum, ſic illum ſit alloquutus: [Quò progrederis ſine filio Pater? quò Sacerdos ſancte ſine Diacono properas? Tu nunquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueveras: Quid ergo in me diſplicuit Paternitati tuæ? Nunquid degenerem me probâſti? Experire utrùm idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti dominici ſanguinis diſpenſationem? Noli me derelinquere Pater ſancte, quia theſauros tuos jam expendi.] *Illo tunc Archidiacono beatus Sixtus erat Epiſcopus, cujus triumphus martyrij ante triduum fuit. Cùm ergo ſanctus Laurentius Epiſcopum ſuum Sixtum pergentem ad martyrium ſequeretur fide fultus, triſtis affectu, non quia ille patiebatur, ſed quia ab illo ipſe deſerebatur:*

Tert. l. de An. 16 — Luc. 12 — Laur. Juſt. — Chryſol. Ser. 135

patientia erudit charitatem, & charitas oſtendit patientiam, à qua ſuam adhuc mutuatur fortitudinem; nam ut ſubjungit Tertullianus : *ideò dilectio omnia ſuſtinet, omnia tolerat; utique quia patiens.*

Magnum agnoſcit D. Auguſtinus diſcrimen inter gentilem & chriſtianam
fortitudinem. *Fortitudinem Gentilium mundana facit cupiditas; fortitudinem* L. de Ver.
autem Chriſtianorum Dei charitas facit. In tormentis fortitudinem demon- Innocent.
ſtrant Gentiles, *ſub præmio laudis humanæ.* Unde poſtquam Tertullianus re- c. 295
tulit *gladium gravem, crucem excelſam, rabiem beſtiarum, ſummam ignium pœ* Tert. l. ad
nam, & omne carnificis ingenium in tormentis, concludit : *Acerba licèt iſta, à* Mart. 5
multis tamen æquo animo excepta, imò & ultrò appetita, fama & gloria causâ ♦ L. ad Mart. 4.
quorum plura congerit exempla non virorum tantùm, ſed etiam mulierum.
Chriſtianorum fortitudo non eſt mundana cupiditas, ſed charitas. *Charitas* 1. Cor 13
patiens eſt, ait Apoſtolus ; quia ex Magno Gregorio *illata mala æquanimiter* L. 10. Mo-
tolerat : neque enim Chriſtiani æquo animo excipiunt & appetunt cruciatus ral. 8
famæ & gloriæ causâ, & ſub præmio laudis humanę ; ſed ex Dei amore, cui
ſoli placere ſtudent, & cujus causâ tormenta fortiter tolerant. Ut enim ait D.
Auguſtinus : *Fortitudo eſt amor propter Deum facilè ſuſtinens.* Chriſtia L. de Mor.
ne, vis æquo animo cuncta ſuſtinere tormenta ? habeto charitatem, Deum Eccleſ. c. 15
dilige. Nam ut compendiosè fatur D. Auguſtinus : *Sæviat in te licèt perſecu* Ser 4 de
tor malus, tu ne deficias authorem amando bonorum. Sit tibi in exemplum Lau- S. Laur.
rentius, qui charitatis æſtuans ardore, & Deum perfectè diligens, ſummam
ignium Pœnam invictâ patientiâ pertulit. *Extenditur ſuper flammarum igni-* D. Aug.
tos globos, & ſæpius verſatur in latera; ſed quantò plus pœnarum patitur, tantò Serm. 3. de
amplius Chriſtum Dominum pertimeſcit : novo admirationis genere alius illum Sanctis.
torquet, & alij ſævientis tormenta perficiunt, devotiorem Laurentium Salvatori
ſupplicia atrociora fecerunt. Quantò acerbius ſatellites cruciabant Lauren-
tium , tantò majorem & ipſe demonſtrabat patientiam ; & quò magis
ab igne exteriùs cremabatur , eò magis intùs charitatis igne ſuſflammaba-
tur : imò *plus ardebat, quàm urebat. Urebat in carne , ardebat in corde,* Chryſol.
urebatur exteriùs ab igne materiali , accendebatur interiùs ab igne ſpiri- Ser. 135
tuali: *Miramur patientiam, donum Dei miremur.* Ignis ardores excitabat Chryſol.
tyrannus , charitatis flammas ſufflammabat Deus, largiens ei donum pa-
tiendi , & charitatem patienter & æquo animo patiendi : *Ut fides non de-* Chryſol.
ficeret, ut ſpes non averteretur , ut charitas inter pœnas igneas corporales plus
accenderetur , Dei dona erant, qui invictum & victorem Laurentium coronavit.

Martyria coronata ſupponunt martyrum victorias: victoriæ non referun- III. PARS
tur, niſi prius ineatur bellum. Prȩliantur autem Dei milites, dum pro ejus glo Tert. l. de
ria perſecutiones & tormenta patiuntur; quos inducit Tertullianus ſuos allo- Præſc.
quentes perſecutores : *Prælium eſt nobis. quòd provocamur ad tribunalia, ut illic* Hæret. 29 Tert. A-
ſub diſcrimine capitis pro veritate certemus. En martyrum prælium : ecce tibi pol. 50
victoria. *Ergo vincimus cùm occidimur*, qui ſuſcipiunt coronâ. *Cùm aliqua atro* Tertull.

citas fidem Martyrum coronavit; quia in prælio pro Dei gloria morientes, & ſuâ morte tyrannos vincentes, obtinent coronam quam victoribus pollicitus eſt qui non mentitur Deus. (Tert. l. de Cor. Mil. 15) *Qui vicerit, dabo ei coronam vitæ.* Inter Martyres nullus potiori jure obtinuit coronam, quàm Laurentius, quia nullus neque majori animo præliatus eſt, neque glorioſiorem de tyranno retulit victoriam. (D. Aug. Ser 10. de S. Laur.) *Inter laurigeros Confeſſores, & quos ad cœlum provexit perennis gloria triumphorum, ſanctus Laurentius variato fulgore decorus coruſcat; quoniam & Leviticam candidam, & martyrialem ſortitus eſt in paſſione coronam.* Ut autem animadvertit alior ſum D. Auguſtinus, Laurentii corona varietate decoratur: (Serm. 2. de S. Laurent.) *Quàm glorioſâ, & quantâ multitudine, & quantâ florum varietate, diſtincta Laurentij martyrii fulget corona!* Nec immeritò vario florum ſplendore coronatur Laurentius, triumphans de timore, de dolore, & de ignis ardore. 1. De timore, tyranno inſultans. 2. De dolore, mediis in ſuppliciis delicians. 3. De ignis ardore, ignem igne ſuperans.

1. Multum commendat Tertullianus magnitudinem Danielis & ſociorum, (Scorp. 8) qui *dixerunt à Deo conceptâ fiduciâ, quando vigore animi conditionales minas Regis excutiunt: Non habemus neceſſitatem reſpondendi huic tuo imperio; eſt enim Deus noſter quem colimus, potens eruere nos de fornace ignis, & ex manibus tuis, & tunc manifeſtum fiet tibi, quòd neque idolo tuo famulabimur, nec imaginem tuam auream, quam ſtatuiſti, adorabimus. O martyrium & ſine paſſione perfectum! Satis paſſi, ſatis exuſti ſunt, quos propterea Deus texit, ne poteſtatem ejus mentiri viderentur.* Sed longè major eſt Laurentii fortitudo, Decii minas non metuentis, & cuncta ſupplicia ad eum terrendum à tyranno adducta conſtanter deſpicientis. Nam, ut Surius refert: [afferre fecit Decius ante Laurentium omnia tormentorum genera, quibus conſueverat Chriſtianos vexare, ut poſſet Laurentium terrere.] Verùm fruſtrà; nam generoſus Levita neque ſævi Imperatoris minis, neque horrendis illis ſuppliciorum instrumentis fuit perterritus. (Tert. l. de Fug. in Perſ. 14) *At qui pati non timet, iſte perfectus erit in dilectione, utique Dei.* Laurentius nullo modo pati timet comminata à Decio tormenta: nec mirum; quia perfectus erat in dilectione Dei. Ut autem dilectus docet Diſcipulus: (Tertull. Scorp. 12) *Perfecta dilectio foras abjicit timorem.*

Verùm, ut acutè animadvertit Tertullianus: Evangeliſta *negans timorem eſſe in dilectione*, non negat timorem initialem, neque filialem, neque etiam ſervilem; ſed eum qui ad negandam fidem inducit: *Quem timorem intelligi præſtat, niſi negationis auctorem?* Per dilectionem adhuc intelligit Joannes illam, quæ expellit timorem negatorem fidei, & ad Chriſtianam religionem confitendam ſufflammat: *Quam negationem perfectam affirmat, niſi fugatricem timoris, & animatricem confeſſionis?* Timor, qui inducit ad negandam fidem, pœnam habet. Nam 1. Chriſtianus ex timore negans ſuam religionem, (Tert. l. de Fug. in Perſ. 14) à ſtatu ſuo degenerat, neque amplius ad Chriſtum ſpectat. *Non poteſt qui pati timet, ejus eſſe qui paſſus eſt.* 2. Æternæ felicitati renuntiat, cujus ſe indignum demonſtrat. Nam ut ipſemet fatetur Chriſtus apud Tertullianum:

Qui

Qui pluris,inquit,*fecerit etiam animam ſuam,quàm me, non eſt me dignus* : *id* Scorp: 11
eſt, qui maluerit vivere me negando , quàm mori confitendo. Qui animam ſuam
invenerit , perdet illam : qui verò perdiderit meî causâ,inveniet illam. Proinde
enim inveniet eam,qui negârit lucriſaciendo vitam; ſed perdet in gehennam,qui
ſe putat negando lucriſacere eam. Perdet autem eam ad præſens , qui confeſſus
occiditur , ſed inventurus eam in vitam æternam. Pulchrè elucidat Tertullia-
nus verba Salvatoris dicentis : [Qui amat animam ſuam,perdet eam ; qui Joan. 12
odit animam ſuam in hoc mundo , in vitam æternam cuſtodit eam.] Qui
enim pro fidei confeſſione perdit vitam temporalem , vitam immortalem in
cœlo conſequitur ; qui verò vitam temporalem conſervat , negando fidem,
æternam cœli amittit vitam , & inſuper 3. interminabili morte in inferno
mulctatur ; quia fidem negans *timor* , *ſuppliciamentum habet, utique ignem* Tert. l. de
inferni. Quemadmódum fidei confeſſor cum damno vitæ temporalis æter- Fug. in
nam in cœlo tum corporis,tum animæ obtinet beatitudinem , ita pœnam Perſ. 9
Inferni *negator relaturus eſt* , *cum corpore & anima occidendus in gehenna* : Tertull.
quam ſuis diſcipulis objicit Chriſtus, ut eos adverſus minas & ſupplicia ty- Scorp. 12
rannorum roboret , eiſque Dei timorem ingeneret. *Quos ad paſſionum tole-* Tertull.
rantiam ædificans monet non eos timendos qui ſolum corpus occidant , animam Scorp. 9
autem interficere non valeant. Sed illi potius metum conſecrandum,qui & cor-
pus & animam occidere & perdere poſſit in gehennam. Quinam hi ſolius corpo-
ris interemptores , niſi Præſides & Reges,homines opinor ? Quis etiam animæ do-
minator,niſi Deus ſolus ?

Laurentius perfectâ Dei dilectione accenſus , Chriſtianæ religionis de-
fenſor acerrimus , æternam animæ & corporis vitam temporali præferens,
non homines,ſed Deum metuens ; Decii minas non formidat, varia ſuppli-
ciorum genera abſque ullo timore ſpectat , & mediis in tormentis tyranno
de iniquitate ſævitiæ inſultat : De craticula namque velut de throno regio Tert. A-
Decium alloquitur *imperiali verbo*, dicens : [Aſſatum eſt jam, verſa, & man- polog. 50
duca.] Quod Imperatori, idipſum ſævitiæ ejus miniſtris. *Itaque beatiſſimus* Tert. l. 2
Martyr oſtendens quàm quiete jaceret in illo ignito ferro , ait circumſtantibus : adv. Marc.
Iam me verſate, & ſi una pars cocta eſt, vorate. His verbis tria innuere vide- 4.
tur Laurentius. 1. Animi robur, tyrannum, ejuſque ſævitiam haud metuen- Chryſol.
tis,ſed potius inſultantis. Supplicia *miniſtrat tortor* , *inſultat miles Chriſti.* Ser. 135
2. Ardens deſiderium patiendi pro Chriſto acerbiora ſupplicia. *Dum Chriſti*
ſupplicia cogitat , frigidum eſt illi omne quod patitur. 3. Ingens animi gau- D. Aug.
dium ; nam de *iniquitate ſævitiæ exultat* , triumphans de dolore, & mediis in Ser. 31. de
tormentis delicians. Sanctis.

2. Apoſtolus apud Tertullianum repræſentat Martyres *exultantes in preſ-* Tert. A-
ſuris & tormentis , quæ pro Chriſti patiuntur nomine. Cæteris omiſſis in pol. 50
medium produc Laurentium de dolore triumphantem , & mediis in tor- Scorp. 12
mentis lætantem. *Hunc tu læſum exiſtimabis, quem vides lætum* ? quod ipſe- Tertull.
met ſuis declarat perſecutoribus : [O veſtram inſaniam infelices ! non cog- Scorp. 6
Sur.

Laur. Juſt. Serm. de S. Laur.

noſcitis veſtros ardores non mihi ardorem afferre, ſed refrigerium.] Deinde ad Decium Imperatorem convertens ſermonem : [Diſce miſer quanta eſt virtus Domini, cùm carbones iſti non dolorem, ſed refrigerium mihi præſtant.]

Can. 11. in Matth.

Ex D. Hilario *Sancti nunquam dulcius requieſcunt, quàm dum laboribus fatigantur* : quod ex Laurentio comprobatur. Nam ut ſuperiùs dixi cum Chryſologo : *Ille craticulam ſupplicij lectum quietis putabat.* Neque ſolùm

Cant. 1

quietis lectus fuit craticula Laurentio; ſed etiam *lectulus floridus.* Carbones illi erant non prunæ torquentes, ſed flores miram ſuavitatem exhalantes. Ut

Ser. 40. in Cant. 2

enim ait D. Bernardus : *De craticula Laurentius vocatur ad hortum; & dum in craticula erat, ab horto non aberat.*

Sed unde Laurentio in craticula requies, in doloribus refrigerium, in tormentis lætitia ? Hujus ſextuplicem invenio cauſam. 1. Amor; ut enim ait

Andr. Pint. ep. 6

nonnemo : *Amore omnia tormenta dulceſcunt.* Unde ſponſa amore languens,

Cant. 2

floribus & malis punicis fulciri deſiderat : *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Profectò ardenter Deum amanti paupertas loco divitiarum eſt; infirmitas cenſetur conſolatio; tormentum, gaudium; amaritudo, ſuavitas; mors ipſa delectabilis videtur. Ut enim docet Pariſienſis Antiſtes:

Guill. tra. de Morib. c. 4

Delectabile atque jucundum facit amor quantumcumque amarum atque moleſtum; ſic etiam ſi infernus amaretur, & dulcis & delectabilis eſſet : & ob hanc

D. Bern.

rationem *Terreantur licèt Martyres, rident; feriuntur, gaudent; occiduntur, & ecce triumphant : quia charitate intùs in corde, jamdudum mortui peccatis, mortui mundo, quaſi inſenſibiles facti, nec minas, nec tormenta, nec mortem ſentire potuerunt.* Quod de Martyribus in communi aſſeverat Bernardus, ſin-

D. Aug. Ser. 5. de S. Laur.

gulariter demonſtravit Laurentius. *Nec pœnali flexus eſt incendio, cujus in pectore inſuperabilis ſancti Spiritûs flamma fervebat* : Spiritus ſanctus amor eſt, & amorem largitus eſt Laurentio, *cui carbones praſtabant refrigerium.*

Bernardin. Sen. to. 1. Ser. 30. a. 3. c. 3

Charitas ignis eſt: *Hujuſmodi igne Laurentius accenſus eſt Martyr, cujus nimio ardore caleſciens, exterioris ignis non lædebatur incendio, ſic in craticula poſitum ipſum dixiſſe cognovimus : Diſce miſer, quia carbones tui mihi refrigerium pra-*

Laur. Juſt. Serm. de S. Laur.

ſtant. 2. Chriſti præſentia & conſolatio. Nam ut ipſemet fatur Salvator: [Cum ipſo ſum in tribulatione.] Quem locum expendens D. Bernardus

Pſ. 90

Serm. 16 in Pſ. 90

ait : [Omne gaudium exiſtimemus, cùm in varias tribulationes inciderimus: non modò quia poſt multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei; ſed quoniam juxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde.] Sic fuit juxta Laurentium patientem, eumque dulcedine replevit. Nam ut ait D.

Soliloq. c. 22

Auguſtinus Chriſtum alloquens : *Tua dulcedo craticulam beato Laurentio dulcem fecit.* 3. Pax conſcientiæ Laurentio refrigeria præſtabat. Ex D. nam-

Ser. 5. de S. Laur.

que Auguſtino, *Ardet totis viſceribus fortiſſimus Martyr, & uritur; ſed regnum cæli, promiſſaque Dei fideli mente pertractans, refrigerio conſcientia victricis*

D. Aug. Serm. 3. de S. Laur.

exultat. 4. Extinctio ignis inferni, à quo ſe liberatum per tormenta videbat, doloris ſenſum minuit : *Numquid cedere poterat momentanea corporis uſtioni, cujus fides aternum gehennæ extinguebat ardorem?* 5. Paradiſi

velut

velut prælibatio,ut ex Machabæis martyribus conſtat,qui ut fatur Theophilus Alexandrinus,*plena erant ferventis olei ſartagines, & ad frigida Sanctorum* L.Paſch.3 *corpora terrore incredibili perſonabant, & tamen inter hæc omnia,in paradiſum animo deambulantes,non ſentiebant quod patiebantur.* Idipſum de Apoſtolo refert D.Chryſoſtomus: *B.Paulus tentationum imbres per ſingulos dies videns* Hom.25 *irruentes,tanquam in medio gaudens paradiſo, lætabatur & exultabat.* Quod ad Pop. aſſeverat Theophilus de Machabæis, & de Paulo Chryſoſtomus, hoc idem de Laurentio affirmat D.Auguſtinus.*Non enim poteſt in viſceribus ignium tor*- Ser.31.de *menta ſentire: qui ſenſibus paradiſi refrigeria poſſidebat.* Quia licet de facto Sanctis. quandiu ſumus in hoc mortali corpore,non perfruamur paradiſi gaudiis;*Ta*- Tert.l.de *men hæc jam quodammodo habemus per fidem ſpiritu imaginante repræſentata.* Spect.30 Quod ſi ut docet Tertullianus Deus *Paulum paradiſi quoque compotem fecit* Spect.12 *ante martyrium* , eodem privilegio gaudens in tormentis Laurentius Deo gratulatur: (Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.) Scilicet vel ob cœleſtis patriæ imaginariam repræſentationem , vel ob ſecuritatem beatitudinis mox conſecuturæ. Ex Jure enim Civili *proxime accingendus habetur pro accincto; fructus de proximo colligendi,habentur pro collectis;id quod* Tiraquell *prope eſt, nihil diſtare videtur.* Et Laurentius januas cœli intraſſe gloriatur, quia ut docet D.Auguſt *totum frangit,qui mori non timet: totum ſuperat,qui* Ser.10.de *ad Chriſtum moriendo feſtinat.Non enim poteſt formidare pœnam , qui ſe ſcit à* S.Laur. *morte tranſiturum ad vitam.Quomodo igitur B.Laurentius illa ſupplicia, illa incendia toleraret, niſi cuperet ad cœlorum læta palatia migrare ? Noverat namque victurum ſe eſſe poſt funus , poſt ignes refrigerium recepturum. Quid igitur inter hæc tormenta ſpiritus faciebat, niſi quod ad cœli partes ſe ſublevabat ?* Ut autem ait Tertullianus, *Nihil crus ſentit in nervo, cum animus in cœlo eſt.* Hic Lib. ad nervus ligni eſt genus multis foraminibus diſtinctum , quo utebantur tyran- Mart.2 ni,ut cruciarent Martyres,eorumque crura disjuncta & luxata frangerentur.

6.Victoriæ reportatio: Nam *vincens in prælio gaudet , quia & gloriam conſe*- Tertull. *quitur & prædam.*Sic gloriam conſecuti ſunt cuncti Martyres : *Sicque verbe*- Apol.50 *ra,gladius,& omnis officina ſævitiæ laudis titulos Martyribus non abſtulit : quo*- D. Aug. *niam non ſunt in terra victi, ſed aſcendunt de cœlo coronati;*ob victoriam,quam Ser.10.de de perſecutoribus,de carnificibus,de tormentis, & de ſuppliciis reportarunt. S.Laur. Inter quos coruſcat Laurentius ; cujus *paſſio inſignis eſt, multumque mirabilis*, ob atrociſſima quæ pertulit tormenta, & glorioſam quam retulit victo- Chryſol. riam. Ex D.autem Auguſtino,*Beati Laurentij triumphalem diem quo calcavit* Serm.143 Ser.37.de *mundum gementem, & ſprevit blandientem, & in utroque vicit diabolum perſe*- Diverſis. *quentem, hodiernum nobis Eccleſia Romana commendat.* Bene dies triumphalis quo Laurentius triumphat de timore, Tyranno inſultans; de dolore, mediis in tormentis delicias captans,de prunis,ignis ardores, charitatis flammis ſuperans. Tertull.

3. Decii ſævitia *ignis inſlabellatus eſt*, adverſus Laurentium,miniſtri quo- lib.adv. que crudelis illius Tyranni, *non alio modo armantur quam ardoris*, pro ini- Valent.23 Tertull.

 quitate Scorp.1

quitate ſævitiæ *majorem ignis ardorem inferentes*, quo acerbius beatum cru-
Tert. l. de Præſ. hær. 1 ciarent Martyrem, qui *tot dolores* invicto ſuſtinuit animo. *Cum omnia fere*
igni cedant, ignium victrix eſt adamantis natura. Cui competit ſubſequens
Tertull. Scorp. 1 Emblema cum hac inſcriptione, *Nec ferro, nec flamma:* quia nec ferro fran-
gitur; nec igne diſſolvitur. Adamas eſt Beatus Laurentius qui neque ferrum
ſeu craticulam expavit; neque ardentibus prunis & carbonibus ceſſit: *Quid*
D. Aug. Ser. 4. de S. Laur. *enim beato Laurentio illa quæ à perſecutoribus illata ſunt tormenta nocuerunt,*
niſi quod animum duriorem ipſis ſuppliciis reddiderunt? Archelaus Mitridatis
Gellius l. 15 c. 1 regis perfectus cum Silla dimicaturus fabricari fecit turrim ligneam valde ex-
celſam, in qua non ſolum ſecurior eſſet, ſed Sillæ obſervaret conatus, ejuſque
exercitui prædominaretur. Silla ad turrim approximans, ut eam exureret
flammis circundedit; minime tamen lædere potuit, eo quod Archelaus,
alumine eamdem circumquaque obliniviſſet. Excitatus ſub Laurentii corpo-
re ignis, Martyris conſtantiam conflagrare non potuit, non quia erat alu-
mine oblinitus, ſed Dei amore communitus. *Ardebat itaque extrinſecus Beatus*
D. Aug. Ser. 31. de Sanctis. *Martyr tyranni ſævientis incendiis: ſed major intrinſecus Chriſti amoris eum flam-*
ma torrebat. Eſt axioma receptum apud Philoſophos *Intus exiſtens prohibet*
extraneum. Hinc oculus debet eſſe denudatus à colore, auris à ſono, naris ab
odore: alias non reciperet illum, ſicut nec ignis quia calidus eſt poteſt cale-
fieri: neque ignis extrinſecus introducere calorem in ſubjectum virtute cale-
factiva jam informatum, quia unus impedit alterius operationem. Lauren-
tius intus charitatis æſtuans ardore, ab externo ardore vinci non potuit, &
Tert. l. de Pud. 1 interior ignis exteriori reſiſtens. Sic *incendium ignis extinguetur*: nimirum
ignis externus & ſenſibilis, inſenſibili charitatis igne. *Hoc igne B. Laurentius*
D. Aug. Serm. 1. de S. Laur. *flammarum non ſentit incendium, & dum Chriſti ardet deſiderio, perſecutoris*
pœnam non ſentit. Corporali enim B. Laurentius laborat incendio, ſed divinus
Salvatoris ardor, materialem tyranni extinxit ardorem.

In Laurentii martyrio, eſt veluti duorum ignium certamen: materialis
ſcilicet & ſpiritualis. Ille à Decio accenditur; iſte ab Spiritu ſancto ſufflam-
matur. Ille cremat Laurentii corpus, iſte ejus animum accendit. Ille victus,
iſte victor extitit, quo accenſus Laurentius ardorem ardore moderabat:
Laur. Juſt. (Ignem igne ſuperabat: vehementius namque longeque magis charitatis,
quam materialis ignis urebatur incendio.) *In comparatione ferroris quo pectus*
D. Aug. Ser. 37. de Diverſis. *ejus ardebat, exterior perſecutorum flamma frigebat:* multoque validior ignis
dilectionis, quam perſecutoris. *Et quamvis rex improbus ligna ſuggeſſerit, & in-*
D. Aug. Ser. 31. de Sanctis. *cendia majora ſuppoſuerit; tamen ſanctus Laurentius has flammas fidei calore non*
ſentit. Inde Decium pungit Leo ſummus Pontifex: *Nihil obtines, nihil pro-*
Ser. in Nat. S. Laur. *ficis, ſæva crudelitas. Subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio*
in cælos abeunte deficis. Flammis tuis ſuperari charitatis Chriſti flamma non po-
tuit: ſegnior fuit ignis qui foris uſſit, quam qui intus accendit, & charitatis *ſa-*
Tertull. Scorp. 4 *piens ignis* quo ſufflammatur Laurentii animus, triumphat de igne quo im-
prudenter & injuſte corpus ejus cremas.

Com-

Commendatur probus quod ſit homo ſui nominis,quia tum in adoleſcen- Vopiſc.
tia, tum in virilitate magnam demonſtravit bonitatem. Homo ſui nominis
fuit Laurentius à Lauro nuncupatus,lauri præferens proprietates. 1.Laurus
Scipionis loco deſeruit : Laurentius fuit baculus, cui Sixtus Pontifex in ſua
ſenectute innitebatur. 2. Laurus Apollini, id eſt ſoli dicata eſt: *Laurea iſta* Tert. l. de
Apollini ſacra eſt, ut Deo telorum : Laurentius ſummo ſoli Deo conſecratus Cor. Mil. 12
eſt. 3. Laurus domos exornat ; hac de cauſa ponitur *Laurus in poſtibus*, & Tert. l. de
Chriſtiani erant olim Gentilibus infenſi, quod *Die læto non laureis obumbra-* Idol. 15
mus. Laurentius vocitatur à Ruperto, *decus Romani imperij* & Eccleſia diem Tertull.
ejus feſtum magno cum gaudio celebrat.4.Laurus viridis formoſa & pulchra Apol. 35 Lib. 2. de
eſt, non ſolum verno aut æſtivo tempore, ſed etiam autumnali & hiberno; Fort. c. 21
Laurentius quoque non ſolum dum pace fruebatur Eccleſiæ,ſed etiam à De-
cio comprehenſus comminatus , cruciatus invictam oſtentavit patientiam,
quam ſic loquentem prodit Guillelmus Pariſienſis: *Ego* id eſt patientia,*ſum* Tract. de
in arboribus Laurus,propter injurias temporum aut aëris,virorem non amittens. Morib 11
5.Olim victores laureis erant coronati.*Habes Pindarum,qui & Apollinem me-* Tert. l de
morat interfecto Delphino dracone lauream induiſſe. Laurentius victoriis fa- Cor. Mil. 7
moſus triumphat in cœlis coronatus.6. Triumphatores in capite deferebant
lauream,id eſt coronam ex lauro contextam : *Sed & alias Liberum principem* Tert. ibid.
corona plane laurea, in qua ex indiciis triumphavit, etiam vulgus agnoſcit, cum
dies in illum ſolemnes, magnam appellat coronam : & ob hanc rationem Genti-
les Baccho *ut Deo triumphorum* lauream conſecrabant,Laurentius triumphat Tert. l. de
laureatus. Cor. Mil.

Utrum autem *triumphi laurea, foliis ſtruitur, an cadaveribus? lamnis orna-* 12
tur, an buſtis? Unguentis delibuitur, an lachrymis, fortaſſe quorumdam Chriſtia- Tert. ibid
norum? Laurentii triumphus delibutus fuit, non unguentis, ſed lachrymis
Chriſtianorum;non foliis, ſed cadaveribus Romani, Hyppoliti aliorumque
Martyrum ſtructus; ornatus non lamnis , ſed buſtis in quibus Laurentius
crematus eſt, & corpora multorum fidelium combuſta ſunt. Qui ſic apud
Tertullianum alloquuntur perſecutores tyrannos & carnifices. *Licet nunc ſar-*
mentitios & ſemaxios appelletis; quia ad ſtipitem dimidij axis revincti, ſarmento- Apol. 50
rum ambitu exurimur. Hic eſt habitus victoria noſtra, hæc palmata veſtis , tali
curru triumphamus. Tunica illa,ſeu ut fatur Tertullianus, *palmata toga* tam L. de Cor.
celebris apud Romanos, erat veſtis triumphantium,palmata dicta,à palmis Mil. 12
quæ intertextæ erant. Quod ſtipes & axis Martyribus,hoc idem fuit craticula
Laurentio: quod illis ſarmenta quibus exurebatur, hoc ipſi carbones quibus
cremabatur. Illi coronati & palmis induti triumphabant,. iſte indutus igne
triumphat;qui eſt illius palmata toga,craticula currus triumphi. Quidquid in
illum armavit crudelis Imperator , hoc omne fuit illi in gloriæ & pompæ
triumphalis ornamentum. Quod Decio exprobrat Leo Maximus Pontifex:
Sæviſti perſecutor in Martyrem ; ſæviſti & auxiſti palmam dum aggeras pœ- Lib. de
nam, S. Laur.

nam, Quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem tranſierunt triumphi etiam inſtrumenta ſupplicij?

Tyranni perſequentes Chriſtianos eorum gloriæ militaverunt, mancipantes morti Martyres eis immortalem vitam procuraverunt; & ſeipſos inferni ſuppliciis addixerunt. *Quid mœror, quid dolor, quid pœna, quid mors, homines terretis? Vicit vos fides, ſuperavit vos fortitudo. Non poteſtis timeri poſt fidem. Provexiſtis Martyres, non viciſtis. Evanuit fides veſtra, facta ſunt de vobis luctativa commercia, ut per vos iretur ad gloriam, qua re tenuerunt Martyres in paſſione conſtantiam.* Sic evanuit imperatoria Decii majeſtas; ſic evanuerunt minæ, quibus Laurentium terrere moliebatur; ſic evanuerunt dolores, cruciatus, tormenta, quibus crudeliter Martyris probavit conſtantiam; eique miniſtravit ad comparandam gloriam. Sævitia Tyranni fuit Levitæ utilis, ſibique noxia; utilis Laurentio cui iter paravit ad palmam; ſibi noxia, quia viam paravit ad gehennam. *Superatis itaque flammarum miniſtris, omne mundanæ inſania extinxit incendium; & ad hoc uſque diabolica profecit intentio, ut & Martyr fidelis, ad Deum ſuum glorioſus aſcenderet, & crudelitas perſequentium, cum ſuis ignibus confuſa torpeſceret*, & in inferno interminabiles pœnas lueret. Econtra Laurentius in cœlo æterna fœlicitate potitur; quam merito obtinuit vincens timorem, dolorem, & ignis elementaris ardorem.

D. Aug. Ser. 10. de S. Laur.

D. Aug. Serm. 3 de S. Laur.

Refert Paradinus depictos fuiſſe duos ſtipites lauri, ex prævia colliſione, ſcintillantes appoſito deſuper hoc titulo *Flammeſcet uterque.* Duo illi ſtipites ſunt Decius & Laurentius, qui mutuò ſe collidunt, Decius ſævitia: Laurentius conſtantia. Uterque flammeſcit; Decius in inferno gehennæ flammis depaſtus; Laurentius in cœlo beatifico amore ſufflammatus. Dicamus his duobus lauri ſtipitibus denotari carnem & animam Laurentii. Utraque flammeſcit; caro ignis materialis, flammis expoſita; anima igne ſpirituali charitatis ſufflammata. Attamen *ferventiſſimum Martyrem ſæviſſimi perſecutoris ſuperare flamma non potuit, quia longe ardentius veritatis radiis mens ejus accenſa fervebat.* Duplicem illum ignem quo ſuccenſus fuit Laurentius, revocat ad memoriam duplicem adhuc ignem. De quo loquitur D. Auguſtinus: *Duo ſunt ignes cupiditas ſcilicet & charitas: Unus de parte Dei: alter de parte diaboli: unus devorans omnia mala, alter univerſa bona conſumens.* Cuncta peccata ſunt concupiſcentiæ filii, redolentes matris naturam; ſ[illegible] neque ignes de parte diaboli, cunctas virtutes devaſtantes. Superbia conſumit humilitatem, odium charitatem, blaſphemia pietatem; è converſo cunctæ virtutes ſunt charitatis filiæ, ſapientes indolem matris, & ita de parte Dei vitia devorantes. *Bonus ignis qui non novit exurere niſi peccata.* Dilectio conſumit inimicitiam, pudicitia laſciviam; demiſſio arrogantiam; amor invidiam. *Conſideret unuſquiſque conſcientiam ſuam, & videat, quo igne ardeat.* Qui cupiditate æſtuant, Decium imitantur; qui charitate ſufflammantur, Laurentii ſunt imitatores. At proh dolor! quam multi ardent igne qui venit ex parte diaboli? quot ſuperbi, quot

In Symbol.

D Maxim Hom. 1. de S. Laur.

Ser. 4. de Baſil Paul.

D. Ambr. Ser. 18. in Pſal 188

D. Aug. ibid.

bi, quot impudici, quot avari, quot inimici, quot invidi, quot impii? Quam pauci è contra ardent igne qui venit ex parte Dei, qui ſint humiles, caſti, pudici, pietate ornati! Laurentius igne vicit ignem; igne Spiritus ſancti ſuperavit ignem Decii. Nos quoque ignem igne vincamus: igne qui venit ex parte Dei, ſuperemus ignem qui venit ex parte diaboli, id eſt cupiditatem ejuſque prolem charitate vincamus. *Eſt amor utilis, eſt amor noxius: amor amore impeditur; amor noxius ſecedat, & amor utilis ſuccedat.* Recedat cupiditas quæ eſt amor noxius, ſuccedat charitas quæ eſt amor utilis, recedat ſuperbia, ſuccedat humilitas; recedat laſcivia, ſuccedat caſtitas; recedat avaritia; ſuccedat liberalitas; recedat vitium, ſuccedat virtus. Et ut concludam cum Chryſologo: *Ergo Martyrum merita velut Dei dona laudemus, amemus, oremus, ſubinferamus voluntatem noſtram. Voluntas enim ſequitur, ſed tamen non deeſt charitas ſi non deſit voluntas: ipſa enim ardens voluntas, vocatur charitas. Quis eſt qui timeat volens, qui eſt qui amet nolens? Ferveat oratio, & feſtum Martyris celebretur. Sed ut non ſit inanis qui celebrat, imitemur* Laurentii fidem, charitatem, & victoriam: Fidem tribulationibus & anguſtiis examinatam, & probatam: charitatem, eleemoſyna & patientia commendatam; victoriam palmis coronatam. Hanc gloriæ coronam pollicetur qui non mentitur Deus: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

D.Aug.

Tertull. Scorp. 12

CONCIO TERTIA.

MAledictum eſt ante Apotheoſim, Deum Cæſarem nuncupare*, quia ſenatores ſibi deos conſecrandi jus atrogaverant, ſine quorum conſenſu, neque etiam Imperator quemquam in numero deorum adſcribere valebat. Ut enim refert Tertullianus, *vetus erat decretum, ne qui Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à ſenatu probatus.* Unde cum Tiberius audita fama virtutum & miraculorum quæ in Judæa operatus erat Chriſtus, voluerit illum imperatoria authoritate inter deos annumerare, Senatus ſeſe oppoſuit, & Apotheoſim ab ipſo factam rejecit *Tiberius ergo, cujus tempore nomen Chriſtianum in ſeculum intravit, annuntiata ſibi ex Syria Paleſtina quæ illic veritatem iſtius divinitatis revelarant, detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui. Senatus, quia non ipſe probaverat, reſpuit.* Ad Deum ſolum ſpectat conferre ſanctitatem, & ad ſummum Pontificem declarare & annumerare inter Sanctos, quos Deus ſanctitate donavit. Solum caput viſibile Eccleſiæ, de cujus ore procedunt oracula fidei, poteſt concedere fidelibus licentiam venerandi Beatos qui in cœlo regnant: Nonnulli tamen à Chriſtianis venerati ſunt, priuſquam fuerint à Summis Pontificibus in numero Sanctorum adſcripti. Sic Joannes Chryſoſtomus communi conſenſu populi Conſtantinopolitani veneratus eſt. Sic Rochus *dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in bene-*

Tertull. Apol. 35

Apocal. 6

Tertull.

Eccleſ. 45

dictione eſt, quamvis ſolemni Pontificis declaratione non ſit inter divos collocatus; unanimi tamen Chriſtianorum ſuffragio eſt canonizatus; qui ſapienter honorant, quem Deus ſuis gratiis dignatus eſt; ſuoſque cultus merito exhibent Sancto, qui tantam demonſtravit Charitatem; 1. Mundum deſpiciens: 2. ægrotis ſerviens: 3. dolores & anguſtias conſtanter patiens.

I. PARS. *Creatori diligendo ædificaverat hominem.* Ad hunc finem illi contulerat Deus cor dilectionis capax; & ut magis ad ſui amorem inducat, dedit ei de ſua dilectione mandatum, promittens obſervatoribus vitam æternam, & interminabilem mortem comminans tranſgreſſoribus. *Diliges Dominum de totis præcordiis, & totis viribus, & tota anima tua.* Diligi vult Deus ex toto corde, non patitur partiri cor; ita ut partem ſibi, partem mundo demus, ſed totum ſibi reddi vult, qui totum creavit & dedit. *Rationalis enim animus qui ſine dilectione eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt, aut mundi.* Duo illi amores tantum inter ſe diverſi ſunt, quantum diverſa ſunt objecta, quæ reſpiciunt. Dei amor perfectiſſimus; quia ad infinitum terminatur bonum: Mundi amor imperfectus eſt, quia ut fatur dilectus Diſcipulus, Mundus in maligno poſitus eſt: ſeu, ut legit Salvianus, *ſæculum totum in malo poſitum eſt.* Alludere videtur Evangeliſta ad id quod ſupra dixit: *Omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*: in his enim tota mundi conſiſtit malignitas. *In dilectione Dei nulla nimia*, quia quantumvis ab hominibus & Angelis diligatur Deus, numquam tamen tantum diligetur, quantum eſt diligibilis. *in dilectione mundi cuncta noxia*: Nam ut belle ait ad propoſitum S. Cyprianus: *Arridet mundus, ut ſæviat; blanditur, ut fallat; illicit, ut occidat; extollit, ut deprimat.* Amor Dei & amor mundi adinvicem inimicantur; quoniam *inter contraria ſibi nulla amicitia eſt.* Homo mundi amicus, Dei nequit eſſe amicus. *Quicunque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi, inimicus Dei conſtituitur.* At è contra Chriſtianus Deum amans, mundi eſt inimicus. *Homo ſi Deum amat, mundum non amat.* Mundus ad ſui amorem homines allicit, offerendo avaritiæ, facultates; laſciviæ, voluptates; ſuperbiæ, dignitates: Deus offert ſuis amicis non divitias, ſed paupertatem; non delicias, ſed amaritudinem: non glorias, ſed humilitatem. Verus Dei amator Rochus contemnens oblatas à mundo facultates, voluptates, & dignitates: & amplectens, 1. paupertatem: 2. inſuavitatem: 3. humilitatem,

Tert. l.4. adv. Marc. 26 — Tert. lib.5 adv. Marc. 4. — S. Leo Ser. 5. de jejun. 7. menſis. — 1. Joan. 5 — Lib. 4 de Provid. — 1. Joan. 2 — D. Leo — Epiſt. ad Donat. — Tert. l de Pœn. 3 — Jacob. 4 — D. Chryſoſt. Hom. 47. in Matt

Chriſtus Dominus *ſemper pauperes juſtificat, divites condemnat.* Multiplici autem de cauſa Deus pauperes potius quam divites elegit ad regna cœlorum. 1. Quia id requirere videtur apta donorum diſtributio, ut qui abundant terreſtribus, careant cœleſtibus. *Difficile, imo impoſſibile eſt, ut præſentibus quis & futuris fruatur bonis: ut hic ventrem, & ibi mentem expleat: ut de deliciis tranſeat ad delicias: ut in utroque ſæculo primus ſit: ut in cœlo & terra appareat glorioſus.* At è converſo æquitati conſentaneum eſt, ut qui terreſtribus carent, cœleſtibus abundent. Ut enim ait D. Auguſtinus; *Recta diſpenſatione miſericors judex regnum cœlorum committit, quibus regni*

Tert. l. de Pat. 7 — D. Hier. Epiſt. 34 ad Julian.

regni terrarum participationem inter mortales abſtulit, ut ipſe dives in cæli ſede appareat, qui in terra nihil penitus procurat. Unde D. Chryſoſtomus acute animadvertit, quod Apoſtolus denotans divites hujus ſæculi, hoc modo loquendi innuit eſſe divites futuri ſæculi. Dives hujus ſæculi fuit Epulo denegans Lazaro micas quæ cadebant de menſa. Dives futuri ſæculi eſt ipſe Lazarus in hoc mundo egenus & mendicus. Divites futuri ſæculi ſunt Regulares qui votum paupertatis emiſerunt & probe ſervaverunt. Quos aſſeverat Nazianzenus *propter humilitatem exaltatos, & propter paupertatem locupletatos.* 2. Quia Deus vacuum requirit cor, ut totum illud poſſideat: Divitum autem corda plena ſunt divitiis, quibus addicti & ineſcati, idonei non ſunt ad capiendas res cœleſtes & divinas: pauperum vero corda ſunt vacua divitiis, itaque cor non habentes in ære quo carent, transferunt cordis affectum ad cœleſtia bona, quæ ſperant. Quod umbratice cognoſcens Moralis Philoſophus, ait: *Non alius eſt Deo dignus, niſi qui opes contempſit: & ideo olim Flamini Diali, non modo tangere hederam criminoſum erat, verum etiam nominare.* Hedera, Teſte Pierio, ſymbolum eſt tenacitatis & adhæſionis ad terrena. 3. Quia divitiæ fomites ſunt, & illecebræ ambitionis, avaritiæ, luxuriæ, gulæ, omniumque vitiorum, quibus itur in gehennam, & ob hanc cauſam docet Salvator: *Facilius Camelum tranſire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Paupertas è contra ſuggerit materiam humilitatis, continentiæ, modeſtiæ, ſobrietatis, caſtitatis, cunctarumque virtutum quibus ad cœlum aſcenditur. *Magna quædam penna paupertatis eſt, qua tam cito volatur in regnum cœlorum* 4. Quia divites facultatibus abutentes, ex eis ſuperbientes, laſcivientes, gulæ indulgentes, & ſceleribus vacantes, infauſta negotiatione inferni ſupplicia lucrantur. *Negotiatio eſt aliquid amittere, ut majora lucreris.* Criminoſi divites totum amittunt nempe Deum & cœlum, ut acerbiſſima gehennæ lucrentur ſupplicia. Pauperes vero fœlici negotiatione pro Deo terrena relinquunt bona, ut lucrentur cœleſtia. *Hæc negotiatio præſtantiſſima, qua brevia & fragilia bona, cum ſempiternis bonis commutantur.* Inde concludit dubius Auguſtinus: *Regnum cœlorum non divitum, ſed pauperum eſt. Dicit namque pauperibus:* Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. *Si eſt regnum cœlorum pauperum; reſtat ut infernus ſit divitum.* His aliiſque rationibus convictus Rochus, mundi renuntians facultatibus, amplexatur paupertatem. A ſuis parentibus qui erant Dynaſtæ, & Montis-Peſſulani Comites hæreditario jure acceperat amplas poſſeſſiones, nobiles dominationes; auri & argenti acervos; varia ſupellectilia, pretioſas uniones, divitiarum theſauros, è quibus magnam partem vendidit, pecuniam pauperibus erogavit, & de ditiſſimo ſemetipſum pauperem reddidit.

[Margin: Lib. de 12. grad. Abuſion. grad. 8 — Hom. 2. ad Pop. — 1 Tim 6 — Orat. 16 — Epiſt. 8 — Hierog 51 — Matth. 19 — D. Bern. Ser. 4. de Adv. — Tert. 1 ad Mart. 2 — Greg. Naz Orat. 18 — Lib. de Contemp Mund. c. 6]

Tres voluntariæ paupertatis invenio gradus. Primus eſt eorum, qui ſunt divites cenſu, pauperes affectu, cujuſmodi erat Senator quidam Romanus nomine Severus, quem ſic alloquitur D. Paulinus: *Es locuples, ut habens non habeas;* [Margin: Epiſt. 11]

Hom.5.de Evang.

habeas; quia non tibi, ſed non habentibus habes. Secundus primo perfectior, eſt eorum, qui cenſu pauperes; non ſunt deſiderio & ſpe divites, & iſte gradus proprius eſt Apoſtolorum, qui ſe omnia reliquiſſe gloriantur; licet ſolummodo tuguriolum, naviculam & rete quo piſcabant reliquerint : quia ut Magnus docet Gregorius, *multum reliquit, qui deſiderium etiam habendi reliquit.* Tertius, & perfectiſſimus, eſt eorum qui cum eſſent divites cenſu, facti ſunt non ſolum cenſu & affectu pauperes, ſed etiam deſiderio & ſpe, rejicientes etiam deſiderium & ſpem divitiarum : & hic paupertatis gradus proprius eſt Rochi, qui amplis renuntiat facultatibus, ultro paupertatem elegit, & cunctam divitiarum ſpem, & omne terrenorum deſiderium abjicit. Voluntaria Rochi paupertas eſt longe major paupertate Senatoris Severi, qui ſuorum bonorum proprietatem & uſum ſervavit : Rochus vero tum proprietatem, tum uſum reliquit. Videtur etiam paupertate Diſcipulorum perfectior; quia non ſecus ac illi ſpei & deſiderio terrenorum renuntiavit, in quo par eſt illis, magnas inſuper reliquit facultates, in quo multum Diſcipulis antiſtat, eligens vitam pauperem & pœnitentem.

Tert. l.de Pœn.10 — Tert. l.de Pud.1 — D.Amb. Epiſt.31 — D. Amb. Ser. 19. in Pſal.118

2. Medici *per inſuavitatem medentur*, & Rochus per mortificationem & pœnitentiam mundi ſuperavit delicias. A juventute carnis renuntians voluptatibus quas devicit ea ætate in qua alii ſe concupiſcentia carnis victos fuiſſe gloriantur; toto vitæ decurſu permanſit virgo & corporis ſervavit integritatem. In ſæculo in quo laſcivia *eo uſque jam exolevit, ut non ejuratio, ſed moderatio libidinum pudicitia credatur; iſque ſatis caſtus habeatur, qui minus caſtus fuerit.* Et ne pretioſum virgineæ puritatis perderet theſaurum, divitias quæ illi adverſantur, abdicavit : ſiquidem *prima caſtitatis victoria eſt facultatum cupiditatem vincere; quia lucri ſtudium, tentamentum eſt pudoris.* Et quaſi parum fuiſſet abjeciſſe divitias, quæ caſtitati inſidiantur, ſuo corpori continuum indixit bellum, & per carnis macerationem, *captivas ſibi fecit omnes delicias juventutis.* Ex Morali Philoſopho, *qui ſapientiam amat, odit corpus:* Et ex D. Auguſtino, *amans Chriſti oſor eſt carnis.* Rochus ſapientiæ ſtudioſus, & verus Chriſti amator, adeo duram tractationem in corpus ſuum exercuit, ut perpauci ſint Sancti, qui durius ſua corpora tractaverint : & ardentem Chriſto demonſtravit amorem, per odium quo ſuam averſatus eſt carnem. Jejunium obſervavit à duodecimo ætatis anno, in quo vix agnoſcitur jejunii nomen : Jejunii comites habebat vigilias continuas, fervidas orationes, ſatagens *Jejuniis preces alere, ingemiſcere, lachrymari, mugire dies noctesque ad Dominum Deum ſuum*, aliiſque pœnitentiæ operibus vacare, cujus ſumpſerat habitum in tertio S. Franciſci Ordine.

Tert. l.de Pœn.9 — D. Aug. Guerric. Serm. de Purif.

Quid eſt aliud homo pœnitens, niſi homo ſibimet iratus? qui adverſum ſe injurias Deo illatas vindicat, qui peccata à ſe commiſſa ſevere caſtigat, qui *veterem hominem cum actibus ſuis gladio pœnitentia enecat.* Quæ, ut fatur Tertullianus *in peccatorem ipſa pronuntians pro Dei indignatione fun-*

gitur

gitur, & temporali afflictione, æterna ſupplicia non dicam fruſtratur, ſed expungit. En verum Rochi ſpecimen, adverſus ſemetipſum irati, veterem hominem gladio pœnitentiæ enecantis, & per pœnitentiam æterna ſupplicia fruſtrantis, & præmia cœleſtia merentis, & qui non valens Chriſto demonſtrare per martyrium amorem quo æſtuat, denotat illum per pœnitentiam. Perfectus Chriſti amor, *perdit animam ſuam ſive ponendo eam ut Martyr, ſive affligendo ut pœnitens.* Rochus non poſuit animam ſuam ut martyr, per ſanguinis effuſionem; ſed poſuit eam ut pœnitens, per carnis macerationem, quæ, ut ſubjungit D. Bernardus, eſt martyrium *horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius:* quod durat toto vitæ tempore, quam duxit Rochus in pœnitudine & in dejectione. Lib. de Pœn. 9 D. Bern. Ser. 30. in Cant.

3. Pœnitentia *proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt:* ut in Rocho apparet, qui de patria ſua egreſſus eſt ſub humili pœnitentis & peregrini habitu vitam duxit, quem nonniſi moriendo reliquit. Cui probè conveniunt hæc Tertulliani verba : *Sed & tu peregrinus mundi hujus.* Magna ſanè fuit Abrahæ perfectio, qui propriam patriam deſeruit, & ad externam regionem ſe contulit: ſed Rochi peregrinatio eſt longè perfectior, qui peregrinatus eſt in regiones orbis. Abrahamo præcepit Deus ut egrederetur de patria ſua, de cognatione ſua, & iret in terram ſibi demonſtrandam: Rochus nullum mandatum accepit à Deo, ſed ex mera pietate domum ſuam deſeruit. Abraham in ſua patria, erat quidem ſufficienter terrenis ditatus facultatibus : at Rochus abſque ulla comparatione Abrahamo erat ditior. Abraham de patria ſua exiens ſecum duxit terrenas ſuas facultates: Rochus de Monte Peſſulano egrediens nihil ſecum tulit de terrenis, quibus affluebat bonis. Abraham in ſuo itinere non fuit ſolus, ſecum enim habuit uxores, à quibus conſolabatur; domeſticos, qui ei ſua ſervitia & officia miniſtrabant : Rochus eſt ſolus in ſua peregrinatione, & à nemine aliquod ſolatium, auxilium, aut miniſterium recipit. Abraham nativum relinquit ſolum, ſed ad terram promiſſionis poſſidendam multò lætiorem, fœcundiorem, & ditiorem: Rochus deſerit ſuam regionem non ad meliorem obtinendam , ſed ut toto vitæ ſuæ decurſu ſit *exul à libertatis & lætitiæ felicitate.* Ex quo tempore peregrini ſuſcepit habitum, honoribus, deliciis, & facultatibus hujus mundi renuntiavit. Honoribus quidem, quia nullo in loco fuit ſecundùm ſuam dignitatem recognitus. Deliciis etiam, quia expoſitus fuit pœnis & ærumnis, quæ longa itinera concomitantur. Tandem facultatibus , errans cunctis denudatus bonis. Et quemadmodum Judæi *diſperſi , palabundi , & ſoli, & cœli ſui extorres vagantur per orbem* : ita Rochus abſque ullo domicilio, velut *exul vitæ* errat. Exilium eſt ſupplicium morte acerbius; quia, ut fatur Philo Judæus: *Mors eſt finis veterum malorum , exilium verò initium novorum.* Juſtitia humana exilio mulctat ſceleroſos. Deus etiam hanc ſententiam tulit in fratricidam Cain : *Eris vagus & profugus ſuper terram.* Et Medea ut de infido Jaſone vindictam ſumat, nihil aliud ei exoptat, niſi ut *per urbes erret ignotus, egenus, exul, invi-ſus,* Tert. l. de Pœn. 9 Lib. de Cor. mil. 12 Gen. 12 Tert. l. de Pœn. 11 Tert. Apolog. 21 Tert. Apol. 45 L. de Vita Moyſ. Gen. 4 Seneca in Medea.

ſus, incerti laris. Sic errat & vagatur Rochus, non in pœnam criminis, ſed ex devotione, pietate, humilitate, paupertate, ut Chriſtum Dominum imitetur, qui *in humilitate & ignobilitate inceſſit, domicilio incertus, veſtitu incultus, vultu denique & aſpectu inglorius.*

Tert. l. de Idol. 18

Hucuſque conſideravimus Rochum pauperem, pœnitentem, & peregrinum. Ut eum debito cultu veneremur, debemus eſſe pauperes, pœnitentes, & peregrini. Non efflagito à vobis ut ſitis pauperes cenſu; ſed affectu: non deſiderio, ut cuncta veſtra bona pauperibus erogetis; ſed ut faciatis eleëmoſynas conformes facultatibus, quas accepiſtis à Deo, & præſertim *cùm non ſibi, ſed aliis divites fuerint, & diſpenſatores magis Dei, quàm divites appellandi ſint.* Non expoſtulo à vobis ut tantum jejunium, quantum Rochus, vel ut tam duram agatis pœnitentiam; ſed ut indicta ab Eccleſia jejunia fideliter ſervetis; & per pœnitentiam Deo offenſo ſatisfaciatis; & per carnis macerationem muniatis vos adverſus tentationes, inſidias, & conflictus diaboli. *Simul enim & de priſtinis ſatisfacimus conflictatione carnis & ſpiritûs, & ſubſecuturis tentationibus munimenta praſtruimus.* Nolo ut erretis ignoti, vagabundi ſine lare, ſine domicilio, toto vitæ tempore; ſed ut ſeriò vos in terra recogitetis peregrinos. *Omnis qui ad ſupernam pertinet patriam peregrinus eſt mundi, & dum temporali utitur vitâ, in patria vivit aliena.* Tria Chriſtianorum genera diſcriminat Hugo Victorinus. Quidam uni loco per affectum adhærent; quem velut propriam patriam reſpiciunt. Nonnulli omnia mundi loca indifferenter reſpiciunt, quaſi quilibet locus ſeorſim ſumptus ſit propria eorum patria. Alii, terram velut exilium conſiderant, & in quovis loco ſeſe peregrinos & exules exiſtimant. Primi, ſunt delicati; ſecundi, fortes; tertii, perfecti. *Delicatus eſt, cui adhuc patria dulcis eſt; fortis eſt, cui omnis terra patria eſt; perfectus eſt, cui omne ſolum exilium eſt.* Primi, delicati ſunt, quia uni loco addicti ſunt, quem velut propriam patriam diligentes, vellent ſemper in eo commorari: Secundi, fortes; quia ad omnia loca amorem ſuum extendentes, nullum inordinatè diligunt, neque ulli inſeparabili affectu addicti ſunt. Tertii, perfecti; quia terram velut exilium, & cœlum tanquam patriam recogitantes, terram deſpiciunt, cœlum ardenter diligunt. *Primus amorem fixit; ſecundus ſparſit; tertius extinxit.* Talis fuit Rochus affectum ſuum nulli loco figens; neque ad diverſas regiones ſpargens, ſed penitus extinguens, in terra exulem vitam ducens, poſt cœleſtem patriam anhelans: *Patria peregrinus es, cùm ſis incola paradiſi,* & tanquam peregrinus errans; nullo enim in loco demorabatur, niſi dum ſe ad Xenodochia recipiebat, ut ægrotis & peſtiferis charitatis officia præſtaret.

D. Hier. l. 1. adv. Pelag.

Tert. l. de Bapt.

D. Aug. l. de Ver. Innoc. c. 7

L. 3. Erudit. Didaſc. c. 10

D. Paulin. ep. 1

II. PARS. Primiceri Chriſtiani magno cum zelo charitatis & miſericordiæ incumbebant officiis: nam fratribus egenis eleemoſynas liberaliter erogabant, ægrotos quantumvis humiles & demiſſos viſitabant, conſolabantur, eiſque pro viribus ſubveniebant. Hac conſideratione utitur Tertullianus, ut mulierem Chriſtianam ab ineundo cum Gentili matrimonio dimoveat. *Quis autem ſinat*

Lib. 2. ad Ux. 4

nat conjugem ſuam viſitandorum fratrum gratiâ vicatim aliena , & quidem pauperiora quaque tuguria circumire? Si quis unquam erga ægrotos miſericordiam demonſtravit, is ſanè fuit Rochus, qui à ſeculi cura expeditus totam ſuam adhibuit curam erga ægrotos: 1. ad Noſocomia ſe recipiens. 2. ægrotis ſerviens. 3. peſtiferis ſanitatem impertiens.

1. Tertullianus Apoſtolum imitatus, plures charitatis & dilectionis recenſet proprietates. Dilectio, inquit, *benefica eſt* : quia ſuâ largitate proximi L. de Pat. egentis neceſſitatibus ſubvenit: *Nec ſua requirit, ſi offert ſua, dum alteri proſit.* 12 Facultatum namque ſuarum , imò & laboris, honoris, ſanitatis & vitæ diſpendio miſeris opitulatur. Tandem, *magnanimis eſt* : vocabulo ſanè Latinis D. Aug. Serm. 9. de inſolenti, ſeu, ut ſtylo puriori fatur D. Cyprianus, *magnanima eſt* : Tum quia Verb. Dô. omnes difficultates ſuperat *: Omnia enim ſæva & immania, prorſus facilia reddit amor.* Tum quia cuncta, quantumvis dura, conſtanter tolerat: *Nihil amantibus durum eſt.* D. Hier. ep. 1. ad Tum quia amaritudines in ſuavitates immutat. *Nullo modo* Euſtoch. *ſunt oneroſi labores amantium , ſed etiam ipſi delectant.* En verum ſpecimen D. Aug. charitatis Rochi, quæ eſt 1. benefica, quia *ſemetipſum de ſeculo exhæredavit,* l. de Bon. ut pauperes de neceſſitate liberaret. 2. Non requirit ſua, dum alteri proſit: Vid. c. 21 nam ut *promptiſſimus eſſet in communicationibus*, & liberalius egenis erogaret Tert. l. de eleemoſynas, ſemetipſum effecit pauperem & egenem. 3. Magnanima, for- Exh. Caſt. 11. titer ſuperans cuncta miſericordiæ in ægrotos obſtacula. Obſtabat nobili- Tert. ib. tas Dynaſtæ, qui natus videtur ad frequentanda Regum palatia, non xenodochia pauperum & ægrotantium. Obſtabat juvenilis ætas , quæ facilius propendet ad captanda oblectamenta , quàm ad egenorum ſublevandas miſerias. Obſtabat tenera & delicata complexio , non ſatis idonea ad ferendos labores, xenodochiorum comites. Obſtabat locus: nam noſocomium utplurimùm eſt lugubre, fœtidos exhalans odores. Obſtabat egenorum, infirmorum, languentium aſpectus, qui cordi ingenerabat faſtidium. Horum tamen nihil impedivit Rochum, quin ſe conferret ad xenodochia , in quibus recipiuntur extranei; & noſocomia, in quibus pauperes infirmi curantur. Ibi autem remanſit in pœnitentis habitu, ut facilius miſericordiæ vacaret operibus: Pœnitentia *converſationem injungens, miſericordia illicem.* Habetur apud Ter- Tert. l. de tullianum , qui non minori acumine nuncupat *patientiam miſericordia ma-* Pat. 9 *trem.* Utramque demonſtravit in xenodochio Rochus, ægrotis & peſtiferis L. de Pat 3 ſerviens.

2. Inter varios morbos qui genus hominum affligunt, *revera lues* eſt om- Tert. l. de nium major. Peſtis adeò eſt horrenda, ut nemo ſit qui eam non averſetur : An. 30 adeò contagioſa ut cogat amicos relinquere abſque auxilio eos , quibuſcum amicitiâ conjuncti ſunt; adeò crudelis , ut parentes à filiis, & conjuges abinvicem dividat; adeò periculoſa , ut venenum ſuum accedentibus diffundat. Verùm cuncta eiuſmodi pericula non impedierunt Rochum adire infecta lue xenodochia, ut peſtiferis ſua auxilia præſtaret. *Tam præcoquam , imò tam* Tert. l. 4 *acerbam dilectionem* peſte laborantibus reddens ; ſeſe mortis exponens pe- adv. Marc. riculo, 27

In Sent. riculo, ut eos vel à morte liberaret, vel quodammodo ſolaretur. Ex D. Ber-
nardo: *Triplex eſt genus martyrii; unum, in ſanguinis effuſione; alterum, in car-
nis maceratione; tertium, in proximi compaſſione.* Rochus quodammodo tria
illa pertulit martyrii genera. Et quidem *in ſanguinis effuſione*; quia peſtiferis
miniſtrans toxicatus eſt, & veneno enecatus. 2. *In carnis maceratione*, quam
Tertull. pœnitentiâ & afflictione maceravit. *O martyrium & ſine paſſione perfectum!*
Scorp. 8 Tandem 3. *In proximi compaſſione*, ſentiens in corde dolores, quos ægroti
2 Cor. 11 ſentiebant in corpore, dicens cum Apoſtolo: *Quis infirmatur, & ego non in-
firmor?* Revera cum afflictis affligebatur, cum infirmis infirmabatur: *Quia
D Grego. in ſe trahebat damna infirmitatis alienæ.* Rochi charitas velut ſpongia ſacra,
Hom. 32 infirmorum imbibebat dolores; ejus compaſſio velut magnes, ægrotorum
in Evang. trahebat cruciatus, eoſque Rochi inurebat animo. *Quot peſtes* conſpiciebat
Tert. l. 1. ad Nat 9 in ægrotantium corpore, *tot dolores* ſentiebat in corde; & compaſſione mo-
Tertull. tus, & charitate ſufflammatus, omni aſſiduitate peſtiferos viſitabat, magno
Scorp. 1 cum fervore eis alimenta & remedia miniſtrabat, & admirabili virtute eos
utplurimum ſanabat.

3. Medici quantumvis periti, lue graſſante ſuam inſcitiam oſtentant, &
dum accerſuntur ad viſitandum hominem peſte percuſſum, vel venire recu-
Tert. ib. ſant; vel ſi veniunt, nulla remedia applicant, dicentes: *Relinquito in ſuo ſopore
morientem; jam intimat virus, properat in viſcera.* Rochus etſi Montis Peſſu-
lani Comes, eo in loco, medicinam haud edoctus, peſtiferos ſine remedio non
deſerit; ſed per virtutem crucis, cujus figuram deferebat in corpore, & imagi-
nem conſervabat in mente, eos ad ſanitatem reſtituit. Non eſt mirum quòd
Chryſol. Chriſto *curationes pareant, obtemperent ſanitates*, qui cùm ſit Deus, habet
Ser. 15 ſupremum dominium in morbos, & in ſanitates; imò in mortem, & in vitam:
Tert. l. 2 *Ad omnia tibi occurrit Deus idem, percutiens, ſed & ſanans; mortificans, ſed &
adv. marc. vivificans.* Sed prorſus eſt ſtupendum quòd Rochus ſanet peſtiferos, qui
14 medicis incurabiles videntur. Profectò donum ſanitatum, quod illi contu-
lit Deus, evidenter denotat ſublimem ejus virtutem. D. Auguſtinus de ſani-
Ser. 26. de tate, quam contulit Petrus claudo, qui bajulabatur ex utero matris, ait: *Pau-
Verb. Ap. perem hominem expavit infirmitas, æquâ lege, & æquâ potentiâ Reges captivoſq;
conſtringens.* Duæ ſunt infirmitatum ſpecies: quædam caſu accidunt; quæ-
D. Aug. dam ex natura veniunt: & hæ majori cum difficultate ſanantur. Attamen
*pauperis imperium etiam natura non pertulit; ille enim claudus erat ex utero
matris ſuæ.* Quòd ſi Petri paupertas, qui tantummodo reliquerat naviculam &
rete, tantam illi in morbos contulit auctoritatem, ut conferat ſanitatem et-
iam homini à natura claudo; mirum non eſt ſi Rochus ſanat peſtiferos, qui
D. Aug. medicis incurabiles videntur. Petri *beata planè largitas, quæ petenti argen-
Ser. 2. de S. Petr. & tum quidem non contulit, ſed contulit ſanitatem.* Rochi quoque *beata largi-
Paul. tas, quæ de theſauris ſuis aurum non protulit, ſed protulit medicinam.* Miracu-
D. Aug. loſæ illæ ſanitates planè demonſtrant, quàm acceptabiles Deo fuerint Pe-
Serm. 2. de Verb. Ap. trus & Rochus; nam, ut ſubjungit D. Auguſtinus, *quod profectò non fieret,
niſi*

niſi pauper ille plenus eſſet Deo , qui eſt author naturæ. Pleni prorſus erant Deo Petrus & Rochus, quibus data eſt gratia ſanitatum : *Quibus donatum eſt non tantùm credere in Chriſtum , ſed etiam pro ipſo pati.* Verè beatus Rochus Chriſtum ardenter diligens , & pro ipſo dolores patienter ferens. Scorp. 13

Dilectio omnia ſuſtinet, omnia tolerat, utique quia patiens. Patientia eſt dilectionis comes inſeparabilis , per quam verus Dei amator æquo animo ſuſtinet adverſitates, perſecutiones, & dolores. Et ut eloquenter ait Chryſologus: *Fortem facit vis amoris ; quia nihil durum, nihil amarum, nihil grave computat amor verus. Quod ferrum ? quæ vulnera ? quæ pœna ? quæ mortes amorem prævalent ſuperare perfectum ? Amor impenetrabilis eſt lorica , reſpuit jacula, gladios excutit, periculis inſultat, mortem ridet, ſi amor eſt, vincit omnia.* Fusè dinumerat Chryſologus victorias, quas amor verus & patiens reportat de adverſitatibus, jacturis, morbis, tormentis. Quod probè demonſtrat Rochus, invictam præ ſe ferens patientiam: 1. ardentiori febre ſufflammatus. 2. ſagittâ vulneratus. 3. moriens incarceratus. III. PARS Serm 40

1. Magnum Dei amorem oſtendit Rochus, pauperiem eligens , vitam pœnitentem ducens, ſub peregrini habitu itineris incommoda ſuſtinens, in Xenodochiis ægrotis & peſtiferis ſerviens; & quaſi tot conſtantiæ argumenta parum ſint, Deus ad probandum magis ejus amorem, voluit eum *in tantis vexationibus etiam febricitare.* Dolor eſt verum malum, quo punitur ſceleroſa Adami poſteritas. Cætera mala ideò mentem duntaxat & carnem affligunt, quia phantaſiam & imaginationem vulnerant, & illi ſoli de jactura bonorum fortunæ dolent , qui illorum non cognoſcunt vanitatem. At dolor eſt malum reale & effectivum, quod ſimul animum & corpus aggreditur, & hominem privat ſanitate: quæ, ut docet D. Bernardus, cuncta corporis complectitur bona, *Omnia bona corporis ſanitas.* Cuncti morbi dolorem afferunt, ſed non æqualiter. Inter infirmitates majorem dolorem afferentes, ardentiorem febrem numerat Tertullianus : *Febrem inter cæteros mortiferos & cruciarios exitus erogando homini deputatam.* Febris ardentior totum corpus accendit, totum ſanguinem corrumpit; caput incredibili dolore affligit, ad phrænesim & delirium inducit; nullam requiem ſumere ſinit; intolerabilem ſitim, alimenti faſtidium, & remediorum nauſeam parit : totque dolores , tantaque incommoda ſecum adducit, ut febricitans exoptet mortem, quâ à tot & tantis malis liberetur. Ardentiores febres omnes quidem cruciant homines; divites tamen quædam habent ſolatia , quibus privantur pauperes. Illi ſub molli pluma cubant, hi ſub dura tellure jacent : illis miniſtrantur offi, decoctum carnei cremoris, decoctum glaciatum, ſalgama ſicca, liquida, roſa ſaccharea, cortex citrinus, aureum malum, aliaque gulæ irritamenta ; his præbetur vel ſolus panis, vel juſculum adeò macidum, ut nihil niſi aquam redoleat. Illis adſunt medici , febris progreſſum conſiderantes, pharmacopolæ remedia præbentes, amici ægrotum viſitantes, domeſtici auxilium miniſtrantes: Ter. l. adv. Valent. 23 De tripl. Gen. Bon. Lib. de Præſcr. Hæret. 2

hi ab omnibus ſunt derelicti, nullus eſt qui eis ſerviat; ſolus adeſt dolor, qui eos cruciat, *medius ardor*, qui eos inflammat.

Tertull. Scorp. 1

En miſerum Rochi ſtatum ſemel in Italia, & iterum in Provincia ardentiori febre vexati, cuncta perſentientis incommoda extremæ paupertatis, quam ſpontaneè aſſumpſerat, ſed quæ admirabili patientiâ ſuſtinuit. Ardor charitatis quo æſtuabat in mente, major erat ardore febris, quo ſufflammabatur in corpore. *Calamitas ſæpius diſciplina virtutis eſt.* Febris ardentior erat Rocho diſciplina virtutis, qua probabatur non ſecus ac aurum in fornace. *Virtus in infirmitate perficitur*: Tum quia infirmitas eſt objectum patientiæ & fortitudinis: Tum quia infirmi ſunt exercitatiores & fortiores: Tum quia in infirmitate charitas incrementatur. *Charitas in miſeriis non reprimitur; quia in infirmitate perficitur.* Addit Richardus Victorinus: *Charitas prorſus virtus omnipotens, quæ ipſas miſerias facit potentes, dum convertit ad adjutorium, quæ parata ſunt ad nocendum.* Charitas fauſtâ metamorphoſi dolores in adjutorium convertit; Deus enim infirmis largitur auxilium, quo infirmitatis incommoda patienter & fortiter patiantur. Sic in febri ardentiori virtus Rochi perfectionem mutuata eſt: Quò majorem ſentiebat dolorem, eò ardentiori charitate utebatur, & Deo intimiori unione conjungebatur. Nam ut fatur Gregorius Nazianzenus: *Anima morbo affecta, Deo proxima eſt.* Sic febris Rochum Deo ſtrictiori uniens vinculo, eum inſuper generoſiorem reddidit. *Animus ex eo quòd paſſus, generoſior redditur.* Sic febris Rochi auxit conſtantiam, eum reddidit generoſum ad tolerandum dolorem cauſatum à ſagitta, quâ in coſta vulneratus eſt.

Min Fel. in Oct.

2 Cor. 12.

Richard. Vict. de Grad. charit. c. 1

Epiſt. ad Civ. Nazian.

Gregor. Naz. Or. 23

2. Rochus *conſtantiſſimus in martyriis*, non ſolùm patienter ſuſtinuit febris ardores; ſed etiam vulneris dolores. Recogita Chriſtiane Sebaſtianum telis confoſſum; revoca ad memoriam Lazarum ulceribus coopertum ad januam divitis mendicantem, neque micam panis, quâ fami ſubveniret, accipientem: ſed conſidera Rochum in medio campo ſub arbore jacentem, vulneratum, & adeò debilitatum, ut neque ſub pedibus ſtare, neque etiam ad mendicandum panem pedem movere poſſit. In miſero illo ſtatu, quo eſt inediâ affectus, feris expoſitus, & omni humano auxilio deſtitutus Rochus non querelas prodit, non gemitus edit, non lacrymas fundit, neque ullum demiſſi animi indicium dedit. *Fides famem non timet, ſcit etiam famem non minus ſibi contemnendam propter Deum, quàm omne mortis genus. Didicit non reſpicere vitam, quantò magis victum?* Rochus in ſchola patientiæ eruditus, ubi didicerat non reſpicere vitam, quantò minus victum? non timet famem, neque beſtiarum feritatem, paratus ſuſtinere pro Deo omne mortis genus. *Conſervantur in juſtu gratia, virtutes, & merita acquiſita per adverſa: adde & acquiruntur.* Multa merita acquiſierat Rochus per voluntariam paupertatem, duram carnis macerationem, longam peregrinationem, ægrotorum & peſtiferorum opitulationem, ardentem febris vexationem; ſed illa multum incrementavit in tanta extremitate, adeò conſtans permanens, ac ſi in *paſſionibus impatibilis* extitiſſet.

Tert. l. de Exh. Caſt. 11

Tert. l. de Idol. 12

D. Bern. Ser. 8 poſt Ciner.

Gregor. Naz. Or. pro Baſ.

Rochus

Rochus in extrema illa miſeria *obrutus calamitatibus beatus*, humano ſolatio deſtitutus, divinâ miſericordiâ fuit adjutus. Heliæ Jezabel iras fugienti, & in deſerto fame morienti ſubvenit Deus. *Helia utique allatus eſt cibus ab Angelo, quo nullus in humana conſuetudine vilior invenitur*; panis ſcilicet. Rocho etiam opitulatus eſt Deus, non per Angelum, ſed miniſterio canis cujuſdam Nobilis, qui ſingulis diebus tantillum panis afferebat ad Rochum. Cùm autem domeſtici illius Nobilis ſæpè ſæpius obſervâſſent canem cum pane è domo egredientem, & in vicinum campum progredientem, eum inſequentes pervenerunt ad arborem, ſub qua jacebat Rochus, in cujus manu canis depoſuit panem, quem ore geſtabat: re adeò inſolitâ ſtupefacti, adeunt Rochum ita attenuatum, ut in facie mortis præferret imaginem. Quidam magnâ diligentiâ ad caſtellum redeuntes, caſum illum Nobili nuntiant, qui mox ad locum, in quo jacebat miſer, veniens, ſtupore & ipſe captus, ad Comitem Montis Peſſulani nuntium mittit, qui eum de cunctis, quæ acciderant, inſtruit. Ex D. Chryſoſt. *Nemo naturâ bonus, nemo naturâ ſtrenuus: miſericordia verò omnibus eſt indita, etiam crudeli & immiti*. Comes tamen Montis-Peſſulani neq; naturâ bonus, neq; miſericordiâ motus, ad campum, in quo jacebat Rochus, venit, immitior cane, qui eum nutrivit; barbarior feris qui ad vitã non attentârunt; nepotem, quem non cognoſcebat, exploratorẽ credidit, & ut talem in carcerẽ conjecit.

S Zen. D. Bern. Ser. 3. in Pſ 90 Hom. 4 in ep. ad Philipp.

3. At Rochus *expeditiſſimus in perſecutionibus* carceris incommoda conſtanter pertulit. Aliàs Rex in captivitatem redactus, præ triſtitia exclamavit: *Heu quis eram? quis ſum? ubi fui? ubi ſum?* Eram victor, & nunc ſum victus; eram rex, & nunc ſum ſervus; eram palmis glorioſus, & nunc ſum ferro & vinculis onuſtus; in amplo manebam palatio, & nunc ſum in ergaſtulo detentus. Annon Rochus poterat eaſdem edere querelas, & dicere: *Quis eram, & quis ſum? ubi eram, & ubi ſum?* Eram Comes Montis-Peſſulani, & nunc velut explorator & inſidiator habeor; in Caſtello cum honore, & omnium exiſtimatione manebam, & nunc in carcere à cunctis deſpectus detineor; innocuis abundabam deliciis, & nunc amaritudinibus repleor. Has edidiſſet querelas Rochus, niſi invictâ fuiſſet conſtantiâ præditus: ſed Dei æſtuans amore, & patientiâ velut ſaginatus, generosè dixit: *Contriſtetur illic, qui fructum ſeculi ſuſpirat*. Homines mundum inordinatè diligentes pro amiſſione libertatis ſuſpirent, gemant pro jactura terrenorum, lacrymentur pro adverſis & perſecutionibus: at cur ego ſuſpirem, qui pro Dei amore cuncta abjeci terrena bona, & cunctis pœnæ malis ultrò me ſubdidi? *Chriſtianus etiam extra carcerem ſeculo renuntiavit, in carcere autem carceri*. Ante carcerem Chriſtianus affectu ſaltem voluptatibus, dignitatibus & facultatibus ſæculi renuntiavit; & in carcere, cuncta carceris incommoda patienter tolerat: Talis extitit Rochus qui ante carcerem fortunæ abdicaverat bona, & in carcere mala carceris conſtanter ſuſtinet.

Tert. l. de ExhCaſt. 11 Tert. l. ad Mart. 2 Tert ib.

Tertullianus Martyres pro fide incarceratos ſic conſolatur: *Habet tenebras carcer, ſed lumen eſtis ipſi. Habet vincula, ſed vos ſoluti Deo eſtis. Triſte illic expi-* ibid.

rat,ſed vos odor eſtis ſuavitatis.Iudex expectatur, ſed vos eſtis de judicibus ipſis judicaturi. Roche es in tenebroſo ergaſtulo incarceratus,ſed tu es ſol ſplendeſcens, virtutis tuæ radiis diſſipans carceris tenebras : tu es vinculis ferreis onuſtus, ſed etſi corpore ligatus,animo tamen ingenuus & liber es : in loco fœtido detineris, ſed bonus es odor Chriſti, ſuaviſſima innocentiæ exhalans thymiamata. Hominum illic judicium expectas, ſed judex es eorum qui te exploratorem judicant. In carcere, peſte vulneratus animam efflas,ſed ut in cœlo immortali fruaris vita.

Duplici de cauſa permiſit Deus,ut Rochus eſſet peſte percuſſus,& lue etiam moreretur. Una,ut Rochi probaret virtutem,& amoris commendaret excellentiam. Cant.8. *Fortis eſt ut mors dilectio.* Rochi autem dilectio non extitiſſet fortis ut mors,niſi mortuus fuiſſet violentiâ doloris. Altera,ut ii qui peſte tangerentur, Rochum haberent apud Deum in patronum & adjutorem. Nihil vulgarius inter Catholicos,quam habere apud Deum advocatum eum Sanctum,qui in aliquo tormento mortuus eſt. Sic Apolloniæ implorant auxilium,qui dolore dentium laborant; Agatham,mulieres in mamillis ægrotantes; & cuncti qui peſte feriuntur,Rochi implorant auxilium. Chryſologus expendens hæc Evangeliſtæ verba: Matth.25. [Factum eſt autem ut moreretur pauper,& portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.] Serm.121. ſic Abrahæ hoſpitalitatem commendat : *Sua tunc omnes Sanctos ſuſcipit in requie;parum ſe beatum credidit ſi in ipſa ſuperna gloria ab hoſpitalitatis pio ceſſaret officio.* Neque minori facundiâ Deiparæ etiam felicitate potientis miſericordiam prædicat Cardinalis Petrus Damianus: Ser.1.de Nat.Virg. *Numquid quia ita deificata ideò noſtra humilitatis oblita es? Nequaquam Domina ; ſcis in quo diſcrimine nos reliqueris,ubi jaceant,quantum delinquant ſervi tui. Non enim convenit tantæ miſericordiæ tantam miſeriam oblivisci;quia etſi ſubſtrahit gloria,revocat natura ; non enim ita es impaſſibilis,ut ſis incompaſſibilis.* Quæ Chryſologus de Abrahamo,& Damianus de Deipara prædicavit,probè Rocho conveniunt , qui in ipſa ſuperna gloria non poteſt ceſſare à charitate, quam exhibuit peſtiferis;qui non eſt ita impaſſibilis,ut ſit incompaſſibilis.

Ut autem Rochi obtineamus auxilium,ejus imitari debemus perfectiones. 1. Rochus mundi bona deſpexit, quibus Dei amorem præpoſuit. Orig.Hó. 3.in Cant. *Sit conſtitutus ordo in dilectione rerum , ut ſcilicet prius diligatur Deus, quàm cætera omnia.* 2. Rochus ægrotis & peſtiferis compatiens,eis ſolicitè ſervivit, in quo ſe pietate ornatum demonſtravit. Nam Hug.Vict. de tripl Volu Chr. *pati poſſunt impij , compati autem nonniſi pij*,& qui pietate & compaſſione moventur erga miſeros,à Deo obtinent miſericordiam. S.Ephren. Ser de Timor.Dei. *Qui proximi commiſeratione ducitur,etiam ipſius ſemper miſerebitur Dominus;miſericordia enim viri velut ſigillum cum ipſo.* 3. Rochus patienter & conſtanter dolores,adverſitates & perſecutiones pertulit, ſeque paſſionibus verum Chriſtianum demonſtravit. Tert.l.de Præſc. Hær.3 *Cùm ea nos oſtendant Chriſtianos quæ patimur ad exemplum ipſius Chriſti.*

Duas recenſet Chriſtus Dominus vias. Latam unam , anguſtam alteram. Illa , eſt explanata divitiis , deliciis , & gloriis vanis hujus ſeculi, ſed

ſed ducit ad infernum. Hæc è contra eſt plena ſpinis, laboribus, adverſitatibus, ærumnis, quæ ſunt mala dumtaxat apparentia, ſed ducit ad cœlum. *Sicut ad verum malum, per fallacia bona; ſic ad verum bonum, per fallacia mala pervenitur.* (Lact.l.6. c.21) In inferno ſunt vera mala, in cœlo ſunt vera bona: per fallacia ſæculi bona ad vera inferni mala pervenitur: è contra, per fallacia vitæ mala pœnæ, ad vera cœli bona pervenitur: Rochus pervenit ad cœlum ubi veris perfruitur bonis, quia inceſſit per viam non latam, ſed anguſtam. *Non quaritur qui latam viam ſequi paratus ſit, ſed qui anguſtam.* (Tert.l. de Fug. in Perſ.14) Nam ex teſtimonio humanatæ veritatis, lata via ducit ad infernum, anguſta vero ducit ad cœlum.

CONCIO QUARTA.

CHriſtus Dominus doctrinam ſuam contemperans tum Diſcipulorum, tum Judæorum inſcitiæ & imbecillitati, *locutus eſt in parabolis.* (Tert.l. de Reſur. 33) Inter quas non minoris momenti eſt iſta quæ in hodierno Evangelio legitur: (Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro.) (Matth. 13) Quiſnam vero ſit ager ille, quiſnam theſaurus in eo abſconditus, non conveniunt inter ſe *interpretes parabolarum*, (Tert.l. de Pud.7) quorum omiſſis explanationibus per agrum intelligendam B. Annam exiſtimo. Hæc interpretatio non impertinens videbitur attente conſideranti omnes litteras quibus hoc nomen *agrum* conſtat. *A, Anna, G, Genitrix, R, Regina, V, Virginis, M, Maria.* Seu *A, Anna, G, Genuit, R Redemptoris, V, Virginem, M, Matrem,* igitur B. Anna eſt ager: in quo abſconditur theſaurus. Verum *quid illum theſaurum æſtimamus?* Ex V. Beda *converſatio ſeu vita juſtorum, theſaurus eſt:* (Tert.l.de Orat. 11) Ex D. Hieronymo *theſaurus ſunt ſacra Scriptura, in quibus repoſita eſt notitia Salvatoris.* Beatiſſima autem Virgo ſalutatur ab Andrea Cretenſi; *Salve veteris novique Teſtamenti obſignatio; totius prophetiæ perſpicua plenitudo; inſpirata à Deo veritatis Scripturarum acroſtichis;* (Orat 2. de Nat.Virg.) *Dei ac Verbi animatus ac mundiſſimus tomus, in quo ſine voce ac ſcripto, inſcriptor ipſe Deus ac Verbum quotidie legitur.* Dicitur Maria inſpirata veritatis acroſtichis, quia ſicut in acroſtichide totius tractationis argumentum ex ſummis ſtatim litteris cognoſcitur, ita etiam Scriptura tota in Maria intelligitur, quæ eſt velut Scripturarum commentum & compendium, in quo ſine voce, & ſcripto, Verbum quotidie legitur. Tandem ex D. Hilario *theſaurus in agro Chriſtus intelligitur in carne.* Quovis autem modo ſumatur theſaurus, in B. Anna reconditur, quæ eſt 1. dives pretioſo vitæ theſauro: 2. ditior Mariano theſauro 3. ditiſſima Dominico theſauro.

I. PARS:

Dabo illis theſauros abſconditos. (Tert. l. 4. adv. Marc.25) Theſauri illi abſconditi quos pollicetur Deus, ſunt gratiæ, ſanctitates, & virtutes quibus juſti opulenter ditantur. Lucullus in ſomnis admonitus ut iret verſus littus maris, ubi amicum de navi exeuntem inveniret, expergefactus mox ad littus maris properans, intellexit (Fulg. l. 1. c.5) quod

quod quædam Ciliciæ navis à Romanis perſecuta ut levior atque ad fugam capiendam expeditior eſſet, marmoream ſtatuam immenſi ponderis in littore expoſuerat, quam ille ut invenit, attente conſiderans, vidit in ea Antolici amici ſui nomen expreſſis grammatibus exſculptum. Statuam licet magno cum labore in ſuam domum deduxit Lucullus, quam aperiens inæſtimabilem in ea invenit theſaurum. Statua à Deo artifice fabricata, eſt B. Anna, illam navis Eccleſiæ hodie nobis exponit: Si quæ in illa ſunt attente conſpiciamus, inveniemus theſaurum abſconditum. Quam pretioſus eſt ille theſaurus! 1. omnes virtutes congregans. 2. in divitiis ſpiritualibus cunctas veteris Teſtamenti fœminas ſuperans: 3. pietatis operibus abundans.

Lib. de Pat. 7 — *Divitias nobis appetere minime opus eſt, quia nec Dominus appetivit.* De ſæculi divitiis loquitur Tertullianus, quæ, ut belle animadvertit D. Bernardus, *veræ non ſunt.* Veræ divitiæ illæ dumtaxat cenſendæ ſunt, quæ ad probos pertinent mores, quæ numquam amittuntur aut evaneſcunt, quæ poſſidentur in hac vita, & in futura conſervantur. Nam ut ſubjungit Bernardus, *Veræ divitiæ non opes ſunt, ſed virtutes: quas ſecum conſcientia portat, ut in æternum dives fiat.* (Ser. 4. de Adv.) His opibus ditata B. Anna, pretioſus effecta eſt theſaurus, virtutes in ſemetipſa congregans. Nam quemadmodum theſaurus materialis conflatur ex acervatione auri, argenti, gemmarum, cæterarumque divitiarum: ita theſaurus ſpiritualis & moralis, virtutum congeriem complectitur. Dilectio nuncupatur à Tertulliano *Chriſtiani nominis theſaurus* quia cæteras virtutes in ſe colligit: (Lib de Pat. 12) B. quoque Anna merito vocitatur theſaurus, quia ut fatur Joannes Damaſcenus, omni genere virtutum floruit: *Anna non minus morum, quam matrimonij jugo cum Ioachimo copulata erat, verum quamvis omni virtutum genere floreret,* Quaſi cunctæ virtutes, quibus ſeorſim rutilant cæteri Juſti, in una Anna coadunentur: quæ ideo cæteras fœminas veteris Teſtamenti in divitiis ſpiritualibus ſuperat.

Tert. l. 2. ad Ux. 8 — Prov 31 — 2. *Quanto Dives* B. Anna cæteras longe ſuperans! Cui probe competit iſtud Proverbiorũ; *Multæ filiæ congregaverunt ſibi divitias; tu vero ſupergreſſa es univerſas.* Multæ ſanctæ fœminæ in veteri Teſtamento congregaverunt ſibi ſpirituales divitias: verum illas omnes ſupergreſſa eſt S. Anna. Multum ditatæ fuerunt virtutibus, Sara Abrahami uxor, Rebecca Iſaaci conjux, Rachel Jacobo dilecta, Maria ſoror Moyſis, Eſther commendata jejuniis, Judith Holophernis debellatrix, Debora Iſraelitarum ductrix, Jael Siſaræ necatrix; at *Anna erat accuratiore vita præſtans.* (Niceph. l. 2. c. 7) Illuſtriſſimæ illæ viragines etſi præclaris facinoribus famoſæ, fuerunt tamen levi aliquo nævo maculatæ. Verum *Anna ſimplex ac recta apud Deum, apud homines, irreprehenſibilis erat.* (D. Hier. de Ort. Virg.) Communis fœminarum vita, aliqua reprehenſione afficitur apud homines, at accuratior Annæ vita illam irreprehenſibilem reddit apud Deum, & apud homines. *Anna cum omnium virtutum genere floreret, apud Deum & homines irreprehenſibilis extitit.* (D. Damaſ. Orat. 1) Hac de cauſa Nicephorus non ſolum Annam fœminis illuſtriſſimis præponit, ſed adhuc præfectiſſimis quibuſque veteris Teſtamenti viris adæquat:

adæquat. *Anna erat cum primis quibuſque; & ſplendidiſſimis connumerata.* Recogita Patriarchas, inter Dei amicos computatos; conſidera Nazaræos perfectioris vitæ ſtudioſiſſimos, revoca ad memoriam Prophetas alioſque ſanctiſſimos viros: Anna cum *primis quibuſque & ſplendidiſſimis* connumeratur. Non dixit cum uno, aut altero ſplendidiſſimo, ſed *cum primis quibuſque ſplendidiſſimis* ſimul ſumptis: Quia nullis ſplendent virtutibus, nullis fulgent pietatis actionibus, quibus non coruſcet B. Anna, pietatis operibus abundans.

3. *Quamquam & divitias præſtare, non incongruens Deo ſit: per quas & divites ſolatio juventur: & multa inde opera juſtitiæ & dilectionis adminiſtrantur.* Tert. l. 4. adv. Marc. 15 Si quæ umquam mulier operibus juſtitiæ & pietatis adhibuit ſibi à Deo datas divitias, maximè B. Anna, quæ ut fatur D. Hieronymus, *omnem ſubſtantiam ſuam trifariam diviſit: unam partem templo & templi miniſtris impendebat: aliam peregrinis & pauperibus erogabat: tertiam ſuæ familiæ neceſſariis uſibus reſervabat.* De Ortu Virg. Ex Cajetano. Theſaurus in agro abſconditus, eſt *Evangelica perfectio, Eccleſiaſticum eſt ſtudium, continens in intimis cæleſtis vitæ perfectionem, converſationem in cælis.* Anna ante Evangelium, Evangelicam ſervavit perfectionem, erogans facultates ſuas egenis, & tamen; ut expedita à terrenorum ſollicitudine, attentius pietatis vacaret operibus, & facilius erigeret ad cœlum mentis oculos, & cordis affectus. Rupertus cenſet duplicem paradiſum homini fuiſſe à Deo commiſſum; materialem unum, ad habitandum cum uxore ædificanda; ſpiritalem alterum, ſcilicet animum, per perfectionis ſtudium, egregiis virtutibus ornandum. Ruperto conſentiens Damaſcenus duplicem Paradiſum diſcriminat. (Nonnulli fuiſſe ſenſibilem Paradiſum animo finxerunt: alii contrà ſpiritualem, & qui intelligentia ſola perciperetur: mea autem hæc eſt ſententia; ut quemadmodum homo ita constructus fuerat, ut ſimul & ſenſus & rationis particeps eſſet: ſic etiam ſanctiſſimum ipſius templum tale erat, ut & in ſenſum caderet, & animo ac ratione cerneretur, ac duplicem rationem haberet. Corpore namque in pulcherrima regione degebat, animo autem in ſublimiori, ac pulchriori atque omni comparatione præſtantiori commorabatur, Deum ſimul & pro domo, & pro illuſtri indumento habens.) Anna in duplici velut habitat Paradiſo; terreſtri ſcilicet & ſpirituali: habitat in ſua domo velut in Paradiſo terreno, externæ curæ addicta, debitum viro præſtans miniſterium: deinde in Paradiſo terreſtri commoratur; Tum per ſtudium perfectionis qua ornare ſuam animam nititur: Tum per cæleſtium deſiderium, in quo ſitum Evangelicum theſaurum Magnus Gregorius exiſtimat: Tum per contemplationis exercitium, qua mentem & voluntatem ad Deum erigit: Tum per gratiam & ſanctitatem, qua Deum in ſemetipſa habitantem ſuſcipit. Ut enim dicitur in Breviario Gallicano; *Anna in terris converſatione, ſanctitate vitæ, morum boneſtate, ſe exhibuit Paradiſum Dei.* Deus qui ratione ſuæ immenſitatis eſt ubique præſens, cœlum ſpecialiter inhabitat: *Cælum mihi ſedes eſt*, id eſt, ut explicat Hugo Cardinalis, *In cæleſtibus viris, ſpiritualibus & Angelicis habito.* In Anna tamquam in Paradiſo ſpirituali

Lib. 2. de Fid. cap. 2

Hom. 11. in Evang.

Is. 66

Richard à tuali & cœlo habitat. *Domus Domini fuit B. Anna, in qua B. Trinitas per gra-*
S. Laur. l.9 *tiam habitavit*, & tam per ſuam ſanctitatem, quam per pietatem, Verbi huma-
de Laud. nationem acceleravit, & ad ſancta ſanctorum aditum aperuit.

Mar. Soli ſummo ſacerdoti concedebatur introitus ad ſancta ſanctorum. Ma-
ria eſt ſancta ſanctorum, Dei Filius eſt ſummus ſacerdos *Maria ſummum ſa-*
Rich. à S. Laur. l.10 *cerdotem, qui dicitur ſanctus ſanctorum, ſolum in ſe ſuſcipit*. Ad ſancta ſanctorū
de Laud. patebat aditus per duas portas ex ligno olivarum fabricatas. Hæ duæ portæ
Mar. Joachimum & Annam denotabant: ideo B. Virgo *fructus olivæ, id eſt S. An-*
L.3. Reg. 6 *næ* nuncupatur. Anna autem merito oliva vocitatur ob ſummam pietatem &
Petr Lei- miſericordiam qua majorem ſuarum facultatum partem templo & paupe-
denſ. Car- ribus diſtribuit His miſericordiæ, aliiſque pietatis operibus, de congruo me-
thuſ. l. de ruit effici genitricis Dei mater, & ad hunc finem ex divina diſpoſitione
Bon. Div. *Joachim ſelectiſſimam illam ac ſummis laudibus dignam mulierem Annam, ma-*
Damaſc. l. 4. Orthod Fid. 15 *trimonio ſibi copulavit.* Merito ſelectiſſimam nominat, utpote à Deo ſpecia-
liter electam, ut genitricis Dei eſſet mater: deinde ſummis laudibus dignam
prædicat: nam quis ſufficiat ad laudandum fertilem illum agrum divitem
proprio theſauro, ſed multo ditiorem Mariano theſauro?

III. PARS Maria eſt *ſubterraneus theſaurus* incluſus in utero B. Annæ, quam per ter-
Tertull. Apol. 74 ram denotatam à Regio Vate vult ſanctus Vincentius Ferrerius: (Terra no-
Pſ. 82 ſtra dedit fructum ſuum.) *Terra noſtra, id eſt B. Anna dabit fructum, ſcilicet*
Serm. 2. de *Beatam Virginem*; quæ eſt Annæ theſaurus. Nam ſi Cornelia Gracchorum
Nat. Virg. mater, filios ſuos Tiberium & Cajum, ſuum vocitabat theſaurum: quanto
Valer. Max. l.4. potiori jure Maria nuncupari poteſt Annæ theſaurus? Quam pretioſus au-
cap. 4 tem ſit ille theſaurus, patres uno ore declarant: Maria namque à Damaſce-
Orat. de no vocitatur *ſanctitatis theſaurus*: à Petro Damiano appellatur *Gazophila-*
Dorm. *cium theſauri*, à Methodio nuncupatur *Margarita regni pretioſiſſima*; ab
Virg. Epiphanio *monile Paradiſi inexplicabile.* Anna eſt quidem multum virtute &
Ser. 45 Orat. in pietate dives, ſed abſque ulla comparatione eſt ditior à Mariæ gazis quam
Hippop. nominat Petrus Damianus *pretioſam animam Deo pecuniam.* Anna ante con-
L.2. Epiſt.2 ceptionem filiæ eſt quidem ſancta admiratione & honore digna: ſed per fi-
L. 2. Machab. 7 liam apparet *Mater admirabilis*, Mater *gratioſa*, tandem *Mater honorificata*:
Eccleſ. 12 1. admirabilis, quia in conceptione filiæ admirabilis demonſtratur: 2. gratioſa,
Eccleſ. 15 quia à filia ſanctificatur: 3. honorificata, quia per filiam honoratur.

Tert. l. de An. 27 1. *Aſpice ſingulares conceptus, & quidem monſtruoſiores, ſterilis & Virginis.*
Rationem autem mox ſubminiſtrat Tertullianus cur conceptus ſterilis &
virginis vocitet monſtruoſiores; ſcilicet pro everſione naturæ, *ut altera femi-*
ni ſtupida, altera intacta. Mater ſane admirabilis fuit Virgo Maria, concipiens
& pariens Chriſtum, abſque ulla jactura virgineæ integritatis: Mater adhuc
admirabilis fuit B. Anna concipiens in ſenectute Mariam *ſemine ab æthereo*
ſingulari indigens ope Dei ut conciperet Mariam, quæ ut magnum mundi
Joã Fer. 2. miraculum debuit habere prævia alia miracula. Potiſſimum ſex, mox ex Da-
P. 2. Theo. maſceno commemoranda. 1. *Quemadmodum priſca illa Anna, cum ſterili-*

tatis

tatis morbo laboraret, per orationem & promiſſionem Samuelem procreavit: eodem modo Anna mater Virginis per obſecrationem & promiſſionem Dei genitricem à Deo accepit; ut ne hac quoque in re illuſtribus matronis cederet. [Damaſc l. 4 de Fid. 15] Nam quæ in cunctis minime cedebat, nec quoque hac in re cedere debuit. 2. *Angelus conceptionem Virginis Annæ nuntiat: conveniebat enim ut quoque nulli ea cederet quæ eſſet Deum paritura.* [D. Damaſ. Orat. 1. de Dormit. Virg.] Ad Virginis enim genitricis pertinebat honorem, ut ejus parens Anna cuncta complecteretur fœminarum privilegia. Gabriel autem Angelus Annæ Sanſonis matri nuntiavit filii conceptum non ſecus ac Elizabeth conceptionem Joannis, & conſequenter idem Angelus nuntiare debuit Annæ Mariæ conceptionem. *Dominus flexus Annæ precibus, miſit Angelum qui prænuntiaret filiæ conceptionem: ſiquidem ex divinis litteris ſcimus Sanſonis, Ioannis Baptiſtæ & Iſaac conceptionem divinitus nuntiatam parentibus: par eſt etiam credere, hac etiam in re Virginem reliquas ſuperaſſe.* [Germ. Conſt. in Encom. Virg.] Non dixit hac in re Annam reliquas ſuperaſſe, ſed Virginem: quia Virgo ſuperat reliquas cum ſuperat Anna, ſicut è converſo cæteris inferior eſſet ſi eis inferior eſſet Anna. 3. Debuit Virgo Maria ab ſterili matre concipi, antequam ipſa conciperet filium, ut miraculoſa Annæ ſterilis conceptio præpararet hominum mentes ad credendum majus miraculum, nempe temporalem Verbi conceptionem in utero Virginis. *Quid autem eſt, cur Virgo mater ex ſterili orta ſit? Quoniam ſcilicet oportebat, ut ad id quod ſolum ſub ſole novum erat, ac miraculorum omnium caput, via, per miracula ſterneretur:* [Orat. 1. de Nat. Virg.] 4. Deus concupiſcentiam in Joachim & Anna frænavit in conceptione Virginis, ut nihil inordinatum ad ejus procreationem concurreret. *Orta eſt Virgo ex ſterili matre, ut non ex carnis concupiſcentia, ſed ex divina gratia mirabiliter oriretur.* Neque ſolum frænatum in illo actu concupiſcentiæ fomitem, ſed penitus extinctum per id temporis cenſet Galatinus. [Damaſc. Orat. 1. de Nat. Virg.] *Fateor S. Ioachimum & B. Annam ſe conjugaliter copulaſſe, ob ardentem tamen devotionem vehementemque contemplationem qua unanimiter in generatione Beatiſſimæ Virginis intenti ambo tenebantur, fomes in illo actu penitus extinctus fuit.* [Lib. 7. de Arcanis c. 8] 5. Quaſi parum fuerit fomitem concupiſcentiæ extinxiſſe, natura gratiæ ceſſit, ut conceptio Mariæ penitus ſupernaturalis & miraculoſa eſſet. *Voluit natura in conceptu Virginis gratiæ cedere, ut ejus conceptio non naturæ, ſed gratiæ viribus tribueretur.* 6. Joachim & Anna communicantes Mariæ naturam, ei non communicarunt culpam. Cæteri parentes generando filios, reddunt eos participes originalis culpæ, & ut fatur D. Bernardus, prius ſunt peremptores quam parentes, quia mortem animæ afferunt, dum dant corpori vitam. *Sicut omnium fuiſti, parentes, ita & omnium peremptores; & quod infelicius eſt, prius peremptores quam parentes:* [Hom. 2. ſup Miſſ. eſt.] quia proles adhuc exiſtens in utero matris, maculata eſt nævo primordialis culpæ, & mortua per peccatum antequam naſcatur. At B. Virgo miraculoſe concepta in utero Annæ ſterilis, à parentibus accepit quidem naturam, ſed non culpam; vitam corporis, ſed non animæ mortem.

D.Cyp de Card. Chr Oper. *Non ſuſtinebat juſtitia, ut illud vas electionis communibus laceſceretur injuriis, quoniam plurimum à cæteris differens, naturam communicavit non culpam:* quia Maria in ipſo momento conceptionis ſanctificata eſt, gratia naturam prævenit, & effecta eſt ſancta & filia Dei, non peccatrix & ſerva diaboli.

Ex his ſequitur Mariam magis adſtrictam eſſe Annæ quam ulla umquam filia fuerit matri ſuæ; non ſolum quia ab illa accepit eſſe quod eſt fundamentum & baſis gratiæ, virtutum, cunctarumque prærogativarum quæ ſuperne à Deo collatæ ſunt; Non ſolum adhuc quia ab Anna accepit naturam & non culpam, vitam & non mortem: ſed & quia in Annæ utero ſanctificata eſt; obtinuit uſum rationis; magnum congeſſit cumulum meritorum, & facta eſt ſanctiſſimæ Trinitatis ſacrarium. Neque Maria dumtaxat obligata eſt Annæ, Orat. 1. de Nat. Virg. ſed omnis adhuc creatura, ut vult Damaſcenus: *O par beatum, Ioachim & Anna; vobis omnis creatura obſtricta eſt; per vos enim donum omnium præſtantiſſimum creatori obtulit, nempe caſtam Matrem, quæ ſola creatore digna erat.* Magnum ſane eſt beneficium quo integra una civitas obligata eſt cuidam viro ac mulieri: majus, ſi totum adſtrictum ſit regnum: maximum; dum totus mundus addictus eſt; quomodo Angeli, homines, cunctæque creaturæ ſenſibiles, inſenſibiles, rationales, irrationales, cœleſtes, terreſtres, obſtrictæ ſunt Joachimo & Annæ ob productionem Mariæ quæ eſt Chriſti Redemptoris parens.

Hom. 1. de Anna. De Anna Samuelis matre ſic fatur D. Chryſoſtomus: *Omnes audiſtis, quomomo fleverit, quomodo precata ſit, quomodo orarit & exorarit, concepit, peperit, educavit, & conſecravit templo Samuelem. Itaque nequaquam aberrarit, qui hanc mulierem, pueri ſimul & matrem & patrem appellarit. Quamquam enim & vir addiderat ſemen, hujus tamen deprecatio, vim efficaciamque ſemini prabuit, effecitque ut Samuel auſpicioribus exordiis naſceretur.* Quod ad laudem Annæ matris Samuelis prædicat D. Chryſoſtomus, idipſum & nos dicamus in gloriam Annæ Mariæ parentis. *Nequaquam aberrarit, qui hanc mulierem Maria ſimul & patrem & matrem appellarit.* 1. Anna Samuelis mater oravit, & ſuis orationibus à Deo filium obtinuit: Anna quoque Mariæ mater Deum deprecata eſt & obtinuit filiam non minus orationi quam uteri prolem. D. Damaſc. Orat. de Dormit. Virg. 2. Illa parturivit filium dilectum à Deo & hominibus; hæc *peperit filiam, qualis nec ante fuit, nec poſt futura eſt.* 3. Illa generatum filium proprio lacte nutrivit, hæc filiam quoque nutrivit. Inde exclamet Damaſcenus: *O* Orat. 1. de Nat. Virg. *ſanctiſſima filia; quæ materni uberis lacte aleris, & ab Angelis undique cingeris.* 4. Illa filium recte educavit, verbo & exemplo bonis moribus imbuit: hæc quoque filiam verbo atque exemplo, ad omnem pietatem erudivit. Utriuſque exemplo incitantur parentes qui prolis bonum procurare nituntur. D. Chryſoſt. Hom. 9. in 1. ad Timoth. *Magnum habemus pretioſumque depoſitum, filios: ingenti illos ſervemus cura, ne fur id nobis aſtutus auferat:* Quam culpandi ſunt parentes, qui omni cura cuſtodiunt, terrenas facultates, & nullam adhibent ſollicitudinem pro educa-

educatione filiorum, quibus nullum pretioſorem poſſunt præſtare theſaurum! Multi omni ſtudio filiis procurare ſatagunt temporalia bona, nec advertunt quod vitæ integritas eſt maxima hæreditas quam illis poſſint relinquere, ut Gentilis etiam teſtatur: *Si morata eſt, dotata es ſatis.* Quod ſi parentes culpandi ſunt, qui negligunt filios ſuos in bonis moribus formare, quanto magis ſunt ſceleroſi qui illos ſcandaloſa vita, pravis imbuunt moribus, & ſuo exemplo ad vitium erudiunt? Tandem Anna Samuelis mater filium ab infantia templo conſecravit. *Non expectabat Anna donec creſcat puer, ut rebus mundanis utatur, ut paululum puerili ætati immoretur; ſed relictis his omnibus unum dumtaxat intendit, quomodo ſtatim ab ipſis vitæ exordiis, ſpiritualem imagunculam Deo fingendam offerret.* B. quoque Anna Mariæ mater, ſanctiſſimam Virgunculam, à primo vitæ exordio Deo dicavit in templo educandam, atque divinis præceptis inſtituendam curavit. Imitandum cuilibet matri Annæ exemplum proponit D. Chryſoſtomus: *Peperiſti puerum, imitare Annam, diſce quid fecerit illa: Mox Samuelem ſubduxit, atque obtulit in templum. Quis veſtrum non innumeris modis mallet filium ſuum fieri Samuelem, quam totius orbis regem?* Quaſi plus ſit enutriri in templo, quam in palatio: Multumque præſtet cum Samuele in domo Dei enutriri, quam cum Moyſe in aula Pharaonis: atque ipſa pia educatio dignitatem regiam antecellat: Eodem modo concludendum eſt de Virgine. Quis parentum innumeris modis non mallet filiam ſuam fieri Marianæ virtutis æmulatricem, quam reginam? Regina perſæpe eſt peccato maculata, at Maria eſt ſanctiſſima ejuſque ſanctitate Anna ſanctificatur.

Juven. Sat.6

D Chryſoſt. ibid.

2. *Subjecta quæque materia, ejus quæ deſuper imminet, qualitatem rapiat neceſſe eſt.* Inde duas elicit concluſiones Tertullianus. Unam, ſanctitatem aquarum Baptiſmi, quam à ſuperveniente Spiritu ſancto mutuantur: *Supervenit enim ſtatim Spiritus de cœlis, & aquis execſt, ſanctificans eas de ſemetipſo.* Aliam, ſanctificatas ab Spiritu ſancto Baptiſmi aquas habere etiam vim ſanctificandi. *Et ita ſanctificata vim ſanctificandi combibunt.* Eodem fere modo ratiocinandum eſt de Virgine Maria, in quam veniens Spiritus ſanctus in momento ſuæ conceptionis, eam ſanctificavit; eique ulterius vim ſanctificandi contulit.

Lib. de Bapt.4

Trinam invenio cauſam ſanctitatis & gratiæ: principalem, meritoriam, diſpenſatricem: Spiritus ſanctus eſt cauſa gratiæ principalis quam effective largitur; Chriſtus eſt cauſa meritoria gratiæ cujus largitatem ſuo ſanguine meruit; Virgo Maria eſt diſpenſatrix gratiæ, cujus diſtributionem accepit ab Spiritu ſancto, ejus ſponſo, & à Chriſto ejus filio. Ideoque collo comparatur: *Collum tuum ſicut turris eburnea:* Tum quia ſicut membra per collum uniuntur corpori, ita & fideles Chriſto capiti Eccleſiæ per Mariam conjunguntur; Tum quia ſicut collum poſt caput eſt altior pars corporis, ita Maria poſt Chriſtum, primum nobilitatis tenet gradum: Tum quia ſicut collum inclinat & inflectit caput; ita Maria flectit Chriſtum ad miſericordiam, & ad

Cant.7

audiendas mortalium preces: Tum maxime, quia ficut per collum tranſeunt omnes ſpiritus animales & vitales qui fluunt à capite in membra; ita per Mariam, gratiæ quas nobis meruit Chriſtus. Quod fontis & aquæductus comparatione declarat D. Bernardus.. Chriſtus eſt fons, Maria aquæductus:

Ser. 2. de Virg. Deip.

Plenus equidem aquæductus ut accipiant cæteri de plenitudine; ſed non plenitudinem ipſam.

Quantam autem gratiarum abundantiam ab illo fonte & aquæductu acceperit B. Anna, inferri poteſt, Tum ex ipſius nomine; ſiquidem Anna gratiam ſonat; Tum ex ejus prædeſtinatione: eodem enim decreto, quo Maria electa eſt ad Dei maternitatem, Anna electa eſt ad maternitatem genitricis Dei. Maria habuit ſanctitatem conformem matri Dei, Anna quoque gratiam convenientem matri genitricis Dei: Tum quia Anna ut parens Mariæ, habet quoddam jus in ejus bona: nempe in gratias, quarum magnam partem accepit adhuc in utero matris exiſtens: Tum quia Maria eſt gratiarum aquæductus *infundens aliis quidem plus, aliis quidem minus*: copioſiſſime autem infudit in Annam. Ut enim ait Richardus à S. Laurentio, *Fons terram irrigat, à qua oritur, & inde tranſit ad aliam irrigandam.* Maria aquæductus gratiarum ab Anna generatur, Chriſtus adhuc gratiarum fons oritur ab Anna per Mariam: unde tam fons quam aquæductus irrigant terram illam benedictam, à qua oriuntur, neque tranſeunt ad aliam irrigandam, quam prius eam aquis repleverint.

D. Bern. ibid. Lib. 9. de laud. Virg.

Sciſcitabitur forte nonnemo cur Beatiſſima Virgo prædicatur ab Eccleſia *Mater gratiæ*: Nam ſi eſt filia gratiæ, quomodo mater ejus eſſe poteſt? Mariam autem gratiæ filiam propalat Damaſcenus. *Gratia, nam hoc ſonat Annæ vocabulum, Dominam parit, id enim Maria nomine ſignificatur.* B. Virgo eſt gratiæ filia, ſimul & mater: Filia gratiæ: tum quia filia Annæ, quæ gratiam ſonat; tum quia in ejus conceptu natura gratiæ ceſſit: tum quia non potius concepta, quam gratia ſanctificata, & filia Dei effecta; Mater adhuc gratiæ eſt Maria, nimirum Annæ quæ à ſua filia magnum gratiarum habet affluentiam: Quanta Annæ gratia, inquantum filia Mariæ! ſed quanta adhuc inquantum ejus mater! Maria nuncupatur à Damaſceno *gratiæ abyſſus*. Ut autem animadvertit S. Vincentius Ferrerius, *Abyſſus erat in corde Annæ.* Abyſſus fundo caret, inveſtigari non poteſt: & Abyſſus gratiæ tam Mariæ, quam Annæ, humano intellectu nequit attingi: Quod innuere videtur Eccleſia in hac oratione: *Deus, qui B. Annæ tantum gratiam conferre dignatus es, ut genitricis filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti mater effici mereretur:* quibus verbis dū tantam gratiam conceſſiſſe dicit, & quantam conceſſerit non exponit, ſignificare videtur gratiam illam adeo fuiſſe magnam ut humanitus neque concipi, neque explicari poſſit ineffabilis illa gratia. Ob Mariam ſanctificatur Anna, & adhuc per filiam, mirum in modum honoratur.

Lib. 4. Orthod. Fid. 15

Orat. 1. de Aſſumpt. Ser. 2. de Nat. Virg.

3. *In filio & mater recognoſcitur*: & Anna Mariæ mater per filiam honoratur. Ut *inhabitet gloria in terra noſtra.* Terra tripliciter poteſt uſurpari,

Tert. l. de Orat. 2 Pſal. 82

pari, ſcilicet pro elemento, pro humano corpore quod de terra figulatum eſt; tandem ut diximus in ſuperioribus cum B. Vincentio Ferrerio, pro B. Anna. Quovis autem modo ſumatur, per Mariam glorificatur. Si ſumatur pro elemento, *impleta eſt terra per hanc Virginem gloriâ*, ait S. Ildephonſus: ſi accipiatur terra pro humano corpore, Maria nuncupatur à S. Chriſippo *præclarum naturæ ornamentum*: deinde appellatur *gloria luti noſtri*. Tandem ſi terra uſurpetur pro B. Anna: *Et erit fructus terræ ſublimis*, nimirum Maria; de qua canit Eccleſia: [Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna.] *Nota privilegium mulierum, pura mulier eſt ſuper choros Angelorum, ſed non purus vir.* Exaltatio matris ex exaltatione filiæ colligitur. Partûs magnitudo matris denotat magnitudinem; ideoque Mariæ gloria, quæ eſt partus B. Annæ, matris gloriam & honorem infert: *A matre pulchra, filia pulchrior*, cujus pulchritudo reverberat in matrem. L. de Virg. Mar. Hug. Car. in c. 3 ad Gal. Horat. l. 1 Od. 16

Nam ſi nobilitas cauſæ ex affectuum nobilitate dignoſcitur; ſi exploratores terræ Chanaam illius præſtantiam ex fructibus commendaverunt: *Terra hæc verè fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt.* Si Chriſtus Dominus ex fructibus cognoſcendos deſiderat homines: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Si arbores per fructus dignoſcuntur, vel quia fructuum bonitas arboris arguit bonitatem; vel quia fructus arbores ornant, & velut coronant: quanta Annæ nobilitas, quæ tam nobilem produxit effectum? quanta arboris illius bonitas, quæ tam bonum edidit fructum? *Ex ventris veſtri fructu immaculati agnoſcimini ô Ioachim & Anna, quemadmodum Chriſtus dixit*: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Quare meritò B. Anna gloriatur: *Fructus mei fructus honoris.* Quòd ſi quæramus à D. Vincentio Ferrerio, quinam ſint illi fructus honoris, reſpondebit: *B. Virgo fuit fructus honoris*, à qua B Anna ejus mater multum honoratur. *Cujuslibet enim civis matrem eſſe dignitatis eſt; equitis matrem eſſe, majoris; Regis, majoris; Angeli, ſi matrem habere poſſit, majoris.* Qualis quæſo Annæ dignitas, quanta ejus nobilitas, quæ filiam genuit Reginam non hominum duntaxat, ſed & Angelorum; neque Angelorum ſolummodo, ſed & cunctarum creaturarum, quæ cœli terræque ambitu continentur? *O B. Anna uterum, quæ cœlum vivum cœlis ipſis latius peperiſti!* Num. 13 Matth. 7 D Damaſ. Orat. 1. de Dormit. Deip. Eccleſ. 24. Serm. 1. de Nat. Virg. S. Thom. à Vill. Nov. D. Damaſ. Orat. 1. de Nat. Virg.

Antoridus pictor famoſiſſimus in tela quadam ingenioſè cœlum depinxit, occultatiſque cunctis ſtellis & planetis, in eo pulchram ſolummodo delineavit Solis ſphæram. Interrogatus ab Euphranore, ob quam cauſam tot cœli omiſerit ornamenta, reſpondit: Nullum deeſſe cœlo ornamentum ſole delineato, qui ſuâ luce omnem obſcurat decorem. Cœlum eſt Maria, cujus pulchritudinem demonſtrare volens Matthæus, ſolummodo repræſentat juſtitiæ ſolem: *De qua natus eſt Ieſus.* His pauculis verbis Evangeliſta & myſterium virginis, & negotium divinæ maternitatis & Incarnationis abſolvit: ſiluit Mariæ virginitatem, gratiæ plenitudinem, virtutum congeriem, cunctaque dona ſupernè illi collata. Quæ omnia collecta ſunt, cùm dictum eſt, ex Plin. l. 5. c. 10 Matth. 1 B Thom. à Vill No. Conc. 2. de Nat. Virg.

ea natum fuiſſe Ieſum: ſufficit ad ejus plenam hiſtoriam quod ſcriptum eſt, quòd de ea natus eſt Ieſus. Quid amplius? quid ultra requiris in Virgine? ſufficit tibi quòd Mater Dei eſt. Eodem modo Evangeliſtæ ſe habent erga B. Annam, ac erga Mariam: Nihil dicunt de B. Anna, niſi quòd ſit Mater Genitricis Dei, de qua nata eſt Maria? Quid ultra requiris in Anna? ſufficit tibi quòd eſt Mater Genitricis Dei. Olimpias hoc titulo inſigniri curabat: *Olimpias Alexandri Magni mater.* Quantò Maria dignior eſt Alexandro, tantò nobilior Olimpiade eſt Anna: ditior quidem Mariano theſauro, ſed ditiſſima theſauro dominico.

III. PARS Tert. l. 2 ad Ux. 8 *In domo Dei dives.* Quinque ſunt perſonæ, quæ ad Chriſti domum & familiam pertinent: nimirum ipſemet Chriſtus Deus & homo, Maria Chriſti mater, Joſephus Mariæ ſponſus, Joachim & Anna Mariæ parentes, & avi Chriſti. Omnes illi ſunt in domo Dei divites, habentque gratiam & dignitatem ſuo miniſterio congruentem. Dives Anna, in ventre matris ſanctificata, gratia nuncupata, & virtutum & meritorum gazis opulenter ditata: ſed ditior per filiam, quæ ineffabiles poſſidet theſauros, ut ipſamet teſtatur: Prov. 8 *Mecum ſunt divitiæ, & opes ſuperbæ.* Tandem à Chriſto ditiſſima eſt B. Anna: Tert. l. de Reſ. 44 *quia divini theſauri conditorium eſt, extolletur.* Divino autem illo theſauro extollitur & ditatur ratione, 1. propinquitatis. 2. charitatis. 3. authoritatis.

Lib adv. Herm. 8 1. Meritò Tertullianus prædicat Deum *divitem & locupletem.* Adeò dives & locuples eſt Deus, ut omnia in univerſum bona contineat, quæ ſunt Tert. l. 1 non ſolùm in eſſentia divina, ſed adhuc *in theſauris naturalium proprietatum* adv. marc. 22 *repoſita.* In intellectu namque divino ſunt *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*: Coloſſ. 2 in voluntate ſunt theſauri bonitatis; *An divitias bonitatis ejus* Rom. 2 *contemnis?* in juſtitia theſauri iræ & indignationis: *Secundùm duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram.* Et ſic pretioſa quæque divitiarum & perfectionum monilia reperiuntur in divinis attributis, ſuntque *in theſauris naturalium proprietatum repoſita.* Tert. Apol. 21 Quia verò Dei Filius *in utero Virginis caro figuratus*, cunctas divinarum perfectionum divitias; & *ipſam ſuî magnitu-* Tert. l. 4 adv. marc. 25 *dinem abſconderat* in ſinu Mariæ per divinitatis ſuæ dejectionem, mirum in modum ſublimat non ſolùm Mariam matrem, ſed adhuc Annam aviam: Serm. de Nat. Virg. quam ideò beatam prædicat Fulbertus Carnotenſis: *Verè beata & omni veneratione habenda, & quodam privilegio ſacro prædicanda mater, quæ omnium anteceſſit matres in concipiendo & generando eam, quæ ſuum & omnium generaret Creatorem.* Roma olim magno proſecuta eſt honore matronam quan- Lil. Girald. Sintagm. 2 dam Annam nomine, quia in maxima annonæ penuria copioſum frumentum dederat urbi, horreiſque ſuis apertis ſubvenerat populo tabeſcenti. Sed illa Anna minimè eſt noſtræ comparanda, cui debet orbis Mariam, manipu- D. Damaſ. Orat. 2. de Nat. Virg. lum unde habemus Chriſtum frumentum electorum. *Quàm beata domus David, ex qua produſti; & venter, in quo Deus ſanctificationis arcam, hoc eſt, eam, à qua ipſe ſine ſemine in lucem editus eſt, condidit! Verè beata es, ac ter beata, quæ bea-*

beatitudine donatam à Deo infantem, hoc eſt, Mariam, nomine quoque ipſo magnopere venerandam peperiſti, ex qua Chriſtus vitæ flos extitit.

Ut plurimum filii à majoribus ſuis, non verò prædeceſſores à ſuis nepotibus nobilitantur; nobilitas deſcendit à parentibus ad filios, ſed non aſcendit à filiis ad parentes: Nobilitas autem deſcendit & aſcendit ad Annam. Nobilitatur quidem à prædeceſſoribus ſuis, inter quos recenſet Patriarchas, Prophetas, Judices populi, ſummos Sacerdotes, Reges; ſed multò magis nobilitatur à prole, cui probè competit quod de Maria fatur Petrus Damianus: *Clara proavorum titulis, ſed multò clarior generoſitate prolis; filia ſiquidem Regum, ſed mater Regis regum.* Inter Annæ prædeceſſores ſunt Reges ſapientiâ, magnanimitate illuſtres; ſed nonnulli ſunt peccatores, inimici Dei, & reprobi: at proles Annæ nullo peccato dedecoratur, ſed inſigni ſanctitate commendatur. Maria ejus filia ab Angelo gratiâ plena ſalutatur, quia ut angelicè ait D. Thomas: *Virgo ſancta totam ſibi hauſerat Spiritûs ſancti gratiam.* [In Cat. ad c. 1. Luc.] Chriſtus quoque Annæ nepos ſummâ præditus eſt gratiâ & ſanctitate: nam *quis verè ſanctus, quàm Dei Filius?* [Tert. l. de Car. Chr. 23] Quòd ſi *gloria parentum eſt filiorum ſanctitas*; quantam gloriam attulit B. Annæ, ſanctitas filiæ & nepotis, præſertim cùm mutuata ſit ſanctitatem tum à filia, tum à nepote? *Quis inficiatur Annam multâ gratiarum copiâ cumulatiorem factam à Deo optimo maximo, qui ipſam unigeniti ſui Filij, ex filia ipſius carnem noſtræ mortalitatis aſſumpturi, aviam prædeſtinavit dulciſſimam fore, ut quo filius natæ celſior, eò genitricis mater gratiarum multitudine & altitudine ditior naſceretur.* [Clem. Rõ. l. 7. Cõſtit. 25] [Lanſperg. in Feſt. S. Annæ.]

Ad gratiam & gloriam, quam Anna mutuatur à prole, alludere videtur Regius Vates illam alloquens: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij:* ſeu, ut explicat Magnus Baſilius: *in retributionem pro patribus*: [Pſ. 44] quæ explanatio trinum poteſt habere ſenſum. 1. Pro patribus tuis ſceleroſis & reprobis, à quibus magis dedecoraris, quàm honoraris, nati ſunt tibi filii ſanctitate conſpicui, nimirum Maria & Chriſtus, à quibus gloriam & honorem accipies. 2. Annæ nati ſunt filii in retributionem virtutum, quibus eluxit. 3. Annæ ſunt filii pro patribus, ſcilicet ob promiſſionem Abrahæ & Davidi factam. Apoſtolus *retexens promiſſionem benedictionis nationum in nomine Abraham*: Et in ſemine tuo benedicentur omnes nationes: *Non dixit ſeminibus, tanquam pluribus, ſed ſemini tanquam de uno, quod eſt Chriſtus.* [Tert. l. de Car. Chri 22] Deinde Regius Propheta prodit benedictum fructum Mariani uteri: *Dum fructum ex lumbis David, id eſt, ex poſteritate carnis ejus jurat illi Deus conceſſurum in throno ipſius.* [Tert. l. de Car. Chr. 21] Ob pollicitationem Abrahæ & Davidi factam de ſemine eorum naſciturum Meſſiam; apud Hebræos infœcunditas & ſterilitas ignominiâ & dedecore mulctabatur: fœcunditas verò in honore & exiſtimatione habebatur: *Apud antiquos habebatur pro magna felicitate filios gignere, & pro magna infelicitate carere filiis.* [Abul. q. 2. in l. 2 Reg. c. 2] Et ob hanc rationem aſſeverat D. Hieronymus, Ezechiam fleviſſe fletu magno, cùm mors ei annuntiata fuit à Propheta, non quia moriturus privabatur regno; ſed præſertim quia promiſſio Davidi facta de Meſ- [In c. 38 Iſa.]

ſia

ſia naſcituro,non eſſe: for‥tura ſuum effectum : nec enim tunc exorti erant Ezechiæ filii; nam poſt ejus mortem regnavit Manaſſes, qui duodecim duntaxat erat annorum.

Quantum Meſſiæ prædeceſſores ab ipſo nobilitentur, declarat Regius

Pſal.44 Vates: *In beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum.* Co nu noſtrum, id eſt, *dignitas noſtra*, explicat Hugo Cardinalis. In beneplacito tuo, id eſt, *in beneplacito Filio tuo*, qui ex ſemine Abraham,& ex progenie David natus eſt, ut declarat Evangeliſta Matthæus: qui *non aliam ob cauſam, quàm ut nos originis*

Tert. l.de Car. Chr 22 *Chriſti carnalis compotes faceret, ita exorſus eſt: Liber genitura Ieſu Chriſti filij David, filij Abraham. Hic originis fontibus genere manante, cùm gradatim ordo deducitur ad Chriſti nativitatem, quid aliud quàm caro ipſa Abrahæ & David, per ſingulos traducem ſui faciens, in Virginem uſque deſcribitur inferens Chriſtum, imò ipſe Chriſtus proditur de Virgine?* Si veteris legis Patriarchæ, ſi Judæorum Reges gloriantur fuiſſe Chriſti anteceſſores, etiam à longè; quantò verius gloriari poteſt B. Anna ejus avia? Si Meſſias eſt Abrahæ ſemen, *utique*

Tert. ib. *multò magis Davidis quaſi recentioris*: multò magis adhuc Annæ quaſi propinquioris, ab ipſo diſtantis non longâ genealogiæ ſerie, ſed uno duntaxat gra-

3 p.q.27. a.3 du. Et ſi, ut docet Thomas: *quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius*: B. Anna poſt Mariam magis appropinquatur Chriſto, qui eſt principiũ totius ſanctitatis & dignitatis, ergo majorem ab illo mutuatur dignitatem, quàm cæteri ejus omnes prædeceſſores ſimul ſumpti. Ut autem ſubjungit D. Thomas: *Virgo Maria propinquiſſima Chriſto fuit ſecundùm humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam, & ideò præ cæteris majorem debuit à Chriſto gratiæ plenitudinem obtinere.* B. Anna poſt Mariam quoad humanitatem magis proxima eſt Chriſto, quare ex propinquitate cum Chriſto inferenda eſt ejus celſitudo.

Tract.de laud Martyr. Si, ut vult Arnoldus Carnotenſis, *una eſt Maria & Chriſti caro*: ſi, ut docet D. Auguſtinus, *caro Chriſti caro eſt Maria*; quia illa ſubſtantia carnis, quam

Ser.de Aſſump.c.5 Verbum aſſumpſit ex Virgine, nunquam fuit omnino dimiſſa, aut continuâ caloris naturalis actione reſoluta, ſed eadem omninò ſemper conſervata, & divino Verbo unita. Nam, ut ſubjungit D. Auguſtinus: *Caro Chriſti quàmvis gloriâ reſurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen manſit quæ ſuſcepta eſt de Maria.* Eâdem ratione Annæ caro eſt Mariæ caro, & conſequenter caro Chriſti: fieri enim potuit ut Dei Filius aſſumpſerit in utero Mariæ, ſibique univerit particulam ſubſtantiæ, quam B. Anna communicavit Mariæ. Ex unitate Mariæ & Chriſti concludit Petrus Damianus contineri, & adorari in Euchariſtiæ ſacramento particulam illam carnis Mariæ, quam in Incarnatio-

Serm.45 ne ſibi univit, neque unquam dimiſit Dei Filius: *Manet aliquid ex uberibus Virginis, & in carnem vertitur Salvatoris: Illud, inquam, abſque ulla dubietate, non aliud nunc de ſacro altari percipimus, & ejus ſanguinem in ſacramento noſtræ redemptionis haurimus.* Sanguis, quem pro nobis obtulit in cruce Chriſtus; ſanguis, quem nobis bibendum in Euchariſtia porrigit, eſt ipſemet Mariæ ſan-

guis

nis: & ut piè exiſtimant graves Doctores, ſanguis adhuc B. Annæ, qui per venas Mariæ tranſiit ad venas Chriſti; quorum ſententia cùm nec Scripturæ, nec Patribus, nec rectæ rationi adverſetur; & inſuper pietati Chriſti in Matrem & aviam ſit conformis, non eſt improbanda.

Novar. Umb. Virgin. Exc. 140. Veg. Marian.

De Deciorum familia ſic fatur Caſſiodorus: *Seculis ſuis producit nobilis vena primarios; neſcit aliquid inde naſci mediocre: tot probati, quot geniti.* Ex agro prædivite dives generatur theſaurus: Anna eſt ager, ſeu vena dives, de qua eductus eſt Mariæ theſaurus, è quo lapis pretioſiſſimus primarius habuit ortum, è quo redemptionis humanæ pretium coaleſcit. O vena prædives! ſed longè multò ditior divitiis theſaurorum, qui de illa educti ſunt. Euſtochium *pietatem in parentem, hæreditatem maximam & divitias credebat*: Chriſtus ſimiliter pietatem non ſolùm in Matrem, ſed adhuc in Aviam maximas exiſtimabat divitias. Quò quis igni propinquior, eò calidior eſt; quò magis corpora accedunt ad ſolem, eò lucidiores recipiunt radios: & B. Anna eò magis ditata & ſublimata eſt, quò intimius unita eſt Chriſto. Quare ut ab Angelo revelatum eſt S. Birgittæ: *Venerabilis Anna verè nuncupari poteſt omnipotentis gazophilacium, quia ipſius theſaurum, ſibi ſuper omnia amabilem, in utero ſuo recondebat. O quàm propè erat jugiter cor Dei huic theſauro, quem poſſidebat Anna ratione propinquitatis & charitatis.*

Engelg. Panth. to. 2. Feſ. B. B. Annæ. L. 3. c. 6

In Epitap. S. Paulæ.

2. *Ubi erit cor tuum, ibi erit & theſaurus tuus.* Profectò Annæ theſaurus eſt Chriſtus, in quo Annæ cor reconditur per ardentem nepotis dilectionem. Beatiſſima Virgo ſemetipſam de pulchritudine commendat: *Nigra ſum, ſed formoſa.* Ut autem animadvertit Gregorius Nyſſenus, pulchra eſt *per dilectionem.* Similiter B. Anna dives eſt, ſed per dilectionem Chriſti. 4 Quòd ſi quæramus: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum?* reſpondet Theodoricus apud Geiſlerium: B. Anna, innixa ſuper dilectum ſuum, id eſt, *innixa ſuper nepotem ſuum.* Quadruplici potiſſimum ratione B. Anna ad dilectionem Chriſti ſufflammabatur. 1. Amabilitate & amore Chriſti: Chriſtus erat ſummè amabilis, & ſummè aviam amabat, & Anna viciſſim amabilem & amantem nepotem ardenter diligebat: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Seu, ut legit Matthæus Cantacuzenus: *Ego meo nepoti, & nepos meus mihi.* 2. Aviæ teneritudine; nam ut docet Philoſophus: *Solent avi magis diligere nepotes, quam patres filios; quia in nepotibus magis vident ſuam ſtirpem propagari.* 3. Præſentiâ & converſatione; nam juxta non improbabilem quorundam ſententiam, B. Anna octo poſt Chriſtum natum menſibus vixit, & per id temporis Chriſtum vidit, tetigit, inter brachia detulit, in gremio ſuo vovit, ipſique dilectionis oſcula impreſſit, & ob hanc cauſam Eccleſia inter Mariam & Annam, infantem Jeſum medium depingit. 4 Amoris unitate: Tum quia erat nepos unigenitus; ſi enim plures habuiſſet Anna nepotes, ſuum diviſiſſet amorem; uni unam partem, alteri verò aliam tribuens partem: at Chriſto nepotulo unico totum ſuum abſque ulla diviſione B. Anna conferebat amorem: Tum quia ad Annam

Tert. l. ad Marc. 2

Cant. 1

Hom. 2. in Cant.

Cant. 8

Cont. 6

L. 8. ethic. c. 11

Dorland, Carthuſ.

nam magis pertinebat Chriſtus, quàm cæteri nepotes ad ſuas avias; qui cùm ſint & patre & matre geniti, pertinent non ſolùm ad aviam maternam; ſed etiam ad paternam: at Chriſtus ex ſola Matre genitus, non agnoſcit ullum hominem patrem, ideoque ad ſolam aviam maternam pertinet, quæ illum poſſidet tanquam ſuum theſaurum ratione charitatis & authoritatis.

L. de Or. 2. 3. Nam, ut ait Tertullianus de parentibus loquens: *Appellatio iſta & pietatis, & poteſtatis eſt.* In quatuor autem potiſſimum conſiſtit paterna illa authoritas. 1. De filiis parentes velut de re propria diſponere poſſunt, imò & in ſua neceſſitate vendere, vel oppignorare. 2. Bona filiorum, præſertim ſi emancipati non ſint, pertinent ad parentes: *Putare debet quiſque omnia quæ poſſidet, eorum eſſe qui genuerunt.* 3. Parentes habent imperium in filios, & filii eorum debent obtemperare mandatis; ut Chriſti comprobatur exemplo, qui *ſubditus erat Mariæ*, nec tantùm *Mariæ*, *ſed etiam Ioſepho propter Mariam.* 4. Filiorum actiones ac præclara geſta tribuuntur parentibus. Quod eleganti ſimilitudine declarat Hierocles apud Stobæum: [Quemadmodum Phidiæ, aut aliorum artificum ſtatuæ, ſi ipſæ rurſus aliquid agerent, id quoque opus non dubitaremus tribuere artifici. Eodem modo actiones etiam noſtræ, parentum noſtrorum opera eſſe dicamus per quos nati ſumus.] Quod innuit ſacer Textus, dicens Saülem percuſſiſſe ſtationem Philiſtinorum, & Jonatham illam reportâſſe victoriam. Reſpondet Dionyſius Carthuſianus, [quod Jonathas egerat, rex terræ Saül judicabatur feciſſe, ſicut victoria militum adſcribitur principi.] Eodem modo Abulenſis conciliat Scripturam modò Jonathæ, modò Saüli tribuentem victoriam: [Quia Jonathas erat conſtitutus ſub Rege, & fecit hoc authoritate illius, dicebatur ipſe feciſſe.] Alii probabilius volunt Saülem illam ſibi attribuiſſe gloriam, quæ per filium parta fuerat; quia gloria filii redundat in patrem. Ut enim benè ad propoſitum ait Lyranus: *Pater manet quodammodo in filio, & ideò bonum filii, eſt etiam bonum patris.*

Plat l. 4. de Leg. D. Bern. Ho. 1. ſup. Miſſ. Serm. 27 L. 1. Reg. 13 In l. 3. Regum 1

Eandem authoritatem habuit B. Anna in Mariam, quam cæteri parentes in filios. Dignitas genitricis Dei eam non efficiebat independentem à matre; neque gratia in qua concepta fuerat, eximebat à jure naturæ, quod ipſa etiam erga Filium Deum exercuit. *Mirare ergo utrumlibet, & elige quid amplius mireris, ſive filii benigniſſimam dignationem, ſive matris excellentiſſimam dignitatem. Vtrimque ſtupor, utrimque miraculum. Et quòd Deus fœminæ obtemperet, humilitas abſque exemplo; & quòd Deo fœmina principetur, ſublimitas ſine ſocio.* Pace tamen Bernardi B. Anna ſocia eſt Marianæ ſublimitatis, & per Mariam quæ ei ſubjicitur, principatur adhuc Mariæ filio, qui ad aviam pertinet, ad quam totaliter Maria mater ejus ſpectat: Tum quia, ut volunt Juriſconſulti, filii matrizant, & *partus ſequitur ventrem*: Tum quia Chriſtus eſt flos, ortus in agro ad B. Annam pertinente. Ut autem docent Theologi, flos aut fructus in agro etiam miraculosè productus, pertinet ad agri dominum. Chriſtus eſt benedictus fructus uteri Mariani. Ut autem ratiocinatur Tertullianus:

D. Bern. ibid.

nus: *Quis eſt fructus uteri, qui non ex utero germinavit, qui non in utero radicem* Lib de
egit? qui non ejus eſt, cujus eſt uterus? Uterus Virginis, in quo germinavit Car. Chr.
Chriſtus, in quo radices egit, ad B. Annam pertinet: ergo & Chriſtus ad B. 21
Annam pertinet. Quod evidentius patebit, ſi attentè conſideretur metaphora radicis, virgæ, & floris, quâ utitur Iſaias propheta: [Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.] Ut autem expendit Tertullianus: *Radix Ieſſe, genus David; virga ex radice Ieſſe, Maria ex David; flos ex virga, filius Mariæ, qui dicitur Ieſus Chriſtus.* Ibid.
Chriſtus flos ex Maria ut ex virga oritur: Maria virga ex radice Jeſſe, ex radice David mediatè, ſed immediate ex Anna pullulat. Inde concludit Tertullianus adverſus eos, qui contendunt florem non pertinere ad radicem, ad quam pertinet virga, de qua oritur flos: *Negent & flori ſuam virgam, & virgæ ſuam radicem, quominus ſuam radix ſibi vindicet per virgam proprietatem ejus quod ex virga eſt, floris ſcilicet: ſiquidem omnis gradus generis ab ultimo ad principalem recenſetur, ut jam nunc carnem Chriſti non tantùm Mariæ, ſed & David per Mariam, & Ieſſe per David, ſciant adhærere.* Si ergo caro Chriſti eſt caro David & Jeſſe per Mariam, quantò magis eſt caro B. Annæ, quæ eſt radix virgæ, de qua ortus eſt flos? At cur Propheta ait: *Flos de radice aſcendet.* Flores enim non naſcuntur immediatè ex radice, ſed ex germine, ſeu virga. Reſpondet Rupertus: *Non magis ſe Mariæ filium Chriſtus, quàm Annæ gloriatur eſſe nepotem.* Divinus ille flos non minus æſtimat ſe de radice, id eſt, de B. Anna, tanquam nepotem ejus progigni, quàm quòd de virga ſeu Maria naſcatur. Unde in Aviæ honorem voluit ut Iſaias diceret: Flos de radice ejus aſcendet: quaſi Anna non ſolùm Mariæ, ſed Jeſu etiam ſit mater. De nobili viro Cypriano, qui patritios genuerat filios, ſic fatur rex Theodoricus apud Caſſiodorum. *Quando talium filiorum pater effectus, natura ipſa videris eſſe patritius.* B. Anna quando Dei genitricem Lib. 8. ad
genuiſti, ex gratia videris Dei eſſe mater. Ux. 21

Quantò major eſt B. Annæ dignitas, eò majori veneratione eſt digna. Honoranda eſt ob propriam ſanctitatem; honaranda eſt quia eſt Mariæ Mater, & Jesu Avia. Sed ut noſtra veneratio ſit Annæ grata, ejus imitemur virtutes: Anna ditata eſt propriis meritis, Mariæ gazis, & Chriſti theſauris. Ut divites eſſe poſſimus, imploremus Annæ auxilium, Mariæ protectionem, & Chriſti benevolentiam. Anna prolem rectè educavit, Mariam in templo obtulit, & Chriſtum ardenter dilexit: parentes in bonis motibus filios & filias erudiant, eis virtutis exempla præbeant, & cuncti fideles Chriſtum diligant, & per Dei dilectionem immortalem vitam acquirent.

CONCIO QUINTA.

Tert.l.4 adv marc. 19 D*IVITES Chriſto mulieres adhærebant , quæ & de facultatibus ſuis miniſtrabant ei , inter quas* recenſendæ ſunt Martha & Magdalena, quæ ipſum etiam hoſpitio multocies recipere meruerunt : Ut enim refert Lucas Evan-
Luc.10 geliſta : [Mulier Martha nomine excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria.] *Sorores erant, & debent eſſe contubernales. Occupaba-*
D.Bern. Ser.2.de Aſſumpt. *tur illa circa frequens miniſterium; hæc dominicis eſt intenta ſermonibus.* Eodem namque Evangeliſtâ teſte : Maria ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius. Chriſtus Dominus corpus ſuum velut dividere voluit iis , quos peculiari aliquâ prærogativâ dignatus eſt. Præcurſori præbuit caput, dilecto Diſcipulo pectus, Thomæ Apoſtolo latus, Magdalenæ pedes : *Porrò Thomas*
D. Bern. Ser.23.in Cant. *in latere, Ioannes in pectore, mulier una compuncta, ſecus pedes Domini Ieſu ſortita eſt locum.* Thomæ tangendum latus præbuit Chriſtus, ut ejus incredulitatem ſanaret, & fidem titubantem ſolidaret ; Joanni permiſit Salvator quieſcere ſuper pectus, ut ei ſuum demonſtraret amorem , & tum æternam, tum temporalem Verbi generationem manifeſtaret. Mulierem peccatricem ad ſuos pedes advolvit Dominus , ut ejus tumorem dejiceret, ſuamque homini pœnitenti gratiam largiretur. *Thomas in ſolido fidei, Ioannes in lato charitatis, mulier ſtravit ſibi in tuto humilitatis* ; & quod eſt prorſus admirabile, Magdalena ad pedes Domini dejecta , non minus fidelis & amans habetur, quàm Thomas in latere, & Joannes in pectore. Magdalenæ fidem prædicat Chri-
Tert.ib. ſtus, *ſed etſi pœnitentia ſtimulus ex fide acciderat, per pœnitentiam ex fide juſtificatam ab eo audiit: Fides tua te ſalvam fecit.* Ejus dilectionem commendat adhuc Dominus Simoni malè de illa judicanti, dicens: [Dimittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum.] Ut autem Magdalenæ magis eluceſcat dilectio , conſideremus eam trino in loco ad pedes Domini, ſcilicet in domo Phariſæi, ubi diſcumbit Jeſus ; in Calvario, ubi patitur Chriſtus ; in horto, ubi ſepultus eſt Dominus. Magdalena eſt in 1. Phariſæi domo pœnitens. 2. Calvario patiens. 3. horto diligens.

I. PARS. Tert.l.4 adv marc. 18 *Diximus de remiſſa peccatorum ; illius autem peccatricis fœminæ argumentum eò pertinebit.* His verbis duo denotat Tertullianus. Unum , poteſtatem dimittendi peccata , quâ pollet Chriſtus , quâque erga Magdalenam uſus eſt. Aliud , quàm ſit ſceleroſa Magdalena , quam peccatricis vocabulo ſignificat , Evangeliſtam imitatus , qui ſuppreſſo Mariæ Magdalenæ nomine , mulierem peccatricem ſolummodo vocitat : *Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix.* Nulla eſt in illa relatione vocula , quæ ſuam vim & energiam non habeat. *Ecce* , particula eſt demonſtrativa, fœdum , infame , immaneque velut monſtrum oſtentans. *Mulier* , ſe-

xum

xum notat imbellem, mollem, fragilem, infimum, & ad omnia vitia flecti facilem. *In civitate*, ubi plures ſunt cives quibus mulier illa nobilitate, ſed multo magis ſceleribus famoſa, ſcandalo publico fuerat. *In civitate peccaverat, quia ſama ſua, famam totius tetigerat civitatis.* Tandem ob criminum gravitatem & diverſitatem dicitur antonomaſtice *peccatrix. Sicque jam non peccatrix ſolum, ſed ipſius civitatis facta fuerat ipſa peccatum.* Duplici autem potiſſimum de cauſa Lucas mulieris peccatricis circunſtantias dinumerat 1. ait Chryſologus, Ut Chriſti miſericordia magis eluceſcat: *Exaggerat Evangeliſta mulieris facinus, ut accumulet indulgentiam largitoris.* 2. Reſpondet Tertullianus, ut magis appareat *peccatricis pœnitentia*, quæ mirum in modum commendatur, 1. celeritate; 2. veritate; 3. æquitate.

Chryſol. Serm. 93

Chryſol.

Pœnitentiam tu peccator ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. His verbis peccatorem ſtimulat Tertullianus ad pœnitentiam ſine ulla mora amplexandam. Quanta celeritate naufragus tabulam accipit, tanta peccator invadere debet pœnitentiam. *Hæc te peccatorum fluctibus merſum prolevabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit.* Quemadmodum enim homo media tabula à naufragio liberatur, & ad portum fœliciter adducitur, ita peccator peccatorum evadit naufragium, & appellit ad portum divinæ miſericordiæ: *Rape occaſionem inopinatæ fœlicitatis; ut ille tu, nihil quondam penes Deum, niſi ſtilla ſitulæ, & area pulvis, & vaſculum figuli, arbor exinde fias illa, quæ penes aquas ſeritur, & in foliis perennat, & tempore ſuo fructus agit; quæ non ignem, non ſecurim videbit.* Subjungit Tertullianus oſtendens modum quo peccator, qui eſt arbor mortua, ſecuri & igni deſtinata, effici poteſt arbor foliis virens, onuſta fructibus. *Pœnitens errorum reperta veritate; pœniteat amaſſe quæ Deus non amat.* Magdalena quondam arbor ſicca, mortua, ignibus æternis deſtinata, facta eſt arbor virens, frondoſa, fructuoſa: quia ſcilicet rapuit occaſionem inopinatæ fœlicitatis. Nam ut cognovit, quod *Phariſæi domum Chriſtus intravit, non accepturos Iudaicos cibos, ſed divinam miſericordiam largiturus: neque accubuit pocula ſaporata melle, floribus odorata, ſumpturus: ſed pœnitentis lachrymas ex ipſis oculorum fontibus potaturus*, ante actæ vitæ ſceleroſæ pœnitens converſionis concepit propoſitum; tali æſtuans deſiderio *inclinem ad miſerandum ſupernam didicit majeſtatem: & ideo credidit, quod eſſet ad veniam ſibi promptus, qui Phariſæi venerat tam promptus ad menſam.* Ex promptitudine qua Chriſtus venerat ad Phariſæi domum, prudenter Magdalena conjecit quantum eſſet promptus Dominus ad miſerandum, Inde ſuam pœnitentiam accelerare decrevit, & ut raperet occaſionem inopinatæ fœlicitatis, ad domum Simonis ſe contulit, generoſe ſuperans *omne cunctationis & tergiverſationis erga pœnitentiam, vitium.*

Tert. l. de Pœn. 4

Chryſol. Serm. 93.

Chryſol.

Tert. l. de Pœn. 6

Plura Magdalenam dimovebant à jam promptæ pœnitentiæ propoſito. Nimirum generis nobilitas, mentis tumor, famæ amor, tamdiu guſtata voluptas, carnis mollities, ſexus honeſtas. 1. Generis nobilitas, Magdalenam arcere nitebatur à domo, in qua, non honorem, ſed contemptum receptura erat.

erat. 2. Mentis tumor converſionem diſſuadebat, alias inconſtans & levis haberetur. 3. Famæ honor, ne malam ſui ſuſpicionem ingereret. 4. Voluptas, præteritas repræſentabat delicias, & majora offerebat oblectamenta. 5. Carnis mollities pœnitentiam averſabatur penitus ſibi contrariam & inimicam. 6. Sexus honeſtas indecens & indecorum clamitabat, ut mulier ſola ingrederetur domum, in qua erant dumtaxat homines. Sed nihil ita ſeſe opponebat pœnitentiæ Magdalenæ ac pudor, quæ publicam peccatorum ſequitur manifeſtationem: Adde quod tempus convivii non erat opportunum ad fletus &

Chryſol. ad lachrymas. *Quid ibi quærit mulier non vocata? clauſtra domus non prorumpit extraneus; convivij ſecretum non præſumit non invitatus intrare; cibos paratos relaxandis mentibus poſt laborem, perturbare non audet arbiter luxurioſus.* Horum tamen nihil Magdalenam dimovere potuit à pœnitentiæ propoſito, quæ generoſe triumphat de generis nobilitate, mentis tumore, famæ amore, voluptatis blanditie, carnis mollitie, muliebri honeſtate, ſcelerum pu-

Chryſol. dore, intempeſtivo convivii loco ac tempore: *Hæc mulier ignota, imo male nota, onuſta luctibus, plena lachrymis clamoſa planctu, neſcio janitore, nullo conſcio, ipſo ignorante paſtore, domus aditus percurrit omnes, tranſit totas miniſteriorum catervas, ipſum convivij pervolat ad ſecretum, & facit domum lætitiæ, domum lamentationis & planctus.*

At unde Magdalenæ tanta audacia, illa incivilitas; talis præſumptio muliebri verecundiæ contraria, præcipitata velocitas? Quia neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia, quia ſiti laborans quærit fontem in quo valeat haurire aquas; quia vulnerata, properat ad medicum, qui illam valeat ſanare.

Chryſol. Idcirco 1. Venit non vocata. *Fratres non rogata venit illa, ſed juſſa: intravit exhibita, non præſumens, ipſe ſic fecit eam ſiſti ſibi, qui eam cœleſti ſententia*

D. Aug. in Pſal. 140 *juſſit abſolvi.* 2. Clauſtra domus penetrat extranea & *irrupit in domum alienam: ſed ille qui ibi diſcumbebat, non erat alienus (Non extraneus quilibet conviva) ſed ancilla Dominum ſuum ſequuta eſt.* Si 3. convivii ſecretum intrare

D. Aug. l. 50. Hom. Hom. 23 præſumit non invitata. *Vidiſtis non invitatam irruiſſe convivio, ubi ſuus medicus accumbebat, quæſiſſe pia impudentia ſanitatem. Irruens quaſi importuna convivio, opportuna beneficio: noverat enim quanto morbo laboraret, & illum ad ſanandum idoneum eſſe, ad quem venerat, ſciebat.* Si 4. imperterrita audacter in-

Chryſol. Serm. 94 greditur ad locum ubi ſuper menſam appoſitæ ſunt dapes. *Admirati pariter ſumus, quo fervore, qua fide, quali auſu, quanta obſequij novitate, peccatrix mulier, ipſius veſtigia contigerit Salvatoris?* Talis fidei tantæque audaciæ ra-

In Pſ. 128 tionem reddit D. Auguſtinus. *Sed vulnera habebat, & illuc venerat, ubi medicus diſcumbebat.* Tandem ſi 5. Abſque ullo pudore venit ad locum, ubi erant

D. Aug. ibid. dumtaxat homines *qua ſolebat in ſua fortaſſe fornicatione frontoſa eſſe, frontoſior facta eſt ad ſalutem.*

In Cōcept Evang. c. 40 Hoc autem in Magdalena merito miratur Janſenius: (Quod cum reliqui omnes à Chriſto corporalem requirerent ſanitatem, hæc ſola in omnibus Evangeliis, mentis ſanitatem & peccatorum remiſſionem requiſivit.) Centu-

tu-

turio quidem confugit ad Chriſtum, ſed ut ſervi paralitici obtineret ſanitatem. Idem egit ſynagogæ Princeps, ſed pro temporali tantummodo filiæ ſanitate. Ad Dominum venit Homortoiſſa, verum ad ſiſtendum quem patiebatur ſanguinis fluxum. Chananæa etiam accurrit ac Redemptorem, ſed ut filiam ſuam à dæmonio liberaret. Sola Magdalena, non corporis ſed animæ deſiderat & expoſtulat ſanitatem, & ad illam obtinendam depoſito pudore accedit ad Salvatorem. *Illa, illa impudica, quondam frontoſa ad fornicationem,* D. Aug. in
frontoſior ad ſalutem, citò venit ad medicum à quo ſanari poterat: & ut fatur Pſ. 140
Laurentius Novarienſis, *ſubito quaſi meretrix intravit in domum, & attritam* Hom. de
publicis aſpectibus frontem obtulit; non reſpexit ad Phariſæum; ſed recto limite direxit ad fontem pudore privata, & pœnitudine armata: Etenim tam vivido Pœn.
flagitiorum ſauciata erat dolore, adeo ardenti recuperandæ animæ ſanitatis æſtuabat deſiderio, uti convivium importuna irrepſerit, Phariſaicam convivarum cenſuram reſpuerit; timorem & pudorem depoſuerit, & armata pœnitudine à Chriſto Domino mox veniam obtinuerit. *Non eſt ſera gratia Chri-* Gilb. Ser.
ſti, in ipſo convivio, quo mulier hæc pedes Domini rigavit, terſit, & perunxit; & 35. in Cāt.
lota & exterſa & expuncta eſt. Bina ibi admiranda eſt celeritas: Celeritas Magdalenæ pœnitentis & Chriſti miſericordiam implorantis; & velocitas Chriſti peccatricis miſerentis, eique veniam largientis. Utramque celeritatem declarat S. Auguſtinus: *Acceſſit ad Dominum immunda, ut rediret munda, ac-*
ceſſit ægra, ut rediret ſana, animæ obtinens ſanctitatem per pœnitentiam ce- L. 50. Hō.
leritate & veritate commendatam. Hom. 23

2. *Pænitentiæ veritatem* demonſtrat Magdalena: Tum ex modo quo venit Tert. l. de
ad Chriſtum: Tum ex rebus quas ad denotandum ſuum obſequium adhibuit: Pœn. 6
Tum præſertim ex lachrymis quas fudit. Quod ut melius innoteſcat, expendenda ſunt cum Chryſologo Evangeliſtæ verba: (Ut cognovit quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro, ſecus pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus; & unguento ungebat.) 1. Venit ad Dominum cum accumbit, ſitum Dominici corporis obſervat, congruum miſerationi quam
quærebat. *Non ad ſtantem, non ad ſedentem audet venire peccatrix; quia Deus* Chryſol.
cum ſtat corripit: cum ſedet, judicat; proſtratis conjacet cum decumbit. 2. Attulit alabaſtrum unguenti. Oleum objicit oculis Domini, ut ſymbolo clementiæ & miſerationis eum ad miſericordiam flectat. *Portavit oleum, quia* Chryſol.
medicinam lathali vulneri, à ſuperno medico perquirebat. 3. Mulier ab Evange-
liſta repræſentatur, non jacens, non ſedens, non procumbens, ſed ſtans. *Be-* Chryſol.
ne ſtans, quia jam cadere non poteſt, quæ ad pedes Chriſti, meruit pervenire. 4.
Stans perhibetur mulier non ante faciem Domini, ſed retro, & hoc *ex officio* Tertull.
primo venerationis, & verecundiæ: ſeu ex notitia propriæ indignitatis, non lib. adv.
audens apparere ante faciem Chriſti, dicens in corde ſuo cum Manaſſe Rege, Valent. 16
(Peccavi ſuper numerum arenæ maris, & multiplicata ſunt peccata mea, & L. 2 Paral
non ſum digna videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatis meæ.) 33

Seu,

Seu, ut vult Chryſologus, *Venit mulier, & venit retro; quia reus animus poſt tergum ſtat ad veniam; quia per culpam novit ſe vultus fiduciam perdidiſſe.* 5. Stat mulier retro ſecus pedes Domini. Vel quia, ut animadvertit Chryſologus, *ad pedes tendit ſemper, etiam veniam qui requirit:* Vel quia, ut docet

Lib. 6. in Luc. 7 D. Ambroſius, *peccator ad pedes, juſtus ad caput:* Vel quia, ut vult D. Auguſtinus, *Quæ male diu ambulaverat, veſtigia recta quærebat.* Hac ratione

Lib. 50. Hom. Hó. 23 ſta: ſecus pedes Domini, quia ut ait aliorſum D. Auguſtinus, *ejus veſtigia ſequi cupiebat.* Duplicem illam D. Auguſtini rationem mutuans & connectens

in Pſ. 140 Chryſologus, ait: Stat retro ſecus pedes ejus, *ut Chriſti veſtigiis innixa, percurreret per viam vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis.* 6. Lachrymis cœpit rigare pedes ejus. Non dixit Evangeliſta cœpit lavare, ſed rigare: lavare enim, idem eſt ac maculas tollere, purificare: rigare eſt humectare ad fœ-

Cap 24 cunditatem. Unde Eccleſiaſticus: *Rigabo hortum meum plantationum.* Non ſine myſterio Magdalena dicitur lachrymis rigaſſe pedes Domini: quia ut irrigatio terram fœcundat ad fruges, ita lachrymarum profuſio Chriſtum

D. Chryſoſt. in 1. Cor. 3 Dominum ad miſericordiam excitabat. *Non ſic ſemina delapſus imber germinare & creſcere facit, ut pietatis ſemen excitat & vernare facit ad lachrymas ruens imber.* Inde præ ſtupore exclamat Chryſologus: *En mutatur ordo rerum, pluviam terra cœlum dat ſemper: ecce nunc rigat terra cœlum: imo ſuper cœlos, & uſque ad Dominum imber humanarum proſilit lachrymarum.* Pluviam cœlum dat ſemper, humectans & irrigans tellurem & arbores, ad ferendos fructus: hodie mutatur ordo rerum; nam terra non ſolum cœlum, ſed Dominum cœli rigat, eumque ad ferendos miſericordiæ fructus in-

D. Amb. l. 6. in Luc. 7 ducit. *Bonæ lachrymæ, quæ non ſolum noſtrum poſſunt lavare delictum, ſed etiam Verbo cœleſtu rigare veſtigium, ut greſſus in nobis ejus exuberent.* Fœlix mulier quæ lachrymis rigans Salvatoris pedes, clementiæ flores, & miſericordiæ fructus accipit. 7. Capillis capitis ſui tergebat. In quo Chryſologus Magdalenæ miratur prudentiam quæ non deforis quærit, quod Domino impendat obſequium: Non enim aquam è fonte, neque è domeſtica ſuppellectile, lineas veſtes, ſtrophiola, mantilia, quæ pedes tergant, exquirit: ſed ad id officium, lachrymas deducit, & capillos, ut nullus etiam pauperculo relinquatur excuſationis locus. *Dominicos pedes lavat lachrymis, crinibus tergit: vacat ab excuſatione paupertas, inhumanitas veniam non habebit; quia in totum ſibi natura ſufficit, ad obſequium Creatoris.* Ex Gregorio Nyſſeno Magdalena lachrymas fundens, & Dominicos pedes ſuis capillis tergens, internum animi denotabat dolorem, & his ſignis externis, cordis pœnitudinem oſtendebat.

Chryſol. *Stabat poſt tergum, dejectis luminibus, & effuſa coma, pedes amplectens, lachrymiſque perfundens, rebus ipſis triſtem animum oſtendebat.* 8. Oſculabatur pedes ejus. Nimirum *præceſſerant intervenientes lachrymæ, ut oſcula devota ſequerentur; quia lachrymæ ſatisfactionis ſunt documentum; oſcula, ſunt reconcilia-*

Lib. 6. in Luc. 7 *tionis indicia,* imo & amoris. Ex D. namque Ambroſio, *oſculum, mutui amoris incendium eſt: oſculum pignus eſt charitatis.* Amore autem tota æſtuabat

Magda-

Magdalena, quæ in pœnitentiæ & amoris ſignum. 9. Domini pedes unguento unguebat, ne cœleſti medico maleolentem culparum ſuarum afflaret odorem. *Non eſt ergo quod facit hæc mulier mollis & carnalis obſequij, ſed plena humanitatis eſt ſacramentum*; Tum ut ſuam erga Chriſtum devotionem demonſtret: Tum ut pœnitentiæ ſuæ varietatem oſtentet: Tum ut ſuo um criminum fœtorem & maleolentiam, in bonum odorem commutet. *Mulier illa quæ erat in civitate Maria nomine, quam fœtida erat quando acceſſit ad pedes Ieſu in domo Simonis leproſi: quantum ipſi fœtebat Simoni, qui præſentiæ ejus non ſuſtinuit horrorem portare: quam fœtida inquam, acceſſit ad Ieſum, & ecce jam in toto mundo, & pœnitentiæ, & dilectionis, & gratiæ, quam reportavit ſpargitur odor.* Chryſol. Gilliber. Ser. 33. in Cant.

Magnam profecto Magdalena oſtendit pœnitudinem, dilectionem & devotionem, *cum pedes Domini oſculis figeret, lachrymis inundaret, crinibus detergeret, unguento perduceret*: ſed potiſſimum per lachrymas ſuam manifeſtavit pœnitudinem, fidem, dilectionem, humilitatem, pietatem, & devotionem. 1. Pœnitudinem; ut enim Gentilis etiam docet Philoſophus. *per lachrymas dolorem oſtendimus.* Quam pœnitens fuerit Magdalena, & quantus fuerit ejus dolor, ex lachrymis quas in convivio fudit, recte colligit Magnus Gregorius. *Quo dolore ardet quæ flere etiam inter epulas non erubeſcit?* Per lachrymas oſtendens 2. fidei ſuæ magnitudinem. *Fidei officium eſt pœnitentia.* Tanta fuit etiam Magdalenæ fides, ut meruit *ab ipſo Domino audire, Confide filia, fides tua te ſalvam fecit*: & deinde 3. Remittuntur illi peccata multa quoniam dilexit mundum. Ut enim fatur D. Auguſtinus, *lavatur lachrymis charitatis.* Lachrymæ ab amore dimanantes, & ipſam lavant, & Dominicos adhuc pedes rigant. Inde concludit D. Auguſtinus: *Lachrymas ergo fudit ad pedes, quos profluo amore perfudit.* 3. Charitatem ſimul & 4. humilitatem demonſtrans; pœnitentia namque *proſternendi & humilificandi hominis disciplina eſt.* Magdalena autem per pœnitentiam humiliatur, & *tangit pedes mundi atque mundantis immunda, & veſtigiis Creatoris mulier criminoſa procumbit.* Quemadmodum atrociora quæque crimina ex impietatis adipe dimanant, juxta iſtud Davidicum: *Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum*: ita 5. ut vult Petrus Damianus, *pietatis adeps qui latitat, foras per oculos emanat.* Magdalena autem per lachrymas ab oculis manantes latitantem in corde oſtendit pietatem; & 6. etiam devotionem, quæ fervorem charitatis importat. Ex D. namque Auguſtino, *prius fudit lachrymas cordis, & lavit Domini pedes obſequio confeſſionis, capillus ſubſterſit, oſculabatur, unxit, tacita loquebatur, non ſermonem promebat, ſed devotionem oſtendebat.* Tert. l. 4. adv. Marc. 18 Senec. Ep. 64 Clē Alex. Strom. 2 D. Aug. Serm. 1. de Aſſumpt. Tert. l. de Pœn. 9 D Bern. in Feſt. S. Magdal. Pſ. 71 Serm. 29 Lib. 50. Hom. Hō. 23

Quis autem fuerit fructus lachrymarum Magdalenæ, inferri poteſt ex iis quæ alioſum de vi & efficacia lachrymarum diximus. Verum ultra illa quæ ibi de lachrymis in communi allata ſunt, hic ſpecialiter aſſeverandum eſt Magdalenam ſuis lacrymis 1. lautum Chriſto paraſſe convivium: 2. Angelis magnum attuliſſe gaudium: 3. multum ex iis percepiſſe fructum: 1. Lautum Ter. Prædic. tom. 4 Tract. 1. de Lachrym.

Chriſto paravit convivium. Chryſologus velut univerſale principium aſſerit: *Deus delinquentium gemitus eſurit, ſitit lachrymas peccatorum.* Hoc poſito principio, quam ſit lautum convivium quod Chriſto facit Magdalena, eloquenter declarat. *Venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura convivium: denique & pœnitentiæ ponit menſam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lachrymis temperat in menſa, & delicias deitatis totas, totam pulſat cordis ſui & corporis ſimphoniam, organi planctus dat clamorem, citharam per ſuſpiria longa modulatur, gemitus aptat in fiſtulam, & dum pectus ipſam conſcientiam arguens ſæpe percutit, facit placitura Deo cymbala perſonare; dumque taliter apportat divinis oculis cibos, totas miſericordiæ copias ſic reportat.* Cuncta dinumerat Chryſologus quæ in magnis requiruntur conviviis: nimirum exquiſitæ dapes, vina condita, harmoniæ vocum, muſicæ inſtrumenta. Hæc omnia reperiuntur in convivio quam fecit Magdalena, quod Chriſtus præponit Phariſæi epulis, quem ſic Simoni loquentem inducit Laurentius Juſtinianus: *Tu ô Phariſæe feciſti convivium, & meretrix coronata eſt. Quare? quia ploravit, plus valuit apud me fletus meretricis, quam tua fercula,* quæ nauſeam & faſtidium pariunt, at pœnitentis lachrymæ, magnum 2. Angelis afferunt gaudium. *Lætantur cœli, & qui illic Angeli, pœnitentia hominis.* Verum ſi umquam cœleſtes ſpiritus lætati ſunt de aliqua converſione, maxime de Magdalenæ pœnitentia, de qua Dominum ejeciſſe ſeptem dæmonia teſtantur ſacræ paginæ. Angelorum gaudium refert D. Bernardus. *Gaudent Angeli ſuper peccatrice pœnitentiam agente, & odoris fragrantia, cœleſtis ille conventus aſpergitur, ſalvantemque & ſalvandam tota miſericordiæ dulcedo pertingit;* & Magdalena pœnitens. 3. multum lachrymarum fructum percipit.

Ser. de S. Magdal.

Tert. l. de Pœn. 8

Hom. 12. in Epiſt. ad Coloſſ.

D. Chryſoſtomus fœlices Apoſtoli prædicat oculos: & merito. Nam *viderunt paradiſum iſti oculi, viderunt tertium cœlum.* Subjungit aureum eloquentiæ Græcæ flumen: *Sed eos non tam cenſeo beatos propter hoc ſpectaculum, quam propter lachrymas per quas viderunt Chriſtum.* Beatus ſane Paulus utpote raptus in tertium cœlum, ubi audivit arcana verba quæ non licet homini loqui; à D. tamen Chryſoſtomo exiſtimatur *beatior quia fleverit.* Beati Magdalenæ oculi, quia viderunt Chriſtum, ſed multo beatiores quia lachrymis Chriſti pedes rigarunt. *Fœlices lachrymæ, quæ ad diluendas culpas criminum virtutem habuere baptiſmatis! Fœlices lachrymæ quibus audire meruit,* Remittuntur tibi peccata tua, *verbis ipſo Chriſti ore prolatis.* Profecto (ubi abundavit delictum ſuperabundavit & gratia) & *numeroſitatem criminum præponderans pietas intercluſit.* Præponderans Chriſti pietas, præponderans adhuc Magdalenæ pietas, abunde per fuſas lachrymas manifeſtata. Nam ut ſubjungit D. Bernardus, *tranſit in affectum cordis prævaricatrix, & redit ad cor & magnitudinem ſcelerum lachrymarum multitudo condemnat.* Aqua à fonte quidem fluit, ſed in eum non refluit: at contrarium accidit in Magdalena. Ex Chryſologo namque, *in peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut ſuo fonte mulier in novum baptiſma ſuorum dilueret illuviem peccatorum,*

S. Leo Ser. 9. de Paſſ.

D Bern. in Feſt. S. Magd.

rum. Idem præſtiterunt Magdalenæ fuſæ lachrymæ quod renatis baptiſmus: Petr.Cell.
In baptiſmo peccata naufragantur. *Lachryma eſt naufragium vitiorum, por-* de quin-
tuſque naufragatorum. Baptiſmus à peccatis emundat. *Lachrymæ peccatorum* que pan.
diluvium ſunt, & mundi expiamentum. Baptiſmus infernum claudit, cœli ja- Greg.Naz
nuas aperit. *O quanta vis in lachrymis peccatorum! Rigant cœlum, terram di-* Orat.1
luunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam divina promulgatio- Chryſol.
ne ſententiam. Baptiſmus confert gratiam, & renatum efficit ſanctiſſimæ
Trinitatis habitaculum: *Lachryma filium Dei ad nos inclinat, & ad veram* Petr.Cell.
Trinitatem interveniente ſpiritu nos elevat. Baptiſmus largitur jus ad æternam ibid.
& immortalem fœlicitatem, & verus pœnitens aſcenſiones in corde ſuo di-
ſpoſuit in valle lachrymarum.) *Gradus ſcilicet & ſcalam, per quam ad domum* Pſ. 83
illam cœleſtem aſcendat. Hos omnes de ſuis lachrymis retulit Magdalena fru- Hug. Card
ctus; nam & à ſuis ſceleribus fuit emundata, & gratia ſanctificata, & præ-
ſentia ſanctæ Trinitatis honorata, & immortali fœlicitate remunerata. Id-
circo D. Chryſoſt. lachrymas Magdalenæ fuſo à Martyribus ſanguini adæ- In Pſ. 50
quat. *Dicam tibi quid valeant lachrymæ; attende diligentius. Quid Martyribus ma-*
jus, (quod animam ſuam ponunt pro amico ſuo?) *Grandis gloria Martyrum.*
Martyres effundunt ſanguinem; peccatores effundunt lachrymas. Meretrix illa
non fudit ſanguinem, ſed fontes lachrymarum profudit, & diluit peccata ſua,
reportans fructus pœnitentiæ, quæ commendatur non ſolum veritate, ſed
etiam æquitate.

3. *In pœnitentia quoque cauſa, juſtitiam Deo præſtandam eſſe,* ſapienter do- Tert. l. de
cet Tertullianus. Quod probe exequuntur homines, dum ea quibus ad Deum Pœn. 3
offendendum uſi ſunt, aſſumunt ad ſatisfaciendum Deo. Ad quod peccato-
res hortatur Apoſtolus: *Humanum dico,* id eſt humanum omnino eſt, huma- Rom. 6
nitati conforme, rationi conveniens. *Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſer-*
vire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibite membra ve-
ſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Apoſtolus hic nomine juſtitiæ omnes
ſimul virtutes intelligit: ſicut è contrario iniquitatem, pro omnibus vitiis
ſimul poſuit regnum enim juſtitiæ regno iniquitatis opponit: ad illud om-
nes virtutes pertinent, ad iſtud cuncta ſpectant vitia. Tertullianus autem
legit: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra famula immunditiæ & iniquitatis ad* Lib. de
iniquitatem: ita & nunc exhibete membra veſtra famula juſtitiæ in ſanctifi- Reſ. 74
cium. Quemadmodum abuſi eſtis membris veſtris, ſumentes illa velut in-
ſtrumenta criminum, ita bene utimini illis tanquam inſtrumentis virtutum.
Ut autem animadvertit Origenes, *Pudorem hiſce verbis auditoribus incutit*
Apoſtolus, ut hoc ſaltem obſequij impendant juſtitiæ, quod prius impenderunt ini-
quitati: Quaſi dicat: Currebant prius pedes veſtri ad effundendum, nunc au-
tem ad liberandum ſanguinem currant. Protendebantur manus prius ut aliena
diriperent, nunc protendantur ut propria largiantur. Circumſpiciebant prius
oculi alienum ad concupiſcendum, nunc circumſpiciant pauperes ad miſerendum.
Et uniuſcujuſque membri miniſterium, quod exhibuit vitiis, aptet virtutibus; &

actum quem exhibuit immunditia, ad caſtitatem nunc ſanctitatemq; convertat.

Illud juſtitiæ debitum adimplevit Magdalena, etiam ante ſcriptum Evangelium, ante auditum Apoſtoli documentum, imo ante Paulum ad lucem veritatis adductum. Nam in domum Phariſæi *venit ſatisfactura Deo, non homini placitura venit.* Et ut ejus ſatisfactioni nihil deeſſet, *creaturis quibus fuit abuſa, videlicet propriis membris & aliis rebus, orſa eſt bene uti in Chriſto.* Quod ab enumeratione magnus comprobat Gregorius: *Oculis enim terrena concupierat, ſed hos jam per pœnitentiam conterens, flebat. Capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat, ſed jam capillis lachrymas tergebat. Ore ſuperba dixerat; ſed pedes Domini oſculans, os in Redemptoris ſui veſtigia figebat. Vnguentum ſibi pro odore ſuæ carnis exhibuit, ſed quod ſibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta. Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum Deo ſerviret in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat ex culpa. Sic igitur meretrix effecta eſt honeſtior virginibus.* Longiuſcule quidem, ſed acute pariter & eleganter demonſtrat Gregorius blandimenta iniquitatis, reſculpta in obſequia pietatis, inſtrumenta vitiorum aſſumpta in inſtrumenta virtutum, quæ ſervierant peccato, miniſtrant pœnitentiæ, & Magdalena Deo ſatisfacit per ea quibus eum offenderat. Sicque dum ſceleroſam criminum officinam, in innocuam pietatis officinam refingit meretrix, efficitur honeſtior virginibus. Admirabilis ſane exterior illa Magdalenæ pœnitudo, in publico facta, & hominum oculis expoſita, ſed ut ait dubius Chryſoſtomus, *quæ in ſecreto mentis agitabat, multo hus ferventiora erant, quæ tantummodo Deus ipſe cernebat.* Et ob illum charitatis & devotionis fervorem Magdalenam Imperfectus perfecte multis præponit virginibus. *Illa in Evangelio meretrix virgines quoque ipſas honeſtate ſuperavit, incredibilis in Chriſtum amoris igne ſuccenſa, & à maximis ſordibus peccatorum, largiſſimo lachrymarum fonte purgata.*

Chryſol.
Dion. Carth in Luc. ar. 19
Hom. 33. in Evang.
Hom. 6. in Matth.

Magdalena ad pedes Jeſu pœnitens eſt idea perfectæ pœnitentiæ, quæ nobis imitanda proponitur. *Nos ergo, nos illa mulier expreſſit, ſi toto corde ad Dominum poſt peccata redeamus ſi ejus pœnitentiæ luctus imitemur.* 1. Magdalena ſceleribus famoſa magna fiducia ad Chriſtum venit, ſperans ſe ab illo recepturam ſanitatem. *Quis deſperare debeat, tanta peccatrice, non ſolum veniam, ſed & gloriam conſequente?* 2. Magdalena, ut cognovit quod Jeſus à quo animæ ſperabat ſanitatem, accubuiſſet in domo Simonis leproſi, magna celeritate illuc ſe contulit. *Oſculatur Maria pedes Chriſti frequentibus oſculis, & oculis inundantibus, veſtigia Redemptoris infundit, tergit crinibus, odoriferis illinit & irrorat unguentis*, illiuſque pœnitentiæ indiciis detergit internum animi ſui dolorem & amorem. *Fratres, ſi nos eſſe peccatores novimus, & eſſe nolumus peccatores, pedibus Chriſti demus lachrymas, ſpargamus capillos, figamus oſcula, pietatis oleum tota devotione fundamus; ut dicatur nobis: Dimittuntur vobis peccata multa, quia dilexiſtis multum.* 3. Magdalena abunde flevit, & lachrymis peccata ſua diluit. Anima Chriſtiana, *ſi te deliquiſſe memi-*

D. Greg. Hom. 33. in Evang.
D. Bern. in Feſt. B. Magdal.
D. Bern. ibid.
Chryſol. Ser. 94
D. Aug. Serm 1. de Aſſumpt.

niſti,

niſti, ſuadeo ut Maria Magdalena converſionis recorderis, & tanquam ad Domini veſtigia poſita, præteritas culpas lacrymarum fontibus laves. 4. Magdalena per oculos fudit ſanguinem cordis, & dolor quem intùs in animo ſentiebat, erat major illo qui foris apparebat: & nos poſtulemus cum D. Auguſtino: *lacrymas ex toto affectu internas*, quæ ex animi dolore, & ardenti in Deum amore profluant, quas *ignitas atque cordiales lacrymas* vocitat Catharina Senenſis. Internum illum dolorem tanti facit Climacus, ut dicat, *Mærentium dolorem ac gementium pluris æſtimari, quàm lachrymas, puto quòd Deus ſic judicet.* 5. Magdalena non ſolùm apud Phariſæum, ſed etiam poſt obtentam peccatorum veniam toto vitæ tempore pœnitentiam egit, lacrymas fudit. Ut enim ait D. Auguſtinus: *Peccatrix illa Maria non ſolùm in domo Simonis, ſed etiam poſt adventum Spiritûs ſancti hoc idem ardenter perfecit; ſemper enim dolebat, ſemper in vita ſua flebat quæ commiſerat.* Continua illa Magdalenæ pœnitentia ad jugem peccatorum dolorem nos ſtimulat, ad quam nos adhuc D. Bernardus hortatur Ezechiæ verbis: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. *Oportebat*, inquit, *ſi fieri poſſet, revivere me, ut ita loquar, denuò, qui malè vixi; ſed quia hoc non poſſum*, ſaltem recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine. *Faciam recogitando quod reoperando non poſſum.* 6. Magdalena convertit in inſtrumenta juſtitiæ inſtrumenta nequitiæ, & nos ea quæ exhibuimus ſervire iniquitati, exhibeamus ſervire ſanctitati, ad inſtar illius mulieris, *quam conſpicimus non ſolùm caruiſſe peccatis, ſed ad totum ſanctitatis verticem perveniſſe.* Illa autem mulier eſt Magdalena ad pedes Domini in domo Simonis pœnitens, & in Calvario patiens.

Dialog. c. 9. — L. Medit. c. 17 — Grad. 7 — Ser. 11. ad Frat. — In Cant. Ezech. c. 1 — Chryſol. Ser. 94

II. PARS.

Mulieres Chriſto adhæſiſſe & miniſtraſſe *de prophetia eſt. Has enim vocabat per Eſaiam: Mulieres divites exurgite, & audite vocem meam; ut diſcipulas primò, dehinc ut operarias & miniſtras oſtenderet: Filiæ in ſpe audite ſermones meos; dies anni memento te cum labore & in ſpe: cum labore enim Chriſtum ſequebantur, & ob ſpem miniſtrabant.* Tertullianus bellè elucidat Eſaiæ vaticinium, quo ominatus eſt Propheta fore mulieres Chriſto adhæſuras & miniſtraturas, quas ideò miniſtras, operarias, & Meſſiæ diſcipulas nuncupat, quæ illi ob ſpem miniſtrabant, eumque cum labore ſequebantur. Magdalena Chriſti diſcipula magno cum labore eum ſequuta eſt, non ſolùm quando docebat & prædicabat veritatem; ſed præſertim tempore paſſionis eum ſequuta eſt ad domum Annæ & Caiphæ, ad domum Herodis, ad prætorium Pilati, ad Calvarium, ibique ſecus Magiſtri & Domini pedes extitit patiens. Tria autem potiſſimum illi ingenerabant dolorem: ſcilicet Chriſti patientis 1. compaſſio. 2. derelictio. 3. dilectio.

Tert. l. 4 adv. Marc. 19 — Tertull. l. adv. Valent. 9

1. Mulieres Chriſti diſcipulæ comitatæ ſunt eum ad Calvarium uſque, ubi patibulatus eſt *illis mærentibus*. Inter quas erat Magdalena, quæ *in illo mærore primò quidem contriſtari* cœpit ex compaſſione tot ſuppliciorum, quæ coram ipſa patiebatur Dominus. *Multò magis miſericordiam provocant, quæ oculis*

Tertull. l. adv Valent. 10 — Herodian. l. 1

uſurpantur: Plus movet quod cernitur, quàm quod alio narrante & referente auditur; ideoque Jeremias propheta, doloris ſui ſic exaggerat magnitudinem: (Thren. 3) *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis ejus.* Quaſi dicat: Si à fratribus meis abſens fuiſſem, proculque remotus, eorum tribulationem magno cum dolore didiciſſem; ſed dolor meus multo major eſt, quia præſens ſum, eorumque deſtructionem percipio, & oculis meis video. Nabuchodonoſor Sedeciam magno punire ſupplicio deſiderans, (L.4. Reg. 25) *jugulavit Rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis ejus, & oculos Sedeciæ eruit.* Prius jugulavit filios, quã excæcaret patrem, ut pater ſuorum funerũ ſpectator, prius in filiis, quàm in ſeipſo moreretur; quia, ut docet D. Chryſoſtomus: (Hom.10. in Gen.) *Gravius eſt parentibus videre filios ſuppliciis affici, quàm ſi ipſi forent iiſdem obnoxii.* Et ob hanc cauſam Agar ne videret filium ſuum ſiti morientem, Iſmaële ſub arbore poſito receſſit dicens: (Gen.21) *Non videbo puerum morientem.* Salome Machabæorum mater, ſeptem filiorum martyrio interfuit, cujus magnitudinem admirans D. Auguſtinus, ſepties martyrem prædicat: (Ser. 109. de Diverſ.) *In omnibus paſſa eſt facta mater ſeptem martyrum, septies martyr; à filiis non ſeparata ſpectando, & filiis addita moriendo. Videbat omnes, ferebat in oculis, quod in in carne omnes.* Martyrium quod paſſa eſt mater in oculis, æquè grave exiſtimat D. Cyprianus, (Exhor. ad Mart.) ac illud quod filii ſuſtinuerunt in corpore: *Tam grave martyrium Deo præbuit virtute oculorum ſuorum, quàm præbuerunt filii ſui tormentis & paſſione membrorum.* Prætereunda non eſt Deipara, quæ ſtans juxta crucem, in qua patiebatur Chriſtus, præ compaſſionis dolore filio commoritur, ait Arnoldus Carnotenſis: (Hom. de Virg. Mat.) *Intuetur te illa benedicta inter mulieres, & fixis in te oculis vulnera tua pietate conſiderat maternâ; & licèt non ignoret quid boni conferat mundo mors tua; tamen parentis affectu commoritur, & pectus maternum immanitate dolorum arctatur.* Inde colligendus eſt Magdalenæ dolor, quæ licèt Chriſti non ſit mater; attamen (Ter.l.adv. Valent 9) *extenditur affectione*, & ab ipſomet Chriſto de dilectionis intenſione laudatur. (Epiſt. 8) Quòd ſi ab initio converſionis dilexit multum; & ut fatur D. Bernardus: *In brevi meruit charitatis accipere latitudinem*: quantum incrementatus eſt ejus amor ex Domini converſatione, & quantus ejus dolor, dum (Tertull. lib. adv. Valent. 16) *contemplatur eum*, videtque ejus caput ſpinis coronatum; faciem ſputis turpatam; os felle potatum; genas alapis tumidas & lividas; manus clavis perfoſſas; corpus flagellis dilaceratum; latus lanceâ percuſſum; pedes cruci affixos; & ſpecioſum formâ præ filiis hominum turpatum, ſordidatum, & tot tormentis vexatum, ut à Propheta vir dolorum nuncupetur? Virum dolorum contemplatur, videt & conſiderat Magdalena, & oculi, quibus tantam lanienam conſpicit, velut ſævi carnifices cor ejus percutiunt, & ineffabili dolore afficiunt. Cuncta ſupplicia quæ Chriſtus patiebatur in corpore, Magdalena ſuſtinebat in corde: intolerabilem perſentiens dolorem ob Chriſti compaſſionem, & derelictionem.

(Ter.l.adv. Valent.10) 2. Nam *omnes ærumnæ ejus operantur*, dum ſe à dilecto abſque ullo conſolationis verbo & velut oblitam & derelictam conſpicit. Chriſtus in Calvario

vario patiens, cunctis (unicâ exceptâ Magdalenâ) ſuæ recordationis & dilectionis prodit teſtimonia : æternum alloquitur Patrem, & in manus ejus ſuum commendat ſpiritum: *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Ad matrem ſuos dirigit ſermones, & in ſuî ſolatium dat illi in filium dilectum Diſcipulum: *Mulier ecce filius tuus.* Joannis curam ſuſcipit, & ut eum de ſuo amore certiorem faciat, Mariam efficit ejus matrem: *Fili ecce mater tua.* Latroni deprecanti reſpondet, eique paradiſum pollicetur: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Pro inimicis ſuis orat, & illis à Patre veniam poſtulat: *Pater ignoſce illis* : Magdalenæ autem ne unam quidem voculam dixit. Per tres horas fidelis illa & amans Chriſti diſcipula ad pedes crucis permanet, dilectum conſpiciens, ejulans, gemens, flens, cum ejus ſanguine lacrymas miſcens, & toties patiens & moriens, quoties Chriſtus novum ſuſtinebat tormentum, & patiebatur dolorem. Attamen *diſſimulat pietas tangentis officium & obſequiorum inſtantiam, remuneratorius ille oculus felici dedignatione non ſuſpicit.* Chriſtus ſic agit erga Magdalenam, ac ſi ejus penitus oblitus eſſet, & quaſi inſenſibilis factus, ad acerbos dolores quos pro illo patiebatur, nullatenus ad eam ſuum ſermonem dirigit: & illud Domini ſilentium eò eſt majori admiratione dignum, quod hucuſque Magdalenæ patrocinium ſuſceperat. Nam *Si Phariſæus murmurat, ſi Martha conqueritur, ſi ſcandalizantur Apoſtoli, Maria tacet, Chriſtus excuſat, etiam & laudat tacentem.* 1. Ut Phariſæo murmuranti, & malè de Magdalena judicanti ſilentium imponat, converſus ad mulierem dixit Simoni: *Quid eſt quòd converſus ad mulierem, Simoni loquitur Chriſtus? quia cùm pœnitentem reſpicit arguit oblatrantem.* 2. Mariæ ſororem increpanti, quòd relinqueret eam ſolam miniſtrare, reſpondet Dominus : *Maria optimam partem elegit.* Tandem 3. diſcipulos de effuſione unguenti querulos redarguit: *Sed & de refuſo ſuper caput ejus unguento diſcipulos indignantes, bonum mulieris opus eſſe proteſtans; & tumidam eorum animoſitatem verbis compeſcens moderatus.* [Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me; nam ſemper pauperes habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habetis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo dicetur & quòd hæc fecit in memoriam ejus] In Calvario tamen Chriſtus nullam facit de Magdalena mentionem, ſinit illam angi mœrore, abſque ullo conſolationis verbo, & mulier illa deſolata & *deſtituta paſſioni illi ſua, omni genere cœpit affligi*, omnem ſentiens doloris acerbitatem, ortam non ſolùm ex Chriſti patientis compaſſione; ſed etiam ex Chriſti ſilentio, & derelictione.

D.Bern.in Feſt.B. Magd.

D.Bern. Serm.3. in: Miſereor ſuper turbas.

Chryſol. Ser.94

D.Bern: in Feſt.S. M. Magd. Matth. 26

Ter.l adv. Valent.14

Verùm ſicut in domo Simonis *deliberans providentia ſuſpendit judicium, dum affectat obſequium, & invectivam retinet præparatam, donec Maria ſacrificium in holocauſtum tranſeat* : ita in Calvario Chriſtus nullum ad Magdalenam habet verbum, illam derelinquere videtur, ut eam penitus ſibi conformem reddat. Sicut Chriſtus fuit à Patre derelictus, ita Magdalena eſt à Redem-

D.Bern. ibid.

demptore velut derelicta. Inter crucis tormenta nullum fuit adeò acerbum Chriſto ac Patris derelictio ; cunctos namque crucis tolerat cruciatus abſque ulla querela; verùm ſe à Patre derelictum conqueritur : *Deus Deus meus ut quid dereliquiſti me ?* Similiter inter cunctos dolores, quos ad pedes Chriſti patientis ſuſtinuit Magdalena , acerbior ſanè fuit dum ſe à Domino velut derelictam exiſtimat. Hic dolor tantò fuit major, quantò dilectio in Chriſtum fuit ardentior.

Tert. l. ad. Valent. 9
Tertull. l. l. adv. Valent. 15

3. Ignem venit mittere Chriſtus in terram , *volens omnes in deſiderium ſui accendi*. Illo charitatis igne *concaleſacta* Magdalena maximè dolet : Tum quia, ut docet Philoſophus, amici habent eaſdem delectationes & contriſtationes. Chriſtus Magdalenæ amicus maximo afficitur dolore , ipſa pariter maximum perſentit dolorem : Tum quia vivens magis in dilecto, quàm in ſemetipſa , *torquebatur magis quàm ſi torqueretur ex ſe: quia ſupra ſe incomparabiliter diligebat, id unde dolebat*. Tum quia dolor eſt ſoboles amoris , ut probat Hugo Victorinus ex iſto loco Geneſeos , ubi Deus dicitur tactus dolore cordis intrinſecùs. Oleaſter ex Hebræo vertit, anguſtiatus anguſtiâ affectus, & compreſſus : ſacer autem textus Dei exaggerat dolorem , ut ejus commendet amorem; animi tus enim cordis dolor, proles eſt amoris, ejus ſequela inſeparabilis, & fidelis interpres. *Nota quòd pereunte homine: Deus dolore cordis intrinſecùs tangi dicitur. Ibi enim dolor fuit, ubi amor; amat enim univerſa quæ fecit , ſed amor hominis intùs in corde Creatoris fuit.* Dum autem Scriptura Deo attribuit dolorem cordis , loquitur antonomaſticè humano more, ut ejus oſtendat amorem. Nam amor eſt doloris parens , imò & ejus menſura : Quod de ſemetipſo fatetur Regius Vates : [Tabeſcere me fecit zelus meus , quia obliti ſunt verba tua inimici mei.] Ut autem expendit D. Auguſtinus : *tabeſcebat, quia diligebat* , tantuſque ejus erat dolor , quantus amor. Nam ut ſubjungit D. Auguſtinus : *Tantum neceſſe eſt ut urat dolor, quantum haſerat amor.* Quod exemplo beatiſſimæ Virginis comprobat D. Hieronymus : *Quia plus omnibus dilexit , propterea & plus omnibus doluit, intantum ut animam ejus totam pertranſiret vis doloris , ad teſtimonium eximiæ dilectionis.* Secundùm amoris menſuram, dolorem Deipara perſenſit : amor ejus fuit incomparabilis , dolor quoque ejus inæſtimabilis. Eodem modo ratiocinandum eſt de Maria Magdalena , quo Bernardinus Senenſis diſſerit de Maria Virgine : *Quantò plus amabat , tantò plus dolebat, & amor ſuus quem ipſa portabat Chriſto ejus unigenito Filio erat infinitus.* Si quodammodo dilectio Deiparæ fuit infinita , pariter ejus dolor fuit aliquo modo infinitus. Ex his conſtat quàm immeritò recens Author aſſeverare audet, in Calvario Deiparæ amorem fuiſſe majorem amore Magdalenæ , ſed dolorem Magdalenæ fuiſſe majorem dolore Deiparæ. Cujus hanc ſubminiſtrat rationem, quia peccata Magdalenæ affixerunt Chriſtum cruci, non verò peccata Virginis Mariæ, quæ ab omni prorſus peccato immunis fuit. Verùm hæc ratio impertinens eſt , quia magnitudo doloris præſertim ſumitur ex magni-

Arnold. Carn. Ser. de Nat. Virg
Apud Tilman c.6
Pſ. 118
L. 21. Civ. 26
Serm. de Aſſumpt.
Ser. 44. in Quadrag.
La Fevre Serm. de Feſt. B. Magd.

magnitudine amoris. Mariæ autem Virginis amor fuit abſque ulla comparatione major amore Mariæ Magdalenæ; cujus neque amor, neque dolor non ſolùm præponendus, non ſolùm æquandus, ſed nec comparandus eſt materno Deiparæ amori & dolori, quantumvis peccata quæ commiſit Magdalena, & pro quibus patitur Chriſtus, eam ad Deum amandum ſufflamment, & majorem in ejus corde dolorem ingenerent.

Ad examen divini amoris vocatur Petrus, & an Chriſtum præ cæteris diſcipulis diligat, interrogatur. *Dixit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his?* quod iterum & tertiò repetit Salvator. Quam ob cauſam iterum & tertiò Petrum interrogat Chriſtus, an eum præ cæteris ardentiùs amet? Nonne ſemel id ſciſcitari ſat fuiſſet? Imo neque ulla opus erat interrogatione, cùm Chriſtus perfectè noſſet, quæ latebant in corde Petri: qui ſecretum ante interrogationem pernoſcit, fruſtra interrogat: qui etiam ſemel interrogatus veritatem perſpicuè reſpondit, incaſſum iterum & tertiò interrogatur. Quid latet ſacramenti in trina illa Chriſti interrogatione, cùm ardentiorem Petri amorem & ſufflammare & explorare Chriſtus exoptat? Reſpondet D. Auguſtinus: *Tertiò, utrum Petrus eum diligat, Dominus interrogat. Redditur enim negationi trinæ trina confeſſio.* Amare Deum ultra Apoſtolorum proceres, ardentior charitatis fervor eſſe videtur, & amoris meta: Chriſtus autem expoſtulans à Petro amoris ſupra reliquos eminentiam, trinam negationem ad ejus memoriam revocat, ut aſpectu ad delicta quæ præ cæteris commiſit, ſic ejus accendatur amor, ut verè plus cæteris diligat Chriſtum.

Joan. 21.

Tract. 123. in Joan.

Ut Petro negationis recordatio fuit incentivum amoris, ita Magdalenæ peccatorum enormitas fuit dilectionis illicium. Quod parabolico ſermone Phariſæo Simoni declarat Chriſtus. [Duo, inquit, debitores erant cuidam fœneratori; unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta: non habentibus illis unde redderent, donavit utriſque: quis ergo eum amplius diligit? Reſpondens Simon dixit: Æſtimo quòd is cui plus donavit: Et Dominus: Rectè judicaſti.] *Audiſtis quomodo cæleſtis creditor totum debitum charitate compenſat, & ad incrementum totius fœnoris, amoris ſolius exigit & requirit uſuram. Plectendus debitor, qui dilectione ſola ſuam negligit redimere cautionem.* Negligens ejuſmodi debitor multùm diſtat à Magdalena, quæ magnitudine amoris multorum criminum obtinuit remiſſionem. Quod aſſeverat ipſamet humanata Veritas dicens Simoni: [Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti, hæc autem lachrymis rigavit pedes meos, & capillis capitis ſui terſit: Oſculum mihi non dediſti, hæc autem ex quo intravi, non ceſſavit oſculari pedes meos: oleo caput meum non unxiſti; hæc autem unguento unxit pedes meos. Propterea dico tibi: Dimittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum; cui autem minus dimittitur, minus diligit] Magna prorſus fuit Magdalenæ dilectio in domo Simonis, cui ex teſtimonio Domini

Chryſol. Ser. 94.

dimiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum: ſed ingens accepit incrementum, tum ex recordatione tantorum criminum, quibus Deum graviter offenderat; tum ex conſideratione divinæ benignitatis, quæ illi miſericorditer tot & tanta facinora condonaverat.

Lib. 7. Luc. D. Ambroſius Chriſti elucidans parabolam, ſic ait: *Itaque non eſt dubium, quòd plus debet, qui plus accipit ſecundùm homines; plus fortaſſe offendit, qui plus debuerit, ſi tamen gratiam conſequatur.* Quid opportunius ad propoſitum? Quaſi dum innocenter juſtus, qui nihil aut parum deliquit, Deum diligit, gratiæ ſit officioſitas; at plurium quondam criminum reus, cui per pœnitentiam condonata ſunt crimina, majorem dilectionem, pro majori condonatione debet: ita ut quod fuit incentivum delinquendi, fiat illicium amandi, amoris fomes, & dilectionis auctarium: ad inſtar Magdalenæ, quæ conſiderans quàm gravia fuerint commiſſa ab ipſa ſcelera, & quàm magna fuerit divina miſericordia, illa condonans, ſumebat inde amoris incentivum. Inde concludit Mediolanenſis Antiſtes: *Reddamus ergo amorem pro debito; charitatem pro munere, gratiam pro ſanguinis pretio; amplius enim diligit, cui donatur amplius.* Concipiamus dolorem intus in corde de peccatis, quibus Chriſti fudimus ſanguinem, cuique tot intulimus tormenta. Hugo Carenſis verſans iſtud Geneſeos jam expenſum, ubi inducitur Deus tactus dolore cordis intrinſecus, ſcilicet ob hominum peccata, Judæos à Chriſtianis diſcriminat; quod *Iudæi fecerunt eum dolere extrinſecus crucifigendo, nos intrinſecus peccando.* Judæis ſceleratiores Chriſtiani, Chriſtum intrinſecus & extrinſecus dolore afficientes: cui ut ſatisfaciant, pro dolore, quem ei attulerunt, debent in corde habere dolorem & amorem: In cœlo reperitur amor, ſed non dolor: in inferno è contra reperitur dolor, ſed non amor: in terra homines debent habere dolorem & amorem, dolorem de peccatis, ut valeant vitare inferni dolorem; amorem Dei, tum ut potiantur in cœlo amore beatifico, tum ut imitentur Magdalenam, in horto Chriſtum ardenter amantem.

III. PARS. Piet. lib de Scen 5. *Individua amicitia* ſic ab Antiquis repræſentabatur. Exhibebant juvenem formoſum, capite detecto, cum veſte ſecta & hirta, Scripturam in fronte gerentem, *Æſtas & hyems*; latere aperto uſque ad cor, digito in corde demonſtrabat ſcriptum, *longè & propè*, & in fimbria veſtis, *Vita & mors.* Juvenilis ætas ſignificat amorem debere ſemper eſſe recentem, neque unquam veteraſcere: hirta veſtis amicum paratum ad perferendos quoſcumque pro amico labores, caput detectum, amicum abſque pudore confitendum, neque ex verecundia negandum: æſtas & hyems, amicum in adverſis non ſecus ac in proſperis diligendum: latus uſque ad cor apertum, ex corde ſincero amandum: cor manu oſtenſum, amorem, à corde oriundum; operibus manifeſtandum: Longè & propè, amorem in amici abſentia ſicut in præſentia, conſervandum: Vita & mors, amicum, non ſolùm in vita, ſed etiam poſt mortem diligendum. Ad demonſtrandum quàm vera ſit illa amoris effigies, ſufficit una Magdalena, Chriſtum viventem, patientem, mortuum,

præ-

præſentem, abſentem, abſque ullo pudore confitens, cum labore quærens, fortiter, ardenter, & conſtanter diligens. 1. Fortiter, cunctas difficultates ſuperans: 2. ardenter, nihil aliud præter Chriſtum cogitans. 3. conſtanter, in inquirendo dilecto perſeverans.

1. *Dilectio magnanimis omnia tolerat*, omnia vincit: ideoque *fortis ut mors dilectio* prædicatur; quia quemadmodum mors omnia ſuperat, ita eximius amor ardua explanat; maximas difficultates exarmat, nihilque eſt tam forte, tam validum, quod ei reſiſtat, nihil tam durum & aſperum, quod non emolliat, & frangat. *Quando enim quis ſauciatur charitatis deſiderio, nihil difficile ſpectat: ſed id quod fuerit plenum periculis & multa miſeria, leviter fert, ad unum hoc attendens, quomodo ſuo potiatur voto & deſiderio.* Quàm fortis ſit amor ad magnos exantlandos labores, & difficilia quæque ſuperanda, conſtat ex Jacobo, qui longo itinere laſſus, ſedet juxta puteum, qui erat juxta urbeculam Haran. Et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris ſui, nam gregem ipſa paſcebat. Quam cùm vidiſſet Jacob, & ſciret conſobrinam ſuam, ovesque Laban avunculi ſui, amovit lapidem, quo puteus claudebatur; & adaquato grege oſculatus eſt eam. Ut autem animadvertit Lippomanus, *lapidis revolutio multorum opus erat, quod nunc unus Iacob ſolus exequitur.* Unus Jacob itineris longinquitate laſſatus, grandem de ore putei amovet lapidem, quem vix amovere poterant multi paſtores. Unde Jacobo tantus ineſt roboris vigor? Quia Rachelem ut conſpexit, eandem ardenter adamavit; & ob eximium quo æſtuabat amorem ſupra vires fortis evadens, grandioris revolutionem lapidis, quæ multorum hominum adnixum expoſcebat, *nunc unus Iacob ſolus exequitur.*

Tert. lib. de Pat. 12. Cant. 8.

D. Chryſoſt. hom. 55. in Gen.

Gen. 29.

Sed ut magis appareat amantium officioſitas, arcanæ animoſitatis vigore ultra vires audens, conſideranda nobis proponitur à D. Bernardo Magdalena: *Conſidera quàm vehementiſſimo dilectionis affectu beata hæc mulier diligebat Chriſtum Regem!* Domine, inquit, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, & ego eum tollam. *Mira res: Hominem perfectæ ætatis, virum, cujus corpori vix centum libræ ſufficiunt unguentorum; tenerrima mulier portabis & tolles? Ardens & affecta locutio, quæ de puritatis amore refuſa, promittit quod implere non poteſt. Nihil enim amanti difficile eſſe videtur.* En ſtrenua fœmina, quam & doloris rigor molliebat, & ſexus teneritudo lactabat, & tamen corpus, in quo mirrhæ & aloës quaſi libras centum ſepulturæ curator erogaverat, ſe bajulaturam ſpondet. Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam) Quâ ratione fieri poterat, ut imbellis, fragilis, debilis, defatigata dolore, itinere, & inſomnio laſſata muliercula, emortuum valeret portare corpus magnum & ponderoſum, & centum adhuc unguentorum libris gravidatum? Unde ſibi tantas promittere vires Magdalena audebat, ut tantum pondus, cui portando quatuor viri fortiſſimi ſufficere vix poſſent? Quia (flammigero æſtuans amore, poſſibile ſibi putabat ſubripere corpus, & ſibi tollere, ſi reperiretur, quod alioquin impoſſibile: amanti enim vehementer nihil dicitur eſſe impoſſibile.)

In Feſt. B. Mar. Magd.

Joan 20.

Jacob Pa-lat in c. 20. Ioan.

ta; nunc ad ſepulchrum redeundo, indeque Hieroſolymam ad annunciandam Apoſtolis angelicam viſionem recedendo, iteratoque ſepulchrum repetendo, poſt tot fatigationes, curſitationes, labores, abſque ulla requie exantlatos à muliere nobili, delicata, tenella, inter delicias enutrita; Magdalena fortior atque vegetior evaſit, & ſecundùm Evangeliſtæ teſtimonium erecta adhuc in pedes conſiſtit. *Maria ſtabat ad monumentum.* Quâ autem ratione fieri potuit, ut poſt tot labores, corporiſque laſſitudines, Magdalena non ſibi quietem ſedendo conciliet, ſed in pedes erecta permaneat, ac ſi neutiquam laboraſſet? *Amor faciebat eam ſtare*, reſpondet Origenes. Ob amorem quo æſtuabat, curſus, recurſus, itinera, vigilias, labores, ærumnas non ſentiebat. Ut enim ait Imperfectus: *Amor ſpiritualis fatigationem non ſentit.* Hom. 16 in Matth.

2. Magdalena, nihil niſi dilectum in mente habens, & in corde verſans, *convertitur ad preces*: Domine ſi tu ſuſtuliſti eum. *Quem cum Maria, cùm de nullo fecerit mentionem, ad quem relationem facias? Putaſne quòd in omnibus cordibus verſetur ita memoria dilecti tui, ſicut in conſiſtorio cordis tui?* Interdum amantes ita objecti dilecti cogitatione occupantur, ut amentes videantur; ita enim agunt, ac ſi judicii & rationis eſſent inopes. Ad cujus probationem una Magdalena ſufficit, quæ ita Chriſti prævent a eſt amore; ut eidem ſub hortulani ſpecie interroganti impertinenter reſpondeat. Magdalena abſurdè & non ad rem reſpondes; Interrogat: Quid ploras, & dicis: Si tu ſuſtuliſti. Expoſtulat: Quid quæris? & reſpondes, Dicito mihi. Expoſcit nomen ejus, quem quæris: & tu ais: Ego tollam eum? *Maria Magdalena non exprimebat ex nomine quem quæreret, ſed tantùm ajebat ei quem putabat hortulanum*; Domine ſi tu ſuſtuliſti eum. *Quem eum? Non aperte: quia palam omnibus eſſe credit, quod à ſuo corde nec ad momentum recedere poteſt.* Tanta eſt vis amoris, ut ad ſe rapiat omnes animi facultates, & cunctos abſorbeat affectus. Ut enim pulchrè ait D. Bernardus: *Amor ubi venerit, omnes in ſe transfert & captivat affectus*, neque ſenſum ad alia relinquit, totam occupans mentis cognitionem, memoriæ recordationem, voluntatis affectionem. Et ob hanc cauſam primum ardentioris dilectionis ſignum exiſtimatur à D. Bonaventura, *aſſiduitas recordationis.* [Amor enim ad perennem ſui amati recordationem impellit: ubi eſt amor, ibi cor: ubi cor, ibi memoria: Eſt in amore vis unitiva; eſt etiam vis transformativa, quæ dum amantem transformat in amatum, facit ut ſicuti quis ſui oblivíſci non poteſt, ita nec amati. Talis fuit in Magdalena, quæ ſemper portavit Chriſtum in memoria; utque portaret impenſiùs, *Oblita erat omnia, præter illum, quem diligebat ſuper omnia.* Dilectionis ardor ſenſus captivarat, rationem obtenebrarat, à memoria imagines fugarat, ſolum Chriſtum mente conſiderabat, in memoria conſervabat, voluntate amabat, cunctis generatim moriens, ut illi ſoli viveret.

Ter lib adv Valent. 6s. D. Bern. in Feſt S Mar. Magd. Serm. 7 in Cant. Serm. 8. in Cant. Orig.

Ex Theodoro namque, *exactum & minimè dubium dilectionis argumentum* In Cat. Græc. in Pſal. 118.

tum eſt , tota die dilecto vacare , ita ut quis ad nihil aliud aſpiciat , ſed omnibus mortuus ſit , & omnia mortua arbitretur , ut dilecto aſſiduè fruatur. Nempe qui verè amat, reliquis omnibus mortuus eſt: adeo ut ſoli rei amatæ vivat, cæteris mortuus. Sic Magdalena uni Chriſto vivens, cæteris omnibus mortua eſt. Incurrit in eam mundus , & longa ſerie pompam ducit, ut alliciat: ſed & regnum mundi, & omnem ornatum ſæculi contemnit, propter amorem Domini ſui Jeſu Chriſti. Viſendos ſe præbent ad ſepulchrum Angeli, ſed nec illos oculo dignatur, nedum amore:

Orig. *Maria nimio dolore confecta , tota in exceſſu mentis poſita , nullam recipit conſolationem , & ad nullum tendit conſolatorem , ſed intra ſe cogitat , dicens: Proh dolor ! qualis eſt illa conſolatio ? qualis eſt iſta viſitatio ? Oneroſi mihi ſunt omnes conſolatores. Nolo Angelos videre : nolo cum Angelis manere. Denique non quæro Angelos, ſed meum & Angelorum Dominum. Tulerunt Dominum meum , ipſum ſolum quæram , ipſe ſolus poteſt me conſolari.* Et quod eſt prorſus ſtupendum , Magdalenæ occurrit & ipſemet Chriſtus , ſed aſſumptâ hortulani ſpecie , in qua dum non agnoſcitur, non amatur, adeo purus erat ejus amor , & in ſolo

Tert. l. adv. Valent. 10. Chriſto hærebat, maximè dolens, *quòd capere eum non poſſit , neque comprehendere , non viſu denique, non auditu compotiri ejus.* Ejuſmodi tamen gratiam meruit obtinere conſtanter in Chriſti dilectione perſeverans.

3. Magdalena nullam ab Angelis, neque etiam à Chriſto ſub hortulani

Tert. l. adv. Valent. 15. figura apparente accepit conſolationem : *& tamen in tanta circunſtantia ſolitudinis, in tanto circumſepto deſtitutionis* in amore & in deſiderio inveniendi

Laur. Iuſtin. de Perſever. c. 2. di corpus Chriſti conſtanter perſeverat. *Perſeverantia eſt finis virtutum, earumque conſummatio, nutrix eſt ad meritum , mediatrix eſt ad præmium , ſoror patientiæ , conſtantiæ filia, charitatis vinculum, ſanctitatis propugnaculum. Tolle hanc, nec obſequium mercedem habet , nec beneficium gratiam , nec laudem fortitudo.* Fusè dinumerat Venetus Patriarcha perſeverantiæ prærogativas, qua deſtituti diſcipuli non invento Chriſti corpore mox receſſerunt, & qua prædita Magdalena , diſcipulis etiam abeuntibus , non receſſit , ſed

Ioan. 20. conſtanter permanſit : (Abierunt ergo iterum diſcipuli ad ſemetipſos ; Maria autem ſtabat ad monumentum. Cur autem Petrus & Joannes tam citò receſſerunt ? Reſpondet Origenes : *Petrus & Ioannes timuerunt , & ideo non ſteterunt ; Maria autem non timebat , quia nihil ſuſpicabatur ſibi ſupereſſe quod timere deberet.* At cur diſcipuli timent , Magdalena autem ni-

1 Ioan. 4. hil formidat ? Quia ferventior erat ejus amor : (Perfecta charitas foràs mittit timorem.) Magdalena perfecta æſtuans charitate, ſtabat ad monumentum foris plorans , quia *dolebat amiſſum.* Lachrymæ ſolent mitigare

Tert. l. adv. Valent. 10. dolorem, ipſumque cor ab anguſtia qua premitur & gravatur, alleviant &

B. Ambr. de obit. Valēt. exonerant : *Eſt piis affectibus quædam flendi voluptas , & plerumque graves lachrymæ evaporant dolorem.* At contrarium in Magdalena accidit, quæ abunde flebat, nec ullum accipiebat remedium ; fusè lachrymabatur, nec lachrymæ ejus mitigabant dolorem, qui cùm ab ardentiſſimo , quo flagrabat amore,

amore, procederet, ſolatii quodammodo incapax erat: *Quoniam igitur erat dolor ſuper dolorem, quem mitigare lachrymis volebat, ſed non valebat: ideo tota* Orig. *poſita erat in dolore.*

Inter ferventiores Chriſti amantes Petrus, Joannes, & Magdalena, poſt Deiparam, primatum obtinent, Petrus fuit vehemens Chriſti amator, & præeminentia ejus ſuper cæteros, & capitis viſibilis Eccleſiæ dignitas, eſt certum dilectionis ejus indicium, & eximii amoris præmium: Joannes dilectus à Domino, ardenter diligebat Chriſtum. Quantus ejus fuerit amor, dignoſcitur tum ex privilegio, quo ſupra pectus Jeſu recubuit; tum quia ei cura Mariæ commiſſa fuit; tum quia vice Chriſti in Deiparæ Filium aſſumptus fuit: verùm Magdalena utriuſque amorem ſuperare videtur. Petrus pro Magiſtro ſe paratum mori gloriatur: at proteſtationis ſuæ immemor, Magiſtrum negat, ab illo recedit, neque ad ejus mortem in Calvario aſſiſtit: Magdalena in fide Petro ſolidior, Chriſtum audacter abſque ullo timore confitetur: & Petro adhuc in amore ferventior Chriſtum ad ſupplicium comitatur, ſentiens in corde cuncta tormenta, quæ ipſe patiebatur in corpore. Joannes quidem in paſſione ſequitur Chriſtum, ejuſque morti aſſiſtit, Magdalena Joanne haud inferior, Chriſtum in paſſione comitatur, præſens eſt, dum in Calvario crucifigitur: at ſuperior utroque Apoſtolo, longe ferventiorem demonſtrat amorem in velocitate, firmitate, integritate. 1. Velocitate, quia ante illos venit ad monumentum, ut ungeret corpus Jeſu (Una autem ſabbati, Maria Magdalena venit manè, Joan. 20. cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum: & vidit lapidem ſublatum à monumento. Concurrit ergo & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Jeſus, & dixit illis: Tulerunt Dominum de monumento.) *Præcedunt Apoſtolos ad miniſterium fœminæ, quæ ſexu viros,* Chryſol. *ordine diſcipulos quæ ſequuntur.* Ser. 75. 2. Firmitate, nam ut ſupra dictum eſt, Petro & Joanne præ formidine recedentibus, Magdalena imperterrita non receſſit, ſed charitate ſuffulta immota remanſit. 3. Integritate, Petrus & Joannes habuerunt amorem Chriſti velut dimidiatum: erga quem eodem fere modo ſe habuerunt, quo Craterus & Epheſtio erga Alexandrum. Craterus amabat Regem, Epheſtio diligebat Alexandrum: Similiter Petrus amabat in Chriſto majeſtatem filii Dei; Joannes teneritudinem filii Mariæ: Magdalenæ autem amor non erat dimidiatus, ſed integer: non dividebat filium Dei, à filio Mariæ, ſed totum diligebat Chriſtum, & ex omnibus ejus myſteriis præferebat in amore reſurrectionem, quæ eſt dilecto glorioſior, quia in illa egreſſus eſt de ſepulchro *impaſſibilis, illæſibilis.* Ut Tert. l. adv. autem docet D. Irenæus, *Lachrymæ Magdalenæ accelerationem reſurrectio-* Valent. 27. *nis meruerunt*; ut dolor, quem amor in ejus corde ingeneraverat, à Chriſto ſolatium acciperet, & amoris vulnus idem qui fecerat, ſanaret. Sic *ipſe* Gilleb. Ser. *Ieſus, qui deſideratur, unguenti illius fragrantiam odorat, & quaſi currit* 32. in Cant. *ad illam in odore vehementis amoris. Quidni ad cognata libenter recurrat unguenta? Quaſi in matutino feſtinas ad illam, & ſurgens mane primo ſabbati, primò*

appares

apparet Maria, & ungit eam oleo lætitiæ, præ conſortibus ſuis, dum ſe jam reſur-
rexiſſe manifeſtat in gloria. Iam animata illius in unguenta convertit, & deſideria
ejus in dilectionem commutat.

Chriſtus remunerare volens ferventem & conſtantem Magdalenæ di-
lectionem, 1. Suam accelerat reſurrectionem, & quaſi in matutino feſtinat
ad illam. 2. Magdalenæ apparet ante Apoſtolos, conſentaneum rationi ju-
dicans, ut quæ prima dilectum quæſierat, prima ejus præſentia frueretur.
Chryſol. Ser. 77. *Occurrit, & non poteſtate terret, ſed prævenit charitatis ardore.* 3. Eam pro-
prio nomine vocitat: [Dicit ei Jeſus: Maria;] ad prolationem hujus vo-
Orig. cabuli: *Maria præſenſit in nomine quandam vocationis ſingularem dulcedinem,*
& per eam cognovit ipſum à quo vocabatur, eſſe Magiſtrum ſuum, tunc revixit
ſpiritus ejus, & reverſus eſt ſenſus ejus. 4. Magdalenam lætitia affecit, mag-
numque ejus dolorem in ingens gaudium commutavit. Nam ut ſubjungit
Origenes. *Cùmque Ieſus vellet adhuc adjungere, non potuit hæc Maria patien-*
ter expectare, interrupit ea dicens, Rabboni. O præſtantiſſimum cognoſcendi
Chriſti collirium! Hactenus Magdalena oculorum & aurium cæca, ubi
Mariæ nomen audivit, occulta gratiæ officioſitate, ad ſe ſubitò rediens, ſen-
ſus reſtaurat, ſpiritum recuperat, & præ nimio Chriſti Dei amore, & con-
cepto animi gaudio, in verba erumpens, Chriſtum incipientem loqui, pia
permanenter inurbanitate interrumpit. Dicit ei Jeſus: Maria, & con-
verſa illa dicit ei; Rabboni, quod dicitur Magiſter. Et 5. quò ferventiùs
ſuum Chriſto demonſtraret amorem, ad ejus pedes proſtrata, eos deoſcula-
Hom. 25. in Evang. ri voluit. Ut enim animadvertit Magnus Gregorius: *Iam verò ab Evange-*
liſta non ſubditur, quid mulier fecit; ſed ex eo invenitur quod audivit: Noli
me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum. *In his namque ver-*
bis oſtenditur, quòd Maria complecti voluit ejus veſtigia. Sibi familiares cogni-
toſque Domini pedes contrectare Magdalena molita eſt, non ex curioſi-
Lib. adv. Prax. 25. tate, ait Tertullianus, ſed ex dilectione. *Poſt reſurrectionem, & devicta*
gloriam mortis, expoſita neceſſitate omnis humilitatis: cùm jam ſe poſſet oſtendere
tam fideli fœminæ, ex dilectione, non ex curioſitate, nec ex incredulitate Thomæ
tangere eum aggreſſa. Ne, inquit, tetigeris me, nondum aſcendi ad Patrem
meum. Unde 6. illam Apoſtolorum Apoſtolam effecit, eam ad diſcipulos
miſit, ut eos de veritate Dominicæ reſurrectionis erudiret: Vade autem ad
D. Bern. Ser. 3 in id, Miſereor ſuper turbas. Fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum;
Deum meum & Deum veſtrum. *Quanta prærogativa, quanta excellentia*
fuit, quòd reſurgentem à mortuis prima tangere meruit, quòd annuntiandæ re-
Ter. lib. adv. Valent. 14. ſurrectionis commiſſionem accepit; quòd ſpem beatitudinis, tum animæ
tum corporis mutuata ſit. *Relinquitur interim odor incorruptibilitatis.*

Cujus quamdam prælibationem habuit Magdalena in antro, in quod
Hug. Vict. de Lavat. An. c. 27. ſe contulit, quod aptius cœli quàm antri meretur vocabulum. 1. Platea
& muri cœleſtis Hieruſalem ſunt ex auro puriſſimo: *Auro civitas illa*
Bern. Sen. Ser. 62, a. 1, c. 1. *ſternitur, quia puritate dilectionis undique veſtitur:* in amore namque con-
ſiſtit formalis cœli beatitudo: *Amor, amor, in quo maximè conſiſtit gloria*
paradiſi.

paradiſi. 2. In cœlo habitant Angeli. 3. Cœlicolæ præſertim amore nutriuntur. *Charitas revera eſt cæleſte nutrimentum.* Tandem 4. lumine gloriæ illuſtrati, divinam Majeſtatem contemplantur. Hæc omnia fuat in antro, in quo habitat Magdalena. Nam 1. dilectione veſtitur, & ut fatur Valenlentinus Antiſtes, Magdalena *Angelos pro rivalibus amatores ſuſcepit.* 2. Ut refert Surius, *tam læta ac jubilans Angelorum turba affuit, ut æternam vitam in hoc antro credidiſſet.* 3. Eſt Magdalenæ, ut ait Bernardinus Senenſis, *amor ſuaviſſimum manna.* Tandem 4. ut aſſeverat idem Bernardinus Senenſis, *amor tanto ardore animam ejus perſtringebat, ut non jam neceſſariis gradibus vel paſſibus uteretur, ſed inopinatis raptibus ſepties in die, Angelorum auxilio volans, non vadens, in illa ſublimia ſecreta cæleſtia ad amorem inacceſſibilem rapiebatur.* Quòd ſi Magdalena in terris degens, tanto Dei amore ſi fflammata fuit, quanta eſt charitas, qua æſtuat in cœlis? Et ſi inter mortales converſans tantas à Chriſto accepit prærogativas, quantos regnans inter Angelorum choros obtinet favores? *Ipſa hodie intercedat pro peccatis noſtris, & placatum nobis reddat judicem noſtrum, amicum ſuum.* Magdalena ex toto corde diligens Chriſtum, remiſſionem peccatorum obtinuit, Chriſtum tangere & deoſculari meruit, & immortalem beatitudinem acquiſivit: *Ama ergo homo Deum, & ama totus:* Sic Magdalenæ imitaberis exemplum, & imitando æternam tibi gloriam comparabis.

Clem. Alex. l. 2 Pædag. c.

Ser. de Div. Lect. 1. c. 4 Serm. 62. a. 2. c. 7.

D. Bern. in Feſt. B. Mar. Magd.

Chryſol. Ser. 94.

CONCIO SEXTA.

INter encomia Genovefæ nullum eſt nobilius officio paſtorali. Paſtorale munus adeo eſt ſublime, ut Chriſtus remunerare volens Petri confeſſionem & dilectionem conſtituerit eum fidelium paſtorem, & ſummi Pontifices Petri ſucceſſores, ſuprema illa non pollent dignitate, niſi quia ſunt univerſales Eccleſiæ paſtores. Quin imo Chriſtus, qui infinitè cunctis hominibus & Angelis antiſtat, Paſtor nuncupatur. *Sed ovis propriè Chriſtianus, & grex Domini Eccleſia populus, & Paſtor bonus Chriſtus.* In veteri Lege Patriarchæ paſtoris officio fungebantur, ut conſtat ex Abraham, Iſaac & Jacob, & de paſtorali officio Deus Joſephum fecit vice-Regem Ægypti, Moyſem conſtituit Deum Pharaonis, & David ad Judææ ſolium ſublimavit. *O res mirabilis, David cum ovibus ſub dio agit, & Deus in cælo ſuper regno conſilia agitat: David gregem paſcit ſollicitus, Deus interim thronum apparat.* Joſeph fuit de paſtorum genere, ut fatentur ejus fratres: *Viri paſtores ſumus ſervi tui.* David quoque fuit paſtor ovium, & dum ad regnum Deus illum deſtinat, *de poſt fœtantes accepit eum.* Moyſes tandem dum electus eſt à Deo, ut liberaret Iſraël de Ægypto, *paſcebat oves Iethro ſoceri ſui.* Ex his tribus paſtoribus unuſquiſque eſt ſingulari perfectione famoſus. Joſeph eſt virtutibus illuſtris: Davidis admirabilis patientia in perſecutionibus fulget; Moyſes miraculis fulgurat: at ſingulares illorum perfectiones in Genovefa coadunantur,

Tert. lib. de Pud. 7.

Baſil. Seleuc. Or. 14.

Gen. 46.

Exod. 3.

quæ 1. virtutibus ornatur: 2. patientia decoratur: 3. miraculis commendatur.

I. PARS. Multis virtutibus, ſed præſertim tribus ornatus fuit Joſeph, nimirum caſtitate, humilitate, & charitate. Caſtitate, laſcivæ dominæ blanditias rejiciens; humilitate, inter honores, demiſsè de ſe ſentiens: charitate fratribus ſuis, bona pro malis tribuens: Genovefa ſimiliter mirum in modum ornatur, 1 caſtitate: 2. humilitate: 3. charitate.

Lib. de Pud. 1. Chryſolog. Ser. 22. 1. Pudicitiam *principalem Chriſtiani nominis diſciplinam* nuncupat Tertullianus: ideoque Chriſtus Dominus vult nos cinctos *Caſtitatis baltheo, quod eſt inſigne militiæ Chriſtianæ.* Inſigne hoc militiæ Chriſtianæ; principalis illa Chriſtiani nominis diſciplina, in trinam velut ſpeciem diſcriminatur, nimirum in caſtitatem matrimonialem, vidualem, & virginalem. Bona eſt matrimonialis caſtitas, quæ fidelibus Eccleſiam, & Sanctis replet

D. Aug. l. de Bon. Vid. 19. cœlum: melior eſt caſtitas vidualis. *Certè minor eſt ea conjugalis ſanctitas, ex ea parte curarum, qua mundana cogitatur voluptas.* Sed optima eſt virginalis

Lib. de Habit. Virg. Serm. 143. caſtitas, matrimonialem & vidualem longè ſuperans, *Virginitas eſt illuſtrior portio gregis Chriſti*, ait D. Cyprianus. Plus audet Chryſologus, & virginitatem cum Angelica puritate confert, imò & præfert. *Semper eſt Angelis cognata virginitas: in carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt, ſed cæleſtis; & ſi vultis ſcire, angelicam gloriam acquirere majus eſt, quàm habere: eſſe Angelum fælicitatis eſt, virginem eſſe, virtutis: virginitas enim hoc obtinet*

Tert Prædic tom 2. Tract de Caſtit. Conc. 4. *viribus, quod habet Angelus ex natura.* Prælationem virgineæ integritatis ſupra Angelicam puritatem aliorſum probavimus, & hic inſinuamus, ut Genovefæ commendemus virtutem, quæ à teneris annis lilio virginitatis ornata, eam uſque ad octogeſimum ætatis annum & vitæ ultimum, illibatam ſervavit. Quemadmodum autem Stephani facies videbatur velut facies Angeli, ob animæ ſanctitatem & puritatem quæ etiam refulgebat in corpore, ita innocentia & puritas, qua intus decorabatur Genovefæ, foris relucebat in facie. Quare B. Germanus Antiſſiodori Epiſcopus, per Nanterram tranſiens oppidum, & conſpiciens fulgorem in vultu Genovefæ adhuc ſextennis ſplendeſcentem, vocans ejus parentes, aſſeveravit, puellulam fore toto vitæ tempore virginem, corporiſque & animæ puritatem Deo dicaturam. Eventus prædictionis probavit veritatem; nam mox ut Genovefa decimum quartum ætatis attigit annum, Carnutum ſe contulit, de manu Urſici urbis illius Epiſcopi, ſacrum virginitatis velum accepit, ſuoque exemplo plures ad conſecrandam Deo virginitatem adduxit. Inter quas virgo nobilis, Silenia nomine, à Genovefa audiens virgines eſſe in terra, quod in cœlo ſunt Angeli, adeo fuit virgineæ integritatis amore ſuccenſa, ut licèt jam ſponſa divitis & nobilis viri, matrimonio cum illo contrahendo renuntiaverit, ſeſeque Deo conſecraverit, ad inſtar Genovefæ ornatæ virginea humilitate.

Tert lib de vel. Virg. 1. 2. Humilitate decoratur Genovefa, habens *faſtidium gloriæ, ſoli Deo captans placere*, & virginitatem continuò cuſtodire, ad cujus conſervationem,

tionem, neceſſariam ſciebat humilitatem. *Seniores ajunt caſtitatem apprehendi non poſſe, niſi prius humilitatis in corde fundamenta fuerint collocata.* Ideoque, ut docet D. Auguſtinus: *Non ſolùm prædicanda virginitas ut ametur, ſed etiam monenda ne infletur*; quia, ut docet D. Bernardus, *Virginitas ſine humilitate gratiam habet apud homines, ſed non apud Deum.* Duo ſunt potiſſimùm, quæ Chriſtianæ adverſantur humilitati: Unum, decor & pulchritudo: *Faſtus ineſt pulchris, ſequiturque ſuperbia formam.* Unde mulieres venuſtate tumentes dicunt: *Quid ergo non excluſa luxuria, & admiſſa caſtitate, laudes corporis, gloriari licet?* Aliud, mundi honor, & hominum exiſtimatio. Profectò *rara virtus, humilitas honorata.* Genovefa mira erat pulchritudine decorata, multum etiam apud homines exiſtimata: Tum à Pariſienſibus, qui eam in patronam habebant: Tum à B. Germano, Antiſiodorenſi Epiſcopo, qui eam ſanctam vocitare ſolebat: Tum à Simone Stillita, qui ad pedes columnæ, in qua ſtabat conſpiciens mercatores Pariſienſes, rogavit eos, ut ſe Genovefæ precibus commendarent: Tum à Francorum Regibus: nam Chilpericus, quamvis paganus, nihil Genovefæ denegabat, ſed cunctis ejus votis annuebat: Clodovæus, Chilperici filius, tanti Genovefam faciebat, ut ad ejus inſtantiam incarceratis libertatem donaret, pauperibus eleemoſinas erogaret, Eccleſias Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli (nunc ſancti Stephani de Monte, & S. Genovefæ) ædificaret. Genovefa autem non intumuit, neque de pulchritudine ſibi innata: neque de exiſtimatione ſumma comparata. Tumorem qui ex decore oriri poterat, ſequentibus rationibus reprimebat. Primam deſumebat ex Chriſtianiſmo, qui non gloriam, ſed humilitatem ſectatur. Chriſtianis namque *nullum gloriæ ſtudium eſt: quia gloria exaltationis ingenium eſt: porro exaltatio non congruit profeſſoribus humilitatis ex præſcriptis Dei.* Secundam mutuabatur ex vanitate gloriæ, præſertim pulchritudinis. Nam *ſi omnis gloria vana, & ſtuporata, quantò magis quæ in carne*, quæ ut flos defloreſcit? Superbiam adhuc quam humana exiſtimatio ingenerare ſolet, rejiciebat: Tum quia virtutem, quæ illi conciliabat honorem, non à ſe habebat, ſed à Deo acceperat. *Si à Deo confertur continentia virtus, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Soli enim Deo debetur gloria, à quo mutuatur virtus, quæ humanam meretur exiſtimationem: Tum quia *à Deo, non ab hominibus captanda gloria eſt*: Tum quia gloria eſt illicita cunctis Chriſtianis. *Quorum probatio in omni humiliatione conſtat,* præſertim virginibus Deo dicatis, quæ non hominibus, ſed Deo placere debent. His rationibus Genovefa ſuperbiam à mente fugabat, humilitatem in corde radicabat, vilioribus miniſteriis incumbens, cellam verrens, ſociis ſerviens, & in charitatis operibus ſeſe exercens.

Caſſian. l. 6. Inſtit. 1. — Lib. de Sanct. Virg. — Sup Miſſ. — Tert lib. 2. de cult. fœ. 2 — D. Bern. ſer. 4 in Cant. — Tert. l. 2. de cult. fœ. 1. — Tert lib. de vel Virg. 13. — Tert lib de vel Virg. 2. — Tert lib. de vel. Virg. 13

3. Charitas complectitur *dilectionem quæ in Deum, & quæ in proximum.* Utraque dilectione Genovefa ornatur. Et quidem dilectione in Deum; ex hac Dei dilectione procedebat zelus ædificandi templa, & de facto extruxit Eccleſiam B. Petri & Pauli, & adhuc Eccleſiam ſancti Dionyſii, cujus ædificatio fuit duplici commendata miraculo. Nam

Tert l. ad Mart. 5.

primò cùm cementum & calx deficerent, Sacerdotes monuit, quòd die
craſtino ab extraneis tranſeuntibus diſcerent, ubi utrumque reperire poſ-
ſent: quod de facto accidit: nam die craſtino audierunt duos ruſticos adin-
vicem loquentes & aſſeverantes inveniſſe in proxima ſilva calcem, cemen-
ta, aliaque ad ædificationem domorum, & ædium requiſita. Aliud miracu-
lum neque minus ſtupendum fuit, quòd cùm vinum operariis neceſſarium
defeciſſet in dolio, efficacia ſuæ orationis Genovefa dolium implevit vino,
quod uſque ad finem conſtructionis Eccleſiæ non defecit. Ex Dei dile-
ctione devotiſſima erat erga ſacro-ſanctum Altaris myſterium, & cùm die
feſto vetaſſet mater adire Miſſam, & ipſa triſtitiam demonſtraſſet, alapam
dedit ei mater, ſed non impunè; nam luminibus orbata eſt, & per duos an-
nos cæca permanſit, neque recuperavit viſum, donec Genovefa aquam be-
nedicens, & oculos liniens, parenti reſtituit viſum. Ex Dei dilectione,
de nocte ſurgebat, & cum pluribus puellis ad Eccleſiam ſancti Dionyſii
oratura properabat. Diabolus tantam ferre non valens pietatem. ſuſci-
tavit ventum validum, qui lucernam extinxit, at Genovefa extinctam fa-
cem manu apprehendens, eam reaccendit. & hæc candela aſſervata fuit in
Eccleſia ſancti Dionyſii, per quam Deus multis ægrotis ſanitatem con-
tulit. Ex Dei dilectione, tot fundebat lachrymas, ut per oculos velle ef-
flare animam videretur. Ex Dei dilectione, ſolitudinem captabat, ut cum
dilecto familiariùs converſaretur; adeo ut à die Epiphaniæ, uſque ad Fe-
riam quintam hebdomadæ Sanctæ, in cella occultata moraretur. Ex Dei
dilectione tot illatas conſtanter patiebatur injurias; tandem ex Dei dile-
ctione proximum diligebat.

Quàm magna autem fuerit proximi dilectio, apparet 1. ex correctio-
ne, qua peccatores fraternè ad emendationem hortabatur. Cæleſti lumine
illuſtrata cognovit lapſum filiæ Bituricenſis, quæ poſt virginitatem Deo di-
catam ſcortata, Genovefa ei denotans locum & tempus quo ceciderat, il-
lam ad pœnitentiam adduxit. 2. Ex cura qua reis veniam procurabat, fran-
gens etiam miraculosè ergaſtuli portas, ut à morte liberaret plures ſcele-
roſos, mox ultimo judicio mulctandos. 3. Ex ſollicitudine, qua pauperi-
bus in extrema neceſſitate panem ſubminiſtrabat; Joſeph in penuria Ægyp-
tum à fame liberavit. Genovefa quoque Lutetiam conſpiciens egeſtate &
inediâ laborantem, ad urbes vicinas ſe contulit, ſeptem cimbas frumento
replevit, & per Sequanam, Lutetiam adduxit. 4. Elias in extrema ſicci-
tate magnam aquæ obtinuit abundantiam, & Genovefa pluviam, meſſis
collectionem impedientem, compeſcuit. 5. Ex ſanitate, quam conferebat
ægrotis. Sic cauſidicum à ſurditate & paraliſi ſigno crucis liberavit: ſic in
civitate Aurelianenſi puellam morti jam proximam, ad valetudinem revo-
cavit: ſic ſervum à Domino ſuo crudeliter vexatum; à peſſimi illius Magiſtri
immanitete exemit: ſic Pariſiis puerum in puteum lapſum, aqua ſubmer-
ſum & mortuum, reſuſcitavit: & hic puer nuncupatus fuit Cellonita,
quia in cella Genovefæ ad vitam revocatus fuerat. Taceo cætera dilectio-
nis

niæ Dei & proximi teſtimonia, ut aliquid dicam de invicta patientia, qua ad Davidis inſtar afflictiones & perſecutiones toleravit.

De paſtorali officio aſſumptus *David, genti Judaicæ præfuit*; adeoque Deoque gratus extitit, ut dicatur *David vir bonus, ſecundùm cor Domini*. Au- II. PARS. Ter. l. 4. adv Marc 14. guſtum autem illum meruit habere titulum, præſertim ob pœnitentiam, Tert lib de qua ſeſe afflictavit; obedientiam, qua immiſſa à Deo flagella, ſubmiſſè ac- Patie hæc 8 ceptavit; patientiam, qua Sauli perſecutiones, Abſalomi rebelliones, & Se-mei maledictiones toleravit. Ejuſmodi exemplum ad ferendas adverſitates nos ſtimulat: præſertim *cùm ea nos oſtendant Chriſtianos, quæ patimur ad* Tert ibid. *exemplum ipſius Chriſti*. Genovefa ſeſe demonſtravit Chriſtianam, non ſolùm per caſtitatem, humilitatem, & charitatem, quæ ſunt chriſtianæ diſciplinæ indicia, ſed adhuc per cruces, quæ ſunt religionis indicia. Deus autem probè oſtendit, Genovefam ad cruces ferendas supernè deſtinatam; mittens ad eam per Angelum, nummum, in quo excuſſa erat Crucis figura, quem conſilio B. Germani toto vitæ tempore, ad collum appenſum detulit; deinde in ſpiritu eam deducens ad Calvarium, ubi Chriſtus ei apparuit, referens modum, quo fuerat patibulatus. Cruces ſunt in triplici differentia: quædam amanter electæ; aliæ juſtè immiſſæ; tertiæ ſceleroſè inflictæ. Genovefa has tres detulit cruces, 1. electas: 2. immiſſas: 3. inflictas.

1. *Chriſto pœnitente* pœnitentia non ſemper arguit peccatum in eo, qui Ter l. 4. adv pœnitet. Joannes fuit in utero materno ſanctificatus; & tamen *veſtitu, vi-* Marc. 4. Chryſol. *ctu, loco, totus pœnitentia formatus incedit*: Beatiſſima Virgo etiam in conceptu Ser. 167. fuit ab originali culpa præſervata, & tamen *pœnitentia etſi in illa non invene-* Enno. l. 2. *rit quod dilueret, invenerat quod ornaret: quæ quoties innocentibus datur, coro-* Epiſt 1. *nam pro humilitatis affectione conciliat*. Chriſtus ſanctiſſimus & impeccabilis, pœnam tulit non pro ſuis, ſed pro noſtris delictis. *Quis alienam mortem* Tert. lib de *ſua ſolvit, niſi ſolus Dei Filius? ad hoc enim venerat, ut ipſe à delictis purus, & per* Pud. 22. *omnia ſanctus, pro peccatoribus obiret*, & moriendo juſtitiæ divinæ ſatisfaceret. David pœnituit, ſed pro duplici eoque atrociſſimo crimine quod commiſerat, & de quo per pœnitentiam veniam accepit: *David Vriæ cædem, cùm* Tert lib. de Pud 6. *cauſam ejus mœchiam confeßione purgavit*.

Inter Davidem & Genovefam invenio differentiam & convenientiam. Differentiam quidem: Tum quia David fuit ſceleroſiſſimus, adulterio turpatus, homicidio cruentatus; Genovefa verò fuit innocua: Tum quia David pœnituit pro peccatis ſuis; Genovefa ut Chriſti pœnitentiam imitaretur: 3. David pœnitens delictorum ſuorum obtinuit veniam; Genovefa ut virtutum ſuarum ornaret coronam. Conveniunt etiam, quia utriuſque pœnitentia fuit voluntaria, & conſequenter utiliſſima. *Vtilis ergo erit pœnitentia, ſi ſit ſpontanea*: Tum quia David amarè flebat: Genovefa quoque fundebat abunde lachrymas: Tum quia D. Aug. l. de David induebatur cilicio, Genovefa quoque cilicium continuò defe- Ver & Fal. Pœn 9. rebat: Tum quia *tali victu David exomologeſim ſuam expreßit, cinerem* Tert lib. de *quidem edens velut panem, id eſt panem velut cinerem aridum & ſordidum,* Jejun. 9.

potum verò fletu miſcens, utique pro vino congruum judicans, ut qui cum fœdis adulterii voluptatibus miſcuerat ſanguinem, lachrymas cum fletu miſceret; Genovefa in hac parte Davidem ſuperans, per totum vitæ tempus egit, quod ille pœnitens per aliquot annos egerat, quia *nunquam ad cœnam accedebat niſi præmiſſis lachrymis.* Inſuper Genovefæ jejunium multò erat rigidius Davidis jejunio : Tum quia à quindecim annis uſque ad mortem abſtinuit à carnibus: Tum quia die dumtaxat Dominica & die Jovis comedebat tantummodo tantillum panis hordeacei, cum nonnullis fabis, à quindecim diebus coctis. Admirabilis prorſus Genovefæ fortitudo in ferendis crucibus ab ipſa ultro & ſpontaneè electis, ſed non minus ſtupenda, in tolerandis crucibus à Deo immiſſis.

Tert. lib. de Pat. 11.

2. *Vndique adſtricti ſumus officio patientiæ adminiſtrandæ. Quaqua ex parte, aut erroribus noſtris, aut mali inſidiis, aut admonitionibus Domini intervenit uſus ejus officij.* Adverſitates interdum immittit Deus ad peccati punitionem, interdum ad virtutis probationem: *David cadis & ſtupri reus* confitens ſuum peccatum, & de eo pœnitens, culpæ accepit remiſſionem; in pœnam tamen delicti, filius ex adulterio natus, mortuus eſt: Job ulcere peſſimo fuit percuſſus; non in pœnam criminis, ſed ad probationem virtutis. *O feliciſſimum illum, qui omnem patientiæ ſpecimen adverſus omnem diaboli vim expunxit! quem non abacti greges, non ablatæ in pecore divitiæ, non filij in uno ruinæ impetu adempti, non ipſius denique corporis in ulcere cruciatus, à patientia & fide Domino debita excluſit; quem diabolus totis viribus fruſtra cecidit;* in cunctis illis adverſitatibus nihil aliud ore premens, niſi Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen ejus benedictum. Similiter Genovefæ Deus & pulchritudinem & ſanitatem abſtulit, immittens illi lepram, qui ejus decorem prorſus dedecoravit. Decor & ſanitas inter præcipua bona cenſentur. Decor quidem *ut fœlicitas corporis, ut divinæ plaſticæ acceſſio, ut animæ aliqua veſtis bona.* Sanitas etiam: nam ut fatur D. Bernardus, *omnia bona corporis, ſanitas.* Genovefa erat admirabili pulchritudine prædita, bona adhuc corporis valetudine fruebatur, Deus tamen ut ejus probaret ſubmiſſionem, & exploraret virtutem, percuſſit eam lepra, quæ abſtulit ei ſimul pulchritudinem & corporis valetudinem, eamque diſformem & horribilem reddidit.

Tert. lib. de Præſc. hær. 9

Tert. lib. de Pat. 14.

Tert. l. 2. de cult. fœ. 2.

Ber. de tripl. gen. bon.

Cuncti morbi ſunt ærumnoſi, ſed non æqualiter. Quidam tollunt quidem valetudinem, ſed non amicis ingerunt horrorem, ab hominum ſocietate non ſequeſtrant, neque ægrotantes auxilio fruſtrant, quibus præ compaſſione ſani opitulantur & ſerviunt : Alii autem adeo ſunt horribiles & formidabiles, ut ab omnibus averſentur & horreantur; adeo contagioſi, ut amicos & proximos ad fugam cogant. Cujuſmodi eſt lues ſeparans filios à parentibus, maritos ab uxoribus, & ubique ſecum ferens ſolitudinem & horrorem. Cujuſmodi eſt adhuc lepra, quæ, ut docet Doctor Angelicus, eſt *corruptio humorum, conſumptio membrorum, infectio aliorum, ſeparatio hominum.* Peſte etiam horribilior; nam ab hominibus ſeparat

Serm. 1. in Dom. 3 poſt Epiph.

rat

rat non ſecus ac lues: & inſuper lues citò enecat, lepra verò vitam non tol-
lit, ut diuturnius efficiat tormentum, *leproſis vita ſupplicium, & mori lucrum.* D. Ambr. l. 3 Offic. 14.
Politia & religio ab humana ſocietate arcet leproſos: politia eis urbes clau-
dit, religio templorum ingreſſum interdicit: politia eos velut exules, reli-
gio tanquam excommunicatos tractat: idcirco neque homines, neque
Chriſtiani videntur, cùm ab hominum conſortio, & à fidelium cœtu re-
moveantur, neminem ad ſui compaſſionem moveant, & cunctis ſui aver-
ſionem & horrorem ingenerent. Genovefa tamen quantumvis innocua,
lepra horribili percutitur, ab humana ſocietate ſeparatur, & velut infecta
& excommunicata ab omnibus fugitur: in tanta tamen afflictione non de-
ficit, ſed animi magnitudinem, virtutiſque eminentiam oſtendit, adverſus
Deum non murmurans, ſed potius gratias agens. *Si à Domino nonnulla cre-* Tert. lib. de
dimus incuti, cui magis patientiam quam Domino præbeamus? Quin inſuper gra Pat. 11.
*tulari & gaudere nos decet dignatione divina caſtigationis. Ego, inquit, quos di-
ligo, caſtigo.* Hæc omnia ad praxim redigens Genovefa, divinam venera-
tur providentiam, omnino ſe Dei voluntati ſubmittit; lepram velut di-
vinæ dilectionis teſſeram accipit, Deo de ſua dignatione gratulatur, de
immiſſa afflictione lætatur, ſeſe fœlicem reputat aſſociari paſſionibus Do-
mini & Sponſi ſui. Chriſtus Jeſus erat ſpecioſus formâ præ filiis hominum,
utpote Spiritus ſancti operatione formatus, & de pulcherrima Virgine
natus, bona adhuc valetudine præditus, nec ulli morbo obnoxius, tempe-
ramento ut dicitur ad pondus & ad juſtitiam perfruens: tot tamen in ſua
paſſione fuit ſputamentis turpatus, & plagis dilaceratus, quòd *vidimus eum,* Tert. l. adv. Jud. 14.
& non habebat ſpeciem, neque decorem, ſed ſpecies ejus inhonorata. Addit Iſai. 53.
Propheta Evangelicus: *Et nos putavimus eum quaſi leproſum, & percuſſum,
& humiliatum.* Uti autem Chriſtus admirabilem ſuam pulchritudinem
mactavit pro hominum ſalute, ita Genovefa decorem & valetudinem ſuam
Deo obtulit, ſubmiſsè ferens, lepram à Deo immiſſam, & patienter tolerans
cruces ſceleroſè ſibi inflictas.

3. *Si linguæ amaritudo maledicto ſive convitio eruperit, reſpice dictum: Cùm* Tert. lib. de
vos maledixerint, gaudete. Dominus ipſe maledictus in lege eſt, & tamen ſolus eſt Pat. 8.
benedictus. Duplici ratione Chriſtianos ſtimulat Tertullianus; ad injurias,
maledictiones, detractiones, diffamationes, & calumnias patienter & læ-
tanter tolerandas. 1. Ut exiſtant imitatores Chriſti, qui fuit & ipſe maledi-
ctionibus inſecutus, detractionibus denigratus, calũniis dehoneſtatus. 2. Ut
cœleſtem à Deo benedictioné conſequi valeant. *Igitur Dominum ſervi conſe-* Tert. ibid.
quamur, & maledicamur patienter, ut benedicti eſſe poſſimus. Chriſtus fuit à Ju-
dæis de trino crimine calumniatus: 1. velut Cæſaris hoſtis fuit delatus: 2. gu-
loſus & vini potator prædicatus: tandé 3. in nomine Beelzebuth ejicere dæ-
monia, & miracula operari, accuſatus. Genovefa ſimiliter trinâ fuit calumniâ
denigrata, ſcilicet 1. de intelligentia cum Attila Hunnorum rege accuſata: 2.
de gula & laſcivia dedecorata: 3. de magia culpata. Chriſtus reddenda quæ
ſunt Cæſaris Cæſari palá prædicaverat, & a Judæis velut Cæſaris inimicus ac-

ſatus,

cuſatur, ſobrietatem verbo atque exemplo docuerat, & tanquam guloſus criminatur: in nomine Patris ſui multa miracula ediderat, & in Belzebuch operari calumniatur. Genovefa pariter Lutetiam ab Hunnorum hoſtilitate liberaverat, & de intelligentia cum Hunnis accuſatur; miræ ſobrietatis & caſtitatis exempla præbuerat, & ut mulier guloſa & laſciva dehoneſtatur; per virtutem ſanctæ Crucis multa miracula patraverat, & de magia culpatur. Chriſtus *calumnijs appetitus, ſilentium detulit triumphale.* Genovefa detractionibus diffamata, patientia muta, glorioſè triumphavit. Chriſti innocentiam teſtatus eſt ipſemet præſes: Genovefæ innocentiam probavit B. Germanus, in cellam virginis ſe conferens, in eaque nihil reperiens præter indicia pœnitentiæ, pudicitiæ, mortificationis, ſobrietatis & virtutis, quam inſuper probè demonſtrarunt tot miracula ab ipſa edita.

D. Amb. Ser. 17 in

Deus *Moyſi cauſato linguæ tarditatem os repromiſit, & ſapientiam ipſam, cui nemo reſiſteret:* deinde illi patrandi miracula contulit poteſtatem. *Hinc eſt quòd Moyſen patria voce vocat, paterna alloquitur charitate, ut ſit plebis ſuæ liberator, invitat. Et quid plura? Deum facit: dedit eum in Deum Pharaonis: Deum facit: munit ſignis, armat virtutibus, juſſu bella expugnat, militem ipſo verbo vincere tribuit, præceptis triumphare concedit.* Quanta quæſo Moyſis ſublimitas, qui de vili paſtoris officio, Iſraëlitarum dux & liberator conſtituitur, Deus Pharaonis efficitur, & patrandi miracula virtute potitur? Neque minor Genovefæ gloria, 1. miracula edentis: 2. Lutetiam protegentis: 3. ignitum morbum extinguentis.

Pſ. 118 III. ARS. Ter. l. 4 adv Marc 39. Chryſol. Serm 147.

3. *Sic & alia illa ſpecies magiæ, quæ miraculis operatur, adverſus Moyſem æmulata.* Dæmon ut homines à veritate & virtute deducat, & in errorem & vitium inducat, falſa edit miracula, vel per ſe, vel per Magos, & quidem per ſe. *Porrò etſi Magi phantaſmata edunt, & jam defunctorum infamant animas, ſi pueros in eloquium oraculi elidunt, ſi multa miracula circulatoriis præſtigiis ludunt, ſi & ſomnia immittunt, habent ſimul invitatorem dæmonum, aſſiſtentem poteſtatem, per quos & capræ & menſæ divinare conſueverunt, quantò magis ea poteſtas, de ſuo arbitrio, & pro ſuo negotio ſtudeat totis viribus operari, quod alienæ præſtat negotiationi?* Mira adhuc operatur dæmon per *multiformem luem mentis humanæ, totius erroris artificem, ſalutis pariter animæque vaſtatricem ſcientiam magiæ.* Multos refert Tertullianus modos, quibus diabolus præſtigiis falſiſque miraculis decipit homines: & adhuc ejus fallaciam, qua per magos utitur, oſtendit. *Si & in illa alia ſpecie magiæ, qui jam quieſcentes animas evellere ab inferis creditur, & conſpectui exhibere, non alia fallaciæ vis eſt operatior. Planè quia & phantaſma præſtatur, quia & corpus adſingitur: nec magnum illi, exteriores oculos circumſcribere, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacile eſt.* Sic præſtigiabant magi Pharaonis oculos. Nam ut ſubjungit Tertullianus, *Corpora videbantur Pharaoni & Ægyptiis magicarum virgarum dracones.* Tandem ut concludit Tertullianus, *ſed Moyſis veritas mendacium devoravit*, id eſt quàm fuerint fallacia

Tert. lib. de Idol. 9. Tert. Apol. 23. Tert lib. de An. 57 Apolog. 20. L. de An. 57

fallacia Magorum miracula, veris miraculis Moyſes demonſtravit.

Genoveſa edidit miracula non fallacia, cujuſmodi ſunt ea, quæ à dæmonibus & magis eduntur; ſed vera, qualia fuêre ea, quæ patravit in Ægypto Moyſes. Nam ad inſtar Bartholomæi energumenos à dæmoniis liberavit; ad inſtar Petri ægrotos ſanavit, & mortuos ad vitam revocavit; ad inſtar Pauli in cœlum rapta, vidit quæ electis Deus præparavit; ad inſtar Leonis Attilam à Lutetia, ſicut ille à Roma fugavit; ad inſtar Vatum futura prophetavit: & quod eſt majori conſideratione dignum, in patrandis miraculis eam Deus Chriſto Domino aſſimilavit. Nam Chriſtus Dominus aquam in vinum convertit, & Genoveſa vinum abundè incrementavit. Chriſtus Dominus in deſerto quinque panes adeo multiplicavit, ut ad quinque millia hominum ſaturanda ſuffecerint; Genoveſa panem ita multiplicavit, ut cunctos Lutetiæ pauperes ſaturaverit. Chriſtus Dominus ſalivam ponens ſupra oculos cæci nati, illum illuminavit; Genoveſa illiniens aquâ oculos cæcutientis matris, cum ſigno crucis ei viſum reſtituit.

De Joſepho Patriarcha ſic fatur Eccleſiaſticus: *Oſſa ipſius viſitata ſunt,* Eccl. 49.
& poſt mortem prophetaverunt. Dicamus ſimiliter: Genoveſæ reliquiæ viſitatæ ſunt, & poſt mortem miracula patraverunt. Nam lampas in ejus ſepulchro lucebat, & non extinguebatur; ardebat, & non conſumebatur; ad ejus tumulum ægroti accipiunt ſanitatem: adeo ut Eraſmus, quamtumvis de impietate famoſus, fuerit à febre liberatus per Genoveſæ interceſſionem, quæ Lutetiam tanquam patrona protegit.

2. De Moyſe quatuor notatu digniſſima dicit Tertullianus: 1. Illum L. de Mon. c.
Dei arbitrum nuncupat. *Habes Moyſem, Dei de proximo arbitrum.* Arbiter medius inter litigantes & inimicantes, illos componere & conciliare molitur. Erat inimicitia inter Deum & Iſraël; Moyſes velut arbiter Iſraëlitas cum Deo conciliavit, & in ejus gratiam adduxit. 2. *Deprecatorē* vocitat, quia Deum Lib. 2. adv. Marc. 26.
pro populo oravit, imo & exoravit. 3. *Prohibitorem iræ* appellat, quia Dei iram mitigavit, & populum à punitione liberavit: 4. Iſraëlis protectorem vocat. Etenim *Moyſi propriè donatus eſt populus ad præſens.* Quod de Moyſe prædicat Tertullianus, idipſum de Genoveſa dicamus: quæ 1. inter Deum & Pariſienſes arbitri fungitur officio, peccatores in gratiā Dei revocans: 2. pro illis Dei miſericordiam deprecatur: 3. Dei iracundiam exarmat. cui tandem 4. Lutetia ejuſque cives donati ſunt. Nam ſine ejus patrocinio Lutetiam ob ſua crimina jamdudum Dei juſtitia devaſtaſſet. Ezechias obſeſſam conſpiciens Jeruſalem ab exercitu Sennacherib Regis Aſſyriorum, & timens, ne à formidando illo inimico caperetur, & penitus everteretur, ad divinā ſe contulit miſericordiam, Deumq; enixè eſt deprecatus, ut urbem vellet ab obſidione & im̄inenti ruina liberare. Cui Deus per os Prophetæ dixit: *Protegam* Iſa 37.
civitatem iſtam, ut ſalvem eam, propter David ſervum meum. Similiter Deus protegit Lutetiam, non propter tot ſceleroſos, qui in ea commorantur; eumque ad vindictam provocant, ſed propter Genoveſam ancillam ſuam, cui tantam contulit poteſtatem, ut etiam ignem, quo ægroti uruntur, extinguat.

Tert.l.2.adv Marc. 12. 3. *Serpentis ænei effigies præcepta Moyſi à Domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat, ſed ad remediandos eos, qui à ſerpentibus infeſtabantur.* Deus ut Iſraëlitas muniret, qui Moyſi, quòd eos de Ægypto eduxiſſet, inſultabant,
Num. 21. adverſus Deum murmurabant, manna depretiabant, & poſt allia Ægypti ſuſpirabant; *immiſit in populum ignitos ſerpentes*, & quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſem, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te: ora ut tollat à nobis ſerpentes. Oravitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum: Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, vivet. Fecitque ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem cùm
An. 1130. percuſſi aſpicerent, ſanabantur. Sub regno Ludovici VII. graſſabatur morbus hucuſque incognitus; ignis ſacer nuncupatus: Lutetiæ multi cives
Tert. Scorp. 8. morbo illo incurabili laborabant: *Nec alio quàm ardoris*: Et meritò, quia
Sap 11. *per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Libido ignis eſt, hoc igne æſtua-
In Pſ. 37. bant Pariſienſes, & intus in corde igniebantur. Ut enim ait D. Auguſtinus: *Libido adulterij conſumit animam*: quapropter Deus ignem igne, ardorem ardore punivit; torquens eos ægritudine *pudenda* in pœnam vene-
Ter. lib. adv Valent 3 reæ voluptatis. Sunt *in remediis naturalia plurima*; ad illum tamen extin-
Tert. ſcorp. 1 guendum ignem, naturale nullum invenitur remedium. Advocantur Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ: *Medicina cum ferro & poculo occurrit*, nihil
Tert. ibid. tamen proficit, ſed libidinoſi illi in pudendis ardentes, miſeram efflabant animam: neque Deus continuit ultricem manum ſuam, donec implorata Genovefæ interceſſione, ejus reliquiæ ſolemniter delatæ ſunt uſque ad Deiparæ Eccleſiam, ubi omnes Ardentes (tribus duntaxat exceptis, fide deſtitutis) ad ſanitatem reducti ſunt: & in perpetuum tanti beneficii monumentum ædificata eſt ædes ſacra, Genovefa Ardentium nuncupata.

Neque duntaxat tunc temporis Genovefæ patrocinium & auxilium experti ſunt Pariſienſes: ſed pluries adhuc ſiccitatis, belli, & peſtis tempeſtate. Deus Genovefam virtutibus ornavit, eique patrandi miracula virtutem donavit: ut eam devotiùs veneremur, protectionem & auxilium ejus fidentius imploremus, pro tot acceptis beneficiis gratias agamus, & imitando perfectiones, quibus decorata fuit, ſimus participes beatitudinis, qua fruitur in cælo.

* * *
* *

SOLEM-

SOLEMNIA
APOSTOLORVM.

SCHOLIUM.

In hoc Tractatu quinque Apoſtoli, cum Marco Evangeliſta commendantur. Nimirum, 1, Iacobus: 2. Matthaus: 3. Bartholomaus: 4. Thomas: 5. Mathias: 6. Marcus.

CONCIO PRIMA.

IAcobus cognomento Major nuncupatur ab Eccleſia, non ut ab alio Jacobo Apoſtolo diſcriminetur, ſed ut hoc titulo Jacobi denotet *magnitudinem*. Apud Romanos, qui Rempublicam armis ampliarant, ſapientia illuſtrarant, & virtutibus ornaverant, Magni appellabantur. Sic Pompejus, ſic Fabius, pluresque alii Magni ſunt nuncupati. Ob eaſdem rationes Eccleſia Magnos vocitat eos, qui vel ſcientia, vel pietate, vel ſanctitate fuerunt illustres. Sic Baſilius, Antonius, Gregorius, Magni ſunt vocitati. Jacobus quoque, Major eſt appellatus, & meritò, quia eſt 1. Eccleſiæ decus formoſiſſimum: 2. Hiſpaniæ ſidus ſplendidiſſimum: 3. Peregrinorum refugium frequentiſſimum. Tert. l. 1 adv Marc. 14.

Summam originem generis tractando, Jacobus eſt nobilitate magnus, ſuppoſitâ ſententiâ eorum, qui Mariam Salome ejus Matrem, B. Annæ filiam, & beatiſſimæ Mariæ Virginis ſororem exiſtimant. Hac de cauſa frater Domini nuncupatur, quia ut animadvertit Lippomanus, *uſitato Scripturæ more, conſobrini fratres nuncupari ſolent*. Quòd ſi Job (Magnus, ſeu ut legunt Septuaginta, Nobilis, ſeu ut vult Didimus, *Genere clarus inter Orientales prædicatur; quoniam ſecundùm carnem ex Abrahamo ducebat originem*: quantum à fortior major, nobilior, genere clarior eſt Jacobus, oriundus à tot Patriarchis, Prophetis I. PARS. Tert lib. de Nat. 13. Job 1. In Catena Græc.

phetis & Regibus, nec non conſobrinus Chriſti, à quo vera mutuatur nobilitas? Verùm, quia ut docet D. Ambroſius, *magnitudo animi, magnitudo virtutis*: Jacobus eſt non ſolùm magnus generis nobilitate, ſed major 1. virginea puritate: 2. Apoſtolica dignitate: 3. conſummata martyrii dignitate.

(In Caten. D. Thom. ad c. 1 Luc.)

1. *Virginis principalis ſanctitas* conſiderari poteſt, vel per reſpectum ad varios ordines, quibus corpus Eccleſiæ decoratur; vel in ordine ad Angelos, qui ſunt cœleſtes intelligentiæ à materiæ fœcibus defœcatæ, vel in ordine ad ipſummet Deum, qui eſt totius perfectionis exemplar & menſura. Si virgo conſideretur per reſpectum ad alios Eccleſiæ ordines, eſt ex D. Cypriano *illuſtrior portio gregis Chriſti*. Si conſideretur in ordine ad cœleſtes intelligentias, Chryſologus virginem Angelis præponit: *Angelicam gloriam acquirere, majus eſt quàm habere: eſſe Angelum fœlicitatis eſt, virginem eſſe, virtutis*. Tandem ſi conſideretur in ordine ad Deum, qui eſt totius perfectionis prototypus, virgo eſt *Dei imago, reſpondens ad ſanctimoniam Dei*. Tanta eſt virginalis puritas, ut Apoſtolicam dignitatem æquare videatur. Hac de cauſa, ut animadvertit D. Ambroſius, Apoſtolus virginibus non præcipit, ſed ſolummodo conſulit: *Bene Apoſtolus dicit, De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Etenim præceptum in ſubditos fertur, conſilium amicis datur*. Ut autem Paulus videatur virginum æqualis, & non ſuperior, conſilium ſubminiſtrat, ſed præceptum non dat. At *virginitatem habuit Iacobus, ſicut frater ejus Ioannes*, & inſuper puritatem virgineam decoravit Apoſtolica dignitate.

(Tert lib de Exh. caſt 9. — De Habit. Virg. — Serm. 143. — D. Cypr l 1. de hab. virg — 1 Cor. 7. — Lib de Vid. — D Epiphan. Hær. 50.)

2. Bellè *Apoſtolicum faſtigium* nuncupat Tertull. quia Apoſtoli dignitatis faſtigium & apicem aſſecuti videntur. Ideo dicuntur *Montes, propter altitudinem*, quia tantum humanas ſuperant dignitates, quantum montes planities & colles tranſcendunt. Inter creatas ſublimitates, judiciaria, & regia, eminentiâ pollent. Judiciaria quidem authoritas, magnitudine commendatur. *Grande quidem eſt procerem eſſe, ſed multò grandius de proceribus judicare*. Apoſtoli autem ſunt ſæculi *examinatores & judices*, quibus Chriſtus judicandi contulit poteſtatem: *Sedebitis ſuper ſedes judicantes duodecim tribus Iſraël*. Et quaſi parum ſit in homines judiciariam habere authoritatem; Angeli quoque eorum juriſdictioni ſubduntur, *Neſcitis, quòd Angelos judicabimus?* Quod innuit Sapiens, hujus mundi judices inhortans: *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram*. Hoc loquendi modo, ut acutè animadvertit Joannes Gerſon, patet alios eſſe judices, quorum authoritas etiam extra terram & iſtud ſæculum extenditur. *Cùm inquit, Qui judicatis terram, innuit eſſe judices, qui aliud judicant quàm terram*. Regia etiam dignitas tanta eſt, ut Tertullianus conſideret Regem, *ut hominem à Deo ſecundum, & ſolo Deo minorem*. Apoſtoli tamen Regibus antiſtant: Tum quia Reges corporibus, Apoſtoli animabus dominantur: Tum quia Reges *minutalibus, ut ita dixerim, regnis* præſunt; Apoſtoli verò *orbis terrarum capiunt principatum*.

(Tert lib. de Exh Caſt. 4 — D. Aug in Pſ. 45. — Caſſiod. l. 6 var. 4. — D Aug. Ser 1 de SS Pet. & Paul. — Matth. 19. — 1 Cor. 6. — Sap. 1. — Ser. ad Reg. Franc. — L. ad Scap. 2 — Tert l. adv Marc. 4. — D Aug. lib)

Principatus authoritas, & judicandi poteſtas eſt communis Jacobo cum cæteris Apoſtolis. Verùm ut docet D. Auguſtinus, *Petrus, Iacobus,*

(In Ep. ad Gal.)

& Ioannes honoratiores in Apoſtolis erant, quia his tribus ſe in monte Dominus oſtendit, in ſignificationem regni ſui. Hos tres ſecum habere voluit, quando Archiſinagogi filiam à morte ad vitam revocavit: in hortum etiam Gethſemani ſecum duxit, ut triſtitiæ, quam paſſurus erat, teſtes forent. *Tres illos Apoſtolos ſecum tunc habere voluit, tamquam familiares & chariores*, & in hac prærogativa ipſis Angelis multùm ſunt ſuperiores tres illi Chriſto familiares. Nam ut ait Proclus apud Joannem Damaſcenum: *Angeli cum metu inſerviunt, Archangeli cum tremore adorant, Cherubim gloriæ magnitudinem minimè ferentes, cohorreſcunt, Seraphim circunvolantes propiùs accedere non audent*: Et Chriſtus Petrum, Jacobum, & Joannem ſua converſatione, ſua familiaritate dignatur: eos *individuos habens in comitatu, in diſciplinatu, in convictu*. In comitatu & convictu Chriſti, tres illi Apoſtoli eadem prærogativa potiti ſunt. Dubius tamen Chryſoſtomus aſſeverat, Jacobum & Joannem etiam præ Petro honoratos à Chriſto, & ob hanc cauſam primas ſedes in regno ſuo per os matris audacter poſtularunt: *Cùm viderent ſe ante alios à Chriſto honorari, crediderunt hanc à Deo petitionem impetrare.*

Dion. Carth. in c. 7 Luc.

In Triſaglo.

Tert. lib. de Præſc. Hær. 22.

Hom. 66. in Matth.

Quilibet Apoſtolus quamdam habet prærogativam, in qua alios præcellit: Petrus primatu gaudet, & tanquam caput viſibile Eccleſiæ obtinet principatum; Andreas eſt vocatione primus, qui Petrum fratrem ad Chriſtum adduxit: Joannes eſt primus teneritudine dilectionis ſuper pectus Domini requieſcens: Jacobus Minor, cognomento Juſtus, *qui videbatur columna Eccleſiæ una contentus Hieroſolyma*, eſt primus in exercitio paſtorali: antequam enim alii proprias fundaſſent Eccleſias, Hieroſolimis Eccleſiam fundavit, & prudenter gubernavit. At Jacobus Major primus patriam ſuam reliquit, ut Chriſti prædicaret Evangelium; & ut fatur S. Vincentius Ferrerius, *fuit primus Apoſtolus, qui exercuit legationem Evangelicam.* Ex D. adhuc Ambroſio, *Iacobus primus ex Apoſtolis conſcendit ſacerdotale ſolium*: non quòd primus fuerit ſacerdos, ſed quia primus Martyr. Nam ut bellè animadvertit D. Antonius Paduanus: *Loquitur Ambroſius de ſolio ſacerdotij æterni, quia primus inter Apoſtolos occiſus eſt ab Herode.* Jacobus meritò inter primos Apoſtolos prædicatur, non primus in vocatione, neque in dignitatis pontificiæ apice, ſed primus inter Apoſtolos purpureo ſanguine laureatus. *Primus nec immeritò Petrus, quoniam ipſe prior claves regni cœlorum accepit: deinde eſt Ioannes, cui Virgo mater committitur ob privilegium virginitatis: Iacobus quoque, qui primus ex collegio Apoſtolorum ſolium ſacerdotale, proprio purpuratus ſanguine, & dealbatus in Chriſto, victor aſcendit.* Primatum igitur obtinet Jacobus ob conſummatam martyrii charitatem.

D. Bern. l. 2. de conſid. 8.

Serm. de S. Jacob

L. 9. in Luc.

Ser. 1. Quadrag.

Pbſc in c. 17 Matth.

3. *Dilectio Deum diligens ex totis viribus fuit, quibus in martyrio decertat; ex tota anima ſua, quam pro Deo ſuo ponit, hominem martyrem excudit.* Sanguinem ſuum pro Chriſto fundens Jacobus ex conſummata charitate, meritò nuncupatur Major. Nam ut ratiocinatur D. Bernardus: *Quantitas cujuſque animæ æſtimatur de menſura charitatis quam habet, ut*

Tert. Scorp. 6

Serm. 27. in Cant.

 qua

quæ multum habet charitatis magna ſit; quæ parum, parva; quæ verò nihil, nihil dicente Apoſtolo: Si charitatem non habuero, nihil ſum. Magna ſanè martyris anima, ex magna Dei charitate ſanguinem fundentis, dicente dilecto diſci-
Joan 15. pulo; (Majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.) Tanta eſt martyrii dignitas, ut olim plures Chriſtiani, graſſante perſecutione fugerent, ſeſeque intra latibula abſconderent, non quòd mortem & ſupplicia timerent, ſed quia palmâ martyrii ſe exiſtimarent in-
S. Eulogius. dignos. *Ideo martyrium fugimus, non quòd timemus mortem, quæ quandoque ventura eſt, ſed quia indigni ſumus martyrio, quod quibuſdam, non omnibus datum eſt.* Tanto honore digni habiti ſunt à Chriſto Jacobus & Jo-
D. Ambr. l. 5 de Fid. 2. annes, quibus primas ſedes in regno poſtulantibus *donavit hæreditatem crucis.*

Philippus Auguſtus Francorum Rex, cum Othone Imperatore præliaturus, ut milites ſuos ad fortiter præliandum incitaret, generoſiſſimum vinum eis ebibendum propinavit. Chriſtus Dominus cum morte præliaturus, æternum Patrem ſic deprecatur: *Tranſeat à me calix iſte*; id eſt à me ad diſcipulos, ad martyres tranſeat: ex illo primùm bibam, bibant deinde & ipſi. Calicem paſſionis non exhauſit Chriſtus, ſed diſcipulis & martyribus exſorbendum reliquit. Calicem illum, cunctis in univerſum offert marty-
Matth. 20. ribus, ſed ſpecialiter illum Jacobo & Joanni porrigit. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* In illo calice biberunt Apoſtoli; ſed ſex circumſtantiæ, quæ comitantur potionem Jacobi, ejus magnitudinem probè denotant. Prima eſt promptitudo, qua oblatum calicem, quamtumvis acerbum, acceptavit. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Quaſi diceret: Poteſtiſne pati & mori, ſicut ego paſſurus & moriturus ſum? Numquam mecum in cœlo regnabitis, niſi priùs in terra mecum patiamini. Cui
Hom. 66. in Matth. mox Jacobus nullâ interpoſitâ morâ reſpondet: *Poſſumus.* Secunda, patiendi ardor. Ut enim perfectè ait Imperfectus, *Statim ab initio rerum, tanto ardore concaluit, ut humanis omnino neglectis, ad tantam ſublimitatem aſcenderet, ut à perſecutoribus confeſtim occiſus ſit.* Tertia, martyrii prioritas: Jacobus namque Apoſtolorum primus, pro religione ſanguinem fudit, primus in arenam proſiliit, manus cum hoſte conſeruit, Chriſtianæque phalangis prin-
In c. 2 Matt. cipatum ſibi acquiſivit. Et ob hanc rationem, ait Theophilactus, *fecit eum Dominus principem ſuper legiones Apoſtolorum.* Primus in aliquo ordine vel facinore; eximio inſigniendus eſt honore: Jacobus veneratur in Andrea primatum vocationis; in Petro primatum poteſtatis; in Joanne primatum familiaritatis; in Jacobo minori, primatum ſacerdotalis dignitatis; at ſibi vindicat primatum per martyrium conſummatæ charitatis, inter Apoſtolos protomartyr. Quarta, exemplum martyrii, quod aliis præbuit Apoſtolis. Ma-
L. 2 de Iacob. 10. chabæi Eleazari fortitudinem multum commendat D. Ambroſius, qui *moriendo in tormentis, factus eſt cæteris magiſterium perſeverantiæ.* Non ſolùm magiſter extitit, ſed magiſterium præbuit; nam moriens primus, præcepta tradidit, quæ fratres poſſent alios edocere: Non diſſimiliter Jacobus primus inter

inter Apoſtolus martyrium ſubiens, cæteris ſuſtinendi martyrii præbuit magiſterium. Quinta, martyrii locus: nam Hieroſolymis fuit decollatus, & ab iiſdem poſtulatus ad mortem, qui ad Salvatoris necem conſpiraverant. *Iudæi illo ſpiritu ebrij, quo dudum clamabant: Crucifige, crucifige, in necem ſacri teſtis incumbunt. Beatus, qui cœleſtis illius agonis, proximo pediſſequus intervallo, reliquias excipere furoris illius emeruit, quo paulò antè ſæviente mundo Salvator occubuit.* Loquitur Euſebius de Stephano protomartyre, Jeroſolymis lapidato ab eiſdem Judæis, à quibus Chriſtus fuerat crucifixus. Et ut ab iiſdem decollaretur Apoſtolorum protomartyr, ſuoque Domino magis aſſimilaretur, Deus *idcirco occidi permiſit ab Herode etiam principem Iacobum.* Sexta tandem, martyrii tempus Ex D. namque Antonino Archiepiſcopo Florentino ſententia Herodis Jacobus decollatus eſt, *Anno uno integro revoluto poſt paſſionem Chriſti*, ſcilicet, ut cujus in geſtis gerebat imaginem, in obitus tempore conformaretur, & velut alter Chriſtus moriens, Eccleſiam quam vivens ornaverat, ſua adhuc morte decoraret; tanquam decus ejus venuſtiſſimum, & Hiſpaniam illuſtraret, velut ſidus ejus fulgidiſſimum.

Euſeb Emiſ Hom de S. Stephano
Imperf Hō. 66 in Matth.
3 p tit 6 c 7.

Per duodecim gemmas in tunica ſacerdotali Aaronis, duodecim figuratos Apoſtolos cenſet Tertullianus. Ex D. Auguſtino (per duodecim portas civitatis, intelliguntur duodecim Apoſtoli, qui ideo dicuntur portæ, quia æternæ vitæ, per doctrinam ſuam, januam pandunt.) Eoſdem denotatos docet dilectus diſcipulus per duodecim lapides pretioſos, quibus tanquam fundamentis cœleſtis innititur Hieruſalem: [Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis nomina duodecim Apoſtolorum agni. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum, Jaſpis: ſecundum, Sapphirus: tertium, Chalcedonius. Per Chalcedonium autem exiſtimat V. Beda ſignificatum Apoſtolum Jacobum. Et meritò, quia ei illuſtres competunt Chalcedonii proprietates, qui 1. ut vult V. Beda, *habet fulgorem ſub dio, non in domo.* 2. Ut ait Berchorius, *Iſte lapis calefactus, paleas attrahit.* Tandem ad collum geſtatus, omnes difficultates ſuperat, diabolicas illuſiones fugat, virtuteſque conſervat. *Perforatus & portatus facit vincere cauſas, reſiſtit illuſionibus dæmonum, & virtutes conſervat.* Tres illas Chalcedonii proprietates habet Jacobus, qui à ſua domo diſcedens, & in Hiſpaniam progrediens, Hiſpanos 1. illuminat: 2. Deiparæ devotione ſufflammat. 3 ab infidelibus propugnat.

II PARS.
Ter l 4 adv Marc 14.
Hom 18 in Apocal.
Apocal 21
In Rod l 10 c 59.
Vincē Bella lib 26 ſpect. Hiſt. 98.

1. Mittuntur Apoſtoli in orbem terræ, *ut gemma, illuminaturi.* Ut autem ſubjungit V. Beda: *Iacobus domi quidem non videbatur habere ſplendorem, quia piſcator erat: ſed ubi ad prædicandum exijt, mirè mundum doctrina illuſtravit.* Chriſtus Sol juſtitiæ & vera lux, [Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.] & Jacobus à certo quodam auctore nuncupatur *Sol illuminans tenebras.* Et meritò Sol vocitatur Apoſtolus, quia homines ab Oriente ad Occidentem, à Iudæa ad Hiſpaniam uſque illuminavit, cœleſtiſque lucis participes reddidit. D. Antonino Florentino teſte, Iacobus *poſt adventum Spiritus ſancti ad Hiſpaniam acceſſit ad prædicandum.* Chriſtus Dominus

Tert. ibid.
Ioan 10.
Apud Sanct. tract 3 c 23 de Prædicat. 11

minus Hebræis, & interdum Gentilibus prædicans, non multos ex illis adduxit ad fidem; totum autem orbem diſcipulorum miniſterio convertit. Nam *miſſi Apoſtoli orbem terrarum Evangelio repleverunt*. Ut enim animadvertit D. Ambroſius, *Illuſtres præſtantioreſque viri diſcipulorum certaminibus magis, quàm ſuis vincunt*. Quemadmodum autem *majora operatus eſt Chriſtus, majora locutus eſt per diſcipulos*, quàm per ſemetipſum; ita ex Monopolitano Epiſcopo Jacobus, Gentiles (quos vivus convertere non valuit, mortuus divino convertit miraculo: in hoc Chriſto Domino aſſimilatus, qui per duodecim Apoſtolos totum orbem ad fidem adduxit; ita Apoſtolus Jacobus per novem diſcipulos totam Hiſpaniam illuminavit & convertit.) Apoſtoli ſunt Eccleſiæ fundamenta, quia *ſicut fundamentum in primo loco ædificij ponitur, ita per eos primitùs religio Chriſtiana initium ſumpſit: per eos fides novella ſurrexit, & quaſi ſupra molem ſolidam vaſta firmitate conſedit: ut intelligamus, quanta eos debemus veneratione extollere, in quibus videmus Eccleſiæ fundamenta conſiſtere*. Jacobus Apoſtolus in Hiſpania fundator Eccleſiæ, meritò ab Iberis veneratur, præſertim cùm à ſuo patrono magnum mutuetur ſplendorem. Illuſtris profectò eſt Hiſpania ob auri, argenti, & gemmarum abundantiam; ob magnam dominationis latitudinem, ſed multò illuſtrior ob B. Jacobi patrocinium. Inde exclamat B. Thomas à Villa-Nova: *Quanta gloria veſtra Hiſpania, quantus favor à Deo talem recepiſſe patronum, unum ex tribus chariſſimis Dei*. Qui, ut ait ſupra laudatus V. Beda, etiam *poſt mortem, illuminavit Hiſpaniam reliquijs ſancti corporis ſui, & fide ac pietate, quam illi impetravit*. Quod de Jacobo magni faciendum cenſeo, illud eſt, quòd Hiſpaniam primùm per ſe perambulans & prædicans, quam ſemel illa recepit lucem, non deſeruit: alii Apoſtoli licèt admiranda virtute, & prodigiis, unuſquiſque quam ſortitus fuerat provinciam, ad fidem convertiſſet, tamen non multo pòſt tempore ad cultum dæmonum ſe convertit; at Hiſpania poſtquam ſemel recepit fidem, ab ea non diſceſſit; Sed qui erant tenebræ, facti ſunt lux in Domino, ut filii lucis ambulantes;) & Deiparæ devotionem conſervantes, qua æſtuans Jacobus, eadem Hiſpaniam ſufflammavit.

D. Aug. l. 10 Civ. 39.
L. 1. Off. 41.
D. Chryſoſt Hom 10. in Ep ad Rom.
Tom. 4.
D. Aug. Ser. 5 de Dedic. Eccleſ.
Serm. de S. Jacob.
Ioan Lobb. Epiſc. Monop.

2. *Lumina lapillorum, quibus monilia variantur*, lucent, ſed non ardent; illuminant, ſed non ſufflammant: in quo à Sole diſcriminantur, qui lucet & ardet, illuminat & ſufflammat. *Sol enim corpus, ſiquidem ignis*. Apoſtoli ſunt gemmæ: & ut fatur D. Auguſtinus, *adornamenta Eccleſiæ*: Sunt enim Soles, quos Chriſtus Dominus *ſicut luminaria, & artaverat verbo, & accenderat Spiritu ſancto*. Itaque lucebant luce veritatis, & *igne charitatis ardebant*, alioſque luce veritatis illuſtrabant, & ardore charitatis ſufflammabant. Luminaria illa *ardentia igne divino, totam ſilvam mundi, accenſam fervere ſpiritus, & lumine veritatis impleverunt*. Ob lucem qua illuſtrarunt orbem, appellantur à D. Auguſtino *luminaria in firmamento cœli, verbum vitæ habentia*; & ob charitatem qua ſufflammarunt, mundum vocitantur adhuc ab Hipponenſi Anti-

Ter. lib 1 de Cult. fœ. 8.
Tert. lib de An. 8.
Serm. 5. in Dedic Eccl.
D Aug l. 11. Civ. 50.
D Auguſt in Pſal. 30.
Lib. 13 Conf 19.

Antiſtite, *ignes ſancti, ignes decori.* B. Jacobus fuit lucens & ardens, illuminans, & ſufflammans; Sol, & ignis; luce veritatis illuminatus, Hiſpaniam illuminavit; igne charitatis ſuccenſus, eamdem ſufflammavit, Deiparæque devotione æſtuans, ad venerandam Dei Genitricem; ſuo exemplo incitavit. Primum namque templum ſeu oratorium B. Virgini dicatum B. Jacobus Cæſarauguſtæ erexit, cui ſuper columnam apparens ſanctiſſima Virgo adhuc carne mortali vivens, ait: *Erit pilare iſtud in loco iſto uſque ad finem mundi, & Chriſtum colentes in hac urbe, non deficient.* Apparitionem illam tanquam certam, fanumque à D. Jacobo extructum refert Lucius Dexter. Idipſum aſſeverat Callixtus II in Bulla edita Kalendis Octobris, relata in libro, qui intitulatur, *Apoſtoli Mariani*; in qua ſic loquitur Summus Pontifex: *Eccleſia prima inter cæteras ſub vocabulo B. Mariæ, in qua dicta B. Maria, antequam ad cœlos aſſumeretur, B. Iacobo majori in columna apparuit.* Mox ſubjungit: *Chriſti fideles magna devotione ac veneratione imaginem ejuſdem B. Mariæ & ejus Filij, in quadam capella ejuſdem Eccleſiæ (quæ de mandato dictæ B. Mariæ, per dictum B. Iacobum fabricata, & camera angelica Dei Genitricis* del pilar, *nuncupatur, extitit) colunt & venerantur, & cum maxima devotione viſitare non ceſſant.* Multum ſanè addicta debet eſſe Hiſpania B. Jacobo, qui eam luce fidei & veritatis illuſtravit, ad Deiparæ devotionem ſufflammavit, & adverſus infideles propugnavit.

Thomas Fraces de Barutigord in ſanct. Apoſt. Seraph. Coc pro S Iacob.

Ann. 37.

Ann. 1456.

Cap. 5 de templo aurea.

3. *Cœli ambitus nunc ſub nubilo ſordidus* formatur nubes ex terræ exhalationibus, & aquæ vaporibus, à Sole ad mediam aëris regionem elevatis & condenſatis. *Vides autem nubem in cœlo nebuloſam, obſcuram, & habet intus neſcio quid latens.* Quatuor ſunt proles, quibus gravidatur nubes, nimirum pluvia, fulgor, tonitruum, & fulgur. 1. Pluvia, *aut imbres ruunt*, ait Tertullianus. 2. Fulgor: nam ut ſubjungit D. Auguſtinus, ſi quod intus latitat, *coruſcet de nube, emicat ſplendor.* 3. Tonitruum. Ut enim fatur Tertullianus, Gentiles redarguens: *Vani erunt homines, niſi certi ſint à primordio, & pluvias de cœlo ruiſſe, & tonitrua mugiſſe.* Tandem 4. Fulgur: interdum enim erunt *miſſilia cum imbribus*; nimirum fulmina. Ut autem Ethnicis objicit Tertullianus, conſtat *ipſum Iovem, quæ in manu ejus ponitis fulmina, timuiſſe.* Hæc omnia tribus verbis declarat D. Auguſtinus; *Intus eſt quod tonat, fulgurat, coruſcat.* Si quæramus à D. Auguſtino: *Quæ ſunt nubes Dei?* Reſpondebit: *Apoſtoli ejus*, producentes quatuor memoratas nubis proles ſunt. 1. *Nubes propter pluviam & ubertatem:* 2. Nubes propter fulgorem, *de quibus Deus coruſcabat miracula.* 3. Nubes propter tonitruum: *Per hos enim cælorum fabricator intonuit, quo tonitruo mundus tremuit.* Tandem 4. Nubes propter fulgur, nam *erat in illis quod fulguraret.*

Tert. lib. de Pall. 2.

D. Auguſt. in Pſal 96.

L. de Pall. 2.

Apolog 11.

Tert lib. de Pall. 2.

Apolog. 11.

In Pſ 45.

D Aug ſer. 30 de temp.

D. Aug in Pſal 96.

D Aug ibid

B. Jacobus *nubes erat*: Tum quia imbrem ſui ſanguinis emiſit, quo Eccleſiam irrigabat & fœcundabat: Tum quia *ſplendor miraculi coruſcatio erat*; dum ad ſupplicium ducebatur, paraliticum ſanans: Tum quia tanquam Boanerges, ſeu filius tonitrui, tonans, & alta voce prædicans,

dicans, Joſiam ſcribam, qui primus in eum irrepſerat, luce veritatis illu-
ſtravit; Philetum diſputando ab errore ad veritatem avocavit; Hermoge-
nem à poteſtate dæmonum liberavit. Tum quia velut fulgur infideles pro-
Tert lib. 2. fligavit. *Ignis per fulgura proficiſcitur.* Jacobus ignem quo æſtuabat, de-
ad Nat. 2. monſtrare voluit non ſolùm per fulgura erga Samaritanos, rogans Domi-
num, ut ad eorum inurbanitatem puniendam fulgur de cœlo mitteret; ſed
Tert lib. 2. de facto fulgurans in Mauros, & Hiſpaniam adverſus eos propugnans: &
ad Nat 14 ſicut *fulmine hauſti* ſunt ſexcenti Saraceni, templi ſancti Michaëlis in monte
Surius. Gorgano invaſores, *E cœlo fulgura dimiſſa ſexcentos Saracenos obruerunt*, Ita
Anno 1045 B. Jacobus, in favorem & ſubſidium Ferdinandi I. innumeros diſſipavit Sa-
racenos, urbem Conimbriæ violenter & tyrannicè occupantes.

Tert Apol Romanis contra hoſtes dubio Marte prælïantibus, Caſtor & Pollux
10. *apparentes de cœlo ſuperveniſſe dicuntur*, & candidis equis vecti pro Romanis
pugnantes, victoriam eis acquiſierunt. Hiſpaniam Mauri ſuæ tyrannidi
ſubjecerant, & Caſtellæ regi immane centum virginum tributum ſingulis
annis ſolvendum impoſuerant: Ramirus Rex ut regnum à probroſo illo
tributo eximeret, exercitum compoſuit, & imparibus copiis cum Mauris
dimicans, victus fuit; cui nocte ſubſequenti apparens B. Jacobus, Bono,
inquit, eſto animo, cras renova cum hoſtibus prælium, de quibus repor-
tabis victoriam: His verbis conſolatus Ramirus, ſuos ad confeſſionem &
communionem hortans, & in Apoſtoli confidens præſidio, init prælium,
neque ſua fuit fiducia fruſtratus: nam à prælii exordio, elapſus de cœlo
Apoſtolus, alboque equo vectus, cœleſte ferrum rotans, & in Mauros vi-
Anno 834. brans, glorioſam de illis retulit victoriam, cæſis ſexaginta mille Mauris,
urbe Calahorra capta, pluribuſque aliis urbibus & oppidis, regno Caſtellæ
ſubditis. Inde cœperunt Hiſpani in ſuis implorare præliis nomen & pa-
trocinium B. Jacobi, quem ſæpe ſæpiùs tum in Europa adverſus Mauros,
tum in India adverſus Barbaros propitium experti ſunt. Inſuper victor
exercitus univerſam Hiſpaniam voto obſtrinxit, ut ex ſingulis agri, vi-
neæque jugeris, Compoſtellano templo, corporis B. Jacobi cuſtodia
celeberrimo, frumenti modium, aut vini amphoram quotannis omnes
penderent.

Bellum non eodem ſemper modo committitur. Interdum inimicos
aggrediendo, interdum hoſtibus reſiſtendo. Ad aggrediendos hoſtes gla-
dius & lancea requiruntur; ad reſiſtendum inimicis clypeus neceſſarius
eſt: B. Jacobus tanquam Hiſpaniæ Sol, Iberis ſubminiſtrat lanceam &
clypeum, queis aggrediantur hoſtes, eiſque reſiſtere valeant. Multo-
ties illos aggreſſi & debellati ſunt *Solis lancea*: ſæpe ſæpius etiam illis
Tert lib de reſtiterunt: *Habentes Solem utique in ſuo clypeo.* Et ut in futurum lancea
Pud 6 & clypeo B. Jacobi munirentur Hiſpani adverſus infideles, inſtitutus eſt
Tert Apol ordo militaris Equitum S. Jacobi., cujus origo ad Ramirum Caſtellæ Re-
16. gem infertur, ſub quo ad Clavigium commiſſo prælio, auſpiciis S. Jacobi
Apoſtoli præſentis in equo candido, niveum vexillum, rubræ crucis fi-

gura

gura diſtinctum, de innumerabili Barbarorum multitudine triumphavit. Equites S. Jacobi *Crucigeri* nuncupati, inter Ordines militares Hiſpaniæ primum obtinent locum: quibus ab Alexandro III. Pontifice Maximo, vivendi ratio, ſub D. Auguſtini regula præſcripta eſt, & optimis ſtabilita inſtitutis, votoque ſingulari obligantur, ad Mauros Saracenoſque ex Hiſpania fugandos, eorumque ſervitute eximendos Chriſtianos: Ex toto autem Ordine debent ad bella progredi, trecenti equites, religionem profeſſi, omnes rubra cruce inſigniti, quæ eſt inſigne militiæ chriſtianæ, & ſignum, in quo vincuntur Chriſti hoſtes. S. Jacobi equites ſic alloquitur Thomas à Villa Nova: *Cùm aliqua religiones ſint inſtituta ad hoſpitium peregrinorum, alia ad redemptionem captivorum, alia ad exemplum hominum, alia ad vacandum contemplationi; veſter Ordo conſtitutus eſt ad defenſionem fidei: O fœlix militia, qua ſemper fuit victorioſa, omnibus inſuperabilis: Nam ſi vincit, quanta gloria; ſi vincitur, eſt victoria.* Anno 1175 Serm de S. Iacob.

Verùm quamtumvis Hiſpani ſub protectione ſint B. Jacobi, ejuſque in ſuis præliis invocent auxilium, ſæpe ſæpiùs adverſo marte præliantur. Siniſtri illi caſus eveniunt, non ex impotentia B. Jacobi, cujus nomen eſt ſemper hoſtibus formidabile, ſed ex Hiſpanorum iniquitate, qui ſuis ſceleribus ſe Apoſtoli protectione indignos præbent. Idem illis accidere ſolet, quod Hebræis à Philiſthæis profligatis, & poſt ſtragem inter ſe conſulentibus: (Quare percuſſit nos Dominus hodie coram Philiſthæis?) Id eſt, ut explicat Abulenſis; *Numquid eſt aliqua iniquitas in nobis quare hoc acciderit? Sciebant enim, quòd quando ipſi peccabant, Deus tradebat eos in manus hoſtium, ut patet ex proceſſu libri Iudicum.* Idcirco decreverunt afferre arcam Domini de Silo, in caſtra, ut ſalvaret eos de manu inimicorum ſuorum, quia ut animadvertit Liranus, *Propter ejus abſentiam credebant ſe ſuperatos fuiſſe*, non curantes de pœnitentia, neque de contritione & lachrymis tot ſcelerum quæ commiſerant, certam ſibi promittebant victoriam, ſi ſecum præſentem haberent arcam: *ſed illa confidentia erat falſa, quia erat ſine meritis*: imo cum atrociſſimis eorum demeritis, quæ eos præſtabant dignos, non Dei protectione, ſed ultione: Deportata tamen arca de Silo, in caſtra: *Vociferatus eſt Iſraël clamore grandi, & perſonuit terra*; quaſi arcæ præſentia eos protegeret, & de hoſtibus victores redderet. Verùm contrarium accidit, tantum enim abeſt, ut Hebræi vicerint Philiſtæos, quinimo à Philiſtæis ſuperati & profligati ſunt, etiam arca præſente; ſiquiden (cæſus eſt Iſraël, & fugit unuſquiſque in tabernaculum ſuum, & facta eſt plaga magna nimis, & ceciderunt de Iſraël triginta millia peditum, & arca Dei capta eſt.) Et hoc juſto Dei judicio, quia divina mandata tranſgredientes, ſceleroſè viventes, neque ab arca, neque à Deo merebantur protegi. *Nam Moyſes Hebræos docuit, ut legitimè viventes, in Dei confiderent providentia: legem autem tranſgredientes, neque in ipſa, neque in arca confiderent.* Hebræis ſimiles Hiſpani, ſuis facinoribus Deum ad iracundiam provocantes, cum inimicis ineunt prælium, B. Jacobi auxilium Lib. 1 Reg. 4 Quæſt. 4. Liranus Theodoret.

xilium grandi clamore implorant, ſed fruſtra, quia B. Apoſtolus Celtiberos docuit legem Domini obſervatores, de ſuis hoſtibus victores futuros, tranſgreſſores verò fruſtra confidere in Dei providentia, & in ſua protectione, quam tamen experiuntur peregrini, ad ſepulchrum ejus velut ad refugium certiſſimum properantes.

III PARS. *Sed tu peregrinus mundi hujus*, & in hoc pœnam originalis culpæ.
Tert. lib. de cor. mil. 12. Quando homo innocentiæ ſervavit ſtatum, totius fuit civis & incola mundi. *Primo homini totus mundus patria eſt, primus homo totius mundi incola, opus*
D. Ambr. Ep. 42. *Dei recens, confabulator aſſiduus, civis Sanctorum, præpoſitus omnibus.* At homo peccando, tot amittens privilegia, privatus eſt Dei familiaritate, aſſidua Angelorum confabulatione, imperio in feras & elementa. *Pellitus*
Tert. lib. de Pall. 3. *orbi ut metallo datur*, & quod eſt deflendum magis, Adami nepotes ſicut criminis, ita pœnæ illius participes ſunt. Quod probè ſcientes Patriarchæ, Prophetæ, aliique Sancti veteris Teſtamenti confitentur, *quia peregrini &*
Hebr. 11. *hoſpites ſunt ſuper terram*: & Princeps Apoſtolorum Petrus, ut Chriſtianos à carnalibus deſideriis dimoveat, non alia utitur ratione, niſi quia peregrini ſunt ſuper terram. *Obſecro vos tanquam advenas & peregrinos, abſti-*
1 Petri 2. *nere vos à carnalibus deſideriis.* Hæc conſideratio non ſolùm arcet à vitiis,
In Matth. ſed etiam ad virtutes inducit. Nam ut perfectè ait Imperfectus, *Prima virtus eſt, imo tota virtus, peregrinum eſſe, & hoſpitem ſuper terram.* Hoſpes hoſpitii, quamtumvis amœni, amore non capitur, quia paucis dumtaxat horis in illo degit, nullam ſibi rerum arrogat proprietatem; quia ad uſum & non ad dominium illi conceſſæ ſunt; non ſe negotiis immiſcet diu duraturis, quæ ob moræ brevitatem non poteſt ad finem perducere; nullas contrahit amicitias, quæ tam parvo tempore iniri nequeunt, non ſe ponderibus ſuperfluis onerat, ne ſit ad iter agendum impeditus: & ut ait D. Ber-
Serm. 1 in Cap. Jejun. nardus: *Peregrinus via regia incedit, non declinat ad dexteram, neque ad ſiniſtram; ſi forte jurgantes viderit, non attendit; ſi nuptias vel choros ducentes, nihilominus tranſit, quia peregrinus eſt, & non pertinet ad eum de talibus: ad patriam ſuſpirat, ad patriam tendit, veſtimentum & victum habens, non vult aliis*
Pſ. 38. *onerari.* *Beatus planè qui ſuum ſic agnoſcit incolatum, dicens Domino*: Advena ego ſum apud te & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Seſe peregrinos
Tert. Apol. 21. exiſtimantes Apoſtoli, *ad officium prædicandi per orbem progreſſi ſunt.* Inter quos primus Jacobus de patrio ſolo egrediens, in Hiſpaniam ſe contulit, ut regionem illam Evangelium doceret, & in Judæam rediens, Chriſtianam religionem veram ſuſtinens, ab Herode capite truncatus eſt, ejuſque corpus eſt 1. Compoſtellam miraculosè delatum: 2. ibi honorificè tumulatum: 3. à peregrinis religiosè veneratum.

Tert. ibid. Suſcitato divina virtute Domino, Judæi corpus ejus *ſubreptum à diſcipulis jactitaverunt*; ſed falsò; nam *die tertia, concuſſa repente petra, & mole*
Tert. ibid. *revoluta quæ obſtruxerat ſepulchrum, & cuſtodia pavore disjecta, nullis apparentibus diſcipulis, nihil in ſepulchro repertum eſt, præterquam exuviæ ſepulchri.* Quod falsò de Chriſti diſcipulis teſtantur Judæi, id verè de B. Jacobi diſci-

pulis

pulis aſſeverat Petrus de Natalibus, Epiſcopus Equilinus. (Decollato igitur Jacobo, diſcipuli ejus nocte corpus navi impoſuerunt, & ſepulchrum ejus divinæ providentiæ committentes, navim ſine remigio conſcenderunt, & Angelo duce, in Galleciam, in regno Lupæ Reginæ applicaverunt.) Idipſum affirmat D. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus. (Diſcipuli Jacobi nocte corpus ejus rapientes, illud deferentes ad maris littus, naviculam invenerunt paratam divinitùs, quam aſcendentes cum eo, ſe committentes divino gubernaculo, ad Hiſpaniæ oram applicuêre. Primò autem adierunt Principiſſam hujus patriæ, nomine Lupam, pro ſepulchro obtinendo Apoſtolo honorifico; quæ quæſivit doloſè variis modis eos perdere, ſed viſis circa hoc miraculis credidit.) 1 p tit 6 c 7.

Jacob Patriarcha hanc à Joſepho filio ſuo etiam jurejurando poſtulavit gratiam: *Facias mihi miſericordiam & veritatem, ut non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac.* In peregrina terra mortuus Jacob Patriarcha, in patrio ſolo ſepeliri voluit: Jacobus econtra Apoſtolus in ſua patria mortuus, in regione extranea ſepultus eſt: non ex odio Judææ, ad inſtar Scipionis adverſus Romam indignantis, & dicentis: *Ingrata patria oſſa mea non poſſidebis*: ſed alia, eaque multiplici ratione. 1. Ut qui vivens fuerat peregrinus, peregrinorum more ſepeliretur. 2. Ut ſiniſtram ſedem in regno Chriſti, quam poſtulaverat vivens, mortuus obtineret. *Ad minus in hoc regno cœlorum, id eſt, Eccleſia, petitionem illorum impletam videmus: nam Ioanni ſedes data fuit in Aſia, quæ ad dexteram eſt Ieruſalem, & Iacobo in Hiſpania, quæ eſt ad ſiniſtram partem.* 3. Conveniens erat, ut filius ſtellæ, in Campo Stellæ ſepeliretur: Jacobus autem eſt filius ſtellæ, nimirum Mariæ Salome; Maria enim ſtellam ſignificat, Compoſtella enim ex Antonio Feo idem eſt ac *Campus ſtellæ.* Idcirco, ut ſubjungit D. Antoninus, diſcipuli ejus corpus deferentes, *& Compoſtellam civitatem intrantes, in Eccleſia fabricata ad ejus honorem, honorificè ſepelierunt.* Vel 4. ut ait Joannes Oſorius, B. Jacobus *Hiſpaniam etiam ſacro ſuo corpore voluit honorare: ut vivens & moriens Hiſpaniæ eſſet.*

Gen 47

D Thom. à Villa Nov

Tract 2 de S. Iacob.

Paulo Æmilio Romæ fato functo, *Principes Macedoniæ, cùm legationis nomine Romæ morarentur, funebri lecto ſponte ſua ſeſe ſubjecerunt*: ſcilicet ut tanti ducis etiam poſt ejus mortem ſeſe ſubditos demonſtrarent, à quo vivente debellati & ſubjugati fuerant, dicentes: *Bis enim te Paule, Macedonia, illuſtrem oſtendit: incolumem, ſpoliis ſuis: fato functum, humeris.* B. Jacobus adhuc vivens, Hiſpaniam jugo Chriſti ſubjecerat, novem Hiſpanos ſuos diſcipulos effecerat, quorum duobus in Hiſpania, prædicandi Evangelii cauſa, relictis, ſeptem alios ſecum in Judæam adduxerat. Occiſo autem ab Herode B. Jacobo, ſeptem illi diſcipuli totam Hiſpaniam velut repræſentantes, & Apoſtoli corpus in ſepulchrum ſuis humeris portantes, idem dicere valebant, quod de Paulo Æmilio legati Macedones: *Bis te Iacobe, Hiſpania illuſtrem oſtendit; incolumem, ſpoliis ſuis; fato functum, humeris.* Hiſpania à te incolumi luce

Valer Max. l 2 c 1

veritatis illuſtrata, tibi debet obſequium; & modo fato functo, tuam fatetur dominationem, propriis humeris corpus tuum ad ſepulchrum deferens, in quo honorificè tumulatur.

Tert lib de Reſ 5. 2. *In monumentis corpora* mortuorum ſepeliuntur, quæ antiquitùs thure, myrrha, aliiſque pigmentis etiam à Chriſtianis, Tertulliano teſte, ungebantur. L. de Idol 11 *Eadem merces; thura dico, & cætera peregrinitatis ad ſacrificium idolorum, etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque inſuper ad ſolatia ſepulturæ uſui ſunt.* Neque ſolùm Veteres mortuorum corpora unguentis deliniebant, ſed etiam cum ipſis theſauros in ſepulchris condiebant. In Davidis *ſepulchro conditum* theſaurum adeo opulentum & pretioſum refert Tert l 4 adv Marc 4. Lib 15 Antiq c. 15 Joſephus, ut Hircanus illud aperiens, inde triginta millia talenta auri eduxerit, reliquum Herodi relinquens: B. Jacobus honorificè tumulatur, & in ſepulchro opulento & pretioſo ſepelitur. Non ſolum, ut vult Neotericus quidam, quia in Hiſpania, quæ interpretatur *pretioſa,* ſepelitur: nam Fidei Ser de S Iacob. cùm ſit *periturus & ipſe theſaurus*, de quo gloriatur Hiſpania, illo theſauro Tert lib de Reſ 44 non multùm ditatur Apoſtolus, ſed multò magis commendatur, & virtutibus, quibus vivens ſplenduit, & miraculis quibus coruſcat mortuus, quæ ſepulchrum ejus glorioſum reddunt.

Tert lib de Teſt An 4. Homines ſuperbia inflati *ipſorum ſepulchrorum ambitione* gloriam ſibi comparare moliuntur. Hac de cauſa immenſis ſumptibus Mauſolæa fabricant. Serm. 2 de B Iacob. Verùm, ut ait Doctor Seraphicus, [nullus unquam Regum habuit ſepulchrum ſic ab hominibus honoratum,] ac B Jacobus. Subjungit: (Patet, & ad ſenſum cernimus tota die, nullius Sancti ſepulchrum ſic eſt apud Iſa 11. homines glorioſum.) Cui aptat iſtud Iſaiæ: *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum.* Trina autem ratione B. Jacobi ſepulchrum glorioſum prædicat D. Bonaventura: Tum quia *in principio multis miraculis fabricatum*; nam dum primùm B. Jacobi corpus in Iriæ Flaviæ portum (quod eſt Galleciæ oppidum) appulit, ipſa rupes ſe expandens, & in ſepulchri formam effingens, ſanctum excepit cadaver; perſeveratque hodie eadem ſpecies ſepulchri: Tum quia *in medio magnis virtutibus adornatum.* De miraculis ad B. Jacobi ſepulchrum patratis ſic fatur Callixtus II. Pontifex Maximus: *Si mille haberem ora, milleque linguis præditus eſſem, non poſſem partem laudum Apoſtoli attingere, nec miracula ejus cuncta innumeris diebus recenſere.* Tum quia *multis privilegiis eſt dotatum*: ob quæ magno populi concurſu viſitatur, & religioſè veneratur.

Tert Apol 10. 3. Quanta fidelium multitudo accedit quotidie ad B. Jacobi ſepulchrum, *venerationis & honoris gratia*! Gregorius Nazianzenus aſſeverat, ad Baſilii Magni ſepulchrum certatim confluxiſſe atque irruiſſe populos, ut quidam ex nimia profuſione & compreſſione extincti fuerint, quos beatos, Epiſt 20. & *tanquam funebres defuncti victimas* vocitare non dubitat. At quis numerare valeat, quot centena peregrinorum millia, non uno duntaxat anno, ſed jam tot annorum centuriis, tot ſæculis, Compoſtellam, ex ultimis terræ finibus ad glorioſum B. Jacobi ſepulchrum excurrerint, ut B. Jacobo

ſuum

ſuum deferrent cultum, & theſauros ſpirituales lucrarentur, quibus opulenter ditantur, qui ex vera devotione Apoſtoli viſitant ſepulchrum. Ut enim ait ſupra relatus D. Antoninus Florentinus Antiſtes : *Stupenda exiſtit devotio fidelium infuſa mentibus, in viſitando limina ejus, quam etiam ſtatutum Eccleſia ita firmavit, ut nullus in hujuſmodi voto, citra Sedem Apoſtolicam valeat diſpenſare.* Inde concludit, quòd ſi Jacobus vivens minus fuit cæteris Apoſtolis honoratus, poſt mortem eſt cæteris multò magis veneratus. *Quod minus cæteris Apoſtolis illi in vita collatum ſit honoris & gloria à fidelibus propter brevitatem vita ejus : hoc, quaſi divina munificentia ſuppleverit ; poſt mortem ejus, pluſquam Apoſtolorum aliorum omnium viſitatis, & honoratis reliquiis.*

Beatum exiſtimat D. Bernardus ſuum Claravallenſe monaſterium, quòd in eo ſepultus ſit B. Malachias Hiberniæ primas. *Magnificavit enim Dominus facere nobiſcum, cùm locum noſtrum dignatus eſt beata mortis ejus honorare præſentia ; & pretioſiſſimo corporis ejus locupletare theſauro. Nec moleſtum ſit vobis, quòd apud nos habeat ſepulturam : quando ſic ordinavit Deus, ſecundùm multitudinem miſericordia ſua, ut vos eum vivum haberetis, nobis habere liceat vel defunctum.* Quantum à fortiori recognoſcere debet Hiſpania erga ipſam Dei miſerationem, quòd ei B. Jacobum dederit viventem, & mortuum ? Viventem in Apoſtolum, qui eam luce veritatis illuſtravit ; mortuum, in depoſitum, & theſaurum, quo longè ditior & opulentior effecta eſt, quàm omnibus aurifodinis, & gemmis Peruanis, quæ illam non mediocriter locupletarunt. Magnum agnoſcit Procopius diſcrimen inter Moyſem & cæteros Hebræos. Hi quia *carnalia ſectabantur, juſſi ſunt mutuò accipere aurea & argentea vaſa : Moyſes verò elegit viri juſti oſſa, qua præfert immenſis Ægyptiorum theſauris.* Hebræi de Ægypto exeuntes, totum ſuum adhibuerunt ſtudium, ut ſecum auri & argenti aſportarent copiam : Moyſes verò nihil aliud curavit, quàm ſecum deferre oſſa Joſeph, qui fuerat ſupremus Ægypti præfectus. Per Hebræos & Moyſem duo Hiſpanorum denotantur genera. Nonnulli toti ſunt in accumulandis terrenis divitiis ; alii addicti ſunt B. Jacobi reliquiis, quas totius mundi præferunt theſauris. Oſſa Joſeph fuêre Iſraëlitis clypeus protegens eos à telis inimicorum. Sicut autem Moyſes hoſtium telis non alia oppoſuit arma, quàm Patriarchæ cineres, ita Hiſpania Saracenorum & Maurorum telis, non alia oppoſuit arma, quàm B. Jacobi oſſa. Gregorius Nazianzenus Conſtantinopolitanus templum ſic ſalutat : *Vale, communis victoria ſedes* Quantum à fortiori templum Compoſtellanum, in quo aſſervantur S. Jacobi reliquiæ, debet ſalutari velut communis victoriæ ſedes ; per ſacra namque Apoſtoli oſſa, plures de infidelibus retulit Hiſpania victorias ?

Epiſt. 371.

In Exod. 13.

Joſue ſtrenuiſſimo Hebræorum duce ſatofuncto Iſraëlitæ *ſepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſua in Thamnaſſere, qua eſt ſita in monte Ephraim.* At cur Joſue in ultimis tribus ſuæ finibus ſepelitur ? Quia ſcilicet ex altera parte morabantur Moabitæ infenſiſſimi Iſraëlitarum hoſtes : qui Joſue 24.

ab

ab inferendo bello Hebræis terrentur, ſcientes in confiliis ſepultum eſſe Joſue, quem etiam mortuum formidare debent, cùm vivum toties victorem experti ſint: ſimiliter B Jacobi corpus ſepultum eſt Compoſtellæ in ultimis Hiſpaniæ terminis, juxta Maurorum confinia, ut ejus oſſa incutiant infidelibus terrorem, & ſint velut arx validiſſima adverſus omnes Maurorum inſultus.

Quantò majora ſint beneficia, quæ per B. Jacobum accepit, & quotidie accipit Hiſpania, tantò majora tenentur Hiſpani præſtare gratitudinis monumenta. Cuncti etiam fideles debent venerari Apoſtolum, quem Deus glorioſum reddit in terra, & in cœlo immortali fœlicitate coronat. Nam, ut ait Doctor Seraphicus,[nullum eſſe dubium, quòd ille, qui ſic voluit eum honorare in via, donis etiam ampliſſimis eum ſublimaverit in patria, qui tot beneficia præſtat ad ejus oſſa, & oſtendit cunctis tam ampla miracula, quanta ei contulit in cœlo præmia ſive dona?] B. Jacobus regnat in patria, quia

D Aug l de Ver Innoc c 17. in via extitit peregrinus: *Omnis qui ad ſupernam patriam pertinet, peregrinus eſt mundi*; in mundo tanquam peregrinus vivit, alienus à ſæculi cupiditatibus, & per viam virtutis ambulans, ad ſupernam patriam tendit.

CONCIO SECUNDA.

Tert lib de Pall, Eccleſ 31 MULIER præſertim pulchritudine decora *emititiis oculis*, homines vel terret, vel ad ſe allicit, ſuoque imperio ſubjicit. Oculi Domini *multò plus lucidiores ſunt ſuper terram*, majorique pollent virtute, tum ad terrendum, tum ad alliciendum, tum ad ſubjiciendum, quos ſuis dignantur aſpe-

Sueton in Auguſt. ctibus. Auguſtus *oculos habuit claros & nitidos, quibus etiam exiſtimari volebat, ineſſe quoddam divini vigoris*, quod ad modum fulguris terreret animos, & ad modum fulgoris alliceret. Quod de Auguſto adulatoriè Suetonius, id verè de Chriſto aſſeverat D. Hieronymus. *Igneum quiddam atque ſidereum radi-*

In cap 21 Matth. *tabat ex oculis ejus, & Divinitatis majeſtas radiabat in facie.* Igneum quidem, quòd terreret improbos, & ad ſe pertraheret etiam averſos. Igneum, quòd incutiat timorem; ſidereum, quòd conciliet amorem: Igneum, quòd avertat à malo; ſidereum, quòd convertat ad bonum. In Chriſto Domino duæ ſunt naturæ, divina ſcilicet & humana. Duplex eſt etiam aſpectus: intrinſecus unus, quo oculo Divinitatis inſpicit; extrinſecus alter, quo oculis corporeis videt. De utroque oculo fatur Chryſologus, ajens quòd Chriſtus

Serm 28. Dominus Matthæum *vidit plus divinis oculis, quàm humanis.* Inde D. Hieronymus impertinentem oſtendit objectionem Porphyrii & Juliani apo-

L. in Matt 9 ſtatæ. *Arguit autem Porphyrius & Iulianus Auguſtus, vel imperitiam Hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum, qui ſtatim ſecuti ſunt Salvatorem, quaſi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem ſint ſecuti, cùm tanta virtutes, tantaque ſigna præceſſerint. Certè fulgor ipſe, & majeſtas Divinitatis occulta,*

quæ

quæ etiam in facie refulgebat humana, videntes ad ſe trahere poterat in primo aſpectu.

Multum utilis eſt Chriſti aſpectus: 1. Mentes eorum, quos videt, illuminat: *Oculi ejus lux ſunt, quos aſpicit, illuminat*; ut conſtat ex Nathanaële, qui D. Ambr. in Pſ. 36
conſpectus à Chriſto, credidit: *Quia vidi te ſub ficu, credis.* Conſtat etiam ex Joan 6.
Matthæo, qui in telonio ſedens, avaritiæ vacans, ad terram mentis dejiciens oculos, nec cœlum, nec Deum conſpiciens. Idcirco *vidit illum Deus,* Chryſol.
ut ille videret Deum. 2. Voluntatem, Dei amore ſufflammat: *Oculi ejus* Apocal. 1.
tanquam flamma ignis. Quia ad inſtar ardentis flammæ, quos aſpiciunt, in divinum accendunt amorem: 3. Divinam miſericordiam ſecum adducit. Hac de cauſa Regius Vates ſic Deum deprecatur: *Aſpice in me, & miſerere* Pſ. 118.
mei. Quia ut expendit V. Beda, *reſpicere Dei, eſt miſereri.* Quod Matthæi In cap. 26. Matth
exemplo declarat Chryſologus, de Chriſto loquens: qui vidit hominem, *ut peccata hominis non videret.* Pater aut mater quod in filio eſt pulchrum Serm 30.
& nitens, illud aſpicit, quod in eo eſt maculoſum aut difforme, aut non videt, aut ſi videt, diſſimulat: Judex vera peccata & crimina videt ut puniat: Chriſtus Matthæum vidit non tanquam ſeverus judex, ut puniat, ſed tanquam blandus pater, ut indulgeat. *Vidit opus ſuum, ut deſpiceret opus peccatorum.* Chryſolog.
In Matthæo duplex erat opus; opus Dei, & opus Matthæi peccatoris. Opus Dei, erat ipſa natura humana, ad Dei ſimilitudinem formata: opus Matthæi erat avaritia, cæteraque peccata: opus Dei erat bonum, & amandum; opus Matthæi erat malum & puniendum: Miſericors tamen Dominus ad opus ſuum videndum eſt oculatus; ad opus verò peccatoris aſpiciendum eſt veluti cæcus. 4. Cordis duritiem emollit. *Viſus hominis eſt miſericordia Redemptoris, quæ inſenſibilitatis noſtræ duritiam cùm reſpicit, emollit.* D. Greg. l. 8. Mor. 8.
In Phrygia certi quidam reperiuntur lapides, qui licèt ex ſua natura duriſſimi, Plin. l. 37 c. 11
ardentibus tamen Solis percuſſi radiis, tam copioſos emittunt aquarum rivulos, ut vicinos irrigent campos, eoſque reddant fertiliſſimos. Chriſtus eſt Sol juſtitiæ, peccatores obſtinati ſunt lapides: attamen *quos Ieſus reſpicit, plorant delictum,* ut Petri exemplo demonſtrat D. Ambroſius: *Negavit* D. Aug. l. de grat. Chr.
primò Petrus, & non flevit, quia non reſpexerat Dominus; negavit ſecundò, non L. 10 in Luc
flevit, quia nondum reſpexerat Dominus; negavit tertiò, reſpexit Ieſus, & ille amariſsimè flevit. 5. Chriſtus ad ſe attrahit, quos miſericordiæ oculis reſpicit. *Sicut in magnete lapide, cujus vis tanta eſt, ut immobile ferrum ad ſe rapiat:* D. Hieron.
Sic Chriſtus vel verbo, vel nictu oculi, vel nutu, adeo potenter ad ſe mortalium animos attrahebat, ut fortunis, facultatibus, voluptatibus, propinquis, liberis, parentibus, conjugibus ſpretis, nudi nudum per ſaxa, per ignes, per mille mortis diſcrimina, ſecuti ſint. Tandem 6. peccatores à malo ad bonum, à vitiis ad virtutes convertit. *Quid eſt reſpicere* D. Greg. l. 30
Dei, niſi ab iniquitate ad melius commutare? Convertit namque quem reſpicit Mor. 34.
Deus. Sic Chriſtus ſuo aſpectu convertit & commutavit Matthæum, qui antequam illum videret Salvator, erat avaritia culpatus, infamia dedecoratus, ſævitia cruentatus: at ab oculis Domini penitus immutatus:

tatus: 1. paupertate decoratur: 2. dignitate donatur: 3. proprio ſanguine purpuratur.

I. PARS. Tert. lib. de Ref. 5. Quàm efficax fuit Chriſti gratia, *juſſu & imperio* convertens & immutans publicanum Matthæum! Inter peccatores nulli difficilius convertuntur quàm avari: Tum quia habendi cupido pertinacius adhæret animo, & ut fatur D. Auguſtinus: *In ſenibus avaritia juveneſcit:* Tum quia, ut docet Chryſol. Serm. 29. Apoſtolus, Radix omnium malorum avaritia. Nam *fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, ſuadet fraudes, imperat latrocinium.* Tum quia cunctas mentis cogi- Chryſolog. tationes & omnes cordis affectus, avaritia in terram deprimit. *Aurum natura grave, gravius fit avaritiâ nimis. Hinc eſt quòd plus habentem deprimit, quàm ferentem, & vehementius aggravat corda quàm corpora. Naſcitur in terra profundo ſectatur ipſa montium fundamenta, perque ima venarum cacis diſcurrit anfractibus, & dum ſuam ſemper repedat ad naturam, cœleſtes animos ad inferna deponit, obſcurat ſenſus ſemper, alta mentium ſemper in terrena demergit.* Matthæus totus erat avaritiæ addictus, ideo ſedere dicitur. *Sedebat* Chryſolog. *utique, qui ſtare non poterat pondere cupiditatis oppreſſus, & ipſa totus conſcientia fraudis incurvus.* 2. Ex divitiis quibus abundabat, peccandi ſumebat materiam; unde peccator nuncupatur. Et ob hanc cauſam, ut ait Serm. 50. Chryſologus: *Deterius ſedebat in telonio publicanus iſte, quàm paraliticus jacebat in lecto. Quia ille carnis patiebatur paraliſim, iſte mentis: in illo fuerat compago turbata membrorum, in iſto totus ordo ſenſuum fuerat diſſipatus: ille jacebat captus carne, ſedebat corpore & animo iſte captivus: ille doloribus ſuccumbebat invitus, iſte vitiis voluntarius ſerviebat: ille ſe cognoſcebat inter vulnera peccatorem, iſte ſibi innocens avaritia videbatur in crimine; ille dolorum gemitibus peccata delebat, iſte lucrorum cumulabat peccata.* Tandem 3. publicanus numquam ad cœlum attollebat mentis cogitationes & cordis Chryſolog. Serm. 28. affectus, ſed intellectu & voluntate terrenis hærebat. Nam illum *divitia ſic cupiditatis publicabant magiſtrum, fornace avaritia ſic coquebant, ſic alligabant vinculis cautionum, ſacculorum ponderibus ſic premebant, ut levari ad innocentiam, ad juſtitiam ſurgere, ad virtutem progredi non valeret.* Chriſtus tamen Publicanum illum, in avaritia inveteratum, ſceleribus culpatum, ad terrena curvatum, uno ictu oculi convertit, uno verbo immutavit, & nobis admirandam reliquit, 1. converſionis velocitatem: 2. Matthæi hoſpitalitatem: 3. humilem ejus paupertatem.

1. Cunctas vocationis Matthæi circunſtantias ordinatè conſiderat Serm. 28. Chryſologus, *Chriſtus quare venerit ad Matthæum, audiamus.* Cùm tranſiret Jeſus, ait Evangeliſta, duplicem ibi tranſitum, duplex myſterium includentem agnoſcit Ravennas Antiſtes. Unus tranſitus pertinet ad Chriſtum, quo oſtendit Salvator, ſe à Judæis ad Gentes, à Sinagoga ad Eccleſiam, ab hac vita mortali ad immortalem tranſire vitam. Cùm Serm. 50. tranſiret inde Jeſus: *Bene tranſiret inde, tranſibat Iudaam, ut veniret ad Gentes: præteribat Sinagogam, ut Eccleſia permaneret: prætergrediebatur*

carni;

carnis patriam, ut Deitatis ſuæ remearet ad ſedem. In Chriſto fratres, tranſitoria eſt carnis injuria, in quo Divinitatis honor eſt ſempiternus. Secundus tranſitus ſpectat ad Matthæum, innuitque ejus converſionem, qua à ſtatu peccati tranſiit ad ſtatum gratiæ; à divitiis malè partis ad divitem in Chriſto paupertatem. Cùm tranſiret, inquit Jeſus, *non dixit, Cùm ſtaret ibi*: *Tranſivit enim & pertranſivit inde Ieſus, ne Matthæus remaneret ibi: tranſivit inde Ieſus, ne Matthæus ibi taliter permaneret.* Ne ſcilicet in telonio ſuo, in uſuris ſuis, in furtis & fraudibus remaneret Matthæus. Tranſivit ergo Jeſus, & vidit hominem. Hæc eſt alia circunſtantia, in qua duo expendit Chryſologus: *Vidit illum Chriſtus, ut ille pecunia latebras amplius non videret.* Quiſquis in pecuniæ abditur latebris, nec ſe, nec naturam ipſam quam induit, videt: nec creaturas, nec Creatorem ipſum agnoſcit, & hoc primum: ecce ſecundum, quod miſerationis eſt. Vidit hominem, *non dixit, Vidit Matthæum; quia in Matthæo hominem liberarat, hoc eſt homines, quos pecunia poſsidebat: Servire Deo nequeunt, pecuniæ ſervientes.* Non poteſtis, inquit, Deo ſervire, & mammonæ. Tertiam circunſtantiam prodit Chryſologus; quia Chriſtus vidit hominem ſedentem; quia *preſſus cupiditatis pondere, ſurgere non valebat.* Quomodo enim ſurgeret, qui non tantùm gravatur eo quod habet, ſed & illo quod cupit? cujus ſanè cupiditatis onus eſt longè graviſſimum: quia cupiditas modum neſcit, finem ignorat, terminum non habet: quem ut haberet in Matthæo 4. dixit illi Jeſus *vocabili poteſtate*; Veni ſequere me. *Non dixit, affer ad me, quia Matthæum, non Matthæi ſacculos requirebat.* In Publicano Chriſtus quærebat hominem, non hominis divitias. Veni ſequere me: Hoc eſt, *Depone pondera, diſrumpe vincula, ſolve laqueos.* Ut quis Chriſtum ſequi valeat, neceſſe eſt ut deponat pondera peccatorum, cupiditatum vincula diſrumpat, occaſionum laqueos ſolvat. Veni ſequere me, id eſt, *quære te, perde uſuram, ut te valeas invenire.* Ut poſſis verè converti, moriendum eſt uſuræ, gratia namque nequit acquiri, niſi perdatur uſura. Veni ſequere me, hoc eſt, *ut ſequendo me raperes, quod conſequendo pecuniam perdidiſti.* Quiſquis enim vocantem ſequitur Chriſtum, jacturam gratiæ & bonorum quam fecerat, etiam cum fœnore reparat. Sequere me, & ut expeditior ſis ad me ſequendum, divitias, quæ te ad inferna deprimebant, pauperibus erega. *Eſt commutatio ſanè una, ſi homo prudens illud antè mittat ad cœlum, quàm mittatur ab illo, ut ſtultus in tartarum. Mittat per manum pauperis, quia quidquid propter Deum pauperi dederit, ad cœlum ſine dilatione tranſmittit. Meritò Matthæum Dominus talibus vinculis abſolvi cupiens, præpeditum ſuſcitat dicendo*: Sequere me, hoc eſt, *me ſequere de ſupernis ad ſuperna tendentem, & non aurum de infernis ad inferna tendentem.* Hæ circunſtantiæ, quæ Matthæi vocationem comitantur, magnam Salvatoris benignitatem & miſericordiam demonſtrant, ſed Matthæi virtus *in veloci obedientia* apparet. Nam mox ut audivit Chriſtum ſibi dicentem: Sequere me: *ſine aliqua dilatione* ſurgens ſecutus eſt eum. Eliſæus ab Elia vocatus petiit facultatem præſtandi

Serm. 28. Serm. 30. Serm. 28. Serm. 30. Tert. lib. de Ref. 5. Chryſol. Serm. 28. Serm. 30. Serm. 29. D. Thom. Lucan.

L. 3 Reg. 19 di ultima pietatis officia: *Oſculer, oro patrem meum, & matrem meam: & ſic ſequar te.* Alius adhuc Chriſto vocanti dixit: *Domine, permitte me primùm* Matth 8. *ire, & ſepelire patrem meum.* Tertius ſimiliter procraſtinans ait: *Domine ſequar* Luc 9. *te, ſed primùm permitte mihi renuntiare his, qui in domo ſunt.* Verùm Matthæus nihil horum cauſatur, non petit inducias ad oſcula propinquis exhibenda; non ad exequendas parentum exequias; non ad diſtribuendas hæredibus amplas ſuas facultates & divitias; non ad perficiendas & reddendas Imperatoribus vectigalium rationes: *Sed perfectam nobis abrenuntiationis* V. Beda. *ſæculi formam tribuens, non ſolùm lucra reliquit vectigalium, ſed & periculum contempſit: quod evenire poterat à principibus ſæculi, quia vectigalium rationes incompoſitas reliquerat: tanta enim cupiditate ſequendi Dominum ductus eſt, ut nullum prorſus hujus vitæ reſpectum, vel cogitationem ſibimet reſervaverit.* Nam à Chriſto dicente, Sequere me, nullam poſtulavit licentiam pro temporalium diſpoſitione; nullum petiit tempus pro reddenda vecti- Quæſt 45. galium ratione. Ut enim ait Abulenſis: *Matthæus noluit hoc petere: tanta enim mutatio facta erat in corde ejus, quòd hæc omnia contempſerat: ita ut nec exiſtimaret dignum eſſe advertere ad illa, ad hoc ut diſponeret de eis.* Quapropter mox ut audivit Chriſtum vocantem, eique dicentem: Sequere me; illico, ſtatim, abſque ulla mora, ulla conſideratione, ulla cunctatione, ulla tergiverſatione, ulla excuſatione; ſurrexit à telonio, in quo proſtratus malè ſederat, & penè jacuerat: ſurrexit à malis artibus, ab uſuris, à fraudibus, ab inſatiabili habendi cupidine; & promptè & alacriter cunctis ſæculi renuntians facultatibus, vocantem ſecutus eſt Chriſtum. *Generoſus ani-* Chryſol. Serm. 29. *mus, qui ſic ea quæ magna putarat, facilè, & quaſi nulla contempſit: Apparet illum per ignorantiam lucra ante præſentia conquiſiiſſe, à quibus ut ſe ſenſit & vidit liberum, ſic raptus eſt ad divina.* Quamdiu Matthæi mens pecuniæ vidit latebras, nec cœleſtes divitias agnovit, terrenas facultates magnifecit, cœleſtes contempſit: at ubi primùm ſupernæ lucis radio eſt illuſtrata, terrena quæ æſtimaverat & concupierat, contempſit; æterna quæ nihili duxerat, conquiſivit: & 6. fauſta metamorphoſi Matthæum obtemperantem & ſe- Chryſol. Serm. 30. quentem Chriſtus *ſic commutavit, ut qui erat fraudator pecuniæ, fieret gratiæ diſtributor: & de impietatis ſchola, ad pietatis magiſterium perveniret, fieretque doctor miſericordiæ, qui avaritiæ fuerat inſtitutor.* Matthæus ante converſionem, *fraudator erat pecuniæ*, hoc eſt auri argentíque à terræ viſceribus, ad mortalium perniciem eruti: at poſt converſionem eſt *gratiæ diſtributor*; quæ eſt divinæ participatio naturæ, divinos theſauros cœleſteſque continens gazas, cunctas terrenas facultates longè ſuperans. *De ſchola impietatis* in impietatis ſchola non tam diſcipulus, quàm magiſter Matthæus, alios ad impia mundi dogmata formans, alienaque rapere tum verbo, tum exemplo docens, ad duas Chriſti voces pervenit *ad pietatis magiſterium*; tum verbo, tum exemplo docens munificentiam in pauperes, miſericordiam in afflictos, beneficentiam in egenos, & in cunctos liberalitatem & hoſpitalitatem.

2. Ex mente Tertulliani trinum eſt fidei & religionis ſymbolum, ſeu indicium: Nimirum *communicatio pacis, appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis: quæ una non alia ratio regit, quàm ejuſdem ſacramenti una traditio.* Hoſpitalitas tum in veteri, tum in novo Teſtamento commendata fuit. In veteri Teſtamento hoſpitales fuerunt Abraham & Loth, quibus Angeli ſe hoſpites obtulerunt quaſi homines eſſent. Hoſpitalis fuit Rahab Hierochontina, quæ hoſpitio excipiens Hebræorum exploratores, ſuam & ſuorum ſalutem meruit. Sic & Sunamitis hoſpitium dans Eliſæo, ab eo filium, filiiq́ue mortui ſuſcitationem impetravit. In novo etiam Teſtamento hoſpitales fuerunt Magdalena, Martha, Zacchæus, Matthæus, qui ipſum etiam Dominum hoſpitio ſuſcipere meruerunt. Princeps Apoſtolorum deſiderat, ut Chriſtiani ſint *hoſpitales invicem.* Eoſdem Paulus vas electionis, ad hoſpitalitatis memoriam hortatur. *Hoſpitalitatem nolite oblivisci.* Et quaſi parum ſit hoſpitalitatis ſervare memoriam, eos adhuc ad ſectandam hoſpitalitatem ſtimulat: *Hoſpitalitatem ſectantes*, id eſt etiam nolentes & recuſantes ad hoſpitium cogentes. Quàm verò ſit honorabilis & utilis hoſpitalitas, pluribus declarat D. Ambroſius. *Qui ſcis, an Deum ſuſcipias, cùm hoſpitem putas? Abraham dum peregrinantibus deſert hoſpitium, Deum atque Angelos ejus ſuſcepit hoſpitio. Quamvis & cùm hoſpitem ſuſcipis, Deum ſuſcipis. Sic enim ſcriptum in Evangelio legis, dicente Domino IESV:* Hoſpes eram, & collegiſtis me. Quod enim uni horum minimorum feciſtis, mihi feciſtis: *Unius hora hoſpitio, vidua illa, quæ ſuſcepit Eliam, & exiguo cibo, perpetuum toto tempore famis invenit alimentum; & mercedem accepit mirabilem, ut numquam farina de hidria deficeret. Eliſæus quoque defuncti pignoris reſuſcitatione donata, hoſpitij reſolvit penſionem.* Matthæus ſimiliter commendatur, ait D. Thomas, *in hoſpitalitatis exhibitione*, non in perſona pauperum, ſed in propria perſona Chriſtum hoſpitio recipiens, multumq́ue ex hac hoſpitalitate fructum reportans. *Cujus domum non intraverit Chriſtus, ille ad divinam non perveniet manſionem: & cujus hic ad cœnam non ſederit Chriſtus, ille cæleſtem non accumbet ad menſam.* Matthæus divinam pervenit ad manſionem, quia Chriſtus ingreſſus eſt domum illius: cœleſti accumbit in menſa, quia ad cœnam ejus ſedit Chriſtus, & interfuit magno convivio, quo præparaverat: [Et fecit convivium magnum Levi in domo ſua.] Quàm magnum autem fuerit convivium, quod Domino Matthæus præparaverat, declarat Rupertus: *Convivium ergo fecit ei, & magnum, nimirum quaſi convivium regis.*

L. de Præſc. Hær. 20. — Gen. 18. — Gen. 19. — Joſue 2. — L. 4 Reg. 4. — 1 Petr. 4. — Hebr. 13. — Rom. 12. — L. de Abrah. c. 5. — Chryſol. Serm. 54. — Luc 5. — L. 4 de oper. Spir. 3 c. 14

Magnum abſque dubio convivium propter cibos corporales, quos miniſtravit dives Publicanus: majus, propter dapes ſpirituales, quas Domino præparavit Levi: ſed maximum, propter regias epulas, quibus Matthæum pavit Chriſtus. 1. Magnum profectò convivium fecit Publicanus, qui cùm eſſet ditiſſimus, exquiſitos quoſque corporeos miniſtravit cibos, ut denotaret, quanto gaudio tantum ſuſciperet hoſpitem, *Gaudet, quia ſuſcepit ſuſceptorem ſuum, quia paſtorem ſuum paſcit.*

Chryſol. Serm. 54.

quia reus judicem ſuffragio humanitatis inclinat, quia cibi & potus fœnore, debitorem ſuum ſibi facit & acquirit. Verùm quia Chriſtus non tantùm corporali, ſed etiam ſpirituali cibo paſcitur, ut ipſemet ait: [Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis;] nempe hominum virtutes, quibus tanquam floribus paſcitur. *Fortaſſe hoc eſt, quòd Sponſus dicitur paſci inter lilia candida; & odore virtutum delectari, & familiaritatem habere cum puris animabus, puriſque corporibus.* Idcirco Levi 2. Domino majus præparavit convivium: quia *foris eum convivio, & intus epulis virtutum pavit.* Inde apparet, quàm temerarium ſit Phariſæi judicium: *Qui prandium dominicum putat non virtutis eſſe, ſed ventris: non ſpiritus, ſed carnis: non divinæ bonitatis, ſed voluptatis humanæ: terreni luxus, non gratiæ cœleſtis.* Ubi malo operi ſubſtractus eſt Matthæus, ubi mutuatus in melius, ubi de vitiis tranſivit ad virtutes, benefactori ſuo convivium inſtruxit, in quo diſcubuit Dominus, non ventris, ſed virtutis cauſa; non tam ut nutriret carnem, quàm ut paſceret ſpiritum. Nam ut fatur Chryſologus: *Diſcumbebat Ieſus plus in Matthæi mente, quàm ſigmate: & epulabatur, non cibis, ſed reditu peccatoris.* Cui Dominus 3. maximum paravit convivium. Pane vitæ & intellectus Dominus cibat, quos ad ſuum convivium vocat. *Matthæus publicanus & ipſe vitæ atque intellectus pane cibatur, quia intellectu, magnum in domo ſua Domino Ieſu fecit convivium.* Eiſdem epulis Matthæus à Domino excipitur, quibus & ipſe Dominum exceperat. Spirituales Domino Matthæus ſervavit dapes, nimirum intellectus fidem, cordis humilitatem; animi pœnitudinem; ſpiritus paupertatem; & viciſſim Matthæum Chriſtus cibat miſerationis affectu, peccatorum condonatione, gratiarum largitione. Quod ex Apocalypſi probat Rupertus: *Ergo præcipuè in Matthæo clariſſimum eſt illius dicti Domini experimentum.* Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, cœnabo cum illo, & ipſe mecum. *Introivit enim in domum ejus, & cœnavit ipſe primùm cum illo; & deinde Matthæus cœnavit cum eo.* Vocanti Domino, cordis oſtium reſeravit Publicanus: invitantis Matthæi domum intravit Dominus, & cœnavit cum eo, & adhuc Matthæus Chriſti convivio exceptus eſt, & cum Domino cœnavit. Spirituales virtutis cibos Matthæus Domino paravit; ſpirituales gratiæ & donorum dapes Chriſtus Matthæo præbet, ſcilicet *fraudulento fidem, veniali gratiam, cupiditatis magiſtro officium largitatis, doctori fœnoris magiſterium ſanctitatis, publicano ſæculi cœleſte ſecretum:* quo cognoſcens, quàm ſint beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, humilem amplexatus eſt paupertatem.

Ioan. 4. — D. Bern. Ser. 71 in Cant. — D. Greg. in 19 Iob. — Chryſol. Serm. 30. — Serm. 29. — Rupert ibid. — In cap. 7. Matth. — Apocal. 3. — Chryſolog. Serm. 28.

3. *Si pauperum ſunt regna cœlorum, plus dives in paupere inveniet, majore dote dotabitur, de bonis ejus, qui in Deo dives eſt.* Ut Matthæi comprobatur exemplo, qui multò ditior eſt ſub Apoſtolica paupertate, quàm ſub vectigalium divitiis. Itrinum invenio diſcrimen inter cæteros Apoſtolos & Matthæum. Cæteros Apoſtolos *Chriſtus ad virtutis officium pauperes elegit. Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, germanitas combinata,* imò

Tert. lib. 2. ad Uxor. 8. — Chryſolog. Serm. 28.

imo congeminata paupertas in Apoſtolorum principes eliguntur. Matthæum è-
contra non à paupertate vocavit Chriſtus, ſed à divitiis, ſed ab avaritia,
ſed ab uſura, quod ferre non poterat Phariſæorum cenſura; *Vrebat, quòd* Chryſolog.
uſura quæ vaſtat terram, tollebatur ad cœlum, & hanc, quam deteſtantur ho- Serm. 28.
mines, Deitas advocabat. Matthæum autem divitem, avarum, uſurarium,
etiam cum intuentium ſcandalo, *ad ſua cur vocaverit Chriſtus, cur elegerit*
ad divina: Cur contrario modo agit erga Publicanum quam erga Petrum,
Andream, Jacobum, & Joannem? cur non eadem in illo requirit, quæ
requiſivit in aliis? *Diximus quòd in Apoſtolis, amica virtutum, Deo chara,* Chryſolog.
ſit electa paupertas. Matthæum de telonio divitem, de uſuris locupletem, lu-
cris ſæculi onuſtum, quod in Apoſtolatum Chriſtus elegerit, quid dicemus? Hujus
divini conſilii, & admirabilis illius providentiæ, quæ in Apoſtolum aſſu-
mit Matthæum divitem & avarum, multiplicem ſubminiſtrat Chryſologus
rationem: Tum *ut avaritiæ curaret vulnera, ut ſaniem ſanaret uſuræ:* Tum
ut Matthæus quod tulerat per miſeriam, in miſericordias prorogaret: & inde re-
dimeret pœnam, unde comparaverat culpam. Tum ut Matthæum à morte
peccati, ad gratiæ vitam revocaret. Nam *quod eſt dare vitam mortuo, hoc*
largitatem tribuere eſt avaro: Tum ut magis Dei miſericordia eluceret, &
Matthæi virtus magis fulgeret. *Ita Chriſtus quòd Matthæum vocat, non eſt illa*
pecuniæ ratio, ſed eſt ratio tota virtutis. Nam *ſi paupertas virtutum parens,*
virtutum ſocia ſic habetur: ubi eſt major paupertas, ibi major eſt virtus.
Matthæus autem 2. ab aliis Apoſtolis diſcriminatur, quod illis antiſtans in
divitiis, antiſtat etiam in paupertate. Petrus, Andreas, Jacobus & Joan-
nes, erant *pauperes cenſu:* quare nihil reliquerunt præter retia & navicu- Chryſolog.
lam: Matthæus verò erat ditiſſimus, & tamen mox ut vocatus eſt à
Chriſto, (relictis omnibus ſurgens ſequutus eſt eum.) Matthæi pauper- Luc. 5.
tatem ſingulariter commendat, quòd *cùm ſederet in ardore avaritiæ, lucra* Abul quæſt
terrena captans in telonio, Chriſto vocante omnia deſeruit quæ habebat, & quæ 37.
habere poterat, & quod majus eſt, quod habere cupiebat: nam pro his totum
ſtudium erat: hæc autem mox vocatus, quia ſubitò deſereret, miraculum erat.
Miraculum gratiæ vocantis, miraculum Matthæi tam citò obſequentis;
miraculum avari divitis, & divitiarum cupidiſſimi. Quis poſt hæc du-
bitare poteſt, Matthæum in paupertate *perfectionis tenuiſſe faſtigium, qui* Chryſolog. Serm. 54.
poſt omnia ſua, ſemetipſum dedit Domino, abſque ulla ſibi propoſita remu-
neratione, in quo adhuc 3. ab aliis Apoſtolis ſecernitur. Vocat Chriſtus
Petrum & Andream, Jacobum & Joannem; & quò eum faciliùs ſequeren-
tur, magnum eis pollicetur præmium. (Venite, inquit, & faciam vos Matth. 4.
fieri piſcatores hominum,) hoc eſt, faciam vos Eccleſiæ Doctores, fide-
lium paſtores, veritatis prædicatores, miraculorum operatores, orbis
terrarum principes, duodecim tribuum Iſraël judices. *Captores piſcium* Chryſolog. Serm. 28.
fiunt hominum piſcatores, ut vitalis eſca jactu, ut homo cæleſtis verbi, de
mortis gurgite, ad lucem tollerent ſempiternam: Matthæum vocat Chri- Chryſolog.
ſtus, nullâque ei propoſitâ mercede, ait illi, Sequere me: *Depone tanta* Serm. 54.

fraudis

fraudis onera, pondera cupiditatis, uſurarum molem, magiſterium publicani, exactionis principatum, expeditus in tres pauperis ſcholam, diſcipulatum miſericordiæ, pietatis uſum, patientiæ diſciplinam, ſtudia virtutum, philoſophiam

Hom. 14 in Evang. *mortis.* Tandem 4. ut Magnus advertit Gregorius, (piſcatorem Petrum, Matthæum verò telonarium ſcimus, & poſt converſionem ſuam, ad piſca-

Chryſol. Serm. 28. tionem Petrus rediit; Matthæus verò ad telonii negotium non reſedit:) ſed telonio abſolutè & in perpetuum renuntians: *Mox factus eſt terræ pauper, ut dives haberetur in cœlo.*

Ter. 14 adv. Marc. 15. *Ne glorietur dives in divitiis ſuis.* Multi tamen ſalutare illud monitum contemnentes, de divitiis tument & gloriantur, in quo multum diſcrepant à Matthæo, qui ſilet divitias, quas pro Chriſto reliquerat: Nam de illo Lucas ait: (Relictis omnibus ſecutus eſt Chriſtum.) Ipſe verò refert, ſurgens ſequutus eſt eum, tacens ly *relictis omnibus*, ſeſe ſemper peccatorem propalans, & in numeratione Apoſtolorum ſe publicanum nominans. Lucas & Marcus Apoſtolos recenſentes, Matthæum Thomæ præponunt: ipſe verò Thomam ſibi præponit. Cæteri Evangeliſtæ Publicani ſilent vocabulum; ipſe verò ſemper ſe Publicanum nominat, quod eſt vocabulum infame. At-

Simon. Caſſian. tamen *eò efficiebatur Chriſti capacior, quò in humilitate profundior:* nam Chriſti aſpectu & verbo de infamia immutatus in gloriam, dignitatibus honoratur.

II PARS. Tert. lib. de Pud. 17. *Si quis dubitat ethnicos fuiſſe publicanos apud Iudæam, uſurpatam jampridem Pompeji manu atque Luculli, legat Deuteronomium: Non erit vectigal pendens ex filiis Iſraël.* Trina ratione Publicani apud Judæos habebantur infames; 1. tanquam Ethnici; tanquam peccatores; & tanquam Publicani. Tanquam

Tert. ibid. ethnici, *quorum menſam Iudaica diſciplina repellit:* fas enim non erat Judæis cum ethnicis manducare. Hac de cauſa Chriſtus denotatur *communicans victum cum Ethnicis.* 2. Tanquam peccatores. Tertullianus autem diſcriminat, *alios ex officio peccatores, id eſt Publicanos, alios ex natura, id eſt non Publicanos.* Plures ex Judæis erant peccatores ex natura, & ſic non Publicani, peccatores ex officio erant ſoli Ethnici; qui 3. tanquam Publicani erant infames. Nam ut ſubjungit Tertullianus, *Nec tam execrabile eſſet nomen Publicanorum apud Dominum, niſi extraneum vendentium ipſius cœli,*

Tirin. in 2. Marc. *& terræ & maris tranſitus.* [Apud Judæos itaque, quibus probroſum erat ſervire vel jungi Gentilibus, & exoſa omnis tributorum extorſio, Publicani publicè infames, nec honoratorum civium loco habebantur, & ab omnibus magiſtratibus arcebantur.) Et licèt Matthæus Alphæi filius eſſet natione Judæus, quia tamen in colligendis tributis & vectigalibus operam dabat, cenſebatur infamis: Tum quia ethnici agebat negotium: tum quia peccator ex officio: tum quia Publicanus: ad Chriſti tamen ſequelam voca-

Tert. l. 1. de cult. fœm. 4 tus, tranſit *de ignominiis in honores*, & peccator ille & publicanus Judæis exoſus, à Deo execratus. *De telonio quippe cumulandæ pecuniæ, in cathedram*

Petr. Dam. Serm. 49. *transfertur Eccleſiæ, & qui prius exigendi vectigalia fungebatur officio, conſtitutus eſt fidei divitiarumq; cœleſtium miniſtrare theſauros:* trinaque potiſſimùm honoratur dignitate: 1. Apoſtolica: 2. Evangelica: 3. Angelica.

1. *Chriſtus*

1. *Chriſtus Ieſus Dominus noſter, ex diſcentibus duodecim præcipuos lateri ſuo adlegarat, deſtinatos nationibus magiſtros,* quos præfiguratos vult Tertullianus per duodecim fontes Elim. *Proinde ut fontes & amnes rigaturi aridum retro & deſertum à notitia orbem nationum.* Unus ex his fontibus erat Matthæus ante converſionem ſuam, amariſſimis & venenoſiſſimis avaritiæ & uſuræ aquis peſſimè redundans; quæ deorſum impetuoſiſſimè decurrentes, rapidiſſimo ſuo curſu, ſeu potiùs lapſu, ejus animam ad infernalem rapiebant abyſſum: ſed mox ut Chriſtus fontem illum inſpexit, aquis noxiis ſubitò diffuſis atque diſperſis, implevit illum aquis ſapientiæ cœleſtis, quæ orbem terrarum rigarunt, & fœcundarunt: ſicque *Matthæum Publicanum in Apoſtolum commutavit.* Admirabili prorſus & ſtupenda metamorphoſi, ſimplici aſpectu, & duabus vocibus Salvator Publicanum, hoc eſt peccatorem publicum, infami uſuræ, immanique lucro addictum, commutavit in Apoſtolum, à Superis miſſum, cœli nuntium, Evangelii præconem, Verbi vocem, Evangelii tubam, veritatis doctorem, fidei magiſtrum, mundi lucem, animarum ducem, Eccleſiæ principem.

Tert. lib. de Præſc. hær. 20. Lib. 2. adv. Marc. 19.

Chryſolog. Serm. 30.

Chryſologus poſtquam Publicanum Matthæum cum paralytico jacentem in lecto, & à Chriſto ſanato contulit; & Publicanum multò paralytico ſceleratiorem oſtendit, ſciſcitatur: *Quare Publicanus, qui major videtur in crimine, major habetur in munere? Nam mox Apoſtolatus certa præditus dignitate, non ſolùm ipſe accepit, ſed etiàm aliis indulgentiam tribuit peccatorum; totum orbem ſplendore Evangelicæ prædicationis irradiat, & paraliticus ſola dignus venia vix habetur.* Hoc dubium ſolvere nititur ibidem Chryſologus, dicens: *Vis noſſe, quare plus conſecutus ſit Publicanus? Quia juxta Apoſtolum* (ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia. Verùm inſoluta remanet difficultas; & rurſus dicet aliquis: Quare tam abundanter gratia diffunditur in eum, qui criminibus abundabat? Qua ratione paraliticus, qui minoribus tenebatur criminibus, non aggregatur culmini Apoſtolico ſicut Publicanus? Ad hanc difficultatem reſpondet adhuc Chryſologus: *Publicanus Gentilis populi typum teneat, paralyticus populi Iudaici ſit figura, qui hodie mala valetudinis tenetur in lecto, ut niſi portatus fuerit fide Gentium, oblatus Chriſto miſeratione Sanctorum, Chriſtiani populi credulitate ſalvatus, ad domum fidei, ad domum patriæ non poteſt pervenire.* Hæc adhuc reſponſio non ſolvit penitus difficultatem: Nam cùm Publicanus ſit natione Judæus, magiſque ægrotet quàm paralyticus, cur & ipſe non eſt Judaici populi ægrotantis figura? Dicamus cum D. Bernardo: *Hæc mutatio dexteræ excelſi, non tanquam exemplum, ſed tanquam miraculum afferri debet.* Fortaſſe ſi paraliticus factus fuiſſet Apoſtolus, ad tantum perfectionis gradum non perveniſſet ſicut Publicanus; neque æquè fidem propagaſſet, & Eccleſiam illuſtraſſet ac Matthæus. Sanè *inter omnes Sanctos, qui de cœleſti gloria, de triumphato mundo victoria titulos intulerunt, Beatus Matthæus mihi videtur inſignis atque conſpicuus, & quemdam inter eos dignitatis obtinere primatum.*

Chryſol. ib.

Rom. 6.

Epiſt. 1.

Petr. Dam. Serm. 40.

omnia generoſo auſu adiit, contempſit, ſuperavit: ex quibus omnibus ingentia animarum lucra quæſivit, *manſura Deo*, manſura cœlo, & ipſi, quanta quanta eſt æternitati. *Matthæus in terra inventus eſt, qui terrenis negotiis implicatus, telonij uſibus ſerviebat, ſed de terra ſublatus, in fortitudinem ferri convaluit, cujus videlicet lingua, quaſi acutiſſimo gladio, Evangelij adminiſtratione Dominus infidelium corda transfixit: & qui infirmus prius deſpectusq; fuerat per terrena negotia, fortis poſtmodum factus eſt ad cœleſtia prædicamenta*, Parthis & Palæſtinis Chriſtianam prædicans religionem. Matthæus zelum & ardorem divini propagandi nominis intra Parthorum & Palæſtinæ fines continere non valens; in Æthiopiam, quæ illi felici ſorte obtigerat, ſeſe extendit, & populos illos, à Solis æſtu, & cæli ſoliſque ardore torridos, melioribus incendit flammis, divini ſcilicet Spiritus, quem in eorum animis infudit, dum in corpora ſacras Baptiſmatis aquas infunderet. Et hi fuerunt Apoſtolici laboris proventus: hæc in negotioſa animarum cura fuêre lucra, *manſura Deo*, non ad annos & ſæcula, ſed ad æternitatem manſura, non Parthorum, non Palæſtinæ, non Æthiopiæ finibus, ſed orbe colligenda univerſo. D. Greg. Lib. Mor. 16.

Non eodem modo D. Auguſtinus & D. Cyrillus Alexandrinus expendunt iſtud Davidicum: (Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii.) D. Auguſtinus per patres intelligit Apoſtolos, per filios verò Epiſcoporum ſucceſſores. *Quid eſt, pro patribus nati ſunt tibi filij? Patres miſſi ſunt, Apoſtoli filij pro Apoſtolis nati ſunt, quia conſtituti ſunt Epiſcopi in ſedibus patrum.* Cyrillus Alexandrinus Apoſtolos velut filios & patres conſiderat, filios Judæorum à quibus nati ſunt patres Chriſtianorum, quos Chriſto pepererunt: *Nam etſi filij Iudæorum Apoſtoli fuerint à lege Moſaica editi, patres tamen facti ſunt, ac Abrahæ locum obtinuerunt.* Quemadmodum enim illius Patriarchæ ſemen multiplicatum eſt ſicut ſtellæ cœli, & arena quæ eſt in littore maris: ita tanquam fœcundiſſimi patres Apoſtoli, innumeros Chriſto genuêre filios, præſertim Matthæus, qui non ſolùm in Judæa, Ægypto, & Meſopotamia, ſed etiam in Æthiopia, viginti & uno annis continuò ſudando, laborando, & prædicando, tot filios genuit, quot habet ſtellas cælum. Inter quos commemorantur Egipius rex, cujus filium vitâ functum, vitæ reddiderat & patri; deinde reginam, ejuſque filiam Iphigeniam nomine, innumeroſque alios, quos non ſolùm in Æthiopia, ſed in univerſo orbe Deo parturivit, Evangeliſtæ fungens munere. Pſalm. 44. Lib. 10. in Ioan. c. 9.

2. *Nobis fidem ex Apoſtolis Ioannes & Matthæus inſinuant; ex Apoſtolicis Lucas & Marcus inſtaurant.* Quatuor recenſet Tertullianus Evangeliſtas, quos comparat Cardinalis Petrus Damianus quatuor fluminibus originem ſuam è paradiſo terreſtri ducentibus, Matthæumque per Phiſon repræſentatum aſſeverat. *Sicut Phiſon primus eſt fluviorum de paradiſi fonte procedentium, ita Matthæus inter reliquos Evangeliſtas primum obtinet locum. Satis ergo conveniens eſt, & intimæ rationi aptiſſimè congruit, ut ſicut apud Phiſon optimum repræſentatur aurum, ſic & apud hunc beatiſſimum Evangeliſtam ordinis primicerium intelligamus theſauri cœleſtis* Tert. l. 4. adv. Marc. 2. Serm. 50.

incomprehenſibile ſacramentum. Aurum cuncta metalla valore & excellentia præcellit, Matthæus ſimiliter, ait Epiſcopus Monopolitanus, cæteros Evangeliſtas antecellit. *Marcum quidem & Lucam, quia Apoſtolorum dignitatem non ſunt ſortiti, Ioannem verò, quia martyrij palmam non accepit*; nec pro veritate Evangelica ſanguinem fudit. Marcus & Lucas Evangelium quidem ſcripſerunt; illud verbo prædicaverunt; exemplo auctoraverunt, ſuo martyrio verum probaverunt, ſed Apoſtolicam dignitatem non obtinuerunt; Joannes ad Apoſtolicam dignitatem aſſurgit; Evangelium conſcripſit, verbo & exemplo prædicavit; ſed illud ſuo ſanguine non confirmavit; quia defuit illi martyrium, licèt martyrio voluntas non defuerit. At Matthæus & Apoſtolica dignitate honoratur, quæ Lucæ & Marco deeſt, & Evangelium manu conſcriptum, exemplo auctoratum, martyrio confirmavit, quod non fecit Joannes: *Non ſolùm itaque Apoſtolus eſt, ſed & Evangeliſta: & ut ita fatear, Evangeliſta Evangeliſtarum, non immeritò dici poteſt, qui dux & præceſſor, ac primus omnium reperitur. Unde & illius quadrigæ cœleſtis, quam vel Ioannes in Apocalypſi ſe vidiſſe perhibuit; vel Ezechiel in prophetica viſione conſpexit, hic congruè poteſt, non modo pars, ſed & auriga vocari, qui dum ad ſcribendum Evangelium primus erupit, quaſi quandam lineam præcedendo tetendit, & unde cæteri currerent, rectitudinis ſemitam deſignavit.*

Joan. Lopp. in Feſt. S. Matth.

Petr. Dam. Serm. 50.

Quare in primo loco ab Eccleſia inter Evangeliſtas meritò collocatur, quia eſt primus non ſolùm ordine, ſed etiam dignitate, ut multiplici ratione comprobatur. 1. Quia bene reſpondet ſuo nomini. Ex D. Iſidoro Matthæus idem eſt ac *Donatus*: donatus autem fuit Apoſtoli, Evangeliſtæ & martyris dignitate. Ex Pagnino Matthæus ſignificat *Donum*: cœleſte autem donum eſt Matthæus, in ſe colligens dona, quæ ſunt in aliis diſperſa. *Unuſquiſque proprium donum habet à Deo.* Nam ut ſubjungit Apoſtolus: *Alij quidem datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alij fides, alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum.* At Matthæus eſt donum velut univerſale, ſingularia illa dona complectens; nam erat Apoſtolus, Evangeliſta, Doctor, Martyr, Epiſcopus, Prædicator. Loquebatur ut ſapiens; docebat ut ſcientificus; inſtruebat tanquam fidelis; omnia callebat genera linguarum; virtuoſè operabatur; prophetabat futura; ſanabat infirmos; pellebat dæmones; & Deus in eo omnia virtutum genera velut adunaverat. 2. Tum quia in ſuo Evangelio non ſolùm Judæos erudit in fide, ſed etiam Gentilium ſpem erigit: nam ſolus eſt inter Evangeliſtas referens ſtellæ apparitionem, Magorum adventum; & munerum oblationem ab ipſis factam Chriſto in cunis vagienti. Nam *& thus & myrrham, & aurum ideo infanti tunc Domino obtulerunt, quaſi clauſulam ſacrificationis, & gloriæ ſæcularis, quam Chriſtus erat ad empturus.* 3. Quia ſcripſit præ cæteris Evangeliſtis fusè & exactè Evangelium de Chriſti incarnatione, nativitate, & genealogia in principio, de prædicatione & miraculis in medio, de paſſione, morte & reſurrectione in fine

L. 7. Ethim. c. 9.

1 Cor. 12.

Tert. lib. de Idol. 9.

La Haye in c. 2. Apoca.

ſine pertractans. De Evangelio Matthæi ſic fatur modernus Auctor: (Hic eſt liber continens optimum & lætiſſimum nuntium adventus Chriſti, ſive Meſſiæ Patriarchis promiſſi, putà incarnationis, nativitatis, vitæ, prædicationis, paſſionis, reſurrectionis, redemptionis, ſalutis, gratiæ, & gloriæ ab eo partæ, & toto orbi allatæ, cujus ſcriptor fuit B. Matthæus, dictator Spiritus ſanctus.) Et hoc animadvertit Tertullianus, ut Chriſti doceret genealogiam & hiſtoriam. *Ipſe imprimis Matthæus fideliſſimus Evangelij commentator, ut comes Domini, non ob aliam cauſam, quàm ut nos originis Chriſti carnalis compotes faceret, ita exorſus eſt*: Liber geniture Jeſu Chriſti filii David, filii Abraham. Vel ut vult Rupertus, ut gratitudinem ſuam erga Chriſtum oſtenderet. *Apud Matthæum rex genere & actibus Chriſtus oſtenditur, cùm jam ab initio libri ſui dicit*: Liber generationis Jeſu Chriſti, filii David: *Et deinde notum, mox Regem Iudæorum à Magis adorari deſcribit. Totumque geſtum ſuæ narrationis regalibus geſtis, & regiis contexens parabolis, ſic finit ut dicat apud eum rex iſte, jam coronatus reſurrectionis gloria*: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. *Totam ſeriem conſcriptionis ejus, ſi rectè perpendis ſpirare cognoſces myſteria regni Dei. Nec mirum, Publicanus quippe fuerat, de publico regni peccati ſervitio, ad libertatem regni Dei, regni juſtitiæ, vocatum ſe eſſe meminerat. Bene ergo, non ingratus magno libertatis ſuæ regi, regni ejus legibus inſervivit, intendens regnum ejus, quod à carnalibus Iudæis carnaliter expectabatur, oſtendere quale ſit.* Alii, ex charitate conſcriptum à Matthæo Evangelium, docent, cùm enim in Palæſtina ſæviret immanis adverſus Chriſtianos perſecutio, à qua fideles velut oves errantes, à paſtore ſeparari cogebantur: tum à Chriſtianis, tum à quibuſdam Apoſtolis rogatus eſt Matthæus, ut quæ de Chriſti vita, miraculis, ac rebus divinè geſtis & viderat, & audiverat, certa fide exſcriberet. Paruit ille, & Evangelium Hebraico idiomate conſcripſit: quod Bartholomæus ſcriptum ad Indos extulit, & Barnabas ſua manu exaratum in Cyprum aſportavit: 4. Quia non ſolùm myſteria quæ ad fidem expectant, docet; non ſolùm temporalem Chriſti genealogiam, ejuſque hiſtoriam deducit; ſed adhuc quæ ad mores formandos conducunt, refert. Hac de cauſa ait D. Ambroſius: *Evangelium totum ſancti Matthæi exiſtimo eſſe morale.* Joannes Chriſti declarat Divinitatem; Lucas ejus vitam & hiſtoriam deducit; Marcus Domini miracula exponit: Matthæus verò ultra hæc omnia Chriſti virtutes imitandas proponit. Idcircò ad componendos mores, *in Eccleſia frequentantur tria*; *Pſalmi David, Epiſtolæ D. Pauli, & Evangelium Matthæi.* 5. Quia à Deipara fuit ſpecialiter edoctus, quam nuncupat Rupertus *Magiſtram Magiſtrorum, id eſt, Apoſtolorum.* Ut autem vult Jacobus à Voragine, Genuenſis Epiſcopus, *Fuit enim Matthæus B. Virginis notarius & ſecretarius: quia multa maximè in principio poſuit, quæ nonniſi ab ipſa ſcire potuit.* Tandem 6. meritò inter Evangeliſtas Matthæus primatum tenet, *quia ad ſanctum Evangelium primus prorupit: ſcribendi viam cæteris Evangeliſtis præceſſor aperuit: & tanquam dux vexillum ſequentibus praetu-*

Cornel. à Lapid Argum in D. Matth.

Tert. lib de carn. Chr. 2.

L. 4 de oper. Spir S. c. 14.

Jacob à Vorag. de S. Matth.

Lib. 5 in Cant.

Serm. 1. de S. Matt.

lit: ſuoque eos exemplo ut ſcriberent, incitavit. Unde cæteri Evangeliſtæ Matthæo ſunt adſtricti, quia eis ſcribendi prætulit facem, & Eccleſia eſt ei obligata de progreſſu fidei & converſione infidelium, qui quotidie amplexantur fidem. Nam ut ſubjungit Petrus Damianus : *Illi ergo debemus Evangelium, quia Evangelicæ narrationis conſtat intuliſſe principium, & quem cæteris novimus primum, non ambigimus inter eos cujuſdam privilegij primatum.* Idem argumentum proſequitur adhuc purpuratus Doctor. *Audacter dicam, nemo poſt Chriſtum eſt, cui magis debeat ſancta univerſalis Eccleſia; nam quòd mundus rectè vivit, hæc eſt cauſa, quia lux nobis Evangelica coruſcavit. Conſtat autem, quia primus omnium Matthæus Hebraico ſtilo Evangelium ſcripſit, & ſic ijs qui erant ex circunciſione fidelibus, neoterica fidei quoddam quaſi ſpeculum ſcribendum primus iſte procuravit. Planè ſicut Moyſes Propheris non abſurdè præponitur, & omnibus quicumque ſcripſerunt aliquid in Veteri Teſtamento: ita B. Matthæus omnes jure præcellit, qui ſcripſiſſe reperiuntur in novo. Sicut enim ille naſcentis mundi texit origines, ſic iſte tanquam ſpiritualis cujuſdam mundi orientem Eccleſiæ deſcribit novitatem. Unde Spiritu ſancto calamo temperante proviſum eſt, ut uterque non diverſum, ſed unum idemque ſuis libris præmitteret judicium, dicens:* Liber generationis: *ſed illa generatio filios protulit iræ, iſta filius parturivit gratia.*

Retuli fuſum Damiani teſtimonium, ut appareat, quàm meritò Matthæus inter Evangeliſtas occupet principatum: eò quòd primus Evangelium Hebraicè ſcripſerit; quod tanti faciebat Barnabas Apoſtolus, ut illud ſemper ad pectus appenſum deferret: quod cùm injuria temporis deperditum fuiſſet, Nicolaus hujus nominis quintus quinque ducatorum millia ei pollicitus eſt, qui Evangelium Matthæi Hebraicum ad ſe deferret: tanto fuit in pretio apud Summum Pontificem, tanto etiam apud Apoſtolos. Nam ex Hebræo in Græcum verſum à S. Jacobo Apoſtolo docet D. Athanaſius; nonnulli à D. Barnaba Apoſtolo: alii denique volunt à Sanctis Luca & Paulo Græcæ linguæ redditum: tanto apud omnes erat in pretio, ob meritum authoris, *quem cernimus ad tanta ſublimitatis culmen evectum, ut ſimul in Apoſtolicum allectus ſit ordinem, & angelicam ſortitus ſit dignitatem.*

Præfat. in Matth.

Petr. Dam. Serm. 10.

3. Matthæus *non ſic Angelus intelligendus, ut aliqui Gabriel aut Michaël*, qui ſunt ſubſtantiæ merè ſpirituales, Matthæus verò eſt verus homo ex anima & corpore compoſitus. Verùm uti Chriſtus *dictus eſt magni conſilij Angelus, id eſt nuntius officij, non naturæ vocabulo;* ita Matthæus non eſt natura Angelus, ſed officio. *Quis enim neſciat, Evangeliſtam ab Angelico vocabulo derivari?* Dilectus diſcipulus quatuor Evangeliſtas varias facies habentes repræſentat. Marcus habet faciem leonis; Lucas refert faciem bovis: Joannes aquilæ ſpeciem præ ſe fert. Matthæus verò habet *faciem quaſi hominis.* Non dixit abſolutè & ſimpliciter, habet faciem hominis. *Diligenter attendendum, quòd non ait, Habens faciem hominis, ſed quaſi faciem hominis;* quia etſi in natura verè ſit homo, ex officio tamen eſt Angelus, & licèt exterius hominis faciem referat, interius tamen vitam & converſatio-

Tert. lib de carn. Chr. 14.

Tert ibid.

Petr. Dam. ibid.

Hug. Vict. l. 2 Apocal. c. 2.

ſtionem habet angelicam; oculis hominum videtur homo, carne circundatus; at oculis Dei videtur Angelus Angelica perfectione prædìtus. Angelus ſub ſpecie hominis alati repræſentatur, & ad innuendam angelicam Matthæi dignitatem, juxta ipſum pingitur homo alatus: juxta Marcum pingitur leo, quia per leonem ſignificatur: Juxta Lucam, ponitur bos, quia per bovem figuratur: juxta Joannem annectitur aquila, quia per aquilam denotatur; ac juxta Matthæum pingitur homo alatus ſeu Angelus, quo innuitur, ſanctum Evangeliſtam ad angelicam ſublimatum dignitatem; eſſeque illum *Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum.* Apocal. 14.

Sanè Matthæus apparebit *terreſtris Angelus & cæleſtis homo*; ſi illi angelicæ conveniant perfectiones. Sex autem potiſſimùm perfectionibus denotantur Angeli: ſcilicet 1. virtute & ſanctitate, in qua perſeverantes gloriam conſecuti ſunt: 2. Obſequii velocitate: (Qui facis Angelos tuos ſpiritus,) ſeu ut legit Paraphraſtes Chaldaicus, *Qui facis nuntios tuos veloces, ſicut ſpiritus.* 3. Virium poteſtate. *Multum ſpiritualibus viribus licet.* 4. Terrenorum paupertate, ideo nudi pinguntur, quia nihil in hoc mundo poſſident, nec poſſidere deſiderant. 5. Splendoris claritate, quapropter Jobus eos nuncupat ſtellas, ſeu *aſtra matutina.* 6. Ignita charitate: & ob hanc cauſam vocitantur à Regio Vate, Ignis urens. Sex illis Angelorum notis decoratur Matthæus. *Virtus Angelos facit etſi non natura, certè propoſito & electione.* Quàm admirabili virtute prædìtus ſit Matthæus, *Docet ipſa gens Æthiopum, quam de ultimis terræ finibus ad Eccleſiæ ſanctæ ſocietatem prædicando convertit, ablutamque fonte formoſam reddidit, & nigredine vitiorum illam exuit, & ornatu virtutum decoravit.* 2. Angeli ſunt in obſequendo velociſſimi: & Matthæus interpretatur ab Anaſtaſio Antiocheno *mandatum Altiſſimi*; quia mandato Chriſti illico obtemperavit. 3. Angeli ſunt incredibili poteſtate prædìti, & ex Hiſtoria Lombardica Matthæus dicitur, *à manu, & theos*, quaſi *manus Dei* inſuperabilem adverſus magos & dæmones demonſtrans fortitudinem. 4. *Qui terrena nec concupiſcere, neque poſſidere noverunt, Angeli ſunt terreſtres*: Matthæus autem, cunctis denudatus, paupertatem aſſumpſit: 5. Angeli velut ſtellæ ſcintillant: ſuo Evangelio Matthæus *quaſi ignea fax, noctem hujus ſæculi, & Eccleſiæ illuminat.* 6. Angeli igne charitatis ardent: Matthæum per Chriſolitum ſignificatum vult Magnus Alexander Alenſis, quia *ſicut hic lapis emittit ſcintillas ardentes, recipientes, & implentes, reddit charitate ardentes, & ſuas in eos flammas immittit.* Ardentes has flammas immiſit Matthæus, Æthiopes igne charitatis igniens, & conſtanter pro Chriſto ſanguinem fundens.

D. Chryſoſt. hom 22 ad Pop. — Pſal 103. — Tert. Apol. 22. — Cap. 38. — Pſal 103. — D. Chryſoſt. hom. 32. in Act. — V. Beda. — Fidel Ser. de S. Matth. — Bernardin. Sen. 3 p Ser. 2. a. 3. c. 1. — D. Greg. præfat. in Matth. — In cap. 21. Apocal.

Publicani ſunt *peſſimi, & probroſiſſimi avaritia.* *Peſſimi* quidem, utpote peccatores publici: *probroſiſſimi* etiam tanquam infames exiſtimati: ſed ultra nequitiam, qua velut peccatores culpantur: & ignominiam, qua tanquam infames dedecorantur, ſunt adhuc *de iniquitate ſævitiæ* III. PARS. Tert. lib. 1. ad Nat. 5. Tert. Apol. 48.

accu-

accuſati, & ſubſtantia & ſanguine populorum cruentati. Talis fuit ante ſuam converſionem Matthæus, qui viſu & verbo Chriſti immutatus, proprio ſanguine purpuratur, & in altari immolatur, velut hoſtia: 1. Virginitatis: 2. crudelitatis: 3. charitatis.

Tert. lib. de Reſ. 2. *Virginitas de bonis carnis Deo adoletur*, ut conſtat ex Iphigenia Egipii Regis Æthiopum filia, quæ à B. Matthæo ad fidem converſa, & ſacris Baptiſmi aquis regenerata, votum ſervandæ virginitatis emiſit, & unà cum ducentis virginibus in nobili Parthenone ſeſe incluſit. Sed cùm Egipio fato functo frater ejus Hirtacus regnum occupaſſet; & quo dominationem ſuam firmius ſolidaret, Iphigeniam Deo deſponſatam, ſibi uxorem ducere ſacrilegè pertentaret; Matthæus impium Regis condemnans deſiderium, & Iphigeniam ad ſervandum virginitatis votum conſtanter inhortans, tyrannus ambitione captus, Venere accenſus, & furore exagitatus, Matthæum cujus conſilio Iphigenia virginitatem Deo voverat, & in ſancto propoſito perſeverabat, ad altare myſterium celebrantem juſſit occidi. Qui idcirco vocitatur à Petro Damiano *virginitatis victima*. Tunc tyrannus convertens in odium amorem, quo Iphigeniam deperiebat, in locum, in quo cum ſuis virginibus morabatur, ſe contulit, ignem ædibus admovit, ut quæ libidinis flammis non arſerat, communi cum ſuis incendio conflagraret: Sed B. Apoſtolus in aëre conſpicuus apparuit, à ſacris ædibus ſceleratas flammas avertens, & Hirtacus fuit horribili lepra percuſſus, cujus fœtorem ferre non valens, ſemetipſum proprio mucrone confodit, etiam ex hoc mundo luens pœnam crudelitatis quam exercuerat in Matthæum, qui in Altari immolatus eſt à tyranno velut hoſtia impietatis.

Tert. Apol. 2. 2. *Statim ut coli Deus cœpit, invidiam religio ſortita eſt.* Matthæus in Æthiopiam progreſſus, idololatriam evertit, religionem Chriſtianam ſtabilitavit, Eccleſias ædificavit, Magos ſuperavit, dracones fugavit, ægrotos ſanavit, mortuos ſuſcitavit, virtutem verbo & exemplo demonſtravit; ab impio tamen & ſævo tyranno velut hoſtia crudelitatis immolatur, & tanquam

Tert. ibid. alter *Zacharias inter altare & ædem trucidatur, perennes cruoris ſui maculas ſilicibus adſignans.*

Judæis promittit Dominus ſe miſſurum Prophetas & Sapientes, & Scribas, ab ipſis occidendos, crucifigendos, ac perſequendos, ſubjungens: [Ut ve-

Matth 23. niat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel, uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quē occidiſtis inter templum & altare.] Zacharias iſte non eſt pater Joannis Baptiſtæ, ut falsò docet Origenes, ſed Zacharias filius Jojadæ, quem Rex Joas interfecit in templo.

L. 2. Paral. 24 Verùm cùm plures alii perſecuti fuerint à Judæis: *non modò juſtorum, verùm*

Tert. ibid. *etiam & Prophetarū. David exagitatur, Helias fugatur, Hieremias lapidatur, Eſaias ſecatur, ipſe clauſula Legis & Prophetarum, nec prophetes, ſed angelus dictus, contumelioſa cæde truncatur, in puellæ pſaltriæ lucar.* Cur cæteris prætermiſſis Evangeliſta Abelem duntaxat & Zachariam commemorat? ſpecialem facit mentionem Hiſtoricus ſacer, de Abele & Zacharia, ob ſingulare martyrii præco-

præconium. De Abele quidem, ob martyrii primatum; nam primus omnium occiſus eſt. *Qui Deo placuerat, occiditur, & quidem à fratre, quo procliuius impietas alienum ſanguinem ſectaretur, à ſuo auſpicata eſt.* De Zacharia etiam, qui à Rege Joas crudeliter & impiè interfectus eſt in templo, Deo offerens ſacrificium. Matthæus non ſecus ac Zacharias occiditur ab iniquo Rege, offerens Deo ſacroſanctum Miſſæ myſterium, ſuum quoque ſanguinem velut hoſtiam & victimam charitatis Deo immolat. Tert ibid.

3. *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſanæ mentis. Virtute enim patimur ex dilectione in Deum, & ſana mente, quia ob innocentiam patimur.* Tria in martyrio B. Matthæi diſcriminanda ſunt: pœna, cauſa, & forma. Pœna eſt mors inflicta à tyranno, qui eum injuſtè mactat, tanquam hoſtiam crudelitatis ſuæ. Cauſa eſt ſana mens, ob quam occiditur, nimirum ob innocentiam, ob virginitatem. Forma eſt dilectio, qua conſtanter patitur à tyranno mortem, Deoque vitam ſuam offert tanquam victimam charitatis, Chriſtum imitans, qui à Judæis ſævè & impiè crudeliter crucifixus, *tradidit ſemetipſum oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.* Sciſcitatur D. Thomas, *utrum paßio Chriſti operata fuerit per modum ſacrificij*; & diſtinctione utens concludit: *Paßio Chriſti ex parte occidentium ipſum, fuit maleficium; ſed ex parte ipſius ex charitate patientis, fuit ſacrificium.* Similiter martyrium B. Matthæi, ex parte occidentium ipſum, eſt maleficium; ex parte verò Apoſtoli ex charitate patientis, eſt ſacrificium. Cruentum crucis *ſacrificium ipſe Chriſtus obtuliſſe dicitur, non autem illi qui eum occiderunt*; quia hi ex iniquitate, injuſtitia & impietate crucifixerunt Chriſtum: Chriſtus verò ex charitate patiens, ſemetipſum obtulit Deo Patri tanquam hoſtiam dilectionis. Matthæus quoque ſacrificium propriè obtulit, non verò Hirtacus, & ſatellites, qui eum occiderunt, quia hi Apoſtolo ex ſævitia martyrium intulerunt: Matthæus verò ex charitate patiens, ſeipſum tanquam victimam dilectionis Deo obtulit. In ara crucis Chriſtus eſt ſimul Sacerdos & hoſtia, & ut eum alloquitur D. Auguſtinus: *Tu Chriſte es Sacerdos, tu victima: tu oblator, tu oblatio.* Sacerdos quidem ſacrificium offerens: victima etiam, in corpore ſuo mortem crucis patiens. B. Matthæus pariter eſt ſimul ſacerdos & hoſtia. Hoſtia, quia ex Dei dilectione ſubit martyrium: Sacerdos, quia mortem ſuam Deo offert. Chriſtus duplex obtulit ſacrificium, cruentum unum; incruentum aliud: Illud in ara crucis; iſtud in cœna, cùm ſacro-ſanctum Altaris inſtituit myſterium. Matthæus etiam obtulit ſacrificium cruentum martyrium patiens; incruentum adhuc, nam occiſus eſt dum ſacro-ſanctum Miſſæ celebraret myſterium, miſcens ſuum ſanguinem cum ſanguine Chriſti; immolans ſemetipſum in eodem Altari, in quo immolabat Chriſtum. Sanè *immolatio nova & admirabilis! ipſe enim erat hoſtia & ſacerdos: idem ipſe qui offerebat, & qui offertur,* & qui offertur in eodem Altari, in quo offertur Chriſtus: quo nihil glorioſiùs pro B. Matthæo dici poteſt.

Tert. Scorp 13. — Epheſ. 5. — 3 p q. 48 a 3. — D. Thom. — In Pſ. 64. — D. Auguſt. Serm 130. de Temp.

diſpoſitiones præviæ ad corporis tui ſacrificium; hæ ſunt conditiones requiſitæ, ut ritè ſacerdotis fungaris officio; quibus ornatus, *ſic corpus tuum admove* Chryſolog.
Dei ſecurus ad victimam; Deus fidem, non mortem quærit; votum, non ſanguinem ſitit; placatur voluntate, non nece. Præbeamus fratres, aures Apoſtolo roganti & obſecranti: (Obſecro, inquit, vos per miſericordiam Dei.) *Sed jam quid obſecret Apoſtolus, audivimus.* Obſecro, inquit, ut exhibeatis corpora veſtra. Rom 12.
Apoſtolus ſic rogando, omnes homines ad ſacerdotale faſtigium provexit. Ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam vivam. Chriſtiane, *ſict corpus tuum tua hoſtia, ſi nullo peccati jaculo fuerit ſauciata.* Unde tibi moriendum eſt laſciviæ, gulæ, blaſphemiæ, iræ, & cujuſvis peccato, ut corpus tuum hoſtiam vivam valeas offerre. *Vivit corpus, homo vivit, quoties à te Deo virtutum vita, vitiorum mortibus immolatur*, morere vitiis, vive virtutibus, & ſic vivam immolabis hoſtiam. *Non poteſt mori, qui vitali gladio meretur occidi:* qui vitali gladio enecat vitia, occidit peccata, pravos reſecat mores, vivit virtutibus, vivit gratiæ, & meretur in cœlo vivere ſine fine. Chryſolog.

CONCIO TERTIA.

INter Apoſtolos nullus eſt, qui majorem habeat cum Deo conformitatem, quàm Bartholomæus. *De ipſo jam Domino Ieſu, quanta diverſitas ſcinditur.* De genere etiam Bartholomæi magna eſt Authorum diverſitas. Metaphraſtes Joſephum humilem ſequutus, aſſeverat, Bartholomæum fuiſſe natione Galilæum, profeſſione piſcatorem, & cenſu pauperem: [Qui prius idiota erat, & pauperem vitam agebat, è minimo maximus, & ex piſcium piſcatore hominum piſcator factus eſt.] Petrus verò de Natalibus ſcribit, Bartholomæum [Sirum fuiſſe, Regiſque Sirorum ex parte nepotem, ſolumque ex omnibus Apoſtolis, nobilitate præclarum.] Idipſum docet Abulenſis. Innuit etiam ſanctus Vincentius Ferrerius. 2. Chriſtus Dominus ex regia origine ortus, noluit indui purpura. Nam *qualis purpura de humeris ejus floreret, quale aurum de capite radiaret, niſi gloriam ſæculi alienam, & ſibi, & ſuis reliquiſſet?* Ex D. autem Hieronymo à Sanches relato, Bartholomæus ſe Chriſto adjunxit in purpura, & habitu pretioſo, cæteriſque diſcipulis id demirantibus, Salvator ei patrocinando, dixit, fore aliquando tempus, quo non purpuram duntaxat, veſteſque omnes, ſed & pellem ſuo ſanguine purpuratus exueret. 3. Chriſtus Dominus cùm dives eſſet, pro nobis adeo pauper effectus eſt: quòd, ut ipſemet ait: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Similiter (Beatus Bartholomæus, cùm temporalibus divitiis, corporis voluptatibus, ac dignitatis celſitudine poſſet affluere, contempſit omnia; & ut verus Chriſti efficeretur diſcipulus, cæleſtia terrenis, & caducis æterna præpoſuit.) Tandem 4. Chriſtus *pleniſſimè dedit formam ſuis;* cujus perfectus extitit imitator Bartholomæus, 1. orationi vacans: 2. mundum illuminans: 3. ſacerdotum invidia martyrium tolerans.

Tert. lib adv Valent 39. — Lib 7, c.109 — Quæſt 15 in c. 10 Matth. Fer 3. Dom. 2 Quad. Ser. 1. — Tert: lib: de Idol 19 — L 1 de Reg. Dei 10. — Tert ibid. — Laur Juſtin Serm de S. Barthol: — Tert: ibid:

I. PARS: Tert lib de O.at.1

Ieſus Chriſtus Dominus noſter diſcipulis orationis formam determinavit;

eoſque tam verbo quàm exemplo docuit, ut ſedulò orationi vacarent; nocturno etiam tempore orarent, dæmonemque per orationem debellarent. Bartholomæus *ex forma dominica* egit, in oratione 1. perſeverans: 2. pernoctans: 3. dæmonem expugnans.

Tert lib. de Idol 18.

1. *Omni momento oratio hominibus neceſſaria*: eſt quod innuit Dominus: Tum *orandi inſtantiam & perſeverantiam mandans*: Tum apud Lucam abſolutè pronuntians: *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*: quod quomodo fieri poſſit, aliorſum declaravimus: Tum in oratione perſeverans, etiam tertiò tranſitum calicis ab æterno Patre poſtulans: Tum quia *ipſe Dominus in ſeceſſu frequentius agebat, ut liberius oraret, ut ſæculo cederet.* Seceſſum captabat Chriſtus ad orandum, non ſecundùm divinam, ſed ſecundùm humanam naturam. Oravit autem in monte, locum orationi opportunum ſeligens; ſolitudo namque ab hominum tumultu liberans, orationis quieti & tranquillitati convenit, orationiſque ſuæ perſeverantia, *quid facere nos oporteat exempli ſui gratia, ſeu conteſtatione demonſtrat Dominus*, qui diebus cum turbis aderat, prædicationis addictus officio, noctibus verò, relictis turbis, in ſecretiora loca ſe recipiebat, ut liberiùs orationi vacaret. Itaque *cùm in urbe miracula faceret, & in monte orando continuò pernoctaret, exemplum ſuis fidelibus præbuit, ut nec contemplationis ſtudio, proximorum curam negligant, nec rurſus cura proximorum immoderatius obligati, contemplationis ſtudia derelinquant.* Bartholomæus perfectus Chriſti imitator, & proximi ſalutem zelabat, & prædicationi inſtabat, & virtutis opera faciebat, & in oratione die noctuque perſeverabat, centies per diem, & centies per noctem orans, oratione operans, & juſtitiæ operibus orans.

Tert. lib. de Exh. caſt 10. Ter. l. 4 adv Marc. 16. Luc 18. Tert. Præd. tom. 5 tract de Orat. Conc. 5. Tert lib ad Matt. 2.

D. Cypr. de Orat.

D. Greg l. 28. Mor. 6.

Apoſtolus à Chriſtianis duo ad invicem incompoſſibilia expoſtulare videtur. *Semper quod bonum eſt, ſectamini in invicem, & in omnes: ſine intermiſſione orate.* Nam ſi quod bonum eſt, ſemper operandum eſt in invicem, & in omnes, numquam à proximorum miniſterio vacabimus; & ſi ſemper proximorum miniſterio vacamus, ſine intermiſſione orare non poterimus: quia ſcilicet illud ipſum rectè operari in omnes, continua eſt oratio; virtutum enim actiones, orationis obtinent locum. Bartholomæus ſine intermiſſione orat, quia ſine intermiſſione veritatem prædicat, infirmos curat, dæmones debellat, operationes pietatis, juſtitiæ, caſtimoniæ, pœnitentiæ patrat, centies in die orans, & adhuc in oratione pernoctans.

Theſſal. 5.

2. *Cùm etiam per noctem exurgis oratum*, Chriſtum imitaris, qui, ut refert Evangeliſta, (erat pernoctans in oratione Dei.) Tempus namque noctis aptiſſimum eſt ad orationis negotium, quia *purior in nocte eſt anima, levior ſubtiliorque tunc eſt, ſublimia videt, ac expedita eſt. Tenebræ ipſa, ſilentiumque multum in compunctionem inducere ſufficiunt.* Quod bellè, quamvis longiuſculè declarat D. Hieron. *Bona eſt equidem diurna meditatio, ſed efficacior eſt nocturna: quia per dies neceſſitates variæ obſtrepunt, occupationes diſtrahunt mentem, ſenſum duplex cura diſpergit. Nox quieta, nox ſecreta, opportunam ſe præbet orantibus, aptiſſimam vigilantibus, dum carnalibus occupationibus expedi-*

Tert. lib. 2. ad Uxor. 5. Luc 6. D Chryſoſt hom 26 in Matth. Epiſt de Obſerv. Vigil.

expeditum, collectum ſenſum, intentum hominem divinis conſpectibus ſiſtit. Nec Chriſtus ſolùm verbo docuit vigilias, ſed etiam docuit exemplo. Ut enim refertur in Evangelio, erat pernoctans in oratione: (Quòd ſi ille orabat, qui ſine peccato erat, quantò magis peccatores oportet orare;) præſertim paſtores, advocati miniſterio fungentes? Ut enim ait D. Ambroſius, *Suſcepit Chriſtus advocati perſonam, & pernoctabat in oratione pro nobis, ut nos ſuo informaret exemplo. Non enim ideo pernoctavit, quaſi qui aliter Patrem nobis reconciliare non poſſet: ſed ut qualis advocatus eſſe debeat, demonſtraret; qualis ſacerdos, qui non ſolùm diebus, ſed etiam noctibus, pro grege Chriſti debeat precator aſſiſterre.* Bartholomæus centies in die, & centies in nocte orabat: tum ut Deum veneraretur; tum ut Chriſtum in oratione pernoctantem imitaretur: tum ut advocati fungeretur officio, Deumque pro populo deprecaretur: tum ut fauſto Marte, cum diabolo præliaretur, eumque orationis efficaciâ expugnaret.

D. Cypr.

Serm 10 in Pſ. 118.

3. *Adverſus ſpiritalia malitiæ* nunquam majoribus viribus præliatur, quàm oratione. Nam ut docet Chriſtus Dominus, Dæmonium nequit ſuperari, niſi oratione & jejunio. *Gravior equidem nobis eſt inimici tentatio, ſed longè gravior eſt illi noſtra oratio.* Primam quam de Goliath retulit David victoriam, oratione reportavit. Nam, ut animadvertit D. Chryſoſtomus, *Priuſquam mitteret lapidem, eum precationis robore fuerat aggreſſus.* Ex prima illa victoria de Gigante reportata, ediſcens David orationis vim, nullum deinceps cum hoſtibus inivit prælium, niſi oratione præmiſſâ. *Numquam niſi conſulto Domino, bellum adorſus eſt; ideo in omnibus victor prælijs.* Ut David oratione munitus debellavit Goliath, ita Bartholomæus orationis virtute diabolum expugnavit. *Oratio igne ardentior, terribilis hoſtibus redditur.* Diabolus maximè pertimeſcit orationem, igne quo in gehenna torquetur, ardentiorem. Orationis igne Bartholomæus diabolum urebat. Nam eum in idolo Aſtaroth delitеſcentem, mutum reddidit, vinculis igneis alligavit; & ſub Mauri figura apparentem, à templo in quo adorabatur, fugavit, inſignemque illam victoriam Apoſtolus de diabolo reportavit, adſtantibus idololatris. Nam ut refert D. Antoninus, *Viderunt omnes Æthiopem fuligine nigriorem, facie acuta, barba prolixa, crinibus uſque ad pedes protenſis, oculis igneis, ſcintillas ut ferrum igneum emittentibus, flammas ſulphureas ex naribus ſpirantem, catenis igneis vinctum retro manibus.* Sic tartareum illum hoſtem oratione Bartholomæus debellavit, & ad Chriſti imitationem mundum illuminavit.

Tert. lib de Jejun 17

Matth 11

D Bern Ser. 3 de Dedic. Eccleſ.

Hom 3 de David.

D Ambr l 2 Offic 16.

D Chryſoſt Hom in c. 17 Matth.

Illuminator generis humani Filius Dei annuntiabatur. Ad Solem præſertim pertinet illuminare mundum: Chriſtus eſt verus Sol juſtitiæ, per Apoſtolos ſuos mundum illuminans. Sol emittit lucis ſuæ radios; Apoſtolos *miſit Chriſtus quaſi Sol radios ſuos.* Luce perfuſi, *ipſi poſtmodum univerſum mundum tanquam duodecim Solis radij illuminant.* Sole juſtitiæ illuminatus Bartholomæus, & ad prædicandum Evangelium velut Solis radius miſſus, 1. Gentiles in idololatriæ tenebris verſantes, luce verita-

II PARS.

Ter Apol 21

D Chryſoſt. in cap. 10. Matth

D Aug Ser: 185 de tēp.

tis illuſtravit: 2. ſceleroſos vitiis aſſuetos, virtutis amore ſufflammavit: 3. dæmonibus oracula edentibus, ſilentium imperavit.

Ter. l. 5 adv Marc 9. 1. *Myſticè factum eſt, ut nocte Chriſtus naſceretur, lux veritatis futurus ignorantiæ tenebris*, quas illuminavit; vel per ſe, quia à Sole Juſtitiæ *ſplendor quidam luminis deſurſum in inferioribus refulſit*: vel per ſuos Apoſtolos, qui Tert lib de Præſc hær. 46. *propter illius luminis* ſplendorem, quem à Domino & magiſtro mutuantur, tanquam Soles habentur. Sic Dionyſius Areopagita Evangeliſtam Joannem Tertull. *Evangelij Solem* nuncupat. Imo & ipſemet Chriſtus Apoſtolos omnes, Soles eſſe declarat, dum eos lucem mundi vocitat. *Cujus lumen abundè participans Bartholomæus filius Solis denotatus, dum filius ſuſpendentis aquas* interpretatur. Sicut Sol aquas maris in altum attrahit, eaſque in aëre inter nubes ſuſpendit, Bartholomæus peccatores per ſalſitudinem maris denotatos, ad Deum attrahit, & inter nubes ſuſpendit, ut pœnitentiæ emittant imbres. Neque duntaxat filius Solis, ſed etiam ab Abbate Theodoreto ſalutatur, velut *Sol orbis terræ cuncta illuminans*; Tum quia Sol quaſi ſolus; Bartholomæus ſolus nobilis ad Apoſtolatum vocatus: cæteri namque Apoſtoli fuêre piſcatores & ignobiles: Tum quia Sol ſemper lætam & jucundam faciem demonſtrat, Bartholomæus ſemper lætum & jucundum præferebat vultum. Tum quia Sol ſemper eſt juvenis, numquam antiquatur & ſeneſcit: Bartholomæus poſt Spiritus S. adventum ſemper juvenis in gratia perſeveravit, neque ullam peccati vetuſtatem perſenſit: Tum quia Sol mundum illuminat: Bartholomæus Gentiles in tenebris idololatriæ verſantes, luce veritatis illuminavit. Nam in Licaoniam Cappadociæ provinciam ſe contulit, deinde in Indiam citeriorem, tandem Armeniam longè latèque peragravit, & ingentes populos idololatriæ tenebris merſos, ad fidei lucem adduxit, ipſumque Regem Polemonem cum univerſa familia Chriſto parturi-Ter. lib. adv Jud 13. vit: qui omnes ſe idolis renuntiaſſe gloriantur: *Ex quo Gentes nos dilucidatæ per Chriſtum veritate, projecimus idola.* Tum quia ex mente Anaxagoræ & Plut de Placit Philoſ. 2. 20. Democriti Sol eſt *globus ferri candens, aut ſaxum ignitum*; Bartholomæus Dei amore ſuccenſus, ignitum videbatur ferrum, ſceleroſos ardore libidinis & vitii accenſos, amore caſtimoniæ & virtutis ſufflammans.

2. Gentiles Deum exiſtimabant *Solem, qui de ſuo cumulet, fruges calo-Tert lib. 2. ad Nat 5. ribus procuret.* Chriſtus eſt Sol de ſua luce diem cumulans. *Chriſtus jam orbem Evangelij ſui radijs illuminavit.* Cumulatus Solis luce dies, duodecim Ter lib. adv Jud 12. Joan 11. conſtat horis; *Nonne duodecim horæ ſunt diei?* Uti autem per Solem, qui ſua luce diem Evangelii cumulat, intelligitur Chriſtus, ita Hugo Cardinalis per duodecim horas duodecim Apoſtolos uſurpat. *Duodecim horæ ſunt duodecim Apoſtoli, quos Chriſtus illuminavit.* Horæ diei illuminantur à Sole; Apoſtoli illuminati ſunt à Chriſto. Spirituales illæ horæ hoc ordine recenſentur Matth. 10. à Matthæo, ſcilicet Petrus, Andreas, Jacobus, Joannes, Philippus, Bartholomæus. Apud Judæos hora ſexta erat hora duodecima, qua Sol eſt in meridie, magiſque lucet & ardet. Bartholomæus inter Apoſtolos ſextus ordine numeratus, eſt hora diei ſexta. Hora ſexta ob majorem Solis vicinitatem

eſt cæteris ardentior, adeo ut ob nimium illius calorem, Chriſtus juxta puteum Jacob ſederit: quia *intenſior æſtus diei acceſſerat.* Bartholomæus non ſecus ac hora ſexta in charitate ardentior eſſe videtur. Cyril Alex. l. 2. in Ioan. 79.

Bartholomæus non ſolùm hora diei ſexta, Solis ardoribus accenſa, ſed etiam Sol eſt ignitus & igniens. Ignitus quidem: *Sol enim corpus, ſiquidem ignis.* Tert lib de An. 1. Igniens etiam, & accendens eos, quibuſcum agebat & converſabatur charitatis & virtutis ardore, ad modum ignis, qui, ut fatur Dionyſius Areopagita, *ea quibus inſederit, ſuum traducit officium, omnibusq; quomodolibet ſibi appropinquantibus ſui conſortium tradit.* Lib de cæl. Hier. c. 15. Bartholomæus ſimiliter æſtuans charitatis & caſtitatis igne, Licaonas ardore libidinis accenſos, amore caſtitatis ſufflammavit, & ut ait D. Chryſoſtomus, *Licaonas ad temperantiam & pœnitentiam adduxit.* Hom. de 12. Apoſt.

Non immeritò Apoſtolis *apparuerunt diſpertitæ linguæ tanquam ignis.* Act 2. Oportebat enim eos accendi igne divini Spiritus, ut eo inflammarent totum orbem gelidum, & frigore torpentem. Ut autem animadvertit Magnus Gregorius, *In linguis igneis apparuit ſpiritus, quia omnes quos repleverit, ardentes pariter, & loquentes facit.* Hom 30. in Evang. Sic ardentes pariter & loquentes effecit Apoſtolos, ſpecialiter Bartholomæum, qui ob hanc cauſam vocitatur à Theodoreto Abbate, *ignita lingua.* In Hiſtor. Lombard. Tum quia ſicut ignis ſemper ſuperiora petit, ita nullum fere erat momentum, quo Bartholomæi lingua non efferretur in cœlum, Deum deprecans, ejuſque majeſtatem laudans: Tum quia ignis charitatis, quo intus ardebat, adeo igniebat, ut eos, quibus prædicabat, amoris Dei ardore ſuccenderet. Nam ut Magnus ſubjungit Gregorius, *Linguas igneas Doctores habent; quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant.* Tum quia orationis æſtu adeo dæmonem urebat & torquebat, ut malignus ille ſpiritus fateri cogeretur: *Apoſtole Dei, Bartholomæe, incendunt me orationes tuæ.* Hiſt Lomb. Tum quia tanto ardoris zelo loquebatur, tantaque vi, ut dæmonibus oracula reddentibus ſilentium imponeret.

3 *Spiritalia nequitiæ, non quidem ſocia conſcientia, ſed inimica ſcientia novimus, nec invitatoria operatione, ſed expugnatoria dominatione tractamus.* L de An 57. Sic loquuntur Apoſtoli apud Tertullianum. Inter quos præſertim Bartholomæus dæmones ſuperavit, eoſque expugnatione & dominatione tractavit. Plures recenſet Tertullianus artes, quibus uſi ſunt dæmones, *ut numina crederentur, & Deus verus non quæreretur.* 1. Morbos, quos & ipſi immittunt, ſanare moliuntur. Apolog. 22. *Benefici planè & circa curas valetudinum: lædunt enim primò, dehinc remedia præcipiunt, ad miraculum nova, ſive contraria, poſt quæ deſinunt lædere, & curaſſe creduntur.* 2. Ut hominibus ſui terrorem ingenerent, corpora animasq; poſſident, furoribusque exagitant. *Itaque corporibus quidem aliquos caſus acerbos infligunt: animæ verò repentinos, & extraordinarios per vim exceſſus. Suppetit illis ad utramque ſubſtantiam hominis adeundam ſubtilitas & tenuitas ſua.* 3. Templa ſibi ædificari curant, ubi per idola loquuntur, oracula reddunt, & *præſtigijs falſæ divinationis* homines decipiunt, & in idololatria detinent. Dæmon in Armenia ſibi fanum erigi curavit, ubi ſub idolo

nomine

nomine Aſtaroth venerabatur, tribuſque relatis artibus utebatur, ut divinos uſurparet honores. Nam 1. valetudines infligebat: 2. corpora poſſidebat, & furoribus agitabat: 3. ambiguè oracula reddebat. Bartholomæus Aſtaroth, ſeu potiùs dæmonem, per illum operantem, expugnavit. Nam ut fatur Joſephus humilis apud Metaphraſtem, [Bartholomæus idolorum inſaniam & noctem extinxit; jure hoſtium corda vulneravit; dæmonum per aëra volantium turmas percuſſit; idolorum templa ſolo æquavit, & homines ipſos viventis Dei templa reddidit.]

Ut autem appareat, quàm meritò Bartholomæus prædicetur diadoli debellator, recenſendæ ſunt in particulari victoriæ, quas de illo retulit. 1. Corpora animaſque ſanavit. Corpora quidem, dum lunaticam Polemonis Regis filiam, quam Aſtaroth curare nequiverat, ipſe ſigno Crucis perfectæ ſanitati reſtituit. Animas etiam, quas ſacro Baptiſmate initiavit, & à peccati originalis labe mundavit. 2. Obſeſſos ſeu poſſeſſos à diaboli po-
Tert. Apol. 21. teſtate liberavit, *cùm ille verbo dæmonia de hominibus excuteret.* 3. Aſtaroth ſeu diabolo per os ejus, oracula reddenti, imperavit, & ſilentium impoſuit:
Tert. Apol. 23. *Nec divinitas deputanda eſt, quæ ſubjecta eſt homini, & ſi quid, ad dedecus facit æmulis ſuis.* 4. Aſtaroth coram omni populo, non Deum eſſe, ſed
Tert. ibid. diabolum confiteri coëgit. A Bartholomæo namque juſſus, *tam ſe dæmonum confeſſus eſt de vero, quàm alibi Deum de falſo.* 5. Teſtimonio ipſius dæmonis, & Chriſti Divinitatem, & religionis chriſtianæ veritatem oſ-
Tert. Apol. 23. tendit. *Sed monſtravimus vobis idoneos teſtes Chriſti, ipſos illos quos adoratis: multum eſt ſi eos adhibeamus, ut credatis Chriſtianis, propter quos non creditis Chriſtianis.* 6. Dæmonem compulit, ut ipſum veri Dei Apoſtolum re-
Tert. lib de An. 2. cognoſceret, & veræ religionis prædicatorem prædicaret. *Ex æmulis nonnunquam teſtimonium neceſſarium eſt, ſi non æmulis proſit.* Hæ ſunt victoriæ, quas de Aſtaroth & Berith reportavit Bartholomæus, mendacem diabolum ad confeſſionem veritatis inducens, cujus teſtimonio nullum fructum referentes idolorum ſacerdotes, ſed impio lucro ſe privatos conſpicientes, in Apoſtoli necem conſpirarunt. Ut autem Chriſtus invidia ſacerdotum crucifixus eſt, ita Bartholomæus ſacerdotum avaritia martyrium ſubiit.

III. PARS. Tert. Apol. 21. Quia à Chriſto *revincebantur magiſtri primoreſque Iudæorum, ita exaſperabantur, maximè quòd ad eum omnis multitudo deflecteret, ut poſtremo oblatum Pontio Pilato Siriam tunc ex parte Romana procuranti, violentia ſuffragiorum, in crucem dari ſibi extorſerint.* Scribæ, Phariſæi, & Judæorum Pontifices, erga Chriſtum invidia tabeſcentes: tum quia ipſe eos redarguebat: tum quia ad eum multitudo veniebat, utrumque ferre non
Brevia. die 24. Aug. valentes, eum ante præſidem accuſaverunt, & violentia ſuffragiorum ad crucem damnare coëgerunt. Bartholomæus ſimiliter cùm in Indiam citeriorem prædicandi Evangelii gratiâ veniſſet (& in ea provincia plurimos ad JESUM Chriſtum convertiſſet; multos labores, calamitateſque perpeſſus, venit in majorem Armeniam, ibique Polimium regem, & conjugem ejus

ejus ad fidem Chriſti perduxit, quæ res in eum magnam invidiam concitavit ſacerdotum: qui adeò Aſtiagem Polimii regis fratrem, in Apoſtolum incenderunt, ut is vivo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi juſſerit, ac caput abſcindi, quo in martyrio animam Deo reddidit,) Chriſtum imitatus in martyrii, 1. univerſalitate: 2. acerbitate: 3. diuturnitate.

1. Chriſtus tormentorum pertulit univerſalitatem: non quod omnia paſſus ſit ſuppliciorum genera, ſed quia in cunctis corporis partibus cruciatus & dolores toleravit: *Taceo quod figitur, in hoc enim venerat; deſpuitur, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur*: totque fuit vulneribus affectus, plagis conciſus, ut in eo nulla pars corporis remanſerit illæſa. Et ut fatur Propheta Evangelicus, *à planta pedis, uſque ad verticem capitis, non eſt in eo ſanitas.* Bartholomæus Chriſti æmulans paſſionem, tormentorum ſuſtinuit univerſalitatem. Nam fuit equuleo vexatus, ungulis excarnificatus, flagris dilaceratus, lapidibus grandinatus, pelle excoriatus, in cruce patibulatus, gladio detruncatus, & in cunctis corporis partibus immaniter cruciatus.

Tert lib. de Pat. 5.

Iſa. 1.

Parum erat Chriſto Domino hortari Martyres verbo, niſi firmaret exemplo. Paſſionis Dominicæ exemplo firmatus Bartholomæus, dolorum ſuſtinuit univerſalitatem, ut divino illi conformaretur prototipo, & generalitatem paſſionum ejus veneraretur. Qui ſpinis coronantur, honorant Chriſti coronationem, qui flagis verberantur honorant ejus flagellationem; qui in cruce patibulantur honorant ejus crucifixionem; at Bartholomæus honorat univerſalem Chriſti paſſionem; nam *à planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas.*

D. Aug. in Pſal: 63.

Duplex eſt Chriſti corpus: naturale unum; myſticum alterum. In corpore ſuo naturali ſemel paſſus eſt Chriſtus, neque deinceps eſt doloribus obnoxius, quia reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. At in corpore ſuo myſtico adhuc *Chriſtus patitur*; ob unionem quæ intercedit inter ipſum & ejus membra. Ut enim ait D. Auguſtinus, *ſemper in cruciatibus parit Eccleſia Chriſtum per membra*; cùm enim ſit quid unum cum ſuis membris, cum illis incruciatibus generatur; totque in Martyribus pertulit mortes, quot illi ſupplicia toleraverunt: Sic in Petro fuit crucifixus; in Paulo detruncatus; in Stephano lapidatus; in Ignatio à feris devoratus; in Laurentio prunis crematus; at in Bartholomæo in cunctis corporis membris cruciatus.

Tert. lib: de Pœn: 10. Hom: 9. in Apocal:

Orans cum ſudore ſanguineo Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſignificabat de toto corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, emanaturas Martyrum paſſiones: At nullius Martyris paſſio ita aſſimilatur Dominicæ paſſioni ac Bartholomæi martyrium. In horto Gethſemani ſanguineum ſudorem emiſit Chriſtus, ſed ſudorem univerſalem de cunctis corporis ſui partibus dimanantem. Non diſſimiliter Bartholomæus de omnibus membris ſanguinem emiſit. Semel & iterum fuit Chriſtus toto corpore cruentatus; ſemel in horto; iterum in Præſidis prætorio: quod præfiguratum vult Tertullianus *in benedictione*

D Aug: L. de Ver. Innoc: c. 61.

Lib. 4 adv: Marc: 40. *Iuda, ex cujus tribu, carnis cenſus Chriſti proceſſurus, jam tunc Chriſtum in Iuda delineabat.* Lavabit, inquit, in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ amictum ſuum; *ſtolam & amictum, carnem demonſtrans, & vinum ſanguinem.*
Tert. ibid. In figura adhuc vini Eſaias Propheta Chriſti cruorem deſignat: (Quis, inquit, qui advenit ex Edom? Rubor veſtimentorum ejus ex Boſor. Sic decorus in ſtola vinolenta cum fortitudine. *Spiritus enim propheticus velut jam contemplabundus Dominum ad paſſionem venientem, carne ſcilicet veſtitum, ut in ea paſſum, cruentum habitum carnis in veſtimentorum rubore deſignat, conculcata & expreſſa vi paſſionis, tanquam de foro torcularis.* Hac ſimilitudine probe ſignificatur purpuratus ſuo ſanguine Dominus, & etiam Bartholomæus ad inſtar Chriſti, toto corpore cruentatus. *Quia exinde quaſi cruentati homines de vini rubore deſcendant.* Quod ſi cum Vate Evangelico inquiramus à
Iſa. 63. Chriſto, (Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Et ſi adhuc ſciſcitemur à Bartholomæo. *Quare ru-*
Tert. ibid. *bra veſtimenta tua, & indumenta ſicut de foro torcularis pleno conculcato?* uterque reſpondebit: Quia à ſatellitibus paſſi ſumus in omnibus corporis membris cruciatuum acerbitatem.

Tert. lib. de Spect. 30. 2. Judæi & ſatellites *in Dominum deſævierunt*, cumque cruciatuum acerbitate perſecuti ſunt, affigentes cruci, quæ adeò violentam & acerbam infert
L. adv: Jud. 9. paſſionem, ut *atrocitas crucis* in abſtracto vocitetur à Tertulliano. Tantam doloris acerbitatem paſſus eſt Chriſtus, ut eum *virum dolorum* nuncupet Evan-
Iſa. 53. gelicus propheta. Non dicit, *virum doloris*, in ſingulari, ſed *virum dolorum* in plurali. Vatablus legit *plenum dolorum*, hoc loquendi modo denotans, & dolorum univerſalitatem in toto corpore Domini, & adhuc dolorum acerbitatem. Vir dolorum extitit Bartholomæus, qui cùm damnatus fuiſſet ad
Joſeph. Humil: apud Metaph. crucem, & omnia ad ipſius crucifixionem parata vidiſſet: (rogavit carnifices illos, ut verſo in terram capite, in cruce ſuffigeretur; nec rectus quemadmodum ejus magiſter in crucem ageretur: ita & in ipſis cruciatibus ſuam in magiſtrum reverentiam conſervabat;) & quaſi parum fuerit tyranno Bar-
Pet. de Nat. l. 7 c. 103. tholomæum cruci affixiſſe, quo acerbius illum cruciaret: (Aſtiages rex Apoſtolum in cruce extenſum, vivum excoriari mandavit:) quod fieri ne-
Tert. lib. adv. Valent. 14. quivit niſi maximo cum dolore. Conſtat etenim *carnalem ſuperficiem, & pelliceam tunicam obnoxiam ſenſui* & doloris capacem; quæ tanto eſt major, quanto major eſt unio quæ inter carnem & cutem reperitur. Cutis adeò eſt intimè annexa carni, ut ab ea niſi magna cum violentia ſeparari non poſſit.
Tert. lib. de Car. Chr. 20. Nam *quid avellitur, niſi quod inhæret? quod infixum innixum eſt ei, à quo ut auferatur, avellitur.* Quod ſi, ut ratiocinatur Tertullianus extraneum extraneo unitum, non poteſt ab eo niſi magna cum violentia disjungi; quanto major eſt violentia, qua ſeparantur ea quæ intrinſecè & naturaliter uniuntur, ad componendum unum & idem corpus, cujuſmodi ſunt caro & pellis? *Etiam cum quid extraneum extraneo adglutinatur, ita concarnatur & conviſceratur cum eo cui adglutinatur, ut cum avellitur rapiat ſecum ex corpore ali-*

quid

quid à quo avellitur, quaſi ſequelam quamdam abruptæ unitatis. Ut patet ex Bartholomæo, qui excoriari non potuit, niſi ſimul cum pelle avelleretur caro, rumperentur nervi, aperirentur venæ, & ſanguis flueret de omnibus corporis partibus.

Pellis homini data eſt ad ornatum, & ad munimen. Ad ornatum quidem; ideò homo cute denudatus, eſt difformis & horribilis, neque humanam præ ſe fert ſpeciem & formam. Nam ſi morbi qui aliquam partem pellis avellunt, cujuſmodi ſunt aduſtio, contuſio, ſummæ cutis evulſio, ſcabies, rubentes puſtulæ, variolæ, lepra, pulchritudinem devenuſtant, quanto magis generalis oblîſæ cutis plaga, decorem dedecorat? Cutis adhuc homini ſervit ad munimen: pellem velut veſtem dedit ei natura, qua à dolore defenditur quaque denudatus, adeò eſt ſenſibilis, ut à nulla re tangi poſſit, quin ab ea lædatur. Inde conjectandum eſt quam horribilis fuerit Bartholomæus toto corpore excoriatus, & quantis doloribus fuerit afflictus in generali illa carnis nuditate.

Senſibili ſanè dolore afflictus fuit Job *ulcere cruciatus.* Admirabili quoque patientia præditus *cum immundam ulceris ſui redundantiam magna æquanimitate diſtringeret, cùm erumpentes beſtiolas inde, in eoſdem ſpecus & paſtus reformoſæ carnis ludendo revocaret.* Per beſtiolas intelligit Tertullianus, vermes quibus Jobi corpus undequaqúe ſcatebat. Reformoſam quoque dixit carnem ulceribus deformem, & vermiculante purulentia ſcatentem. Jobi dolorem & conſtantiam admiratus D. Chryſoſtomus, illum, virum adamantinum nuncupat, & velut omnium Chriſtianorum pugillum, ſpeculum & exemplar proponit. Eo tamen non pertigit Job, ut cutem ſibi tolli, auferrique cerneret. Inter graviſſima quæ pertulit tormenta, iſtud ipſe ſummo animi ſenſu recenſet, carne penitus conſumpta, ſolam ſibi pellem, quæ nuda tegat oſſa ſupereſſe: *Pelli meæ conſumptis carnibus, adhæſit os meum:* At Bartholomæo incredibili cum dolore, & inaudita feritate, ablata eſt cutis; adeoque immane ſupplicium conſtanter pertulit. Tert. lib. de Pat. 14. Job. 19.

Præcepit olim Deus ut detraheretur pellis ab animalibus, quæ ſibi offerebantur & immolabantur, *detractaque pelle beſtia, artus in fruſta concident.* Quod in pecudibus Deo immolandis faciebant in lege Moſaica Levitæ & Sacerdotes; erga Bartholomæum in lege Evangelica obſervarunt tyranni & carnifices, detraxerunt carnem priuſquam eum ſuæ mactarent ſævitiæ, excoriarunt antequam morti traderent, & ipſe ſic cute denudatus, ſuoque ſanguine cruentatus, cum carne pellem Deo obtulit, ſeſeque velut victimam ejus majeſtati immolavit, patienter tolerans martyrium ſingulare & inuſitatum, dolorum univerſitate, acerbitate, & diuturnitate, Chriſti imitans paſſionem. Levit. 1.

3. Supplicia ſunt in triplici differentia. Quædam ſunt diuturna, ſed magnum non afferunt dolorem, cujuſmodi eſt venenum lentum inſenſibiliter debilitans, & *non ſubita dolorum concuſſione* afferens mortem. Tert. l. 4. adv: Marc: 14.

Quædam ſunt ſubita, quæ diu non cruciant: ſic gladius in momento detruncat caput: ſic ignis violentum equidem infert tormentum, idcircò *ſummam ignium pœnam* nuncupat Tertullianus, brevi tamen finit in hoc mundo. Tertia tandem ſunt longa & violenta, diu durant, & acerbiſſimè adhuc cruciant. Hoc tormentorum genere cruciatus fuit in cruce Chriſtus, *& illa morte pejus nihil fuit inter omnia genera mortium*; quia diu paſſus eſt, & magnos cruciatus paſſus eſt: Bartholomæus dominicæ paſſionis æmulus, martyrium toleravit diuturnum, & violentum: ſive crucifixus ſit; ut volunt nonnulli, ſive carne denudatus, ut exiſtimant alii; ſicut autem ferus ille Romanus tyrannus ut ſuæ ſatisfaceret immanitati ſatelliti imperabat reum, *ita feriri, ut ſe mori ſentiret*. Ita Aſtiages Bartholomæum excoriavit, ut diu vivens in tormentis ſe diu mori ſentiret.

L. ad Mart: 4. D. Aug: Tract: 36. in Joan. Senec. Controv.

Nonnemo ſic olim ſuos deprecabatur judices: *Si non impetro ut diutius vivam, ſaltem impetrem ne diutius moriar*. Tantum abeſt ut Bartholomæus poſtularet à tyranno, ne diutius vivendo moreretur; quin potius longum exoptabat martyrium: Tum ut pro Deo acerbius toleraret tormentum: Tum ut Chriſtum imitaretur; qui diuturnam & acerbam pertulit paſſionem; & in cruce pendens, dedit virtutis præcepta & documenta. Et ob hanc cauſam crux in qua erat affixus Chriſtus, vocatur à Auguſtino *cathedra docentis*. Crux fuit Bartholomæo cathedra docentis de qua ad Magiſtri exemplum veritatis documenta tradebat, virtutis exempla præbebat; perſecutoribus ſuis parcebat; & *crucifixus crucifixum prædicabat*. Chriſtus in cruce pendens fuit lancea perfoſſus: Ut autem docet D. Auguſtinus, *percuſſum eſt latus pendentis de lancea, & profluxerunt Eccleſiæ Sacramenta*. Bartholomæus ſimiliter in cruce pendens, & Chriſtianam religionem prædicans gladio decollatus eſt. *Cumque pelle nudatus adhuc vivens permanſiſſet, & excoriatus Dominum prædicaret, & multos tantum cernentes miraculum convertiſſet, juſſu Regis decollatus eſt die ſequenti*. Verum ſicut Judæi luerunt pœnas injuſtitiæ & ſævitiæ in Chriſtum commiſſæ; ita Aſtiages & impii idolorum ſacerdotes qui in Apoſtoli necem conſpiraverant, fuerunt à dæmonibus poſſeſſi, & intra triginta dies morte temporali puniti, ut æternam in inferno ſubeant mortem: adeò evidens de cœlo vindicta, fideles in veritate fulcivit; infideles ad fidem adduxit; & Apoſtolus Chriſtianis venerationem & dæmonibus terrorem ingeneravit.

Serm. 130. de Temp. D. Chryſoſt. Serm. de S. Andr. In Pſal 56. Pet de Natal. ibid.

Truculentus ille Germanorum hoſtis, & immanis Catholicæ fidei perſecutor *Ziſca*, morti proximus, ſuis præcepit militibus, ut mox ac efflaſſet animam, cutem ſibi detraherent, & ex ea conficerent timpanum, cujus ſono exterriti Germani nullo negotio vincerentur. *E corio meo timpanum facite; ſic Theutones terga dabunt Ziſcam in timpano formidantes*. Bartholomæus bellator glorioſus, Chriſtianæ religionis propugnator, dæmonum debellator qui infideles multos ad fidem convertit, idola & fana eis dicata evertit; Aſtaroth, Berith, aliorumque dæmonum fallacias detexit; pro veritate pugnans occubuit, nobiſque moriens

Æneas Silv.

-iens ſuam cutem reliquit, dicens: Ex corio meo corium facite, ſic dæmones terga dabunt, Bartholomæum in timpano formidantes. Neque dæmones duntaxat terret Bartholomæi pellis, ſed multos adhuc ſceleroſos Chriſtianos; 1. Eos qui viduas, pupillos, pauperes, ſubditos non modo tondent, ſed ſicut oves innocuas excoriant, deglutiunt, de quibus quæritur ipſemet Deus: *Comederunt carnes populi mei, & pellem eorum deſuper eis excoriaverunt*; Ubi Hugo Cardinalis: *Nota quod eſt pellis fortuna, ſcilicet bona temporalia, de quibus Michæas*: Audite principes Jacob, & duces domus Iſraël, qui violenter tollitis pelles, eorum deſuper eis.) 2. Eos, qui animam ſuam, ſalutem ſuam poſtponunt fortunæ bonis. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet, dabit homo pro anima ſua*; id eſt, ut explicat Hugo Carenſis: *Rem minus charam, ſcilicet exteriora, dabit homo pro pelle, id eſt pro re magis chara, ſcilicet interiori.* Illi è contra dant interiora pro externis; pro ſæculi voluptatibus, dignitatibus, facultatibus, renuntiant virtuti, gratiæ, gloriæ, cœlo, Deo. 3. Eos qui ſub pelle ovina, indolem abſcondunt vulpinam aut lupinam, intus Nerones, foris Catones; qui ſub ſpecie amicitiæ, dolos, inſidias, perfidias machinantur: vel qui fidem & pietatem mentiuntur, ut decipiant ſimplices & ſeminent errorem, hæreſim, impietatem. *Inſtruit Dominus multos eſſe venturos ſub pellibus ovium rapaces lupos. Quænam ſunt iſtæ pelles ovium; niſi nominis Chriſtiani extrinſecus ſuperficies? Qui lupi rapaces, niſi ſenſus & ſpiritus ſubdoli, ad infeſtandum gregem Chriſti extrinſecus delitèſcentes?* 4. Eos qui luxum veſtium ſectantur. Quos ſub mulieris perſona inſequitur Tertullianus. *Propter tuum meritum, id eſt, mortem; etiam filios Dei mori habuit: & adornari tibi in mente eſt ſuper pelliceas tuas tunicas.* 5. Eos qui rubro, fuco utuntur, totumque adhibent ſtudium *in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt*, & ad Venerem alliciunt. Tandem 6. eos, qui nihil aliud curant, quam pelliculam curare, molliter veſtire, laute nutrire, caute cuſtodire, ne acus puncturam, ne ferri candentis præſtrictūram, ne morſum pulicis tolerare valentes, & cutis mollitie, & carnis voluptate non ſolum animæ, ſed etiam corporis & cutis interminabilem in inferno ſibi comparant pœnam: *Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt.* Veniet enim tempus in quo induent cutem illam, ut tantum ſubeat tormentum, quantum in deliciis fuit. Qui verò cutem, vel in martyriis ſanguine purpurarunt; vel per pœnitentiam & macerationem dilacerarunt, rurſus induent illam: non ad pœnam, ſed ad gloriam; non ad dolores, ſed ad delicias. Pellis eorum tranſibit de ornamentis in ignominias; de deliciis in ſupplicia: iſtorum verò cutis tranſibit *de tormentis in ornamenta, de ſuppliciis in delicias.*

Michea. 3. — Job: 2. — Tert: lib: de Præſc: Hær: 4. — Lib: 1. de Cult. Fœm: 1. — Tert: lib: 1. de Cult: Fœm: 4. — Thren: 5. — Tert: lib: 1. de Cult. Fœm: 4.

Magnum eſt diſcrimen inter Phrigionem & Pictorem. Pictor tabulam politam, aut laminam cupriam in partes non ſecat, non comminuit: ſed coloribus apte diſpoſitis penicillo illinit: Phrigio verò telam ſericam, holoſericam, attalicam, innumeris puncturis perforat, conſcindit, particulas unionibus, & gemmis diſtinguit. Quandiu pelle corporis induti

induti ſumus, agendum eſt non ad modum pictoris, ſed ad modum phrigionis; cutis minio, rubore, fuco, medicaminibus picta, delinita, reſurget ab dedecus, ad fœtorem, ad horrorem: cutis vero martyrio, mortificatione, pœnitentia, ſciſſa, perforata, diſrupta, poſt reſurrectionem erit intexta aur, ogemmis unionibus: Quod de ſancto Bartholomæo aſſeverat D. Auguſtinus: *Quid igitur*, inquit, *erit videre ſanctum Bartholomæum, cui pellis à toto corpore detracta fuit? cernere toto corpore ita illuſtrem ut omnem purpuram, quantumvis pretioſam ſuperare videatur.* Quapropter quandiu peregrinamur à Domino, *ſubigatur corpus in pœna, jejuniis maceretur, verberibus lanietur, equuleo diſtendatur, gladio trucidetur, crucis ſupplicio affligatur.* Subjungit belle ad propoſitum Petrus Cellenſis: *Quo tortor acrius pungit, eo decentius pingit pellem carnis meæ, punctura tua eſt mihi pictura.* Quemadmodum perſecutores & tyranni Martyrum pungentes & dilacerantes carnem, illam pingunt cœli & gloriæ coloribus; quos ideo ſic alloquuntur: *Crudelitas veſtra, noſtra eſt gloria*: ita qui carnem per pœnitentiam & mortificationem macerant, eam cœli coloribus venuſtant. *Dum pungor, pingor; cæde ergo pellem, ut pingas eam pungis; pungendo enim & pungis, & pingis.* Pungis in tempore, ſed pingis in æternitate. Inde Chriſtianos hortatur Apoſtolus: Semper mortificationem Chriſti Jeſu in corpore noſtro circunferentes. *Sed etſi*, inquit, *exterior homo noſter vitiatur, caro ſcilicet, vi perſecutionum; ſed interior renovatur de die in diem, anima ſcilicet, ſpe promiſſionum. Nam quod ad præſens temporale & leve preſſuræ noſtræ per ſupergreſſum in ſupergreſſum, æternum pondus gloriæ perficit nobis, non intuentibus quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia, de incommodis dicens; quæ autem non videntur, æterna, de præmiis ſpondens.* Quaſi dicat: Licet homo exterior, nempe corpus, in dies, per tot ærumnas, macerationes deficiat, interior tamen, ſcilicet animus, de die in diem renovatur, & vires colligit; ob ſpem præmii. Nam momentanea, & levis carnis afflictio, maceratio, & paſſio, æternum gloriæ pondus adipiſcitur. Appoſite Tertullianus poſt Apoſtolum, attribuit tribulationi levitatem; gloriæ vero pondus; tribulationi, momentaneam durationem; gloriæ, æternitatem; quam martyrio conſequutus eſt Bartholomæus; & quam nobis per carnis afflictationem comparare poſſumus. Ut enim ait D. Auguſtinus, *Emitur paupertate regnum; dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita*, tempore æternitas, perſecutione fœlicitas, pœnitentia & carnis afflictatione beatitudo & immortalitas.

L. 22. Civ. 16.

Pet. Cell. l. 4. de Conſci.

Tert. lib. ad Scap: 4.

Pet. Cell.

Tert. Scorp. 13.

In Pſal. 71.

***

CON-

CONCIO QUARTA.

DEdit *abyſſus ſonum ſuum*. D. Thomas juxta Hebraïcam nominis ethimologiam, idem eſt ac abyſſus. Ex D. autem Thoma Aquinate, B. Thomas Apoſtolus trina potiſſimum ratione nuncupatur abyſſus. 1. Propter nominis rationem; quia Thomas interpretatur abyſſus. 2. Propter ethimologiæ ſignificationem: quia abyſſus dicitur à privatione, *à*, id eſt ſine, & *byſſus*, id eſt *candidus*: quia *ſine candore lucis*, id eſt *fidei* aliquando fuit Thomas. 3. Propter definitionem: abyſſus enim eſt profunda aquarum congregatio: ſunt autem aquæ profundæ, verba profunda D. Thomæ.] Hucuſque Doctor Angelicus, ex cujus mente, in celebritate B. Thomæ Apoſtoli, cognomento Didimi, trina conſideranda eſt abyſſus: ſcilicet 1. infidelitatis & nequitiæ: 2. benignitatis & miſericordiæ: 3. credulitatis & conſtantiæ. [Tert: lib: 4. adv. Marc: 30. Serm: de S. Thom. Apoſt.]

[I. PARS. Tert. lib. adv. Hermog: 31.] Erant *tenebræ ſuper abyſſum*, nimirum incredulitas, quæ fidei obtenebrat lucem, ſuper Thomæ Apoſtoli mentem. Non deſunt tamen Auctores etiam magni momenti, qui Thomam ab incredulitate vindicare nituntur: quales ſunt præſertim D. Ambroſius, D. Auguſtinus, D. Cyrillus Alexandrinus, & Petrus Chryſologus. D. Ambroſius vult Thomam non de reſurrectione, ſed duntaxat de reſurrectionis qualitate dubitaſſe; non ſecus ac B. Virgo dubitavit non de incarnatione, ſed de incarnationis modo: *Non de reſurrectione, ſed de reſurrectionis qualitate dubitavit.* [L. 10. in Luc. 24.] D. Auguſtinus Thomam non incredulum aut dubitantem, ſed inquirentem exiſtimat, cùm dixit: Niſi videro in manibus ejus figuram clavorum non credam. *Vox iſta, inquirentis eſt, non negantis. Dum hoc dicit, doceri voluit, confirmari deſideravit.* [Serm: 158. de Temp.] *Ideò ad eum Dominus ita ait*: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum. *Dum benignum probat veritas moderata reſponſum, in Apoſtolo ſuo non dubitationis vitium, ſed ſollicitudinis inſtruxit affectum.* Cyrillus Alexandrinus cenſet verba Thomæ ſapere non incredulitatem, ſed afflicti animi paſſionem, eo quod eſſet abſens, quando cæteteri Apoſtoli reſuſcitati Domini præſentia gaviſi ſunt. *Thomas non infidelitate magis, quam ſummo mœrore perturbatus fuit.* [Lib: 12. in Joan: 53.] Chryſologus eloquentia qua ſolet, culpam aut omninò tollere, aut ſaltem minuere deſiderans, ait: *Quæſivit pietas iſta, exegit iſta devotio, ut reſurrexiſſe Dominum, ne ipſa in poſterum dubitaret impietas; Thomas enim non ſolum cordis ſui, ſed omnium hominum curabat incertum: & prædicaturus hæc in gentibus, quemadmodum tantæ fidei adſtrueret Sacramentum executor ſtrenuus perquirebat.* [Serm: 84.] Hæc ubi pro Thoma extulit aureus orator, tunc conficit, & iſtud. *Certè prophetia Magis quam cunctatio fuit. Nam cur talia peteret niſi à Domino ad judicium reſurrectionis ſuæ, ſervata ſola vulnera prophetali ſpiritu cognoviſſet? Denique ſponte præſtitit cæteris, quod iſte tardius implorat.*

implorat. Denique venit Chriſtus, & dixit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus; ſed fidelis. *Vt effundat toto orbe iterum te aperiente hæc vulnera fidem, quæ aquam in lavacrum, ſanguinem in omnium pretium jam ſuderunt*. Sed nemo melius Metaphraſte Thomam conatur excuſare, aſſeverans verba iſta, Niſi videro, non credam; procedere non incredulitate, ſed ex ingenti animi gaudio; ad modum quo mater unigeniti à longo tempore abſentis, & in regiones longinquas peregrinantis, ſi ei dicatur, Filius tuus venit, jam eſt in janius, præ gaudio talis nuntii dicit, Niſi videro, non credam: Verum pace tantorum patrum Thomas nequit vindicari à delicto niſi de mendacio arguatur ipſamet humanata veritas, dicens huic Apoſtolo, Noli eſſe incredulus ſed fidelis. Imo Thomæ culpa non eſt parum gravis, redolens, 1. pertinacem incredulitatem: 2. rumentem temeritatem: 3. imprudentem perverſitatem.

Tert.l. adv. Valent.9. 1. Curioſi religionis perſcrutatores, *dum tacita cupidine cognoſcendi utuntur, pene ſcelus factum eſt*. Et merito velut ſceleroſi habentur curioſi myſteriorum indagatores. Quia ſcilicet *nobis curioſitate opus non eſt, poſt Chriſtum*: (Tert.lib de Præſ.Hæ 8.) Multo adhuc ſceleratiores ſunt increduli Chriſtiani, quibus credendi incumbit negotium: *Non omnium eſt credere, quod Chriſtianorum eſt* (Tert.lib de An.6.) Qui in Baptiſmatis ſacramento receperunt habitum fidei, ut primæ virtutis Theologiæ eliciant actus; & ſe credere teſtati ſunt, ut in fidelium numero aggregarentur; *cui nam fidei teſtimonium ſignant, niſi qua credi oportet*. Quam grave ſcelus ſit incredulitas recte colligi poteſt: (Tert lib de Reſ 18.) Tum quia abſolute vocitatur peccatum: Chriſto Domino aſſeverante, ad hoc venturum Spiritum ſanctum, ut arguat mundum de peccato, quia non crediderunt in me: (Joan. 16.) Tum quia in ultimo judicio ante omnia de fide reddenda erit ratio: *Omnes nos neceſſe eſt, apud Chriſti tribunal adſtare, reddentes rationem imprimis ipſius fidei*. (Tert lib de Præſc. Hæt. 44.) Tum quia cunctas virtutes Theologales & morales ſuperne infuſas deſtruit, ſublato namque fundamento, cuncta quæ illi innituntur corruunt: fides autem quæ tollitur per infidelitatem, eſt *fundamentum credentium*, ſublata autem fide tolluntur ſpes, charitas, gratia ſanctificans: (Tert.l 5 adv Marc: 6) Tum quia infidelis & incredulus eſt ſibi noxius, Eccleſiæ exitioſus, Deo injurioſus. Sibi noxius, nam *qui non credit jam judicatus eſt*: (Joan. 3.) Eccleſiæ exitioſus, quia ſua incredulitate & infidelitate, fidelium fidem concutit, & evertit. *Solent quidem iſti infirmiores, etiam de quibuſdam perſonis ad hæreſin captis, ædificari in ruinam*. (Tert.lib. de Præſc.Hæ 3) Deo injurioſus, cujus perfectiones offendit.

Tert.lib.de Cor.Mil:11. *Suſcepta fide atque ſignata, omnibus modis cavillandum eſt, ne quid adverſus Deum committatur*. Tantum abeſt ut incredulus & infidelis caute provideat, ne quid adverſus Deum committat, quinimo divinam offendit majeſtatem, auctoritatem, poteſtatem, & veritatem. Majeſtatem quidem; nam *fides ſupremæ majeſtati, pia credulitatis reverentiam impendit*: (Caſſiod lib. Var.Ep.44.) & ipſe non credendo ſupremæ majeſtati reverentiam denegat.

denegat. Auctoritatem etiam *Chriſtus fidei præceptor*, fidei exercendæ mandatum imponit, & ipſe imperanti Deo, obtemperare recuſat. Poteſtatem adhuc; *Deus non alia lege cenſendus eſt, quam ut omnia poſſe credatur.* Ipſe Dei poteſtatem coarctat; & quod mente comprehendere non poteſt, impoſſibile judicat; quem ideò D. Hilarius de ſtultitia culpat: *Omnis itaque infidelitas ſtultitia eſt, quia imperfectis ſenſus ſui uſa ſapientia, dum omnia infirmitatis ſuæ opinione moderatur, putat effici non poſſe, quod non ſapit.* Tandem veritatem: *Credamus ubique Deo nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui & rationi contrarium eſſe videatur, quod dicitur*: quia ſenſus obnoxius eſt deceptioni, ratio ſubjecta errori, at Deus utpote prima & eſſentialis veritas, nequit mentiri: ipſe autem Deo veraci credere recuſat: *O miſeria! ô perverſitas! creditur homini ab homine, & non creditur Deo.*

Tert lib de Præſc: Hæret: 20. Tert: lib. de Reſ. L. 9. de Trin: D. Chryſoſt: Hom: 63 in Matth. Salv. l. 2. ad Eccleſ.

Quam culpandus ſit incredulus, *ex incredulitate Thomæ* colligi poteſt; qui ultra communes cuivis incredulo defectus, plures habet in ſua incredulitate circumſtantias quæ ejus gravitatem incrementant. Nam 1. acceptam à Chriſto eminentem fidem amittit: 2. reſurrectionem Salvatoris non credit: 3. in ſua incredulitate pertinaciter perſiſtit: 4. Chriſti virtutem & poteſtatem parvi ducit. 5. Domini ſermonibus nullo modo acquieſcit: 6. aliorum Apoſtolorum teſtimonium contemnit. 1. Excellentem Thomas acceperat fidem, fidem ſcilicet congruentem Apoſtolo, deſtinato nationibus magiſtro, quam tamen ſua incredulitate amiſit. Nam niſi videro non credam, *quid eſt aliud quam prævaricatio fidei*, quæ 2. reſurrectionem Salvatoris non credit? De reſurrectione fatur Tertullianus, tanquam *de præcipuo fidei totius articulo*: Et ob hanc cauſam *Apoſtolus per totum pene inſtrumentum fidem hujus ſpei corroborare curavit.* Fundamentum illud evertere nititur Thomas, fidem ſpei illius debilitare, imò & penitus tollere conatur. 3. Pertinaciter in ſua incredulitate perſeverans: *ita in Dominum contumax apparet.* Tanto criminoſior, quod non erat in Chriſti diſciplina tiro, ſed aliquod jam annorum diſcipulus & familiaris, & unus ex duodecim Apoſtolis; à Chriſto ad fidei prædicationem aſſumptis. Non erat adoleſcens rerum imperitus qui tum forte, cum majoribus ſuis, pertinacia atque obſtinatione certaret, ſed erat ætate virili atque matura: Non fuit motus primo primus rationem & libertatem præveniens, & cito tranſiens; ſed determinatum mentis judicium, abſque ulla mutatione per dies octo conſtanter perſeverans, & pertinaciter dicens: Niſi videro fixuram clavorum, & miſero manum meam in latus ejus, non credam. [Cur Thomas veſtigia fidei ſic requirit? cur tam piè patientem, tam dure diſcutit reſurgentem? Cur ea vulnera, quæ manus infixit impia, devota dextera ſic reſulcat? cur latus quod impii militis lancea patefecit, refodere manus nititur obſequentis? cur dolores perſecutorum furoribus irrogatos, famulantis curioſitas renovat immittis? cur tormentis Dominum, cur pœnis Deum, cur cœleſtem medicum, probaturus de vulnere diſcipulus ſic requirit?] Sanè non alia aſſignanda eſt ratio quam Thomæ increduli pertinacia; Chriſti

Tert: lib: adv. Prax 25. Tert: lib. de Idol: 20. L. de Reſ. 39. Tert. lib. de Pœn: 5. Chryſol: Ser. 84.

Tert. Scorp. II. virtutem & poteſtatem parvi ducentis. *Hæc eſt perverſitas fidei, probata non credere.* Multa operatus fuerat Chriſtus miracula, quibus verum Deum ſe demonſtraverat; mortuum adhuc ad vitam revocaverat filium Viduæ Naim, Jairi principis Synagogæ filiam; ipſum quoque Lazarum quatriduanum & fœtentem ſuſcitaverat; & horum reſurrectione, reſurrectionis ſuæ fidem velut præparaverat. Thomas tamen tot miraculorum teſtis oculatus, Chriſti

D. Aug: Ser. 139. de Temp. reſurrectionem negat. *O beate Apoſtole! ante oculos tuos Chriſtus Lazarum potuit ſuſcitare, & ipſe non poterat de ſepulchro ſurgere? Quæris loca clavorum, & oblitus miracula tanta lignorum? ſic perdidiſti in triduo memoriam magiſtri, ut potentiæ non crederes Chriſti?* Thomas, multis aſſimilatur Judæis, ante quos multa Chriſtus operatus fuerat miracula; & tamen adhuc increduli, dicebant:

Math: 22. (Magiſter volumus à te ſignum videre.) Ante Thomam pariter Chriſtus ægrotos ſanavit, cæcos illuminavit, dæmonia à corporibus fugavit, mortuos ad vitam revocavit, multaque alia opera quæ divinam oſtentant poteſtatem patravit; & tamen Judæorum inſtar dicit, Niſi videro non credam.

Chryſol. [Cecidit poteſtas diaboli, patefactus eſt carcer inferni, diſrupta ſunt vincula mortuorum, moriente Domino ſunt evulſa monumenta; & reſurgente Domino tota mortis eſt mutata conditio. Ab ipſo Domini ſacratiſſimo ſepulchro lapis revolutus eſt, linteamina reſoluta ſunt, & reſurgentis ad gloriam mors fugit, vita rediit, caro amplius caſum neſcitura, ſurrexit: & cur tibi ſolus Thoma, ſola vulnera præſentari ad indicium fidei nimis callidus explorator expoſtulas?] Fusè quidem, ſed acutè Chryſologus Thomæ exaggerat incredulitatem, qui nec anteactis à Chriſto miraculis, neque certis Dominicæ reſurrectionis indiciis, ullo modo convictus: neque ex damnis quæ ex ſua incredulitate evenire poterant, ad credendum ſtimulatus, in ſua obſtinatione

D. Aug: Ser. 23 de Verb. Dom. perſiſtit, neque ullo modo Chriſti ſermonibus acquieſcit: *Cui credendum, ſi Chriſto veritati non eſt credendum? Profectò non vult credere niſi ſalſitati, qui non eligit credere veritati.* Porrò *talia cœpit opinari eos qui exorbitant, & fidei*

Tert: lib: de Præſc: *veritatis periculum non timent.* Chriſtus ſæpè ſæpius Apoſtolos de ſua reſur-

Mat: 49. rectione docuerat; Deſtruam, inquit, templum hoc, & poſt triduum reædificabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis ſui. Sicut fuit Jonas

Luc: 18. tribus diebus & tribus noctibus, in ventre ceti, ſic erit Filius hominis in ventre terræ. Et adhuc poſtquam aſſeruit: (Filius hominis tradetur gentibus, illudetur, flagellabitur, & conſpuetur) ſubjungit, (Et tertia die reſurget:) Thomas tamen, qui, ut ait D. Auguſtinus, *mortem incurrerat in fide*, Chriſti ſermo-

Serm: 139. de Temp. nibus non acquieſcens pertinaciter ait: Niſi videro, *non credam.* Quid ſi benignus Dominus ut te ad fidem reſurrectionis adducat, cœleſtem ad te mittat Angelum? *Non credam*, inquit. Quid ſi ſanctiſſima Salvatoris Mater, Filium reſurrexiſſe affirmet; viſum à ſe, & diuturno complexu, colloquioque detentum aſſeveret? *Non credam*, inquit. Quid ſi veniat ad te Magiſter tuus, ſic ut eum non videas, audias tamen, & liceat notas audire, & reddere voces? *Niſi videro non credam.* Quid ſi videas eum luſce oculis tuis, & auribus percipias

verba

verba ejus, numquid hoc ſatis erit ad tuam extorquendam fidem? Non erit ſatis, inquit, *Niſi miſero manum meam in latus ejus, non credam.* O Thoma quanta eſt incredulitas tua! quam magna pertinacia tua! qui nullis rationibus à concepta infidelitate dimoveri potes; qui in tantam caliginis, perverſitatis, & obſtinationis delapſus es abyſſum; ut Chriſti ſermonibus non acquieſcas; & 6. Apoſtolorum teſtimonium contemnas.

2. *Si in tribus teſtibus ſtabit omne verbum, quanto magis* cum eadem res multorum depoſitione confirmatur? Thomas audierat Magdalenam, aliaſque ſanctas mulieres, ſe Dominum allocutas aſſeverantes. Audierat etiam duos diſcipulos ex Emaus reverſos, qui longum etiam cum eo ſermonem habitum, & in fractione panis cognitum referebant. Audierat Petrum principem Apoſtolorum, teſtantem à ſe viſum poſt reſurrectionem Dominum. Quinimò reliquos decem Apoſtolos audierat, unanimi voce affirmantes Dominum ad illos januis clauſis introiſſe, & poſt ſalutationem, & collatam poteſtatem remittendi peccata, cum eis locutum fuiſſe; cicatrices manuum, pedum & lateris oſtendiſſe. *Recita Ioannis teſtimonium: Quod vidimus*, inquit, *quod audivimus, oculis noſtris vidimus, & manus noſtræ contrectaverunt de ſermone vitæ.* Tres ſenſus advocant Apoſtoli ad *fidei teſtimonium*, nempè viſum, auditum, & tactum, quorum teſtimonio Thomam à ſua infidelitate ſanaret moliuntur. *Cognoſce qui neſcis, & crede nobiſcum.* Verum Thomas tot teſtium depoſitioni non credit; quod *vanitati, & præſumptioni deputatur.* Et quaſi parum ſit ſuam pertinaciam cæterorum Apoſtolorum teſtimonio prætuliſſe, eos adhuc magna cum injuria, de levitate animi incuſat: *Qui cito credit, levis eſt corde*: de mendacio & falſitate increpat: *Falſa utique teſtatio, ſi oculorum & aurium, & manuum ſenſus natura mentitur*; & Apoſtolis factam Domini apparitionem illuſoriam duntaxat & imaginariam prædicat. *Sic enim & Marcion phantaſma eum maluit credere, totius corporis in illo dedignatus veritatem*: Verum temere Thomas ſuam incredulitatem Apoſtolorum fidei præponit; falſo eos de mendacio redarguit; immerito deceptos & phantaſtica Chriſti apparitione illuſos, credit. *Atquin ne in Apoſtolis quidem ejus ludificata natura eſt. Fidelis fuit & viſus & auditus; fidelis & tactus exinde creduli Thomæ*, qui incredulitatis ſuæ perverſitate, fidem in oculorum viſu conſtituit.

3. *Agnoſco animalem fidem*: eorum ſcilicet qui non credunt niſi ea quæ oculo corporeo vident: *ſed in homine carnali, tota regula intelligendi eſt conſuetudo cernendi. Quod ſolent videre credunt, quod non ſolent non credunt.* Homo carnalis & animalis Thomas, non aliam vult fidei ſuæ regulam, quam corporalem oculum: Niſi videro non credam: in quo multimoda deprehenditur perverſitas. 1. Quia fides quæ vera eſt ſupra mendacium fundat: nam *mendacium viſui objicitur quod remos in aqua inflexos vel infractos aſſeverat adverſus conſcientiam integritatis, quod turrem quadrangulatam de longinquo rotundam perſuadeat, quod æqualiſſimam porticum anguſtiorem in ultimo infamet, quod cælum tanta ſublimitate*

Tert. lib. de Bapt. 6.

Tert. lib. de An. 17.

Tert. lib. de Orat. 9.

Tert. lib. de An. 28.

Tert. lib. de Teſt. An. 4. Eccleſ. 19.

Tert. lib. de An. 17.

Tert. ibid.

Tert. ibid.

Tert. lib. de jejun. 1.

D. Aug. Ser. 147. de Temp.

Tert. lib. de An. 17.

ſuſpenſum mari jungat. 2. Quia qui non credit niſi ea quæ oculis corporis vi-
D. Aug. Ep. 23 ad Boniſac. Epiſ. det, fidem non habet : etenim *nihil eſt aliud credere quam fidem habere.* Quæ
videntur, apparent, ex Apoſtolo autem fides eſt *argumentum non apparentium.*
Hebr. 11. Multa ſunt objecta materialia fidei , quæ non apparent neque viſui , neque
rationi, & licet quædam ſenſuum experientia cognoſcantur, & ratione etiam
demonſtrentur , non ſunt tamen objecta fidei niſi prout creduntur propter
D. Aug. l. de Util. Cred. c. 11. authoritatem & veritatem Dei revelantis. Quod ſentimus, debemus ſenſui ;
quod intelligimus rationi , quod credimus authoritati. Inde D. Auguſtinus ex-
Joan. 20. planans iſtud Dominicum : (Quia vidiſti me Thoma , credidiſti : beati
Tract. 79 in Joan. qui non viderunt & crediderunt :) tres elicit concluſiones. Unam : *Si fides*
eſt rerum quæ creduntur , eadem fides rerum eſt earum quæ non videntur. Alte-
Tract. 27. in Joan. ram : *Neſcio utrum credere dicendus ſit , quiſquis credit quod videt* ; nam *fides*
Tract. 79 in Joan. *eſt credere quod non vides.* Tertiam ; *Hæc eſt laus fidei , ſi quod creditur, non*
videtur. Nam quid magnum eſt ſi id creditur, quod videtur ? 3. Quia ad cre-
Rom. 10. dendum Apoſtolus requirit non viſum , ſed auditum : *Fides ex auditu.* Re-
gius quoque Vates animam Chriſtianam hortatur : Audi filia, & vide, prius
Pſal. 44. audi , poſtea vide ; ſi non audieris , non videbis. Ex D. autem Auguſtino,
ad hoc audimus ut credamus , antequam videamus ; ſiquidem viſio qua fruun-
D. Aug. Ser. 64. de Verb. Dom. tur in cœlo beati , merces eſt fidei. Itaque *exigitur in nobis fides qua credi-*
mus quod non videmus , ut mereamur videre quod credimus : Quicunque irri-
det hanc fidem , ut ideò putet non ſibi eſſe credendum , quia non videt , quando
venerit quod non credebat , erubeſcit , & confuſus ſeparatur , ſeparatus dam-
natur. 4. Thomas perverſitatem ſuam oſtentat , nolens credere ; niſi vul-
Chryſol. Ser. 14. nera conſpiciat , quæ in ſua paſſione recepit Chriſtus. *Quid ſi iſta cum aliis*
oblita fuiſſent, quod periculum fidei tuæ, curioſitas iſta reperiſſet ? Sed Thomæ
perverſitas maximè 5. apparet dum rurſus aperire deſiderat ſacras Domini
Chryſol. ibid. plagas, quas Judæorum fecerat immanitas. *Nulla pietatis monumenta, nulla*
Dominicæ reſurrectionis inveniri æſtimas potuiſſe documenta , niſi manibus tuis
ſulcares Iudaica crudelitate exarata ſic viſcera. Nulla incredulitas injuſtior,
inſolentior aut crudelior quam incredulitas Thomæ , quæ Chriſti vult reſcul-
pere paſſionem : Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum , & mit-
tam digitum meum in locum clavorum , & mittam manum meam in latus
ejus , non credam.) Tandem 6. incredulus ille diſcipulus , minimè con-
tentus , de apparitione Chriſti , de oſtenſione vulnerum ſibi facta , exoptat
adhuc clavorum & lanceæ fungi officio & mittere digitum in locum clavo-
Serm. 35. rum, & manum in latus Domini. Nam ut eloquenter fatur Chryſologus, *Tho-*
mas Apoſtolus, ut Chriſtum Deum crederet, immiſit manus, injecit digitos patefecit
vulnera : & ut Chriſtum crederet, iterum pati compulit Chriſtum. En quo ducit
incredulitas, ad quam perverſitatem devenit Thomas fide deſtitutus, in quod
nequitiæ incidit barathrum infidelis Apoſtolus : Deploranda ſanè infidelita-
tis & nequitiæ abyſſus ; ſed prorſus admiranda benignitatis & miſericordiæ
Tert. lib. de Reſ. 63. abyſſus. *Etenim Deus omnipotens adverſus hæc incredulitatis & perverſi-*
tatis

tatis ingenia , providentiſſima gratia ſua , fidem laborantem animavit , peccatorem immutavit , ægrotantem ſanavit , cæcutieutem illuminavit.

II. PARS.

Ter li. adv. Prax.

Cæterum ſcimus Deum etiam intra abyſſos eſſe, ſed vi & poteſtate. ut inde erueret creaturas, quæ ſua pulchritudine, diverſitate, & ordine, mundum venuſtant: Similiter in abyſſo ſeu Thoma, erat Deus, vi & poteſtate, nt educeret de tenebris lucem. D. Bernardus ſic expendit Regium Vatem: Abyſſus abyſſum invocat; ſcilicet: *Abyſſus infirmitatis & miſeriæ, abyſſum benignitatis & miſericordiæ:* Thomas eſt abyſſus infirmitatis & miſeriæ. Deus eſt abyſſus benignitatis & miſericordiæ, ſine qua numquam de abyſſo incredulitatis & nequitiæ exiiſſet Thomas: confitens apud D. Auguſtin: *Nec credere potuiſſem, niſi Deus miſericordia prævenisſet, & me eduxiſſet à tenebris, & ad bonum fidei perduxiſſet.* Thomas ſua incredulitate fuerat ſcelere contaminatus, læthali plaga vulneratus, cæcitate mulctatus: at Chriſtus abyſſo ſuæ miſericordiæ illum 1. peccatorem immutat: 2. vulneratum ſanat: 3. excæcatum illuminat.

In Pſal. 17.

1. Peccatoris converſio non eſt negotium parvi momenti, ſed eſt opus arduum, in quo Deus divinas ſuas manifeſtat perfectiones. Ibi enim mirum in modum ſplendent ejus ſapientia, potentia, miſericordia, & beneficentia. Sapientia, educens lucem de tenebris: potentia, ſuo ſubdens imperio mentes inſoleſcentes, & voluntates rebelles. *Hæc erit vis divinæ gratiæ potentior utique naturæ, habens in nobis ſubjacentem ſibi liberam arbitrij poteſtatem.* Miſericordia à peccatorum miſeriis liberans. Beneficentia benigne gratias & ſuperna dona impertiens. Peccatoris converſio eſt opus Dei proprium. Nam *quis alius à morte omnis erroris revocat, niſi vita quæ mori neſcit; & ſapientia mentes indigentes illuminans, nullo indigens lumine?*

Tert lib de An: 11.

D Aug. l. 7. Confeſſ. 6.

Adeo magna res eſt peccatoris converſio, ut majorem de ea Deus referat gloriam quam neque de creatione orbis, neque de reſurrectione mortuorum. *Deus totam molem iſtam cum omni inſtrumento elementorum, coporum, ſpirituum, de nihilo expreſſit in ornamentum majeſtatis ſuæ:* at Dei majeſtas abſque ulla comparatione magis elucet in converſione peccatoris, quam in creatione mundi. *Quod enim ex impio juſtus fiat, majus hoc dixerim, quam creare cœlum & terram.* 1. Creatio procedit à Deo, ut authore naturæ: peccatoris converſio procedit à Deo ut authore gratiæ: Gratia autem in dignitate & valore naturam ſuperat. 2. In creatione, Deus de nihilo triumphavit, in converſione peccatoris debellat crimen, quod magis reſiſtit quam nihilum: ubi autem eſt major reſiſtentia, ibi major victoria, & ubi major victoria, major gloria. 3. In creatione, Deus eduxit ens de nihilo, in converſione peccatoris, eruit gratiam de peccato, peccatum autem multomagis diſtat à gratia, quam nihilum ab ente. 4. Creatio terminatur *ad bonum naturæ mutabilis*; converſio vero peccatoris terminatur *ad bonum æternum divinæ participationis.* 5. In creatione mundi cuncta creata, *ſola vocabili*

Tert. Apol. 17.

D. Aug. Tr: 72, in Joan.

D. Tho. 12. q 103 a. 3.

Tert lib de Reſ 5.

poteſtate producta ſunt: at pro converſione peccatoris quid non pertulit Dei filius? Nam *propter eum deſcendit, propter eum prædicavit, propter eum omni ſe humilitate dejecit uſque ad mortem, & mortem crucis.* 6. In creatione mundi, elucet quidem Dei potentia, ſed non miſericordia, at in converſione peccatoris coruſcat non ſolum potentia, ſed etiam miſericordia. Inde ſubjungit D. Auguſtinus. *Iudicet qui poteſt, utrum majus ſit juſtos Angelos creare, quam impios juſtificare: Certe ſi æqualis eſt utrumque potentiæ, hoc majoris eſt miſericordiæ.*

Tert. lib. de Car. Chr. 4.

Reſurrectio mortuorum eſt opus creatione majus; quia creatio eſt actio ordinis naturalis; reſurrectio vero eſt ſaltem quoad modum ſupernaturalis: peccatoris autem converſio etiam mortuorum reſurrectioni antiſtat? Tum quia mortuorum reſurrectio eſt duntaxat ſupernaturalis quoad modum: converſio autem peccatoris eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: Tum quia in univerſali mortuorum reſurrectione utetur Deus *juſſu & imperio:* at in converſione peccatoris obſervat tempus, locum, diſpoſitionem, aliaſque circunſtantias, ut eum libere conſentientem ſuaviter alliciat: Tum quia in reſurrectione nihil Deo reluctatur, quod non habet eſſe neque vitam, reluctari nequit: Mors etenim eſt in potentia obedientiali ad Dei voluntatem, peccator autem innata abutens libertate Deo reluctatur; & ob hanc cauſam Magnus Gregorius exiſtimat Magdalenæ converſionem fuiſſe Chriſtoglorioſiorem, quam Lazari fratris reſurrectionem: Tum quia ut docet Tridentinum, *Iuſtificationis cauſa finalis, eſt gloria Dei & Chriſti.* Peccator autem dum convertitur, juſtificatur tranſiens de ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ. Quod innuere videtur Apoſtolus, ajens: *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei* Ideſt, explicat D. Anſelmus *ut, Deus magis magiſque glorificetur in eis, tribuens beneficia gratiæ ſuæ per remiſſionem delictorum.* Eodem modo Gloſſa expendit Apoſtolum: (Omnes peccaverunt, & egent juſtitia) quia *per illam Deus glorioſus apparet.* Idem ſapit D. Auguſtinus, per gloriam intelligens gratiam juſtificantem qua peccatores fiunt juſti. Gloria Dei, ideſt *gratia Dei glorioſa, qua juſtificantur peccatores.* Gratia vere glorioſa; quia divitum theſauros, regum coronas, cunctamque mundi gloriam longe in pretio & magnitudine ſuperet. Gratia glorioſa; quam homines univerſi, omnes Angeli, cunctæque ſimul creaturæ naturæ viribus mereri & aſſequi non poſſunt. Gratia glorioſa, quia extollit de captivitate ad libertatem; de ignominia ad honorem; de diaboli ſimilitudine ad divinæ naturæ participationem. Gratia glorioſa, quia diſponit ad gloriam, & præbet jus ad æternam fœlicitatem. Gratia glorioſa, quia per eam glorificatur Deus, & glorioſus apparet.

Tert lib de Reſ. 5.

Ho de centum ovib.

Seſſ. 6. c. 7.

Rom: 3.

A. de Spir & Litter. c. 9.

Omnes peccatorum converſiones ſunt Deo glorioſæ, ſed non ex æquo. Sunt nonnullæ in quibus ejus gratia glorioſius triumphat, & micantius coruſcat. Cujuſmodi ſunt converſiones illorum qui virtutibus ſplendidius fulgent, poſtquam de ſplendore criminis fuerunt famoſi. Ut conſtat, ex Petro, Paulo, Magdalena, & Thoma. De Petro ſic fatur D.

tur D. Auguſtinus: *Noſtis*, Fratres chariſſimi, *beatiſſimum Petrum in Salvato-* Serm. 16. de
ris paſſione ſuis erroribus profeciſſe, & poſteaquam negavit Dominum, ſuiſſe apud Sanctis.
Dominum meliorem. Fidelior enim factus eſt, poſteaquam fidem ſe perdidiſſe defle-
vit, & ideo majorem gratiam reperit quam amiſit. Tanquam Bonus enim paſtor
tuendum gregem accepit; ut qui ſibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firma-
mentum. Et quia ipſe interrogationis tentatione negaverat, cæteros fidei ſtabilitate
fundaret. Paulum adhuc prodit D. Auguſtinus: *Videte iſtum virum una voce* L. 50. Hom.
Domini ex perſecutore factum prædicatorem. Præcellit eos quos oderat. Illi enim Hom 6.
omnes Chriſtiani quos inſequebatur, tales non erant, qualis ipſe factus eſt. Non e-
nim omnes Apoſtoli erant, quod ipſe factus eſt. Magdalenam adhuc adducit in
exemplum Hipponenſis Antiſtes, quæ *melius ſuſcitata eſt quam frater ejus,* L. 50. Hom. Hom: 13.
de magna mala conſuetudinis mole eſt liberata: & ut fatur Chryſologus: *Quam*
conſpicimus non ſolum caruiſſe peccatis, ſed ad totum ſanctitatis verticem perveniſ- Serm: 94.
ſe. Sed in nulla peccatoris converſione magis elucet magnitudo miſericor-
diæ, & efficacia gratiæ, quam in Thoma qui ſua incredulitate, ut vult D. Au-
guſtinus, fidei incurrerat mortem. *Sciebat clavis in cruce confixum, ſciebat lan-* Ser. 159. de
cea latus percuſſum. Has ſigna quærebat, ideo non credebat. Manus quærebat & la- Temp.
tus, & dum curioſus exiſtit in vulnere, mortem incurrerat in fide. En abyſſus pro-
funda, en vorago immanis, mors ſcilicet in fide, à qua credulum Apoſtolum
ſua benignitate ſuſcitavit Chriſtus. Nam ut ſubjungit D. Auguſtinus; *Ecce*
iterum venit Dominus, ne periret diſcipulus. I. expoſt. Epiſt. ad

Mulum Pauli vocationem & miſſionem ſupra vacationem & miſ- Galat.
ſionem cæterorum Apoſtolorum commendat D. Auguſtinus. Omnes e-
quidem fuerunt vocati & miſſi à Chriſto, ſed magn[illegible] diſcrimine. Alii
ſunt vocati ante Paulum: *ſed per Ieſum Chriſtum adhuc mortalem.* Paulus vo-
catus eſt poſtremus: ſed *per Ieſum Chriſtum, totum jam Deum, ideſt omni ex par-*
te immortalem, ſcilicet poſt ejus reſurrectionem. Priores ſunt cæteri Apoſtoli
miſſi, *per Chriſtum adhuc ex parte hominem, ideſt mortalem.* Noviſſimus eſt A-
poſtolus Paulus miſſus, *per Chriſtum jam totum Deum, ideſt omni ex parte im-*
mortalem. Illi tempore vocationis præcedunt Paulum, Paulus cæteris in im-
mortalitate Chriſti vocantis antiſtat. Itaque *in Pauli honorem implet clarifi-*
catio Domini, ſi quid habebat ordo temporis minus. Eodem fere modo ratioci-
nandum eſt de Thoma, & aliis Apoſtolis. Omnibus ſane apparuit Chriſtus
jam totus Deus, ideſt omni ex parte immortalis poſt ſuam reſurrectionem:
ſed antequam appareret Thomæ, manifeſtatus eſt cæteris. Venit, inquit Chryſol: Serm: 84.
Evangeliſta, Jeſus, & ſtedit in medio, & oſtendit eis manus & latus. Nam
qui ingreſſus fuerat januis clauſis, & merito à diſcipulis ſpiritus eſſe putabatur:
non aliter ipſum ſe, niſi ipſa corporis paſſione, ipſis vulnerum notis, taliter
dubitantibus poterat approbare. Hanc pietatem, undecim diſcipulis de-
monſtravit in ipſo reſurrectionis die: octo enim diebus poſt manifeſta-
tionem undecim Apoſtolis factam, apparuit Thomæ, & dixit ei: Infer
digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & noli
eſſe

Aug Ser. 154. de Tẽ. eſſe incredulus, ſed fidelis. *O pietas ſalvatoris, quæ non dedignatur locum oſtendere cicatricis*, ad peccatorem immutandum, & vulneratum ſanandum.

2. Marcionem veram Chriſto carnem denegantem redarguit Tertul-
L. de Carn. Chr. 5. lianus ex manifeſtatione Chriſti Apoſtolis facta poſt reſurrectionem. *Fuit itaque phantaſma etiam poſt reſurrectionem, cum manus & pedes ſuos diſcipulis inſpiciendos offerret.* Aſpicite, inquit, quod ego ſum; quia ſpiritus oſſa non habet, ſicut me habentem videtis. *Sine dubio manus & pedes & oſſa, quæ ſpiritus non habet, ſed caro.* Chriſto in cruce patibulato & poſt mortem tumulato,
Chryſol. Serm. 81. (collidebat diſcipulos acriter fidei perfidiæque conflictus: non ſic terram, ſicut diſcipulorum cordi turbo concuſſerat paſſionis: & ideo animus eorum credulitatis & incredulitatis acies pertinaci dimicatione vaſtabat; inſiſtebant mentibus eorum cogitationum catervæ: & excurſibus deſperationis ac ſpei, robuſta licet pectora, rumpebantur. Inter miracula innumeroſa ſignorum Chriſti, & multimoda paſſionis ejus genera, inter deïtatis inſignia, & imbecilla carnis, inter mortis damna, & dona vitæ, diſcipulorum ſenſus, menteſque ferebantur: nunc ſpiritus eorum tollebatur ad cœlum, nunc eorum animæ collidebantur in terram, & in intimis eorum tali procella ſæviente, portum quietis nullum, nullam ſtationis quietem poterant invenire. Hoc videns Scrutator pectorum Chriſtus qui jubet ventis, procellis imperat, & ſolo nutu tempeſtates tranquillitate commutat; mox eos ſua pace confirmat dicens;
Matth. 26. *Pax vobis, ego ſum.* Ego ſum crucifixus ille, mortuus, ſepultus. *Ego ſum* per me Deus, per vos homo. *Ego ſum.* Ego ex mortuis ſum vivus, ex inferis ſum ſupernus. *Ego ſum* non ſpiritus in figura carnis, ſed ipſa veritas in carne. *Nolite ti-*
Joan 20. *mere*, quod infidelibus de me totis cogitationibus judicaſtis, quod adhuc non creditis me videntes. *Conturbati & conterriti diſcipuli, exiſtimabant ſe ſpiritum videre.* Diſcipuli ergo poſt reſurrectionem clauſis oſtiis Domino ingreſſo reportaſſe eum ſoliditatem corporis non credebant: in imaginem carnis ſolam rediiſſe animam ſuſpicantes, ut dormientibus ſolent corporeæ imagines apparere. *Exiſtimant ſe*, inquit, *ſpiritum videre.* Ergo in diſcipulis non ſedabantur cogitationum bella, ſed magis magiſque creſcebant: & tumultus mentium ipſis etiam viſionibus augebantur: & unde reſurrectionis aſſerebatur fides, inde totius cunctationis ſpiritus naſcebatur. Quod venerat, erat res; quod clauſis oſtiis intraverat fides non erat, ſed virtus erat. Ergo ad comprimendos ex hoc naſcentes conflictus cogitationum; reſpondit Chriſtus: *Quid turbati eſtis, & cogitationes veſtræ aſcendunt in corda veſtra?* Bene aſcendunt, non deſcendunt; quia depreſſæ carnis pondere cogitationes humanæ, dum ad altum Dei myſterium conantur aſcendere, & conatibus in ipſis, franguntur, ruunt, deponuntur ad terram, niſi ille juverit, qui donat homini cogitare divina. *Quid turbati eſtis, & cogitationes veſtræ aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas, & pedes meos.* Videte carnis vulnera: quia Dei opera Dei non videtis; conſiderate inimicorum titulos, quia Dei adhuc non

conſideraſtis

conſideraſtis inſignia: palpate, ut vel manus fidem faciat, quia videns oculus ſic cœcatur: oculus non videt, videat tactus: digiti veſtri intrent veſtigia clavorum, manus veſtræ alta vulneris requirant: aperite manuum foramina, ſulcate latus, renovate vulnera, quia negare non poſſum diſcipulis ad fidem, quod inimicis in pœnam ſævientibus non negavi: palpate, palpate, & uſque ad oſſa inquiſitores ardui pervenite: ut vel oſſa carnis adſtruant veritatem, & me eſſe ipſum vel vulnera ſervata teſtentur.) Hucuſque Chryſologus acute pariter & eloquenter referens ea quæ egit Chriſtus impedire deſiderans, ne undecim Apoſtoli ſimul congregati, incurrerent *languorem & interitum fidei.* Nam ad ſedandos bellorum tumultus quibus intus agitabantur in anima, dedit eis pacem, deinde videns eos ad ingreſſum ſuum aſpectumque turbatos & conterritos, oſtendit eis carnis humanæ veritatem: tandem ut nullus eis remaneret dubitandi locus, vulnera ſua eis tangenda & palpanda præbuit. Et licet *per infirmitatem fidei ſuæ offenderint*, eorum tamen culpa multo levior incredulitate Thomæ qui in fide læthaliter vulneratus fuit.

Tert lib de Præſc. Hær. 2.

Tert lib. de Fug: in Perſ. 9.

Quis enim non intelligere poſſit multa vulnera fidei quæ nullo alio remedio quam fide in Chriſtum ſanari poſſunt? *Medicina omnium vulnerum animæ eſt credere in Chriſtum*: incredulitas vulnerat animam, fides animæ vulnus ſanat. Thomæ fides vulnerata fuerat per infidelitatem; Chriſtus ſe ei videndum & palpandum præbet. *Ut vulnera ſanaret infidelitatis*, undecim diſcipulos titubantes in fide ſolidaret: *Dominus eadem redit in carne, vulnera reportat, ipſa clavorum foramina reſumit, & ipſa facit teſtimonia ſui corporis, ſuæ reſurrectionis indicia, quæ fuerant contumelia paſſionis.* Et quia longe culpabilior erat obſtinata Thomæ incredulitas, quam timorata cæterorum Apoſtolorum titubatio, majori malo majorem medicinam adhibens Chriſtus ſemetipſum Thomæ ſuſcitatum oſtendit, corporis vulnera detegit, palpanda præbuit, infidelem Apoſtolum de incredulitate redarguit, & ut ſit fidelis hortatur. Infer digitum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus ſed fidelis. Quaſi dicat: *Occiſus ſum propter te, per locum quem vis tangere ſanguinem fudi, ut redimerem te: & adhuc dubitas de me niſi tetigeris me? Ecce & hoc præſto, ecce & hoc exhibeo. Tange & crede, inveni locum vulneris, ſana vulnus dubitationis.*

Tert. lib. 2. ad Ux. 2.

D Aug. ſer. 60 de Verb. Dom.

D. Gregor. Hom. 26 in Evang.

Chryſol. Ser. 76.

D. Aug. ſer. 33 de Verb. Dom.

Marcionitæ & Judæi reſurrectionis Dominicæ fuere hoſtes infenſiſſimi, eamque longe diverſa ratione inſecuti ſunt: Marcionitæ Chriſto tribuentes non veram ſed phantaſticam carnem, reſurrectionis negabant veritatem; ab illis etenim agnoſcebatur ſolummodo *inanis carnis ſpecies, in reſurrectionis injuriam.* Judæi è contra in Chriſto veram agnoſcentes carnem: *Statuunt pretium falſitatis, perfidiæ conficiunt inſtrumentum, commercio crudeli, fraudem fidei, virtutis latrocinium nundinantur; corrumpunt milites, ut furtum vocent, quod erat reſurrectionis arcanum.* Multis rationibus Marcionem confutat Tertullianus, tum argumento ad ho-

Chryſol. Ser. 81.

Chryſol. Ser. 80.

minem ut dicitur. Nam ex una parte Chriſtum à Deo optimo & bono, & ſimplici procedentem & venientem docet, & illum deceptorem & men-
Joan. 20. dacem cenſet. Cum ergo ſero eſſet, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſci-
puli congregati propter metum Judæorum, venit Jeſus in medio, & dixit
Luc. 24. eis: Pax vobis: Ego ſum, nolite timere. Conturbati vero & conterriti
exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Et dixit ei; Quid turbati eſtis, & cogita-
tiones aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes meos, quia
ego ipſe ſum: palpate & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet,
Tert lib. de Carn. Chr. 5. ſicut me videtis habere.) *Quomodo interpretaris hanc vocem Marcion, qui à Deo optimo, & ſimplici, & bono tantum, inſers Ieſum? Ecce fallit & decipit, & circunvenit omnium oculos, omnium ſenſus, omnium acceſſus & contactus. Ergo jam Chriſtum non de cœlo deferre debueras, ſed de aliquo circulatorio cœtu: nec Deum præter hominem, ſed Magum hominem: nec ſalutis pontificem, ſed ſpectaculi artificem: nec mortuorum ſuſcitatorem, ſed vivorum avocatorem:*
Tum quia ſi Chriſtus imaginariam duntaxat & phantaſticam, & apparentem habet carnem: *Falſo ergo ſtatuit inter nos ſcire Paulus tantum Ieſum crucifixum: falſo ſepultum ingeſſit, falſo ſuſcitatum inculcavit; falſa eſt igitur & fides noſtra, & phantaſma erit totum quod ſperamus à Chriſto.* Tum quia Chriſtus eſt Deus & homo, ex homine homo, ex Deo Deus; de homine carneus, de Deo ſpiritalis: de homine infirmus, de Deo præfortis: Paſſiones veritatem carnis prædicant, virtutes & operationes miraculoſæ, divinitatis veritatem demonſtrant. *Quæ proprietas conditionum divinæ & humanæ, æqua utique naturæ utriuſque veritate diſpuncta eſt, eadem fide, & ſpiritus & carnis; virtutes, ſpiritum Dei: paſſiones, carnem hominis probaverunt. Si virtutes non ſine ſpiritu, perinde & paſſiones non ſine carne.* Si opera quæ egit Chriſtus non potuit facere niſi veram habuerit divinitatem, neque valuit pati quæ paſſus eſt, niſi veram habuerit carnem: *Si caro cum paſſionibus ficta, & ſpiritus ergo cum virtutibus falſus;* & ita Chriſtus erit fictitius homo, quantumvis patiatur, & fictitius Deus, quantumvis mira operetur. *Quid dimidias mendacio Chriſtum? Totus veritas fuit. Maluit crede naſci, quam aliqua ex parte mentiri, & quidem in ſemetipſum; ut carnem geſtaret, ſine oſſibus duram, ſine muſculis ſolidam, ſine ſanguine cruentam, ſine tunica veſtitam, ſine fame eſurientem, ſine dentibus edentem, ſine lingua loquentem, ut phantaſma auribus fuerit ſermo ejus per imaginem vocis.* His aliiſque rationibus Marcionis errorem confutat Tertullianus, demonſtrans veritatem carnis Chriſti ex paſſionibus, & veritatem reſurrectionis, ex manifeſtationibus Apoſtolis factis: Judæi Chriſti reſurrectionem impugnantes, ex D. Auguſtino majorem ei aliquo modo irrogant injuriam quam dum eum crucifixerunt: quia reſurgens mortis ſuæ reparavit infamiam, & ut fatur Chryſologus
Serm 67. *reſurgentis gloria ſepellvit morientis injuriam.* Itaque Judæi reſurrectionem Domini impugnantes, eum velut denuo morti tradunt; vulnera aperiunt; ignominias renovant; eique novam illam vitam multo priori glorioſiorem auferre moliuntur; undecim Apoſtoli Marcionem ex parte

imita-

imitari videntur, exiſtimantes non veram Chriſti carnem, ſed ſpiritum duntaxat & phantaſma videre: Thomas Judæorum crimen quodammodo reſculpit, credere recuſans niſi tangat vulnera Chriſti, & mittat manum ſuam intra latus ejus. Chriſtus ut undecim diſcipulos in fide reſurrectionis titubantes, ſanaret; manus & pedes eis porrigit videndos & palpandos: (Videre manus meas, & pedes: quia ego ipſe ſum, palpate & videte,) id eſt palpando agnoſcite. Et ut Thomam à ſua incredulitate ſaner, ſimiliter ſe ei videndum, tangendum & palpandum præbet. Infer digitum tuum huc, & affer manum tuam, & mitte in latus. Quaſi dicat ſi aſpectui non credis, tactui crede, quia tactus viſu certior eſt, ut vel manus fidem faciat: *In reſurrectionu enim manifeſtatione de aſpectu ambigi poteſt, de tactu non poteſt dubitari.* D. Auguſt. Ser. 160. de Temp. Sic Thomas vulneratus in fide tangendo Chriſti vulnera ſanatus eſt. Trajanus Imperator debellato & prælio victo Decebalo Dacorum rege, cum vulneribus ligamina deeſſent, ſuam purpuram in tenues lacinias conciſam, vulneribus militum obligandis adhibuit. Alexander proprio diademate Liſimachi ſaucii vulnus obligavit; Chriſtus ſimiliter ad ſanandum Thomam in fide vulneratum, medici perſonam egit neque aliam medicinam præter vulnera ſua adhibuit, quorum contactu cæcutiens Apoſtolus illuminatus fuit.

3. *Videat meus Thomas, audiat, contrectet, & credidit.* Quatuor de incredulo Thoma notatu digniſſima refert Tertullianus: Tert. lib. de An: 50. Nam vidit Chriſtum viſitantem, tetigit Chriſtum vulnera præbentem; audivit Chriſtum blande increpantem, illuminatus fuit per Chriſtum tot favores largientem. I. Vidit viſitantem Chriſtum. Subditi ſeſe fœlices exiſtimant, dum principum honorantur præſentia, quorum viſitationes velut ſupremos favores recipiunt, nullus ſane eſt in regno Gallicæ cujuslibet ſit conditionis, qui non ſe fortunatum cenſeat, dum in ſua domo, à rege viſitatur. Inde colligendum eſt quanto Thomas dignatus eſt favore in cujus gratiam iterum ingreſſus eſt Salvator. Indignum ſe proclamat Centurio, quod Chriſtus ſuam ingrediatur domum: Martha & Magdalena quamtumvis Chriſto familiares, languente fratre Lazaro, non audent in ſuum caſtellum accerſere Salvatorem, ſed tantummodo ſcribunt: *Ecce quem amas infirmatur.* Joan: 11. At Chriſtus non vocatus, non rogatus, non invitatus, non accitus, ſed ſponte viſitat Thomam incredulum, peccatorem, inimicum ſuum; rurſus ingreditur locum in quo erat cum cæteris diſcipulis. Ipſo reſurrectionis die diſcipulos ſuos viſitat Chriſtus turbatos cedat, titubantes confirmat, & ſuorum vulnerum aſpectu ſe in vera carne ſuſcitatum oſtentat. (Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didimus, non erat cum eis, Joan: 20. quando venit Jeſus. Dixerunt ergo ei alii diſcipuli vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli ejus intus, & Thomas cum eis: venit Jeſus januis clauſis & ſtetit in medio;) ſeſe Thomæ viden-

Chryſol. Ser. 74. videndum præbuit, *ut eſſet credulitas de videndo.* Ariſtides confitetur magnam mutuaſſe utilitatem ex Socratis contubernio, viſu & præſertim tactu,
In Theogene quem ideo ſic loquentem inducit Plato: *Proficiebam; ô Socrates, quotieſcumque tecum eſſem, etſi in eadem domo ſolum eſſem, non tamen in eadem parte domus: magis tamen in eadem parte. Et mihi quidem videbar multo magis quando in eadem parte exiſtens, aliquid te dicentem intuebar, quam cum alio eſſem averſus, ſed longe magis proficiebam cum apud te ſedens, te tangebam.* Haud aliter
D. Auguſt. Tract. 181. in Joan. ſed ſublimiori modo, gloriatur Thomas, ſe ex Chriſti viſitatione contubernio, aſpectu, & contactu magnum retuliſſe fructum. Infer digitum tuum huc, & vide. *Quid aliud ait, quam tange, & vide? Nec tamen oculos ille habebat in digito. Ergo ſive videndo, ſive etiam tangendo;* quia vidiſti me Thoma, credidiſti: & 2. vulnera mea tangendo illuminatus fuiſti.

Tres occurrunt impræſentiarum explanandæ difficultates. Una, an poſt reſurrectionem remanſerint in glorioſo corpore Chriſti cicatrices, notæ, & ſtigmata: Quinque vulnerum, ſcilicet in manibus, pedibus, & latere. Secunda an adhuc remanſerint foramina, à clavis & lancea prius inflicta. Tertia, an Thomas in ejuſmodi foramina immiſerit digitos aut manum.
Epiſt. 49. Circa primam difficultatem ſic objicit Porphirius apud D. Auguſtinum. *Si poſt reſurrectionem ſtatus beatus futurus eſt, quid ſibi vult Chriſtum, vulnera monſtraviſſe? ſed ſi propter incredulum fecit, finxit: ſi autem verum oſtendit, ergo in reſurrectione futura ſunt vulnera.* Verum hæc argumentatio valeret ſi poſt reſurrectionem Chriſtus neceſſitate quadam, & non voluntate vulnera ſervaſſet: ſervavit autem non aliqua neceſſitate, ſed mera voluntate: qui enim corpus exanime potuit reddere vitæ, potuit & vulnera curare, & relicta ex his in carne veſtigia penitus delere: at noluit juſtiſſimas ob cauſas: ex quibus nonnullas hic ſubjicio. 1. Eſt Chriſti reſurgen-
In c 6 Luc. tis voluntas. Ut enim ait venerabilis Beda: *Qui regna mortis deſtruxit, ſigna mortis oblitterare noluit.* 2. Cicatrices vulnerum ſervare voluit Chriſtus. Subjungit Beda, ut redemptionis beneficium numquam à memoria
Haymo. Chriſtianorum recedat, *ſervavit ſigna mortis, ut ſua morte redemptis, quam miſericorditer ſint adjuti, propoſitis ſemper ejuſdem mortis innovet indi-*
D. Bern. ſer. 61, in Cant. *ciis.* 3. Ut ex vulnerum conſideratione, fideles ad agendas Deo gratias inducerentur. *Signa vulnerum oblitterare noluit, ut electi ei indeſinenter gratias agant.* 4. Ut ex vulnerum notis dignoſcatur quanta fuerit Dei miſericordia. *Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis ſacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.* 5. Ut appareat, ſubjungit Bernardus, Chriſtum ſuis vulneribus peccatores Deo reconciliaſſe, & inter Deum & homines confœderaſ-
D. Ambr. in Pſ. 37. ſe. *Clamat clavus, clamant vulnera, quod vere Deus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* 6. Quia cicatrices innuunt, Chriſtum ſuis vulneribus nobis aperuiſſe cœlum, & immortalitatem comparaſſe: *Iſta eſt cicatrix, quæ cœlum aperuit, regnum acquirit, immortalitatem invenit.* 7. Ut in periculis conſtituti, ad ſacratiſſima Salvatoris vulnera, tanquam ad aſilum con-

confugerent. *Vbi enim eſt tuta firmaque ſecuritas, niſi in vulneribus Salvatoris?* D Bern Ser. 60. in Cant
8. Ut ſe vere paſſum, mortuum & reſuſcitatum oſtenderet. *Paſſionis no-* Cirill Alex
tas retinuit Chriſtus, ut reſurrectionis myſterium recte intelligamus. 9. Servavit L. 12 in Joan
cicatrices vulnerum Chriſtus velut victoriæ ab ipſo relatæ, trophæa. Ob In Pſal 37
hanc cauſam nuncupantur à D. Ambroſio: *Bonæ triumphalium vulnerum cica-*
trices, quæ ſunt partæ victoriæ inſignia; ſicut ſolent à victoribus, inquit Ber- Serm 3 de Reſur.
nardus, *in ſignum virtutis clipeorum foramina monſtrari.* Ut autem fatur ſupra In cap 6 Luc
memoratus Beda, *Dominus ſignum perpetis victoriæ vulnerum cicatrices, cælo*
inſerre maluit, quam abolere. 10. Ut à Deo Patre præſtitæ ſibi obedientiæ
ſemper oſtenderet monumentum, & humanæ ſalutis exigerent pretium, D. Ambr l 10. Luc.
ut Deo patri pretia noſtræ libertatis oſtenderet, mercedē obedientiæ ſibi præſtitæ,
& pretium ſalutis humanæ ſemper obtineat. *Vt reſervatæ in corpore plagæ,* D Cyp. lib de Bapt. Chriſtian
ſalutis humanæ pretium exigant, & obedientiæ donativum requirant. Quomo-
do in cœlo interpretative orat Chriſtus, æterno Patri oſtendens vulnera, D. Thom. 3 p. q. 13
queis, hominibus gratiam meruit & gloriam. 11. *Vt in judicio quam juſte dam-* Euſeb.
nentur reprobi, denuntiet, qui ſuis ſceleribus Chriſtum crucifixerunt, & nul- Emiſſ Hom
lum de ſua paſſione fructum retulerunt. *Prima enim erit in reos intoleranda* 4. ad Mo-
ſententia, reverendarū præſentia cicatricum. 12. Ut in fide firmaret nutantia nach. In Pſ. 74.
diſcipulorum corda. Teſte namque D. Auguſtino, *Columnæ, quæ in paſſione*
nutaverunt in reſurrectione firmata ſunt, terruerunt Apoſtolos vulnera, firmaverunt
cicatrices, quas eis videndas objecit Chriſtus, ut eos à dubitatione ſanaret,
& in fide ſolidaret. *Vt in ſeipſo oſtendendo vulnera carnis, ſanaret in eis vulnera*
mentis, ait Euſebius: ſubjungens potiſſimum reſervatas vulnerum cicatri-
ces, ut vel unum Thomam incredulum ad fidem revocaret: *Sciebat quod*
Apoſtolus Thomas aliquando dicturus eſſet: Niſi videro in manibus ejus fixuram
clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam ma-
num meam in latus ejus, non credam. *Propter hoc cicatrices delere noluit.*

Circa ſecundam difficultatem, an ſcilicet in pedibus, manibus, & latere,
remanſerint foramina, à clavis & lancea, facta, non eſt diu immorandum.
De facto remanſiſſe, paſſim docent authores, & ſacer inſinuat textus, ſeu
potius ipſemet Chriſtus à ſacra Scriptura relatus, aiens Thomæ: *Infer digi-*
tum tuum huc, & affer manum tuam, & mitte in latus meum. Non poſſet autem
mittere digitos in manus & pedes, niſi eſſent hiantes, neque inferre manum
in latus, niſi vulnus pateret perforatum. Ob illa foramina, in iis partibus
Dominici corporis aliquid deeſt carnis; miraculoſeque factum eſt, ut illa
foramina non impediant, quominus nervi, arteriæ & venæ continuæ ſint,
optimeque diſpoſitæ; tum ad continendum ſanguinem: tum ad omnes
actiones, & motus vitæ exercendos. Neque inde ulla apparet deformitas
ſed potius amabilis oritur decor. Ut enim docet D. Thomas de reſuſcitatis
Sanctorum corporibus loquens: *Non enim deformitas in eis, ſed dignitas* 3. p. quæſt.
erit: & quædam quamvis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo ful- 53. a. 2.
gebit.

Brevi adhuc explananda eſt tertia difficultas, aſſerendo Thomam Chriſtum defacto tetigiſſe, & in foramina pedum & manuum & lateris digitos aut manum immiſiſſe. Nam ut fatur D. Ambroſius, *tactu ſuo debuit me docere.* Conſentit Cyrillus Alexandrinus: *Poſtquam Thomas manus in latus, & digitos in manuum foramina intuliſſet, ſtatim exclamavit:* Dominus meus, & Deus: Et licet D. Auguſtinus videatur dubius circa hanc quæſtionem: *Quamvis dici poſſit non auſum fuiſſe diſcipulum tangere, cum ſe offerret illi tangendum: nam enim ſcriptum eſt, Et tetigit Thomas*; attamen ad affirmativam partem ſe determinat, & Thomam de facto tetigiſſe Chriſtum aſſeverat. *Videbat, tangebatque hominem, & confitebatur Deum quem non videbat; ſed per hoc quod videbat atque tangebat, illud jam remota dubitatione credebat.* Quod innuit ipſemet Chriſtus cunctos diſcipulos ad videndum & palpandum invitans, & ſpecialiter Thomam ad immittendos digitos in loca clavorum ſollicitans. Nec obſtat quod corpus Chriſti glorioſum ſubtile eſt & incorruptibile: quod autem tangitur eſt naturaliter corruptibile. In corpore enim quod palpatur duo requirit Doctor Angelicus. Unum, ut reſiſtat ratione ſuæ denſitatis; aliud, ut ſimul ſentiatur molle aut durum; aſperum aut leve; rarum aut ſpiſſum aliaſque ſimiles habeat qualitates tactiles: Corpora autem glorioſa, tangi poſſunt ſi alteri corpori reſiſtere velint & non penetrare; & non poſſunt tangi, ſi reſiſtere nolint. Itaque corpus Chriſti glorioſum ſubtile eſt inviſibile & impalpabile, per effectum ſpiritalis potentiæ, palpabile vero & viſibile, per veritatem naturæ. *Miro modo atque ineſtimabili Redemptor noſter, & incorruptibile poſt reſurrectionem, & palpabile corpus exhibuit, ut monſtrando incorruptibile invitaret ad præmium, & præbendo palpabile firmaret ad fidem.*

In c. ult Luc. Lib. de Fide ad Theodoſium. Tract. 121. in Joan. ibid. 3. p. q. 14. a. 4. D. Gregor. Hom. 26. in Evang.

Sic palpabilem ſe præbuit Dominus Thomæ ſpeciali prorſus prærogativa. Joannes Baptiſta Domini Præcurſor, ſupra caput ſuſtulit manum, ſed Chriſtus adhuc erat mortalis: Dilectus diſcipulus Evangeliſta Joannes, ſupra dominicum requievit pectus, ſed intra ſcrutatus non eſt. Magdalena ſuſcitatum vidit Salvatorem, ſed illum tangere prohibita eſt: *Noli me tangere.* At Thomas majori audens privilegio quam Præcurſor Domini, quam dilectus Diſcipulus, quam amans Magdalena, vidit Chriſtum reſuſcitatum glorioſum ejus corpus tetigit, intra vulnera digitum & manum immiſit, & ſacrorum vulnerum contactu illuminatus fuit. Fons eſt in Epiro in quem injectæ extinctæ faces reaccenduntur: Chriſto crucifixo & mortuo fidei lumen velut extinctum erat in Apoſtolis, quos ideo Eccleſia in matutinis Hebdomadæ ſanctæ tenebroſis nuncupatis, ſub ſimbolo duodecim candelarum extinctarum repræſentat; Vulnera Salvatoris *fontes* vocitat Iſaias Propheta, à quibus illuminati fuerunt Apoſtoli; præſertim Thomas qui ſacra illa vulnera non ſolum vidit ſed & tetigit, & ſplendore ab eis manante irradiatus fuit. *Quamquam in toto corpore Redemptoris fulgor quidam prodeat, nobis ineſtimabilis tanquam dos glorioſa, pro ſuſceptis cruciatibus: admirabilior tamē ab eis procedit in quibus differentius cæteris vulneratus eſt, ſcilicet à manibus*

Joan. 20. Iſa. 12. Poſt paradoxo 5. c. 7

nibus pedibus atque latere. Ab his ſplendorum fontibus mirum in modum illumitatus eſt Thomas: Etenim ſi dilectus Diſcipulus ſupra Chriſti adhuc mortalis pectus recubans, tantam hauſit cœleſtium myſteriorum notitiam, Thomas à Vill Nov.
quanto majorem ſplendorem mutuatus eſt Thomas, tangens lucidiſſima Chriſti immortalis & glorioſi vulnera? *Ab illo pectore arcana cœleſtia Ioannes hauſerat dormiendo, in illo Thomas grandes theſauros reperit ſcrutando;* quia non dormiens, ſed vigilans, ſacra Chriſti vulnera ſcrutatus eſt, à quibus illuminatus, effectus eſt abyſſus credulitatis & conſtantiæ.

Tenebra ſuper abyſſum; ſigillatim tenebras definiens abyſſum. Quemadmodum autem in mundi exordio, Deus de tenebris eduxit lucem; ita in initio Chriſtianæ Religionis de Apoſtolis obtenebratis, eruit lucem fidei; quibus ſeſe manifeſtans Chriſtus, loquens, & palpandum præbens: *Apoſtoli quod audiunt non delirium judicant, ſed virile, dant aures, ora figunt, aperiunt oculos, corda pandunt, & quæ dicuntur ſic commendant ſenſibus, ut poſt cunctationis æſtus ſitientes bibant auditu fidei, quod lingua fundebat* Salvatoris: Verum quia cæteri diſcipuli in fide duntaxat titubabant; Thomas autẽ erat in incredulitate pertinax & lapſus erat in nequitiæ & infidelitatis abyſſum: Chriſtus ſe ei palpandum præbens incredulum in fidelem commutavit: *Rediit celſitudo de profundis, lux de tenebris, vita de morte,* de incredulitate credulitas. Nam mox ut Thomas Chriſti vulnera tetigit, ejus reſurrectionem, quam pertinaciter negaverat, credidit: *Ita abyſſus ex abyſſo* effectus eſt, ſcilicet ex abyſſo infidelitatis & nequitiæ, abyſſus fidelitatis & conſtantiæ: 1. corde credens: 2. ore confitens: 3. pro fide moriens.

III PARS. Tert. lib. adv. Hermog. Chryſol. Ser. 79. D. Aug. Ser. 156. de Tẽp. Tert. lib. adv. Hermog. 31.

1. Apoſtoli, *quia Deum abyſſi, & ſuum cognoverant,* ſolidati ſunt in fide, & ita ſtabiles effecti, ut à Gregorio Nazianzeno nuncupentur, *ſpirantes columnæ:* quos per cœlos gloriam Dei enarrantes, denotatos vult D. Bernardus, quia ſcilicet *à terra ſuſpenſi, Dominum portantes, præceptis tonantes, ſapientia coruſcantes.* In omnem terram exivit ſonus, & in fines orbis terræ verba eorum. Ad hunc finem miſſos à Domino refert Evangeliſta Marcus,] Noviſſime recumbentibus illis undecim apparuit: & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.] Stupendus ſane procedendi modus, ad ſeminandam fidem mittit incredulos. Etenim ſi nemo dat quod non habet; quomodo fide deſtituti, fidem ſuadere poterunt? ſapienter tamen *exprobrat incredulitatem, ut ſuccedat credulitas.* Illa autem exprobratio facta Apoſtolis in communi, ſpecialiter ferit Thomam, qui ſolus fuerat incredulus, ſolus dominicam negaverat Reſurrectionem; ſolus qui teſtimonio diſcipulorum credere recuſavit; ſolus, qui pertinaciter in ſua incredulitate perſeveravit; ſolus, qui ad credendũ viſum & contactũ corporis Chriſti deſideravit, & quia tactus Domini eſt *ſummum credulitatis indiciũ.* Thomas ex infideli factus eſt fidelis. Incredulitas fuit illi incentivum credulitatis, & ut fatur D. Bernardus,

Tert. lib. adv. Marc. 20. Orat. in Pſ. 18. Marc 16. Chryſol. Chryſol. Ser. 85.

Tho-

Serm. 3 ſuper miſſus eſt. *Thomas dubitando conſtantiſſimus factus eſt Dominicæ confeſſor Reſurrectionis.* Apoſtoli ad prædicandum Evangelium, in totum orbem, diſpergendi, cunctos fidei articulos, in unum ſimbolum contulerunt, ut eadem omnes myſteria, concordibus animis & linguis prædicarent, ſuum itaque ſingulis articulum conferentibus Thomas, ut docet D. Auguſtinus, hunc de Reſur- Serm 155 de Temp. rectione Dominicæ articulum pronuntiavit: *Reſurrexit tertia die;* ut reſurrectionis incredulitatē, fide reſurrectionis repararet, tantoque major eſſet prædicationis fides, quanto fuerat major prædicantis incredulitas: Quis enim fidem denegaret inimico, iſtam quam pertinaciſſime negaverat, veritatem D Gregor Hom 26. in Evang. confitenti? Profecto *minus mihi Magdalena contulit, quæ citò credidit, quam Thomas qui dubitavit.* Imo ut audacter ait Haimo Halberſtatenſis Antiſtes, *plus nobis profuit dubitatio Thomæ, quam certiſſima fides Mariæ.* Hanc enim protervi; utpote matris, ſuſpectam dicerent; illam vero utpote adverſarii, Metaph. incorruptam judicarent. Ideoque permiſit Deus labi Thomam in incredulitatem *ut præclarior eſſet præco Reſurrectionis,*

Janus dicebatur ab antiquis Gemellus, & duplici facie repræſentabatur, Thomas dicitur Didimus, ideſt Gemellus, qui duplici ſub facie conſiderari poteſt. In una ejus apparet incredulitas, in altera ſplendeſcit fides. Incredulitas ait: *Niſi videro, non credam:* fides verò humiliter confitetur: *Dominus meus, & Deus meus.* Incredulitas vult videre ut credat; & fides quia Hom 26 in Evang credidit videt: & ut fatur Magnus Gregorius; *Aliud vidit, & aliud credidit. Vidit hominem, intellexit Deum.* Vidit carnem, & credidit carnis reſurrectionem; vidit Chriſti humanitatem, & credit ejus divinitatem; Nam dicens: D Gregor Hom 26 in Evang Dominus meus & Deus meus protulit fidem incredulitate majorem. Nam *hominem vidit, & Deum confeſſus eſt.* Tantæ fidei exemplum ad credulitatem nos ſtimulat; & quantumvis quæ credenda proponuntur, ſuperent rationis aciem, & ſenſuum experientiam: præferenda eſt fides ſenſui & rationi, & *propter fidei prælationem* dicendum cum Apoſtolo: *In fide vivo filii Dei qui di-* Lib de Cor Mil 4 *lexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

Caſtor & Pollux ſub gemini nomine dignoſcuntur ab Aſtrologis, qui, ut teſtatur Moralis Philoſophus in procellis & tempeſtatibus maris apparent in cœlo, naviganteſque dirigunt & favent ne patiantur naufra- Anaſt Sinait 14 Heram gium. *Habet Eccleſia geminos, ſtellam Thomam qui dicitur geminus,* qui magnum nobis affert fructum: tum ſua fide, tum ſua incredulitate: D. Bonavent Serm. 1 de S. Thom. *Egit miro modo divina clementia, ut diſcipulus dubitans dum in magiſtro vulnera palpabat carnis à nobis vulnera excluderet infidelitatis.* Diſcipuli incredulitas à nobis arcet incredulitatem; & Apoſtoli lapſus, ne cadamus, nos admonet, Quod acute animadvertit Metaphraſtes. *Thomas qui eſt fidei noſtræ pater ex incredulitate: qui incredulitatis occaſionem amputavit incredulis.* Thomæ incredulitas fidem reſurrectionis parturivit, & Serm 156 de Temp in fidelium cordibus firmius radicavit. Unde D. Auguſtinus illuſtrans dictum Thomæ; Niſi videro, non credam, exclamat: *Quam bona ignorantia, quæ erudit ignaros, quæ inſtruxit incredulos. Quam bona infidelitas,*

quæ

quæ inſtruxit incredulus. Quam bona infidelitas, quæ ſeculorum fidei militavit! Niſi videro, non credam. *In his Apoſtoli verbis, mundi utilitas agebatur, & unius interrogatio, erat univerſitatis inſtauratio.* Ut autem evidentius appareat quantum nobis fuerit utilis Thomæ incredulitas, & obſtinatæ infidelitatis pertinacitas, audiendus eſt Magnus Gregorius in præſenti materia belle diſſerens: *Numquid caſu geſtum creditis, ut electus ille diſcipulus tunc deeſſet, poſt autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet?* Hom. 26. in Evang: Id divina providentia factum exiſtimat ſummus Pontifex; ſcilicet *ut diſcipulus ille dubitans dum in magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera ſanaret infidelitatis*, nempe incredulos ab infidelitate ſanaret; & fideles in fide conſervaret; & cunctos ad credulitatem & fidem incitaret. *Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides diſcipulorum credentium profuit.* Cujus hanc ſubminiſtrat D. Gregorius rationem: *Quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſita in fide ſolidatur.* Thomas amiſſam incredulitate fidem contactu recuperans, nullum nobis dubitandi locum reliquit, dicens: Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, hoc annuntiamus vobis. Non ſolum ſibi, ſed etiam nobis, ut vult Cyrillus Alexandrinus. *Propter nos Thomas accuratè tangebat*: & hoc, Tum *ut omnem ſuſpicionem incredulitatis excluderet*: Tum ut evidens nobis credulitatis motivum præberet. D. Aug: Ser. 61 de Temp. Ut enim ſubjungit D. Auguſtinus, *Non ſufficerat illi ad fidem propriam vidiſſe quem noverat, ſed nobis operatus eſt ut tangeret quem videbat, ut ſi fortè diceremus deluſos fuiſſe oculos, non poſſemus dicere, manus ejus fuiſſe fruſtratas.* Adeò authenticum teſtimonium diſcipuli olim increduli, viſu, auditu, & contactu fundatum & ſolidatum ſufficit, *ſimul ingerens terrorem infidelitatis, & exequens officium fidei* quam Thomas ore confitetur. Caſſian. l. 5. de Incarn.

2. *Sed qui credit, intelligit etiam altius aliquid*, ut patet ex Thoma, qui dominicæ carnis credens reſurrectionem; ad notitiam divinitatis mentem extulit. Tert. l. 4. adv Marc. 35. Ut enim ait Theophilactus; *qui prius infidelis fuerat poſt tactum lateris optimum Theologum ſe oſtendit; duplicem naturam, & unam hypoſtaſim Chriſti edifferens: Dicens enim Dominum, naturam humanam: dicens Deum, divinam confeſſus eſt, in uno & eodem.* Sublimem illam notionem habuit Thomas poſt tactum lateris. Ut enim ait Cajetanus Theophilacto arridens: *Veriſimile eſt Thomam hoc dixiſſe, poſtquam tetigit* lateris dominici vulnus: quod appellatur à D. Antonio Paduano, *Civitas ſolis, per quam effulſit ſplendor æternæ lucis.* Dominic. 1. Adv. Ab hoc ſplendore illuſtratus Thomas confeſſus eſt Chriſti divinitatem & humanitatem in una perſona ſubſiſtentem: & ore promens, Dominus meus & Deus meus, *incredulitatis ſuæ culpam, magnitudine profeſſionis penſavit.* Cajet.

Inter eos qui Chriſtum confeſſi ſunt, merito Joannes Baptiſta, Petrus, & Thomas, præcipui habentur. Joannes Chriſti humanitatem teſtatus eſt; Petrus ejus divinitatem confeſſus eſt: at Thomas divinitatem & humani-

humanitatem ſimul prædicavit. Joannes Chriſtum verum Meſſiam declaravit, & tanquam agnum peccata mundi tollentem digito monſtravit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Petrus Chriſtum Dei filium agno-
Matth. 16. vit: Tu es Chriſtus filius Dei vivi. At *Thoma digitus ſactus eſt magiſter mundi*, ait Cardinalis Petrus Damianus; & ut fatur B. Vincentius Ferrerius, *inter*
Serm. de S. Thoma. *Apoſtolos B. Thomas, quia ore confeſſus eſt fidem, fuit clarior*: licet enim Petrus ore confeſſus ſit fidem, Thomæ tamen confeſſio eſt longè clarior. *Laudatus*
Thom. à Vill Nov. Conc. in Oct. Paſch. *eſt Petrus; quia dixit*: Tu es Chriſtus filius Deus vivi. *Expreſſius intonat Thomas*: Dominus meus & Deus meus, *ſimplici verbo utramque naturam in Chriſto confeſſus*. Joannes Baptiſta ab Spiritu ſancto eruditus Meſſiam agnovit: Petrus ab æterno Patre edoctus æternam Chriſti filiationem didicit. Thomas *ſcrutator vulneris Chriſti*, ab illo luminis fonte humanitatis & divini-
L. de Trin. tatis notitiam aſſecutus, & ut fatur dubius Tertullianus; *Omnibus divinitatis Chriſti probationibus inſtructus Thomas reſpondit Chriſto*. Dominus meus, & Deus meus.

Reges & Imperatores deferunt inſignia quibus eorum dignoſcitur majeſtas. Chriſtus eſt Rex regum, & Dominus dominantium. Ut autem anim-
Epiſt. 49. advertit D. Auguſtinus, *fuerunt veſtigia vulnerum in corpore ſuo, tanquam tituli gloriarum*: Per ejuſmodi vulnerum veſtigia, præcipua Chriſti myſteria rimatus eſt Thomas; per illa eum cognovit Chriſtum verum hominem conſervantem in ſuo corpore cicatrices vulnerum quæ noſtri amore pertulerat: Cognovit Chriſtum verum Deum, quia Deitas quam ab æterno acceperat à patre, non erat conſumpta ab humanitate, quam in tempore ſumpſerat à Matre. Agnovit incarnationem, quæ eſt unio divinitatis & humanitatis in perſona Verbi. Agnovit reſurrectionem Chriſti, qui propria virtute exiit de ſepulchro, ſicut januis clauſis ingreſſus eſt locum, in quo erant diſcipuli congregati. Agnovit Trinitatem, quia Chriſtus in quantum Deus, generatus eſt à Patre, & inquantum homo, formatus ab Spiritu ſancto de ſanguine Virginis. Tandem præcipua religionis cognovit, & confeſſus eſt myſteria, dicens:
D. Aug. Ser 156 de Temp. Dominus meus, & Deus meus: *Figuram perſpicit corporis, & Deum prædicat majeſtatis*.

Qui librorum excogitarunt indices, rem utilem ac delectabilem adinvenerunt, ut quæ longo tractu, in vaſto volumine diſperſa, & prolixa lectione indaganda, ad ſummam & brevem ſinopſim redigerentur, ut primo quaſi intuitu,
L. de Humil. c. 21. omnia luſtrentur. Chriſtus, ait Laurentius Juſtinianus eſt liber vitæ, ſcriptus intus & foris, in quo ſunt contenti omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Ex Metaphraſte, Thomas eſt *perfectus index veritatis*, denotans quidquid immenſo illo volumine continetur; quidquid Angelicus Doctor in ſua ſumma fusè examinat, quidquid de Chriſto referunt Apoſtoli & Evangeliſtæ, in duobus iſtis comprehenditur verbis: Dominus meus & Deus meus: Cuncta Chriſti myſteria reſpiciunt vel humanitatem, vel divinitatem: utramque complexus eſt Thomas, dicens: Dominus meus, & Deus meus. Chriſtiani,

vultuſne

vultiſne erudiri de cunctis Religionis veritatibus? Verſate Chriſtum, in quo fusè continentur. At deſideratis brevi tempore inſtrui de cunctis quæ fusè in illo libro vitæ diſperſa ſunt? Videte Thomam qui eſt *perfectus Index veritatis*; ſed Index libro annexus per fidem inconcuſſam, qua Chriſti myſteria corde credit, ore confitetur, & martyrio teſtatur.

3. Diabolus numquam lautius epulatur, quam dum fidelem in infidelitatem adducit. Nulla ei *accuratior paſcua eſt, quam ut hominem à recogitatu vere divinitatis avertat.* Sic Apoſtolum Thomam in incredulitatem projecerat; & ad negandam pertinaciter Chriſti reſurrectionem incitaverat. At Deus *erulſum hominem de diaboli gula per fidem, jam & in culcatorem ejus voluit efficere per virtutem.* Multimodè autem Thomas conculcavit & debellavit diabolum. 1. Per fidei confeſſionem. *Quid enim ſapientius & incontradicibilius confeſſione ſimplici & exerta*, quâ fidelis Thomas Chriſtum ſuum Dominum, ſuumque Deum teſtatus eſt? 2. Per veritatis & fidei prædicationem; ad quam Gentibus annuntiandam miſit Chriſtus Apoſtolos. *Diſcipuli quoque diffuſi per orbem, præcepto magiſtri Dei paruerunt.* Potiſſimum Thomas qui poſt prædicatam in Judæa Religionem Chriſtianam, Parthos, Medos, Perſas, Hircanos, Brachmanos, Abyſſinos, Æthiopes luſtravit, atque in Indiam pervenit, Evangelium Chriſti promulgare cœpit ab inſula Zocotora, atque hinc progreſſus eſt in regna Granganonis & Congi, quæ ſunt Malabarum, inde tranſiit ad regna Narſigæ, & demoratus Calaminæ hic templum extruxit. 3. Per idololatriæ deſtructionem & fidei propagationem. *Etenim fidem Apoſtoli induxerunt*, ut de Thoma comprobatur à quo tres reges Magos qui Chriſto Domino obtulerunt aurum, thus & myrrham, baptizatos & in prædicationis munere aſcitos vult Author Operis imperfecti. *Denique cùm Thomas iviſſet ad provinciam illam, adjuncti ſunt illi, & baptizati, facti ſunt adjutores prædicationis ipſius.* D. Chryſoſtomus Thomam *Æthiopas baptiſmali fonte dealbaſſe* aſſeverat: Saganum quoque Calaminæ regem, in cujus præſentia Apoſtolus enecatum puerum ad vitam revocaverat, religionem amplexatum authores fide digni teſtantur. Tandem Laurentius Juſtinianus uni Thomæ *innumerabilium populorum converſionem* aſſignat. 4. Per ardentem Chriſti dilectionem. Sol dum magis ardet ingreditur geminos, & Chriſtus ſol juſtitiæ ingreſſus eſt in mentem & in cor Thomæ. In mentem, per fidem: in cor, per ardentem charitatem. Et ob hanc cauſam Nicephorus de illo tanquam de *vehementiſſimo Chriſti amatore* loquitur. Seſeque talem demonſtravit Thomas non ſolum ex zelo quo magno cum labore tot longinquas peragravit provincias, ſed etiam per ſuos ſermones, qui ſunt interpretes amoris. Hæc namque verba, Dominus meus & Deus meus, ſatis innuunt quantus fuerit amor quo diligebat Chriſtum. Non enim ait noſter, ſed meus, quia *ex affectu magno vocat ſuum.* Ex Laurentio Juſtiniano charitas *plus cæteris virtutibus locuples eſt, ratione lucri, aliena enim bona ſua facit.* Beneficium incarnationis, & opus redemptionis ſunt myſteria quæ adimplevit Chriſtus generaliter

Tert. Apol. 21. — Tert. Scorp. 6. — Tert. l. 4. adv. Marc. 39. — Tert. Apol. 21. — Tert. l. 1. adv. Marc. 21. — Hom. 1. in Matth. — Hom. de 12. Apoſt. — Serm. de S. Thom. — Die 14 Jun. — D. Ambr. in Pſ. 40 — L. de Charit. c. 4.

raliter pro cunctis hominibus, at beneficia illa communia, ſpecialiter ſibi arrogat Thomas; tam ardenti amore Chriſtum diligens ac ſi pro ſe ſolo humanatus eſſet in utero Virginis, & fuiſſet in cruce patibulatus. Chriſti plagæ non vocitantur ulcera, ſed vulnera qui ulcera proveniunt ab intrinſeco, vulnera verò ab extrinſeco cauſantur: Chriſti autem plagæ non procedunt ab intrinſeco, id eſt à peccatis ab ipſo commiſſis, ſed ab extrinſeco nimirum à peccatis hominum pro quibus patitur. Quod bonus latro attente conſiderans in Dei amorem exarſit. *Intellexit enim quod pro alienis plagis, has ille plagas ſuſciperet, pro alienis ſceleribus hac vulnera ſuſtineret: & ſcivit quod illa in corpore Chriſti vulnera, non eſſent Chriſti vulnera, ſed latronis: atque ideò plus amare cœpit, poſtquam in corpore ejus ſua vulnera recognovit.* Non abſimiliter Thomas recognoſcens ſua peccata in ſacris Chriſti vulneribus quæ ſui amore pertulerat Salvator, tanto erga benignum Redemptorem amore exarſit, ut merito Thomas, id eſt ut habetur in Hiſtoria Lombardica, *totus means in Dei amorem* dicatur. Bonus latro Chriſtum ardenter amavit, recognoſcens ſua peccata in vulneribus Chriſti, quanto magis Thomas Chriſtum diligit, ſemel & iterum pro ſuis peccatis aperta conſpiciens vulnera Chriſti, ſemel in cruce ut eum à ſuis delictis redimeret: iterum poſt reſurrectionem, ut eum ab infidelitate ſanaret? Thoma, Dominus *pro nimio tui amoris fervore, voluit lancea ſuum latus aperire, ut tibi demonſtraret quod tibi tribuit cor tuum*, & ut te ad ſuum amorem accenderet, voluit rurſus per digitos tuos aperire latus ſuum, quod eſt *amoris domicilium*. 5. Debellavit Thomas diabolum, per timoris expulſionem. Ut enim dilectus ait Diſcipulus, (perfecta dilectio foras abjicit timorem. *Quem timorem intelligi praeſtat, niſi negationis authorem? quam dilectionem affirmat; niſi fugatricem timoris, & animatricem confeſſionis?* Hac dilectione perfecta fugatrice timoris & animatrice confeſſionis diſcipulos hortatur, ut magiſtrum in cunctis ſequantur periculis, & ſimul cum illo moriantur. Eamus & nos & moriamur cum eo. Ut autem animadvertit Cajetanus, *magni ferroris impavidique animi verba ſunt hac, Thomæ adhortantis alios diſcipulos, Eamus cum Ieſu, & cum ipſo ſimul moriamur.* Tandem 6. per martyrii paſſionem *paſſos Apoſtolos ſcimus*: Nam Petrus crucifixus eſt, Paulus decollatus, Bartholomæus excoriatus, & Thomas lancea confoſſus, ut Chriſto, qui lancea latus aperuit ſimilis, cor pro corde referre poſſet.

D. Amb: Ser: 49. D. Bonav: in ſtim. divin. Amor. c. 1. D. Bern. Tert: Scorp. 12. Joan: 11. Tert: Scorp: 13.

Honorata eſt apud Deum mors religioſorum ipſius, quæ in ipſo aditur ex teſtimonio religionis & prælio confeſſionis, pro juſtitia & Sacramento. Ex D. autem Bernardo duo ſunt potiſſimum quæ apud ſuperos & apud Deum faciunt mortem pretioſam: vita ſcilicet & cauſa. Vita quidem ſi ex Dei legibus, nutu & voluntate peracta, ſi virtutibus ornata, ſi dives meritis, ſi gratia locuples. Cauſa etiam, ſi pro fide, pro religione, pro virtute, pro Deo, conſtanter tolerata. *Duæ proinde res mihi videntur mortem facere pretioſam: vita, & cauſa: ſed amplius cauſa, quam vita. Porrò illa erit pretioſiſſima quam & cauſa commendat & vita.* Pretioſiſſima ſanè Thomæ mors, vita, & cauſa commendata. Vita quidem quæ ornatur

Tert: Scorp 8: Epiſt: 98.

virtuti-

virtutibus, ſtipatur laboribus, tranſigitur in peragrandis longinquis & barbaris regionibus, ut dæmonum templa evertat, Chriſtianam religionem propaget, Gentiles ab idololatria avocet, & ad veritatis notitiam adducat. Cauſa etiam martyrium pro religione & Deo patiens: ſi cauſa non commendat mortem noſtram, vacemus pietati, ut vita innocua eam Deo pretioſam reddat; Tunc pretioſa erit ſi Thomæ imitamur virtutes. Imitemur ejus fidem. Thomas *hominem vidit, & Deum confeſſus eſt*: credamus etiam ſi quod nobis credendum proponitur, non videamus. *Laudati ſumus, quia non vidimus, credidimus: Nam Chriſtum viderunt Iudæi ſed non crediderunt. Non eſt ergo magnum videre Chriſtum oculis carnis ſed magnum eſt tenere Chriſtum oculis mentis.* Thomas fuit vehementiſſimus Chriſti amator, Chriſtum totis animæ viribus diligamus. Thomas conſtanter pro Deo martyrium ſubiit, pro Dei amore hujus vitæ adverſa feramus; ſic regnabimus in cœlo cum Thoma; nam *tantam ex illo fides convaluit, ut poſt conſummatum curſum Apoſtolicæ prædicationis; poſt innumerabilium converſionem populorum, ad triumphalem palmam pervenit martyrii: quo mediante, immortalitatis ſtolam, perpetuæ vitæ gloriam, angelicam dignitatem, & beatiſſimæ Trinitatis revelatam videre meruit majeſtatem.*

D. Gregor: Hom: 30, in Evang:

D Aug Ser. 3, de Aſcen:

Laur: Juſt. in Serm. de S. Thom.

CONCIO QUINTA.

Chriſtus Dominus, ex diſcentibus, duodecim præcipuos lateri ſuo adlegerat, deſtinatos nationibus magiſtros. Itaque uno eorum decuſſo, univerſus fidelium cœtus, magno fuit dolore percitus, & timore conturbatus. Adeo ſtupefacti fuere diſcipuli de illo caſu, ut D. Ambroſius audeat dicere: *Vnius Iudæ peccato, cuncti periclitantur Apoſtoli*. Eva ob mortem Abelis à Caino crudeliter trucidati, tanta fuit mœrore afflicta, quanta erat teneritudo, qua filium bene meritum deperibat: Deus autem ut lugentem conſolaretur matrem, dedit illi filium nomine Seth pro Abel, quem occiderat Cain: Eva ab ipſo mundi naſcentis exordio de nece Abelis ſenſibiliter dolens mire repræſentat mœſtitiam Eccleſiæ orientis, de lapſu Judæ. Quemadmodum autem Deus primam conſolatus eſt fœminam ſubſtituens Seth juſtum Abelis innocui, ita conſolatus eſt Eccleſiam ſubſtituens loco Judæ Mathiam. Eva in gratitudinis monumentum decantat: (Poſuit mihi Deus ſemen aliud, pro Abel.) Eccleſia ut acceptum à Deo beneficium recognoſcat, ſingulis annis Mathiæ ſubſtitutionem ingenti cum gaudio celebrat. *Cum præclara beati Mathiæ Apoſtoli feſtivitas per anni curſus revolutionem ſe repræſentet, maximæ jucunditatis gaudium nobis merito multiplicat*; revocans ad memoriam, divinam benevolentiam, loco Judæ ſubſtituentem Mathiam; & Mathiæ congratulans qui fuit 1. apoſtatæ ſubrogatus; 2. juſto prælatus; 3. Apoſtolatu donatus.

Tert. lib de Præſ. Hæ. 20.

Serm. 11.

Gen. 4.

D. Aug. Serm. de S. Mathi.

I. PARS.
Tert. lib de Præſ. Hær. 47.

Fuere olim Hæretici Cainæi, ſeu Caiani nuncupati, eo quod Cainum fratricidam *magnificant, quaſi ex quadam potenti virtute conceptum, qua operata ſit in ipſo: nam Abel ex inferiore virtute conceptum, procreatum, & ideo inferiorem repertum* cenſent. Adorant ſimiliter Judam proditorem, aliquid divinum in eo arbitrantes, omnium Apoſtolorum doctiorem exiſtimantes, & ob traditionem & paſſionem Chriſti, homines multum illi addictos proclamantes. Ut enim ſubjungit Tertullianus, [Hi qui hoc aſſerunt, etiam Judam proditorem defendunt, admirabilem illum & magnum eſſe memorantes, propter utilitates quas humano generi contuliſſe jactatur. Quidam enim ipſorum gratiarum actionem Judæ propter hanc cauſam reddendam putant. Animadvertens enim, *inquiunt*, Judas, quod Chriſtus vellet veritatem ſubvertere, tradidit illum ne ſubverti veritas poſſet. Et alii ſic contra diſputant & dicunt: Quia poteſtates hujus mundi, nolebant pati Chriſtum, ne humano generi per mortem ipſius ſalus pararetur, ſaluti conſulens generis humani, Judas tradidit Chriſtum, ut ſalus quæ impediebatur per virtutes, quæ obſiſtebant ne pateretur Chriſtus, impediri omnino non poſſet: & ideo per paſſionem Chriſti non poſſet ſalus humani generis retardari.] Verum quovis modo explicetur hujuſmodi hæreſis, explanatio eſt falſa, temeraria, hæretica, impia, abſurda, ridicula, magnificans Judam, qui fuit 1. multiplici crimine culpatus: 2. merito reprobatus: 3. cujus loco Matthias eſt ſubrogatus.

Ter. l 2. adv Marc: 24.

1. Multiplici crimine culpatus eſt Judas, nimirum ingratitudine, avaritia, proditione, crudelitate, impietate, deſperatione. 1. *Beneficij ingratus extitit* erga Chriſtum qui eum in diſcipulum elegerat, ſua amicitia donaverat, ſecretorum participem effecerat, ſacerdotii honorem præſtiterat, patrandi miracula virtutem contulerat, Apoſtolorum collegio ſociaverat. Nam *ipſe traditor Chriſti de Apoſtolis fuerat.* 2. Avaritia Chriſtus Dominus etſi infiniti valoris, & pretio longe ſuperans cunctas mundi divitias *triginta argenteis appretiatus eſt à traditore* Juda. Qui 3. perfide Dominum ſuum tradidit, audiens *diſtrahere conditorem, & ipſum ſanguinem taxare pretio, quem ſponte Dominus erat noſtrum largiturus in pretium.* Quem 4. ſæva crudelitate effundit, per manus Judæorum, quibus Magiſtrum ſuum, tradit ad mortem. *Et locupletes pro morte ejus, qui ſcilicet & à Iuda, traditionem redemerant.* Avaritiæ, perfidiæ & ſævitiæ, adjunxit 5. impius Judas ſacrilegium, cum tetro proditionis propoſito corpus ſumens Dominicum. Ut autem animadvertit D. Ambroſius, impius ille & ſacrilegus diſcipulus; auſus non fuiſſet indigne ad ſacram accedere menſam, niſi prius extitiſſet diaboli habitaculum. *Numquam erupiſſet in tantum ſcelus, niſi ſe in cor ejus diabolus demerſiſſet.* A quo 6. miſere & infœliciter eſt in deſperationem præcipitatus, gravius peccans deſperando, quam Chriſtum tradendo, quia *ut laqueo reſpiratio, ita prohibetur deſperatione Spiritus ſanctus.* His aliiſque ſceleribus culpatus Judas, merito reprobatur.

Tert lib de Præſ. Hæ: 3
Tert. lib. de Reſ: 20.
Chryſol. serm 29.
Ter l 3. adv. Marc. 22.
In Pſ. 31.
D Aug: l. 50 Ho: ho: 27.

Ter. Scorp. 12.
Pſal: 108.

2. *Inter omnes reprobos* Judas principatum tenere videtur, cujus damnationem ſic ominatus Regius Vates ait: *Conſtitue ſuper eum peccatorem,* nempe

nempe diabolum quaſi impium & tyrannum ei præfice, qui acriter eum puniat. *Meruit Iudas, ut ſuper ſe haberet diabolum, id eſt diabolo ſubditus eſſet qui Chriſto ſubditus eſſe noluit*, qui injuſte Domini ſui recuſavit imperium, dæmonis tyrannidi juſte ſubjicitur. *Et diabolus ſtet à dextris ejus*; ut ſcilicet eum ad avaritiam, ad proditionem, ad vendendum & tradendum Chriſtum inducat. *Diabolus ſtet à dextris Iudæ, cum avaritiam præpoſuit ſapientiæ: pecuniam ſaluti ſuæ, ut Chriſtum proderet*. Diabolus ſtet à dextris ejus. *Diabolus, id eſt, delator*, ei adſtet, eumque apud judicem accuſet, & mortis reum peragat: quod potiſſimum in ultimo exequetur judicio diabolus, Judam de ſua impietate, proditione & crudelitate accuſans. Diabolus ſtet à dextris ejus ad impœnitentiam & deſperationem incitans. *Oratio ejus fiat in peccatum*: id eſt in offenſam, quia non orans pro remiſſione culpæ, ſed pœnæ, magis offendit judicem, & ut legit Chaldæus, *Oratio ejus ſit in condemnationem*. Quid boni expectandum illi, cui nihil ſupereſt niſi oratio, quæ ei vertitur in peccatum? Judas publice ſuum confitetur crimen; *Peccavi*: peccati circumſtantias manifeſtat: *Tradens ſanguinem juſtum*. Suæ perfidiæ & proditionis pretium reſtituit; *Retulit triginta argenteos*. In corde etiam de ſuo ſcelere doluit, *pœnitentia ductus*: & tamen oratio ejus & pœnitentia facta eſt in peccatum. *Tam perverſa impii converſio fuit, ut pœnitendo peccaret*; quia non informata charitate, neque ſpe animata, in deſperationem verſa eſt. Itaque *Iudam proditorem non tam ſcelus, quod commiſit, quam indulgentiæ deſperatio, fecit penitus interire.* Subjungit Propheta: *Cum judicatur, exeat condemnatus*. Judas extitit ſuiipſius judex, *dignum ſe morte judicavit, quod Chriſtum omnium vitam tradidiſſet.* Adverſus ſemetipſum perſonam agit partis accuſantis, teſtis deponentis, judicis ſententiam ferentis; & carnificis ſupplicium inferentis. Commiſſum crimen eſt pars eum accuſans, conſcientia teſtis deponens, mens, judex ſententiam ferens. *Sua ſententia proditor condemnatur*: deſperatio, carnifex crudeliter torquens: *Merito tibi tua pœna commiſſa eſt, quia in ſupplicium tuum nemo te ſævior potuit inveniri.* Tibi autem intuliſti ſupplicium, brevi tempore poſt commiſſum flagitium. *Fiant dies ejus pauci*. Paucis horis, ſupervixit Judas proditioni ſuæ, illico ad laqueum confugiens. *Deſperando ſe occidit, ſuſpendit ſe, & ſuffocavit ſe*, mortem luens tum temporalem, tum æternam, ad quam tanquam reprobus juſto Dei judicio damnatus eſt: *Et utique damnavit, quem recuſavit, non conſecuturum utique ſalutem*. Tandem concludit Propheta: *Et Epiſcopatum ejus accipiat alter*: Nimirum Matthias; *qui poſtquam Iudas pœnam ſuis ſceleribus dignam ſuſpendio ſuſcepit*, loco apoſtatæ & reprobi ſubrogatus eſt.

D. Aug. in Pſal. 108.

D. Aug. ibi.

Ter. l. 2. adv Marc. 10.

D. Leo Ser. 3. de Paſſ.

D. Aug. l. de Util. pœn. c. 3

D. Amb. Serm. 51.

D. Am. ibid

D. Leo. Ser. 16. de Paſſ.

D. Aug l. de Util. pœn. c. 3

Ter l. 4 adv Marc. 23.

D. Aug Ser. de S. Matth.

Ex lapſu primi hominis anſam ſumunt impii, criminandi Deum, ejuſque bonitatem præſcientiam & potentiam negandi. Sic enim philoſophantur apud Tertullianum: *Si Deus bonus & præſcius futuri, & avertendi mali potens, cur hominem & quidem imaginem & ſimilitudinem ſuam, paſſus eſt labi de obſequio legis in mortem, circumventum à diabolo.*

Lib. 4. adv. Marc 4.

Si

Si enim & bonus qui evenire tale quid nollet, & præſcius qui eventurum non ignoraret, & potens qui depellere valeret, nullo modo eveniſſet, quod ſub his tribus conditionibus divinæ majeſtatis evenire non poſſet? Quod ſi evenit, abſolutum eſt è contrario Deum neque bonum credendum, neque præſcium, neque potentem. Siquidem in quantum nihil tale eveniſſet ſi talis Deus, id eſt, bonus, & præſcius, & potens: in tantum ideo evenit, quia non talis Deus. Eodem fere modo ratiocinantur Gentiles apud D. Chryſoſtomum de lapſu Judæ; inde criminantes Chriſtum, eumque accuſantes ignorantiæ, non prævidentem aut cognoſcentem ſcelus hominis quem in ſuum Apoſtolum eligebat; impotentiæ, non valentem impedire, ne caderet; immiſericordiæ, permittentem ut infœliciter laberetur, & miſere damnaretur.

Hom: 47. in Joan:

Tertullianus ut Deum ab impiorum criminatione vindicet, tria præſtat. Unum, bonitatem, præſcientiam, & bonitatem Dei demonſtrat; aliud, hominem à Deo libertate arbitrii præditum probat; tertium, non debuiſſe neque potuiſſe Deum impedire hominis peccatum, niſi agendo contra ſuam gravitatem, & deſtruendo hominis libertatem oſtentat. 1. Dei bonitatem præſentiam & potentiam ex Dei operibus demonſtrat. *Opera creatoris utrumque teſtantur, & bonitatem ejus, qua bona! & potentiam, qua tanta: & quidem ex nihilo: præſcientia vero tantos habet teſtes, quantos fecit Prophetas.* 2. Hominem libertate præditum prædicat. *Liberum & ſui arbitrij & ſuæ poteſtatis invenio hominem à Deo inſtitutum, nullam magis imaginem & ſimilitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejuſmodi ſtatus formam.* Pluribus adhuc rationibus aliorſum allatis, hominem à Deo fuiſſe inſtitutum liberum, imo ſic inſtitui debuiſſe, ſubtiliter probat. 3. Ex cognitione divinæ bonitatis quæ rationabiliter inſtituit hominem liberum, recte declarat non potuiſſe impedire hominis lapſum niſi pervertendo ordinem rerum, & deſtruendo liberum hominis arbitrium. Sic & *bonitas Dei à primordio operum perſpecta, perſuadebit, nihil à Deo mali evenire potuiſſe, & libertas hominis recogitata ſe potius ream oſtendet, quod ipſa commiſit.*

Lib: 2. adv. Marc: 5.

Lib. 2. adv. Marc 6.

Judas ſimiliter ſuæ damnationis fuit cauſa: Hoc namque eſt diſcrimen inter prædeſtinationem & reprobationem, quod prædeſtinatio ſuam ſumit à Deo originem, qui gratis largitur gratiam: & ut fatur D. Auguſtinus: *Elegit nos, antequam eſſemus; vocavit, cum averſi eſſemus; juſtificavit, cum peccatores eſſemus; glorificavit, cum mortales eſſemus.* Reprobatio vero ortum habet ab homine, quem Deus ob ipſius peccatum reprobat & damnat. Ut enim docet D. Auguſtinus, *Nullum elegit dignum, ſed eligendo fecit dignum: nullum tamen punit niſi indignum.* Peccatum autem libere commiſſum facit indignum. Inde D. Ambroſius non tam miratur quod Judas ſemetipſum ſuſpenderit & à Deo damnatus ſit, quam quod impie Chriſtum prodiderit. *Non miror quod ſe ſuſpenderit, ſed quod Dominum prodiderit.* Suſpenſio eſt peccati pœna, proditio eſt depravatæ & iniquæ voluntatis effectus. Itaque culpandus non eſt Chriſtus de ignorantia, de impotentia, de immiſericordia. Non de

Serm. 16. de Ver. Apoſt.

Lib 5. cont. Julian: 8.

Serm. 51.

de ignorantia, præſciebat enim Judam peccaturum, verum Judam eligit ob præſentem qua pollebat virtutem. Ut enim ait Euthimius (elegit Judam Iſcariotem, ut qui tunc bonus erat, & quamquam præcognoſcat quod futurum eſt, non tamen ob futuram pravitatem eum abjicit qui tunc bonus, ſed propter virtutem præſentem eum ſibi familiarem facit, etiam qui malus futurus eſt.) Hanc rationem mirum in modum elucidat Tertullianus? [Si Deum circa perſonas levem vultus intelligi, cùm reprobat aliquando reprobatos; aut improvidum, cùm probat quandoque reprobandos, quaſi judicia ſua aut damnet præterita, aut ignoret futura. A quin nihil tam bono & judici convenit, quam pro præſentibus meritis & rejicere & adlegere. Adlegerat Saül, ſed nondum deſpectorem prophetæ Samuelis. Rejicitur Salomon, ſed à mulieribus alienis poſſeſſus, & idolis Moabitarum & Sidoniorum mancipatus.] Neque de impotentia culpandus eſt Chriſtus, non impediens lapſum Judæ, quem in Apoſtolum elegerat. Dei enim electio non tollit arbitrii libertatem, nec aufert peccandi poſſibilitatem. Neque infinita ſua potentia Deus uti debet, ut homini vim inferat, ejuſque voluntati neceſſitatem imponat: (Non enim neceſſitate quadam bonos facere conſuevit, nec electio ejus vim infert iis qui vocantur: in eorum voluntate poſitum eſt ſalvari, & perire.) Hanc adhuc rationem belle illuſtrat Tertullianus. [Tenens enim gravitatem, & fidem Dei boni, ſed rationalibus ejus inſtitutionibus, vindicandas. Nec illud miraberis, quod Deus non interceſſerit adverſus ea quæ noluit evenire, ut conſervaret ea quæ voluit. Si enim ſemel homini permiſerat arbitrii libertatem & poteſtatem, & ex ipſa inſtitutionis authoritate dignè permiſerat; conſequens erat, uti Deus ſecederet à libertate ſemel conceſſa homini, id eſt contineret in ſemetipſo præſcientiam & præpotentiam ſuam, per quas interceſſiſſe potuiſſet, quo minus homo malè libertate ſua frui aggreſſus, in periculum laberetur. Si enim interceſſiſſet, reſcidiſſet arbitrii libertatem, quam ratione & bonitate permiſerat, *& apparuiſſet futilis, inſtabilis, infidelis, reſcindens quæ rationaliter inſtituerat.* Cur permiſerat liberum arbitrium, ſi intercedit? cur intercedit, ſi permiſit? Hæc digniſſimè peroraturus in creatorem, ſi libero arbitrio hominis ex providentia & potentia obſtitiſſet, tunc tibi inſuſurra pro creatore & gravitatem & patientiam, & fidem inſtitutionibus ſuis functo, ut & rationalibus & bonis.] Neque tandem de immiſericordia & defectu bonitatis culpandus eſt Chriſtus, permittens Judam cadere in peccatum; quia Judas erat libero arbitrio præditus; deinde habebat gratiam ſufficientem cui poterat conſentire. Ut enim ratiocinatur Tertullianus de peccato protoparentis diſſerens: *Sed etſi præſcierat malè hominem inſtitutione ſua uſurum, quid tam dignum Deo quam gravitas, quam fides inſtitutionum qualiumcumque? Vidiſſet homo, ſi non benè diſpunxiſſet quod benè acceperat; ut ipſe reus legi fuiſſet, cui obſequi noluiſſet, non ut legiſlator ipſe fraudem legi faceret, non ſinendo præſcriptum ejus impleri?* In præſenti materia nihil dici poteſt ſubtilius & profundius. Verum quantumvis alte de prædeſtinatione & reprobatione loquantur Patres; quantumvis Theologi

In c. 3. Marc.

Lib: 2 adv. Marc. 23.

D. Chryſoſt: Hom: 47 in Joan.

Lib. 2. adv. Marc 7.

Tert. l. 2. adv. Marc. 2. acutè de gratia diſputent: *Eſaias jam tum Apoſtolus proſpiciens hæretica corda:* Quis, inquit, cognovit ſenſum Domini, aut quis illi conſiliarius fuit? aut quem conſultavit? aut viam intellectus & ſcientiæ quis demonſtravit ei? *Cui & Apoſtolus condicet?* O profundum divitiarum & ſophiæ Dei! ut inveſtigabilia judicia ejus! utique Dei judicis; & inveſtigabiles viæ ejus! utique intellectus & ſcientiæ, quas ei nemo monſtravit.)

Ut autem aliquam valeamus habere de Judæ electione & reprobatione notitiam, afferenda ſunt Patrum placita. D. Thomas expendens iſtud Joannis: (Ego ſcio quos elegerim,) ait quod duplex eſt electio: una, quoad præſentem juſtitiam: alia, quoad finalem gratiam. Judas autem quoad illam, & non quoad hanc electus eſt. Unde quando ait Dominus: Nonne duodecim vos elegi? hoc non dicitur de electione prædeſtinationis, ſed de electione ad aliquem effectum temporalem. Sic Judam elegit ad aliquas utilitates temporales; erat enim œconomus & diſpenſator, procurabat neceſſaria: deinde baptizabat, prædicabat, ſanabat, non ſecus ac cæteri Apoſtoli. Ex D. verò Ambroſio, (eligitur Judas, non per imprudentiam, ſed per providentiam. Quanta eſt veritas, quam neque adverſarius miniſter infirmat, quanta moralitas Domini, qui periclitari magis apud nos judicium ſuum, quam affectum maluit! Suſceperat enim hominis fragilitates, & ideò nec has partes recuſavit infirmitatis humanæ: voluit deſeri, voluit prodi, voluit ab Apoſtolo ſuo tradi, ut tu à ſocio deſertus, à ſocio proditus, moderatè feras, tuum erraſſe judicium, periiſſe judicium.) D. verò Auguſtinus quadruplicem Judæ electionis affert rationem. Primò Chriſtus proditorem elegit, ut nobis patientiæ præberet exemplum.) Sciens Chriſtus Judam proditorem, elegit unum, unde tibi ſolatium faceres neſciturо quos devites. Poterat enim non eligere Judam qui noverat Judam. Electi undecim ad opus probationis, electus unus ad opus tentationis; unde poſſet tibi exemplum dare neſcituro quos devites malos, quos caveas falſos & fictos.). (Exemplum patientiæ præbuit, ne deficias cùm cœperis inter malos vivere.) Secundò, electus fuit Judas, ut Prophetarum adimplerentur vaticinia. *Habuit inter Apoſtolos unum, quo malo benè utens ſua paſſionis implevit diſpoſitum*, prout in Scriptura ſacra habetur. Tertiò, *electus Iudas ad opus cui congruebat electus ab illo, qui benè uti novit etiam malis; ut per ejus opus damnabile, opus venerabile ſalutis compleretur*: in quo Judæ electionem multum diſcriminat ab electione cæterorum Apoſtolorum. *Cùm audimus*: Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt? *illos debemus intelligere electos per miſericordiam; illum per judicium: Illos ergo elegit ad obtinendam regnum ſuum; illum ad effundendum ſanguinem ſuum.* Quod intellige non primario & per ſe, ſed ſecundario & per accidens, prævisa Judæ nequitia, liberè & abſque ulla neceſſitate Dominum vendentis & morti tradentis. Sibi autem objicit D. Auguſtinus: *Si Pater Filium tradidit; & Filius ſeipſum tradidit; Iudas quid fecit?* Reſpondet Hipponen-

Marginal notes: Cap. 13. — Lib. 5. in Luc. — In Pſ. 55. — In Pſal. 34. — L. 18. Civ. 49. — L. de Correp & Grat. c. 7. — Joan. 6. — In Pſal. 65.

Hipponenſis Antiſtes : *Pater tradendo Filium ad mortem pro nobis, fecit benè ; Chriſtus tradendo ſeipſum pro nobis, fecit benè : tradendo Iudas magiſtrum pro avaritia, fecit malè.* Ex diverſa cauſa traditus eſt Filius, à Patre, à ſeipſo, à Juda. A Patre, ex miſericordia ; à Filio, ex dilectione humana ; à Juda, ex avaritia. *Non enim quod præſtitum eſt nobis de paſſione Chriſti , malitiæ Iudæ deputabitur. Habet ille mercedem malitiæ , Chriſtus laudem gratiæ.* Licet enim Deus qui novit malis benè uti , uſus ſit Judæ nequitia ad Eccleſiæ utilitatem , non tamen pro utilitate Eccleſiæ quam occaſionaliter attulit Judas præmiabitur ; ſed pro nequitia , qua Chriſtum tradidit , punietur. *Quanta nobis Deus præſtat de malis hominibus , non tamen ſecundum id quod de illis nobis præſtat , ſed ſecundum malitiam eorum retribuet eis. Videte quanta nobis præſtitit de immaniſſimo ſcelere Iudæ proditoris. Iudas quippè tradidit ad paſſionem Filium Dei, & per eam omnes gentes redemptæ ſunt ad ſalutem : nec tamen pro ſalute Gentium merces reddita eſt Iudæ : ſed pro ejus malitia debitum illi ſupplicium æternum redditum.* Tandem quartò , D. Auguſtinus expendens iſtud Dominicum apud Joannem : Nonne duodecim vos elegi ? ſic fatur : *Poteſt & ſic intelligi : quia ſacratus eſt numerus : non enim quia periit inde unus , ideò illius numeri honor ademptus : nam in locum pereuntis , alius ſubrogatus eſt : manſit numerus conſecratus , numerus duodenarius : quia per univerſum mundum , hoc eſt per quatuor mundi partes Trinitatem fuerant annuntiaturi.* Quaſi dicat , quod duodecim Apoſtolorum electio, non ad perſonas refertur, ſed ad numerum : qui uno licet ex duodecim pereunte, inviolatus deinceps manſit, quia reprobo Judæ Matthias ſubrogatus eſt.

D. Aug: in Pſal. 39.

3. *Et hoc mirum (opinor) ut probatus aliqui retrò , poſtea excidat ? Saül bonus præ cæteris , livore poſtea evertitur. David vir bonus ſecundum cor Domini , cædis ac ſtupri reus eſt. Salomon omni gratia & ſapientia donatus à Domino , ad idololatriam à mulieribus inducitur* , & Judas Apoſtolorum collegio ſociatus miſere labitur. Judas unus de duodecim illis prælectis diſcipulis efficitur infamis magiſtri ſui *proditor* ; unus ex ſanctiſſima Chriſti familia , *fur & latro* : unus ex duodecim illis chariſſimis ovibus , *lupus rapax* : unus ex tam parvo Apoſtolorum collegio , *apoſtata* : unus de Eccleſiæ principibus , *princeps tenebrarum* ; unus ex duodecim prædilectis filiis amantiſſimi patris , *filius perditionis* : unus è tam exiguo duodenario numero , *diabolus, & reprobatus*. O miſeria ! ô infœlicitas ! ô ſtupor ! ô timor ! commorari in domo Dei , & in æternum perire ! ſaluberrima Redemptoris frui converſatione, & in æternum perire ! coram oculis , intueri ſigna & prodigia à Chriſto facta , & in æternum perire ! ſacerdotis charactere inſigniri , & in æternum perire ! Apoſtolatus dignitate fulgere ; & in æternum perire ! ægrotos ſanare , mortuos ſuſcitare , dæmones fugare , & in æternum perire ! *Nuſquam eſt ſecuritas , fratres , neque in cœlo , neque in paradiſo , neque in mundo. In cœlo enim cecidit Angelus , ſub præſentia divinitatis : Adam in paradiſo , de loco voluptatis ; Iudas in mundo , in ſchola Salvatoris.*

Tert: lib: de Præſc: Hær: 3.

D. Bern: Ser: de ligno, fœno, & ſtipula.

Verum Deus ſingulari ſua providentia vacuas cadentium Angelorum implevit ſedes: ubi enim cœleſtis aulæ principes, Lucifero anteſignano, turpiſſimè apoſtatantes ex ſummo illo empirei domicilio, in profundiſſimum terræ abyſſum deturbati ſunt, homines ab omni æternitate à Deo prædordinati ſunt, qui eorum ruinas reſarcirent: *Propter hoc enim & ipſe creavit homines, qui ſupplerent locum aliorum, & ruinas.* Ad reparandum damnum quod protoparentis delicto genus humanum incurrerat; æternus Pater miſit Filium ſuum, qui humanitatem aſſumens, homines redemit: *Inde prodeundum fuit Chriſto, ad ſalutem hominis, quo homo jam damnatus intraverat.* Ad complendum ſacratum duodenarium Apoſtolorum numerum, de quo Judas ceciderat, apoſtatæ Matthias ſubſtitutus eſt; (Abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas ad principes ſacerdotum;) cujus loco Matthias ſubrogatur. *Hac eſt corona duodecim præfulgida, quam in regno Chriſti cæteris electis Matthias conſequitur Apoſtolus, eo ſplendidiorem, quo uberiorem manipulum ſortitus eſt gratia.* Ob prævifum Judæ lapſum Jeſus (turbatus eſt ſpiritu;) quia ut explicat D. Auguſtinus: (Ipſe traditor jam fuerat exiturus, ut Judæos, quibus Dominus traderetur adduceret) Ob præcognitam Matthiæ ſubrogationem, Chriſtus lætitia afficitur exclamans: (Nunc clarificatus eſt filius hominis.) Talis lætitiæ & conſolationis rationem accipe à D. Ambroſio: *Quia neceſſe habebat perire filium perditionis, oportebat in locum ipſius ſubrogare filium ſalutis.* Nempè Matthiam, in quo ait Cardinalis Bellarminus, videmus impletum Regis Prophetæ vaticinium. Et Epiſcopatum ejus, id eſt Apoſtolatum accipiat alter. Et verè *Alter* in perſona, in vita, in moribus: *Alter* non invidia tabeſcens, ſed dilectione exardeſcens: *Alter* non avaritia turbatus, ſed paupertate honeſtatus: *Alter* non vitio coinquinatus, ſed virtutibus decoratus: *Alter* non fraudulentus, ſed legalis: *Alter* non proditor, ſed fidelis: *Alter* non vas contumeliæ, ſed vas honoris. *Alter* non apoſtata reprobatus, ſed Apoſtolus prædeſtinatus, & ut fatur præfatus Cardinalis, (omnibus modis alter, id eſt non conſanguineus, non familiaris, non amicus, non ſimilis vitæ ac morum.)

D. Bern. Ser. 1 Adv.

Tert. lib de Car. Chr. 17.

Matth 16.

Laur. Juſt. Serm de S. Matthia.

Joan 13.

In Pſ. 40.

Quam admirabilis providentia Dei, quæ ab ipſo mundi naſcentis exordio, corruentium à fide, à gratia, à cœlo, teſtauravit ruinas! Ejuſmodi providentiæ ordinem, ſublimi mentis oculo intuitus Job, hoc pronuntiat oraculum: *Conteret multos & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Subſtituit namque in locum Angelorum rebellium, homines; in locum Judæorum infidelium, Gentiles; in locum hæreticorum, Catholicos doctores; in locum Chriſtianorum perverſorum, ſtudioſos regulares; & in locum Judæ perfidi & proditoris, Matthiam ſanctiſſimum, qui *ſortitus eſt locum miniſterii hujus.* Infamis ille proditor fuit unus è Chriſti diſcipulis, unus è familiaribus Domini, unus de duodecim Apoſtolis; unus de orbis terræ principibus; ſed unus qui de Chriſti familiaritate, de cœleſtis magiſtri diſciplina, de Eccleſiæ ſolio, de Apoſtolatu cecidit, cujus miniſterium ſortitus eſt Matthias. Illius lapſum, & hu-

Job. 34.

Actor 1.

& hujus ſubrogationem eloquenter declarat Anaſtaſius Sinaita : *Electus ad principatum Apoſtolatus, & quaſi in cœlo conſtitutus, cecidit tanquam fulgur de cœlo in perditionis ruinam : & Epiſcopatum ejus accepit alter*, nimirum Matthias, qui in locum Judæ, in Chriſti ſcholam, in Apoſtolorum collegium, in dignitatem ſacerdotalem, in Eccleſiæ principatum; in privilegiorum & gratiarum omnium poſſeſſionem, in Epiſcopatum, in Apoſtolatum ſucceſſit. L. 7. Hexam

Epiſcopatum ejus accipiat alter. *Non ſolum illo tempore de Iuda dictum eſt; ſed uſque hodie dicitur, & uſque in diem Iudicii. Si ipſe Iudas Apoſtolatum perdidit, cuſtodiant ſe ſacerdotes & Epiſcopi. Si Apoſtolus cecidit* quis lapſum non pertimeſcat ? quis ſibi ſecuritatem promitti audeat ? Miramur quandoque & attoniti ſpectamus, ingentem ac validam quercum, turbine & tempeſtate radicitus evulſam & everſam, ſolo proſtratam, & taciti nobiſcum agitamus, quam vehemens ventorum impetus, quam ingens turbo & tempeſtas fuerit, quæ talem fecit ſtragem : cum longe majori ſtupore, multoque attentiori conſideratione mentis oculis contemplari debemus *cedros Libani, & duces gregum* ut loquitur D. Auguſtinus cecidiſſe, qui per viginti, triginta, quinquaginta annos plantati in domo Domini, in charitate radicati, bonorum operum fructus ubertim produxerant. Stuporem ſanè timorem, & circunſpectionem ingenerare debet vel unius Judæ lapſus, quem à Daniele ſub præciſæ arboris figura deſignatum exiſtimat. Richardus Victorinus : *Videbam in viſione capitis mei ſuper ſtratum meum, & ecce vigil & Sanctus de cœlo deſcendit, & clamavit fortiter & ait ſic : Succidite arborem, præcidite ramos ejus, & diſpergite fructum ejus, fugiant beſtiæ quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis ejus. Væ filiis Adæ, væ conditioni humanæ !* (Quis quæſo, quantumcumque profecerit, quantumcumque aſcenderit; de reliquo poterit eſſe ſecurus, ſi tantus vir, tamque perfectus, quaſi ſub unius horæ momento, potuit de tanta ſublimitate cadere? Recolamus ergo qualis ſuperius ea arbor deſcribitur, quæ hic præcidi jubetur; & tunc melius agnoſcemus, in qualicunque virtutis faſtigio conſtitutis, morum ruina quam juſte timeatur. In magnitudine arboris miramur modum fortitudinis: in altitudine ejus, profunditatem ſublimitatis : in aſpectus dilatione magnitudinem authoritatis : in pulchritudine foliorum facundiam ſermonis : in nimietate fructuum multitudinem eruditionis : in eſca univerſorum doctrinam ædificationis : in ſubjectione beſtiarum rigorem ſeveritatis: in cohabitatione volucrum providentiam circunſpectionis. Quis ergo niſi inſanus in tantæ mutabilitatis ancipiti ſibi ſecuritatem promittat ?) D. Hier: in Pſ. 108. In Soliloq. c 19. Dan. 4. L. 2. de Erudit inter. hom: 79.

Quam nec ſibi pollicitus eſt Matthias, ſed conſiderans ſe in loco apoſtatæ & reprobi, pertimeſcebat ne & ipſe eſſet apoſtata & reprobus, & Epiſcopatum ſuum acciperet alter. Quod metuebat Matthias, indies accidere videmus, ait Magnus Gregorius. Nam *alij perdunt quod tenere videbantur, & alij accipiunt quod alij perdunt. Hoc quotidie agitur : labuntur à ſtatu juſtitiæ, & locum vitæ, illis cadentibus, alij ſortiuntur.* Quam L. 15. Mo. 7.

veriſſimum ſit illud ſummi Pontificis oraculum, ipſa experientia demonſtratur, & ne tantum damnum nobis eveniat, unuſquiſque magna circunſpectione vitia fugiat, ſectetur virtutes, & ut eum dilectus hortatur diſcipulus; *Tene* Apocal: 3. *quod habes ut nemo accipiat coronam tuam*, ne idem tibi accidat quod infœlici Sapricio, cujus loco Nicephorus martyrii coronam accepit. Deinde agnoſcens ſuam fragilitatem ſedulo occaſiones cadendi fugiat, & ut fatur Apoſtolus; 1. Cor: 10. *qui ſtat, videat ne cadat.* Ut autem explicat Hugo Cardinalis; *A Deo ſtat, à ſe cadit: ſi cadit* tandem, cum metu vivat & lapſum ſemper timeat. Orig: de Sing: Cleri *Metuite quantum poteſtis ejuſmodi caſus exitia, & in iſta ſubverſione labentium nos experimenta perterreant. Vehementer infrenis eſt, cui non incutitur timor alio pereunte: amator vero eſt ſalutis ſuæ, qui ſollicitus fit cladibus cæterorum.* Sic ex lapſu Judæ Matthias ſollicitus, in timore cadendi vitam duxit, etſi ſuperne Apoſtatæ ſubrogatus, & Juſto prælatus.

II. PARS. Actor. 1. Chriſto Domino in cœlum aſſumpto, exurgens Petrus fratres centum viginti congregatos alloquens velut totius Eccleſiæ viſibile caput, decernit: (Oportet ex his viris qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore quo intravit & exivit inter nos Dominus Jeſus, incipiente à baptiſmate Joannis uſque in diem qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis ejus fieri unum ex iſtis: & ſtatuerunt duos Joſeph qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt juſtus, & Matthiam:) qui Juſto prælatus eſt, & annumeratus cum undecim Apoſtolis: 1. Dei prædeſtinatione: 2. diſcipulorum electione: 3. Ter: l. 2 adv Marc 23. ſortis injectione.

1. *Deus ad ſalutem vocat quem ultro vocat.* Vocatio namque quæ eſt primus Epheſ. 1. prædeſtinationis effectus, ex mera Dei voluntate pendet, non ex bono uſu liberi arbitrii. Ut enim ait Apoſtolus; *In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus: prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus qui operatur omnia in omnibus ſecundum conſiliũ voluntatis ſuæ.* Loquitur Apoſtolus de vocatione prima ad fidem & Chriſtianiſmum, ad hanc enim ſorte vocati ſumus, ſeu, ut in Græco legitur, hanc ſortiti ſumus, hoc eſt ſine meritis vocati ſumus, ſumpta metaphora ab aleatoribus, qui aleæ jactu, de lucro aliave re ſortiuntur. Sic Deus hic inducitur ab Apoſtolo: quaſi dicat: Jaciant omnes homines ſorté, & ſorte ac aleæ jactu decidatur, qui vocandi ſint ad fidẽ & ſalutem, qui non vocandi & negligendi, jactaq; ſuper omnes alea & ſorte; cecidit ſuper nos Francos ſors hæc & alea, ut vocaremur, itaut ex parte noſtra fuerit ſors & fortuitum vocari ad fidem, gratiam, baptiſmum, Chriſtianiſmum: quia nihil agebamus ut vocaremur, ac ne cogitabamus quidem de vocatione, imo aliqui eam fugiebant & averſabantur. Ex parte tamen Dei non fuit ſors, ſed electio, & deſtinatum propoſitum nos vocandi. Ut enim Apoſtolum expendit D. Auguſtinus, *ſorte vocavit* In Pſal 34. *nos, id eſt gratia: nam ubi ſors eſt, non eſt electio, ſed voluntas Dei: ubi enim dicitur, iſte fecit hoc, iſte non fecit, merita conſiderantur: & ubi merita conſiderantur, electio eſt, non ſors: quando autem Deus merita nulla invenit, ſorte voluntatis ſuæ nos ſalvos fecit, quia voluit, non quia digni ſuimus. Hæc eſt ſors.*

Tria

Tria potiſſimum ſunt, quæ non ex noſtris meritis, ſed ex beneplacito divinæ voluntatis ſortiti ſumus. Unum eſt prima gratia vocationis; quomodo D. Auguſtinus iſtud Davidicum intelligit (in manibus tuis ſortes meæ.) *Non video ullum meritum, quo de univerſa impietate generis humani me potiſſimum elegiſti ad ſalutem.* Aliud eſt æterna beatitudo ad quam prædeſtinavit nos Deus ante præviſa merita, ordine ſaltem intentionis, quamvis ordine executionis gloriam meritis commenſuret. De hac ſorte ad æternam hæreditatem fatur Apoſtolus? *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine.* Quaſi dicat: Deus ſine ullo noſtro merito, ſola ſua bona voluntate, præ multis quos neglexit, quaſi ſortito retulit in participationem hæreditatis Sanctorum, quæ initiative in beata viſione conſiſtit. Olim inter hæredes, hæreditates ſorte dividebantur: inde ſors dicitur portio hæreditatis, quæcumque ſorte contingit. *Sorte diviſit eis terram in funiculo diſtributionis*, id eſt per funiculum quo terram dimetiebatur, & unicuique tribui filiorum Iſraël ſuam diſtribuebat partem. Potiori autem jure cœleſtis hæreditas nuncupata eſt ſors, quam terrena: nam inter homines, qui ſunt hæredes, jus habent ad hæreditatem, cujus ſunt hæredes: nullus autem hominum ex ſe jus habet ad cœleſtem Sanctorum hæreditatem. Tertium quod ſortito ex mera Dei voluntate procedit, ſunt dignitates ad quas nonnulli aſſumpti ſunt. Sic Saül ſorte ex agaſone, & David ex opilione factus eſt rex. Sic Apoſtoli omnes ſorte vocati ſunt, quorum Apoſtolatus dicitur ſors, quia eis obvenit, non ex natura, non ex proſapia (uti poſteris Aaronis primogenitis obvenit pontificatus ex jure primogenituræ;) Non ex jure, non ex merito; ſed ex mera Dei dignatione & gratia, qui ſine ullis meritis hoſce duodecim ex tot millionibus hominum ex ſuo beneplacito elegit, vocavit & coaptavit in ſuos Legatos & Apoſtolos; ita ut ex parte Dei fuerit deſtinata voluntas & decretum eligendi hos, non alios: Ex parte vero Apoſtolorum fuerit caſus & ſors fœliciſſima; perinde ac ſi Deus ſuper eos jeciſſet aleam, aleæque Deus actus incidiſſet in ipſos qui nullum ad Apoſtolatum habebant jus, meritum, gradum, vel ordinem. Matthias vocatus eſt ad præfata illa tria, gratiam ſcilicet & fidem, Apoſtolicam dignitatem, cœleſtem hæreditatem, non ex ſuis meritis, ſed ex mera Dei voluntate, inde humiliandi ſe ſumebat cauſam. Hoc exemplo inſtruens ut fidelis non ſuperbiat de ſua fide, nec juſtus de ſua juſtitia, nec Epiſcopus de ſuo Epiſcopatu, nec Apoſtolus de ſuo Apoſtolatu: quia bona illa ſors eis obtigit non ex ipſorum merito & dignitate, ſed ex mera Dei gratia & liberalitate, quia eos ad illam infinitis aliis, uſque nobilioribus & doctioribus, melioribus, aptioribus prætermiſſis, eligere & vocare dignatus eſt. Et licet ejuſmodi vocatio ſit hominibus ſors fortuita & incognita, quia *nec famulis liceat conſilia noſſe dominorum*: in Deo tamen non eſt caſualis & fortuna, quia procedit, ex ſapiente Dei propoſito, ex prudenti decreto, ex conſilio divino, quod hac ſupra re, habitum eſt in conſiſtorio ſanctiſſimæ Trinitatis. Deus igitur juſtiſſimis de cauſis, licet

Coloſſ. 1.

Pſal. 77.

Tert. l. 5. adv. Marc. 6.

licet nobis ignotis, nonnullos vocat non alios. Magdalenam verbi gratia, præ aliis meretricibus; Paulum, præ aliis Judæis perſecutoribus: Mathiam,
Tert l adv. Hermog. 45. præ Joſeph juſto. *Quis enim cognovit ſenſum Domini? De quo exclamat Apoſtolus; O profundum divitiarum & ſophiæ! ut in invenibilia judicia ejus, & ininveſtigabiles viæ ejus.* Quod probe ſcientes Apoſtoli ad electionem vel Joſeph,
Act. 1. vel Matthiæ congregati, priuſquam ad electionem procederent: (Orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus unum: accipere locum miniſterii hujus, & Apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Judas ut abiret in locum ſuum.) Ut autem acute animadvertit D. Chryſoſtomus, *non dixerunt, Elige, ſed, Oſtende electum*, ut cognoſcentes *quem tu elegiſti*, tuæ prædeſtinationi noſtram electionem conformemus.

Tert lib de Præſc Hæ. 3. *Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur. Et ideo cognoſcit Dominus qui ſunt ejus* Dubius Auguſtinus quatuor genera Apoſtolorum diſcriminat.
L quæſt. ad Oroſ. quæſt 64. Quidam mittuntur ex ſe, cujuſmodi fuerunt in veteri Lege falſi prophetæ de
Jerem 3. quibus conqueritur Deus: *Non mittebam prophetas & ipſi currebant: non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Cujuſmodi ſunt adhuc in lege Evangelica Lutherani & Calviniſtæ qui abſque ulla miſſione ordinaria, vel extraordinaria
Rom. 10. prædicandi munus temere uſurpant, quantumvis dicat Apoſtolus, *Quomodo*
D. Gregor. Lib 6, in l 1 Reg. *prædicabunt, niſi mittantur.* Quidam mittuntur per hominem tantum, ſine Deo, quales ſunt qui beneficia Simoniace emunt, vel qui à principibus ſolo favore quantumvis indigni Eccleſiaſticas obtinent dignitates: Verum *quod ſunt jam non ad meritum, ſed ad pœnam ſunt, qui in voluntate Dei non ſunt.* Quidam à ſolo Deo mittuntur, & non per hominem, quomodo miſſus eſt Moyſes in Ægyptum, ut educeret filios Iſraël de tyrannide Pharaonis. Quidam
L 1, Reg. 16. tandem mittuntur à Deo & per hominem: quomodo miſſus fuit à Deo Joſue
L. 6, c 3, in l 1, Reg. per Moyſem; quomodo unctus fuit David à Samuele: Unge quem monſtravero tibi. Ubi Magnus Gregorius: *Quid eſt quod Deus prævidet, & quod propheta mittitur niſi quia ſancta Eccleſia ſpecialiter mores deſcribuntur qua conſtituere nulla cernitur, niſi quæ præordinare Deum contemplatur?* Quomodo diſcipuli congregati nolentes ullum eligere niſi illum quem Deus præelegerat & præordinaverat orantes dixerunt; Domine oſtende nobis quem elegeris.

Magnum ſane eſt diſcrimen inter ordinationem Matthiæ à Deo deſtinatam, & electionem ejuſdem à diſcipulis factam. 1. Dei præordinatio eſt ab æterno, Apoſtolorum electio facta eſt in tempore: 2. Dei præordinatio eſt mere gratuita ex puro Dei beneplacito abſque ullo reſpectu ad merita Matthiæ; electio à diſcipulis facta reſpicit merita: quapropter Deum deprecantur ut eis manifeſtet, quem ex juſtitia debeant eligere Matthiam an Barſabam: 3. Deus in præordinatione Mathiæ, nullum conſuluit niſi ſemetipſum; Ut enim ait D. Chryſoſt. *Dives eſt Deus, & nullus eget opibus: potens eſt. & nullius eget auxilio; ſapiens eſt, nullius eget conſilio.* Diſcipuli autẽ ſuperno indigẽt auxilio: quapropter ut Judæ ſubrogent hominem Apoſtolatu dignũ, Deũ enixe deprecantur ut

electis

electio ab ipſis facienda non fiat niſi *de luminis concilio*. 4. Deus cum nullum habeat ſuperiorem & à nemine dependeat, in præordinatione Mathiæ, neminem orat; diſcipuli autem, Apoſtolum electuri orationi vacabant: ad inſtat Chriſti qui aſſumpturus diſcipulos ſeceſſit in montem orare, exemplum præbens iis, quibus competit jus eligendi ad Eccleſiaſticas dignitates, ut prius ad Deum ſtudioſa oratione recurrant. Ut enim belle ad propoſitum animadvertit Caietanus, *non ſolum oravit, ſed nocte tota in oratione perſeveravit, docens Eccleſiam ſuam, ut promotura aliquos, orationem præmittat non pro ceremonia, ſed vere recurrendo pro divinæ gratiæ ſpiratione, & aſpiratione*. 5. Deus perfectam habebat Mathiæ & Joſephi notitiam; conſpiciens eorum corda, virtutes, & merita. *Tu, ut homo, extrinſecus unumquemque noſti: putas quod vides; vides autem quoſque oculos habes, ſed oculi Domini alti.* Deus itaque ab æterno judicavit Mathiam Joſepho præferendum; diſcipuli vero illorum ignorantes merita, neſcientesque quis alteri præferendus eſſet, orantes dixerunt Domine oſtende nobis quem elegeris. 6. Ordinatio Mathiæ à Deo facta, præcedit ſortis injectionem: diſcipulorum vero electio ſubſecuta eſt ſortem. *Elegerat Deus profecto Mathiam ad hunc gradum dignitatis antequam darentur ſortes, & priuſquam fieret mundus. Declaravit autem viſibilis ſors Dei electionem inviſibilem, quem elegit prædeſtinatio, perfecit ſors,* qua viſa, diſcipuli Mathiam elegerunt, & Barſabæ prætulerunt.

Tert. lib. de Pall. I. — In c. 6. Luc. — Tert. lib. de Præſc. Hær. 9 — Laur. Juſt. de Chi. per. ſort.

3. *Semper oculi in urna ejus, cum ſortibus voluntantur.* Loquitur Tertullianus de eo qui in ſpectaculis in urna deponebat pecuniam velut pignus pro gladiatoris victoria. Cum ſortibus ſimiliter voluntabantur oculi diſcipulorum, qui *ne Apoſtoli undenarii in perfectione velut voluntatis divinæ tranſgreſſores remanerent, Barſabam & Mathiam eligentes, in medio ſtatuerunt, atque fuſa ad Deum prece, ſortes ſuper eos dederunt* Apoſtoli, diſcipuli, cæterique fideles Hieroſolimis congregati, ut in locum Judæ duodecimũ Apoſtolum eligerent (ſtatuerunt Joſeph qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Juſtus, & Mathiam, & dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam.) Barſabas & Mathias, ut vult Clemens Alexandrinus, erant è numero 72. diſcipulorum, hos unanimi conſenſu nominarunt fideles, velut excellentiores in fide, virtute, myſteriorum Chriſti cognitione, ſeorſim ſtatuentes velut Apoſtolatus candidatos, ut ſuper utrumque jacerent ſortem, quæ Apoſtolum deſignaret.

Tert. lib. de ſpect. 16. — D. Aug. Ser. de S. Mathia — Act. 1.

Nunc autem illa ſors eſt explicanda, bona vindicanda; electio Mathiæ rationalis demonſtranda. 1. Variæ fuerunt apud veteres ſortiendi rationes; nam cartulæ, teſſeræ, globuli aut lapilli, conjiciebantur aut in galeam ut vult Homerus, aut in ſitulam, ut cenſet Plautus, aut in hidriam ut refert Orator Romanus, aut in urnam, ut modulate canit Virgilius, aut in ſinum, ut docet Sapiens. Quo autem modo uſi ſint Apoſtoli, eſt incertum. Certum quidem Deum per illum modum declaraſſe Mathiam, Tum dirigendo ſortem ut in illum caderet, juxta

Prov. 16. iſtud: *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*: Tum addendo
ſignum aliquod cæleſte, quod ſortem comprobaret, ne ille in quem cade-
ret, cæteris Apoſtolis, qui fuerant electi à Chriſto, eſſet inferior: Quænam
Gagnerius autem fuerit illa ſors, non conſentiunt inter ſe Doctores. Quidam volunt
Salmeron, fuiſſe ſcrutinium ſuffragiorum, exiſtimantes oraſſe Apoſtolos, ut Deus eo-
Sanches. rum illuminaret mentes, ac declararet cui vellet ſuum eos dare ſuffragium:
Verum tunc non fuiſſe ſortitio, ſed electio, neque ſors cecidiſſet ſuper Ma-
thiam, ſed jure ſuffragiorum creatus eſſet Apoſtolus. Alii verò cenſent ſor-
tem illam fuiſſe ſignum quoddam divinum, vel donum prophetiæ aſpiratum
Dion Carth Mathiæ, vel columbam cœlitus delapſam in Mathiam, ad modum quo
D. Antonin Fabianus delapſu columbæ creatus eſt pontifex: vel radium de cœlo in Ma-
thiam demiſſum, ſicut Magnus Gregorius radio lucis demonſtratus eſt pon-
tifex: hanc autem ſortem dicuntur Apoſtoli dediſſe, eo quod præfatum ſig-
num ex inſtinctu divino præfinierint, dicentes: Super quem de cœlo deſ-
cendet columba aut radius, ille Dei judicio erit Apoſtolus: tumque Deum
orarunt ut ipſe hanc ſortem ederet & oſtenderet. Verum mittere ſortem
aliud longe ſignificat: In ſorte enim, ut ex ipſa termini ſignificatione con-
ſtat, eventus eſt fortuitus, & à cauſa expectatur, ut is vincat in quem ſors,
Lorin. quaſi fœlix alea ceciderit. Proprie autem Apoſtoli miſerunt ſortem, quæ
Marian cecidit ſuper Mathiam, etſi incertus modus, quo illam miſerunt. Alii
volunt nomen Mathiæ uni chartæ, nomen Joſeph alteri fuiſſe inſcriptum,
utrumque injectum in urnam, ibique commixtum, ut cujus primo educere-
tur nomen eſſet Apoſtolus; primoque fuiſſe eductum Mathiæ nomen: Ve-
rum ſors hoc modo facta nullum de cœlo ſignum habuiſſet manifeſtum.
Hæc autem ſors fuit humana & divina: humana, ob ſortientes Apoſto-
los; divina, ob ſignum à Deo denotatum,

Circa ſecundam quæſtionem an ſcilicet Apoſtoli licite & in conſcientia
Gloſſ jecerint ſortem; reſpondent communiter Doctores, abſque ulla conſcien-
tiæ læſione, Apoſtolos electionem caſui & ſorti commiſiſſe: Tum quia dum
eligendi in dotibus externis ſunt pares, res poteſt ſorte decidi & dirimi; Ma-
L. 1 Reg. 10 thias autem & Barſabas erant pares in externis dotibus: Tum quia Apoſto-
Joſue 7. lis Scriptura ſacra patrocinatur: ſic enim Saul ſorte rex eſt creatus: ſic Achan
ſerm. 15. ſorte eſt deprehenſus; ſic terra promiſſionis ſorte diviſa eſt: Ut autem do-
de S. Mathia. cet D. Auguſtinus [præcedentium ſanctorum ſortes merito mundiſſimæ in-
telliguntur propter preces, quibus divinæ clementiæ judicium de re dubia
poſtulabant. Quo ſortiū genere Mathias electus, Apoſtolorum conſortio eſt
Luc. 1. ſociatus:] Tum quia ut ſubjungit Hipponenſis Antiſtes, [cum lege Domi-
ni ſummus ſacerdos ſorte quærebatur, ſicut de Zacharia dictum eſt, quod
ſecundum conſuetudinem ſacerdotii ſorte exiit, ut incenſum adoleret.
Quia in re miſtice monſtrabatur, verum ſacerdotem ſupereſſe quæren-
dum, donec veniret in carnem.] Tum ex eodem magno Doctore, quia
(Apoſtoli non debuerunt ſubito a mandato veteris legis diſcrepare, do-
nec

nec radianti lumine Evangelicæ prædicationis paulatim evaneſceret umbra veritatis, ut ſicut magiſter ſua circumciſione ac legalibus hoſtiis pro ſe Deo patri oblatis, finem impoſuit legi ac circunciſioni: ita & diſcipuli ſorte uſi ſunt, ut finem imponerent antiquarum ſortium inquiſitioni. Hinc eſt quod poſtmodum ſeptem Diaconi nequaquam ad opus miniſterii veniſſe ſorte leguntur, ſed tantum oratione Apoſtolorum pariter & manuum impoſitione venerabiliter ordinantur. Hoc idcirco preferre dignum duximus, ne ſimpliciores quique Apoſtolorum ac Prophetarum, Deum putent hoc tempore ſortibus conſulendum, cum magos, ariolos & ſortilegos ſacræ Scripturæ authoritate certiſſime ſciamus eſſe damnandos.) In electionibus paſtorum & Eccleſiaſticorum, nunc ſors eſt prohibita jure canonico. Jure namque naturæ, divino & humano, ad beneficia, præſertim annexam habentium animarum curam elegendi ſunt, vel digniores, vel ſaltem digni: Sors autem poſſet cadere ſuper indignos. Cap. Ecclef 10. de ſortileg.

Quam rationabiliter autem Mathias fuerit Joſepho prælatus, apparet quia in ejus electione nulla eſt *interpellatio ſanguinis*. Multi hac ætate ad Eccleſiaſticas dignitates promovent cognatos & conſanguineos quantumvis indignos, quaſi cognatio jus ad beneficia præbeat; in quo multum à Chriſto diſcriminantur, qui *potiores fecit alios*, *meritum prælationis attendens*, non affinitatem aut communionem ſanguinis; ut ex Mathiæ electione comprobatur qui præfertur Joſepho meritis non impari, & Chriſti conſanguineo. Nam videtur frater Jacobi minoris & Judæ Apoſtolorum, filiuſque Alphei & Mariæ, quæ inter matronas Chriſto crucifixo adſtantes nominatur *Maria Iacobi, & Ioſeph mater*. Chriſtus Mathiam extraneum conſanguineo ſuo in Apoſtolatu præferens, docuit in electione Eccleſiaſticarum dignitatum habendam non eſſe rationem conſanguinitatis. *Barſabas fuit conſanguineus Chriſti, ſicque per hoc docuit, quod ex conſanguinitate aut carnali affectu, non ſunt homines ad Eccleſiaſtica beneficia, aut officia promovendi*; ſed ex virtute & merito. Sic Archelaus vas aureum nequaquam iis dabat, qui illud ſine meritis poſtulabant, ſed Euripidi, quem ob virtutes aliaſque optimas qualitates, illud optime mereri cognoſcebat. Animadvertit autem D. Auguſtinus Mathiam ex ſorte qua prælatus eſt Barſabæ fuiſſe primum clericum, à quo clerici ſuam ſumunt originem, nomenque mutuantur. *Nam & cleros, & cleritos, hinc appellatos puto, quia ſunt in Eccleſiaſticis gradibus ordinati; quia Mathias ſorte electus eſt quem primum per Apoſtolos legimus ordinatum. Clericus enim dicitur à κλῆρος ideſt ſorte, quia ſorte in ſortem Domini aſciſcitur*. Idipſum docet alioſum D. Auguſtinus, clerici nomen ad cunctos extendens Chriſtianos. *Quia hic diſcipulus Chriſti ſorte eſt electus, congruit hoc nomen Chriſtianis, & maxime in dignitate poſitis: eo quod ſors vel hæreditas Latine, Græce κλῆρος dicitur. An clerici non dicuntur qui in ſorte Dei delegati, ab omni turpitudine & actu ambitionis ſtudent eſſe alieni, ut in domo Dei mereantur fieri hæredes?* Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti; *ore &*

Tert lib ad Scap. 2.

Tert lib. de Cat. Chr.

Matth. 27.

Dion. Carth in c. 2. Actor.

Plutarch. in Apopht.

In pſ 67.

Serm. de S Matth.

Rom. 8.

corde cantantes: Dominus pars hæreditatis meæ, ad inſtar Mathiæ qui ſorte juſtu prælatus, & Apoſtolatu merito donatus?

III. PARS. Tert. lib. de Præſc. Hæret. 20.

Statim igitur Apoſtoli, (quos hac appellatio miſſos interpretatur) aſſumpto per ſortem duodecimo Mathia in locum Iudæ, ex auctoritate prophetiæ, quæ eſt in pſalmo David; conſecuti promiſſam vim Spiritus ſancti ad virtutes & eloquium, primo per Iudæam conteſtata fide in Ieſum Chriſtum, & Eccleſiis institutis, de hinc in orbem profecti, eandem doctrinam fidei nationibus promulgaverunt. Quod Tertullianus de Apoſtolis in communi enarrat, in particulari Mathiæ competit; qui non ſecus ac cæteri, fuit 1. ad Apoſtolatum ſublimatus: 2. virtutibus decoratus: 3. de probe functo munere Apoſtolico commendatus.

Tert. lib. de Bapt. 18. L. de Exh. Caſt. 4. Tert. Præſcri. c. 10. 2. Tract. 6. Serm. 4. de Verb. Apoſt. In pſ. 41.

1. *Dei dignatio ſuas præmittit prærogativas* prærogativis Dei benevolentiæ dignati ſunt Apoſtoli, & ad tantam dignitatem ſublimati quod eam *faſtigum* nuncupat Tertullianus. Apoſtolorum excellentiam alior ſum fuſe demonſtravimus: quos adhuc multis encomiis prædicat D. Auguſtinus. Vocitat, 1. veſtem Chriſti: *Veſtem Chriſti putate Apoſtolos, ſub textura unitatis adhærentes lateribus Chriſti.* Quo magis Chriſto adhærent, eo magis dignificantur: 2. Eos cœlos appellat quibus Gentiles honores divinos præſtare voluerunt: *Cum ipſi cœli emitterent voces ſuas per omnem terram & facerent mirabilia, coruſcante de illis & intonante Domino miraculis & præceptis, putati ſunt dii deſcendiſſe de cœlo ad homines. Nam quidem ex gentibus hoc putantes, eis etiam ſacrificare voluerunt.* 3. Expendens iſtud Davidicum: [Ego confirmavi columnas ejus,] *Columnas Apoſtolos dicit*, quibus Eccleſiæ ædificium innititur. Columnæ ratio potiſſimum Petro convenit, qui ut fatur Hipponenſis Antiſtes eſt *lapis ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clavis ad regnum.* 4. Apoſtolus velut *ſpirituales animarum medicos* conſiderat ad earum medelam & ſanitatem deſtinatos. Illos 5. adhuc *honoris gratia propter curam pietatis* amabili Patrum vocabulo commendat.

Pſal. 74. Serm. 29. de Sanctis: L. 50. Hom. Hom. 11. In pſ. 77.

Nec mirum ſi tot titulis D. Auguſtinus Apoſtolos honorat: qui vocitantur à Chriſto primo filioli. (Filioli adhuc modicum vobiſcum ſum.) *Poſſumus dicere, quod præ amoris magnitudine diſcipulos ſuos filios appellaverit. Moris eſt enim parentum, parvulos ſuos filios delicatius enutrire quam magnos, & ſæpius amplecti, crebrius amulari.* Filioli erant Apoſtoli, parvuli, humiles ſuperbia & arrogantia minime tumentes; deinde fratres; Magdalenam namque ad Apoſtolos mittens, ut eos de ſua reſurrectione inſtrueret, dixit ei; *Vade ad fratres meos.* Fratres appellat non quod ex eodem patre, & eadem matre, qua ipſe nati ſint, ſed ut ad eorum memoriam revocet Apoſtolicum honorem: Frater enim ſonat idem ac fere alter. Ut autem vult quidam doctor Neotericus *Apoſtoli ſunt Chriſti, & Chriſtum per omnia referunt.* Tandem Chriſtus demonſtrare volens Apoſtolis eminentem dignitatem ad quam eos ſublimaverat, nuncupat amicos: *Vos amici mei eſtis.* Illos dicit amicos, non ſolum quia illos amabat & ab ejus viciſſim amabatur; neque adhuc quia divinorum ſecretorum effecerat conſcios & participes. [Jam non dicam

Joan. 13. Bern. Serm. 4. in cœn. Dom. Joan. 20. Paul à Palac. in c. 10. Math. Joan. 15. Joan. 15.

dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid faciat dominus ejus: vos autem dixi amicos; quia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.] Sed præſertim eos dixit amicos, ut denotet in quo pretio illos habeat, & quantum conſecuti ſint honorem. Ex Philoſopho namque *amicus eſt alter ego*, & inter amicos cuncta ſunt communia.

Mathias Hebraice idem eſt ac *donum Dei*, ſeu *donatus à Deo*, & ejuſmodi nomen, ait V. Beda, fuit fauſtum omen, quod donandus eſſet Apoſtolatu & annumerandus inter veſtes Chriſti, cœlos enarrantes Dei gloriam, Eccleſiæ columnas, ſpirituales animarum medicos, fidelium patres, Chriſti filios, fratres, & amicos. Aſſociatus namque Apoſtolorum collegio, iiſdem gaudet honoris titulis, quibus cæteri potiuntur. Quod denotatum vult D. Chryſoſtomus in parabolo patrisfamilias qui conduxit operarios ad excolendam vineam, eique qui circa undecimã horam venerat denarium contulit non ſecus ac illis qui primo mane conducti fuerant. *Circa undecimam horam veniens Deus Mathiam qui cum undecim Apoſtolis connumeratus eſt, intelligi volunt vocatum*. D. Athanaſius & Leo Caſtrius. Apud Thom. in Cat. ad c. 20 Math. Apud Lorin.

Non eſt prætereunda D. Ambroſii conſideratio, qui in iſtud, *Et adjecit parere Abel*: acute obſervat ly *adjecit* eſſe numerum arithmeticum quo numero adjungi ſignificatur, itaut ſequens numerus totã numerorum præcedentium complectatur ſummam, & adhuc aliquid amplius: unde ſi numero binario addatur ternarius, totum illum in ſe complectitur, & aliquid amplius. *Cum adjicitur aliquid, quod prius erat tollitur, idque colligitur ex arithmeticæ proportionibus, addito enim numero fit alius numerus, abſolvitur ſuperior, cogitatio nova excludit ſuperiorem*, Inde concludit: *Ergo cum adjicitur Abel, auffertur Cain*. Eodem modo ratiocinandum eſt de Juda & Mathia, quo Mediolanenſis Antiſtes de Cain & Abel philoſophatur. In Apoſtolorum collegio adjuncto Mathia, Judas auffertur, & Mathias ſecundum Arithmeticæ regulas continet omnes gratias, prærogativas, dignitates quas habuit Judas in Apoſtolatu, quibus adjicit aliquid amplius nempe virtutes, quibus decoratur. L. 1. de Cain & Abel c. 4. L. 2. Reg. 12.

2. Ex Dionyſio Carthuſiano fuit *Mathias omni virtute ornatus*. Et connumeratus eſt cum undecim Apoſtolis, ideſt explicat Doctor illuminatus Franciſcus Maironius, *ſecundum undecim virtutes, quæ floruerunt in illis*. Verum Mathiæ virtus mirum eluceſcit ex vitio Judæ cui opponitur; & ex perfectione Joſephi cui præponitur. Et quidem ex oppoſitione Judæ, nam juxta commune Philoſophorum placitum, *contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt*, ut ab inductione nullo negotio comprobatur. Ex præfato autem Maironio, Mathias Judæ opponitur: unde ſi de iſto dicitur: *Nihil Iuda ſceleſtius*, de illo quoque affirmandũ eſt: *Nihil Mathia ſanctius*. Cujus virtus adhuc ex prælatione qua Ioſepho præponitur eluceſcit. Joſeph à Scriptura ſacra cognominatur juſtus: imo à ſancto Dionyſio vocitatur ſanctus juſtus, *ipſa divina pax, &* Serm. de S. Mathia. Serm. de S. Mathia. De Eccleſ. Hier. c. 10.

tranquillitas, quam ſanctus Iuſtus ſilentium appellat, deinde inter Sanctos ponitur in Martyrologio Romano hiſce verbis: [Eodem die natalis B. Io-
Dao Iulii. ſeph, qui cognominatus eſt Juſtus; quem Apoſtoli cum B. Mathia ſtatuerunt, ut locum Apoſtolatus Judæ proditoris impleret: ſed cum ſors cecidiſſet ſuper Mathiã, ipſe nihilominus prædicationis & ſanctitatis officio inſerviens, multamque pro fide Chriſti, à Iudæis perſecutionem ſuſtinens, in Iudæa victorioſo fine quievit. De quo etiam refertur, quod venenum biberit, & nihil ex hoc triſte propter Domini fidem pertulerit.] Ioſepho tamen juſto & ſancto præfertur Mathias, qui licet non cognominetur juſtus & ſanctus, non ſequitur quod non receperit à Deo juſtitiam & ſanctitatem Apoſtolatui ad quem ſublimatus eſt convenientem, juxta doctrinam D.
D Antonius 3.p.tit 6.c 2 Thomæ aſſeverantis quod quando Deus ad aliquod munus eligit, ſubminiſtrat gratias & qualitates huic officio congruentes. Sic largitus eſt Mathiæ qui *fuit in lege Domini doctiſſimus, corpore mundus, animo prudens, in conſilio providus, in ſermocinatione expeditus, multorum ſignorum patrator, Martyr extenſis in cœlum manibus ſpiritum Deo reddidit.* Quot dotibus & virtutibus ornatum Mathiam repræſentat Florentinus antiſtes.

Quod ſi ex abundantia cordis os loquitur, & ſapor mentis in lingua guſtatur: ex ſermonibus Mathiæ colligendum eſt qualis fuerit ejus animus:
Lib. 1. Stro Tria Mathiæ effata refert Clemens Alexandrinus, quæ redolent pietatem, virtutem, & cœleſtem ſapientiam. Primum eſt: *Oportet admirari præſentia*, nimirum opera Dei quæ videntur, ut ex eis aſcendamus ad inviſibilia, admirantes & contemplantes Dei majeſtatem, potentiam, ſapientiam, & bo-
Lib 3: Stro nitatem. Secundum eſt, *ſi electi vicinus peccavit, peccavit electus: Nam ſi ſe ita geſſiſſet ut jubet verbum vel ratio, ejus vitam ita vicinus eſſe veritus, ut non peccaſſet.* Quomodo Bernardinus ſua gravitate & modeſtia coævos & contubernales à peccato arcebat. Tertium, *adverſus carnem pugnandum, &*
Lib.7.Stro *in nullo prorſus voluptati ejus ac libidini concedendum! animam vero alendam ſapientiæ paſtibus, & ſcientia cibis in majus ſemper augendam.*

Sed Mathiæ juſtitia nunquam magis, quam ex ejus humilitate ſplendeſcit. Humilitas namque pro omni juſtitia uſurpatur; ut docet D. Auguſtinus
Matth. 3. expendens Chriſti ſermones ad Joannem Baptiſtam, Baptiſmum Domino adminiſtrare recuſantem: [Sine modo, ſic enim decet nos implere om-
Tract.4.in Joan. nem iuſtitiam. *Quid eſt impleatur omnis juſtitia? impleatur omnis humilitas:* quaſi humilitas & juſtitia ſinonima ſint, & perfectus humilis ſit perfectiſſime
D. Bonavent Diet. Salut tit 7. c 1 juſtus; *Humilitas eſt quidquid in valore pretioſius, quidquid in decore eſt gratioſius* Iuſtitia cunctas complectitur virtutes: *Omnes virtutes, cum humilitate con-*
Ioan. Gerſon. Ser de Cœn. Dom. *nexa ſunt; omnes in ea fundata agglutinata, qua ſublata fugiunt omnes.* Ex Baſilio autem Seleuco, *Humilitate comite continentia in admiratione eſt, & fides*
Orat. 28. *ſit amabilior, & juſtitia purgatior & verior. Miſericordia fructus & pœnitentia tunc*
D.Aug Ser de S. Matth. *creditur, quando cum humilitate conjugata eſt.* Has omnes virtutes complectitur vere Mathias nomine parvus, juſtitia, & humilitate perfectus, *Ma-*

thias

thias Dei parvus interpretatur. Cum auditis parvum, non corporis quantitatem, ſed morum animi attendite humilitatem. Dei parvus intelligitur humilis & quietus. Vnde Dominus in Evangelio: Diſcite à me quia humilis ſum. *Et alibi*: Sine parvulos venire ad me; talium eſt enim regnum cœlorum. *Per hanc voluntatem* Matth. 11. *Dei, hic parvulus auditu intelligens, atque actu intellecta perficiens, numerum duodenarium ſuperbi apoſtatæ mutilatum abjectione, ſua parvitatis complevit* Marc. 14. *adjectione.*

Chilon philoſophus interrogatus olim quid Deus nunc faciat; reſpondit: Manut. l. 2. Apopht. *Excelſa deprimit; depreſſa extollit.* Quod adimpletum videmus in ſuperbo Lucifero & humili Franciſco; in tumido Iuda, & Mathia pervulo, ille ſuperbia dejectus eſt, iſte humilitate ſublimatus eſt. *O ſancta humilitas, te noviſſimam credens cæteris honorabilior, antecedis; dum deſcendis aſcendis; dum gloriam fugis acquiris.* Laur. Iuſtin. lib. de Agõ Chr. c. 4. Abdias. Mathias [licet eruditiſſimus, nullatenus tamen extollebatur, ſed juxta ſui nominis ethimologiam vere ſe parvulum, & humilem ibid. exhibere nitebatur.] Quem per Amethyſtum denotatum vult Doctor Seraphicus: Duodecim lapides pretioſi qui ſunt fundamenta ſupernæ civitatis Hieruſalem, in quibus ſcripta aſſeverat Joannes nomina duodecim Apoſtolorum agni. Apoc. 21. Ex dubio Auguſtino ſignificant duodecim Apoſtolos: Sicut Hom: 18. in Apocal. autem jaſpide, qui eſt primus lapis, denotatur Petrus, ita Amethyſto qui eſt lapis ultimus, Mathiæ aſſignatur propter humilitatem, quam etiam in Orig. Tract. 31. in Math. parvi nomine defert. Et *quoniam pretium exaltationis, humilitas eſt.* Mathias parvus & humilis, ad Apoſtoli faſtigium, & ſummum Eccleſiæ gradum exaltatus eſt, nobiliori modo quam reliqui diſcipuli.

Darius Rex Perſarum duos habuit filios: Arthabanum ſcilicet, & Xerxem, inter quos jam ætate grandævos, orta eſt quæſtio quis eorum patri ſuccederet in regno. Arthabanus ſe regni ſucceſſorem dicebat; eo quod eſſet primo genitus: Xerxes ſibi deberi regnum aſſeverabat; eo quod Arthabanus licet primogenitus, fuerat generatus à Dario tunc homine privato, nondum rege: ipſe vero etſi ſecundo genitus, ortum tamen habeat à Dario jam rege & in ſolio collocato, quâ ratione à parente prudenter ponderatâ; non Arthabanum, ſed Xerxem relinquit regni ſucceſſorem. Cæteri etſi priores Apoſtoli, (uno Paulo excepto) vocati ſunt à Chriſto adhuc paſſibili & mortali, at Mathias licet noviſſimus, à Chriſto impaſſibili & immortali vocatus eſt: & ut fatur D. Auguſtinus de Paulo loquens, *per Ieſum Chriſtum totum jam Deum, ideſt omni ex parte immortalem poſt reſurectionem ejus miſſus eſt.* D. Auguſt. in Expoſ. lib ad Galat. Et ſicut vult D. Thomas, [Petrus qui vocatus fuit à Chriſto adhuc Lect: 1. in c: 1: Ep. ad Galat. in carne mortali poſito, ponitur in Bulla Papæ, in ſiniſtra parte: Paulus vero qui vocatus fuit à Chriſto glorificato, ponitur in dextera;] quanta eſt Mathiæ parvi & humilis exaltatio, qui à Chriſto jam toto Deo, ideſt Tert. l. 4. adv. Marc. 2. omni ex parte immortali, vocatus eſt ad Apoſtolatum, quo probe fungens mire commendatur.

3. Apoſtolis munus Evangelii, promulgandi ab ipſo Domino fuit impoſitum.

Ad

D. Aug. Tract. 54. in Joan. Tert. l. 4. adv. Marc. ... in Pſal.

Ad hunc finem miſit illos in orbem terrarum, [quod eorum etiam indicat nomen: nam Græce Apoſtoli Latine miſſi interpretantur.] *Cur autem duodecim Apoſtolos elegit, & non alium quemlibet numerum?* reſpondet D. Auguſtinus: [Non fruſtra duodecim habere voluit diſcipulos Dominus: & ita numerus ille ſacratus eſt, ut in locum unius qui ceciderat, non poſſet niſi alter nominari. Quia enim quatuor ſunt orbis partes, & totus orbis in Evangelio vocabatur; unde quatuor Evangelia ſcripta ſunt, & totus orbis in nomine Trinitatis vocetur, ut congregetur Eccleſia: quatuor autem

Serm. de S. Mathia.

traducta duodecim fiunt.] Hanc duodenarii Apoſtolorum numeri convenientiæ rationem, aliorſum refert D. Auguſtinus.[Nec vacat myſterio duodenus Apoſtolicæ dignitatis ordo, Duodenarii igitur ſumma, quæ, tribus à quatuor invicem multiplicatis, ſuccreſcit: ſive enim tria per quatuor, vel quatuor per tria multiplices, eandem duodenarii formam procreatam conſpicis: ſignificat fidem ſanctæ Trinitatis per voces quatuor Evangeliſtarum atque eorundem Apoſtolorum per latitudinem terræ] *Diſcipuli quoque diffuſi per orbem, præcepto Dei magiſtri paruerunt*: Evangelium promulgaverunt; fidem ſanctiſſimæ Trinitatis prædicaverunt; & quia Mathias ad Iudæ proditoris ſubrogatus fuerat Apoſtolatum, *Quem iſte ſanctus ſuſcipiens obediendo, honorifice decoravit Evangelizando*, ait D. Auguſtinus: qui in duodenario Apoſtolorum numero, abſconditum agnoſcit myſterium. [Poſſumus & aliud intueri. Nam idem duodenarius æqualibus ſuarum partium quantitatibus menſuratus, in ſeipſum duodenarium reſurgit: nam duodenarii medietas ſunt ſex: tria autem quater: quater tria: ſex duo, unum duodenarium conſtituunt: unum autem & ſex & quatuor & tria & duo faciunt ſexdecim: & decem quidem ad Decalogi mandata pertinent. ſenarius vere qui nullo ſuo damno minuitur, aut ſuperflua adjectione augetur, ſed æqualibus ſuorum membrorum partibus arithmetica lege perfectus pronuntiatur, & perfectam dicti Decalogi ſignificat impletionem, quam beatus Mathias conſecutus talentum ſibi creditum à Domino per Coapoſtolos ſuos, non ut ſervus piger in terram abſcondit, ſed per fidelium corda, velut prudens ſervus cumulare non ceſſavit.)

Tert. Apol. 21.

Serm. de S. Mathia.

Duo ſunt Chriſtiano neceſſaria. Unum notitia myſterii Trinitatis in cujus nomine initiatus eſt: Alterum, obſervatio mandatorum Dei. Notitiam Trinitatis docuit Mathias per prædicationem, ad mandatorum obſervationem, non ſolum verbo ſed etiam exemplo induxit: Æthiopiam Paleſtinam & Judæam peragrarat: *Cum magno animarum lucro atque profectu, ſiquidem pollebat doctrina, & vita exemplari, atque miraculis ſplendebat*, Idipſum aſſeverat Laurentianus Iuſtinianus *Prædicavit in Æthiopia, magnos labores pertulit peregrinando ex una regione in aliã per varia deſerta immaniſſimis feris plena, & tandem martyrio coronatus eſt.* Nam in Judæam reverſus Chriſtianamque diſciplinam prædicans, exemplaris virtutibus & miraculis ſuam prædicationem confirmans, princeps ſacerdotum *indignatus*

In ejus Vita

Serm. de S. Mathia

tulit

tulit ſententiam quod lapidaretur Mathias, & poſtmodum ejus caput amputaretur. Sic duplici martyrio commendatur. Nam ad modum Stephani fuit lapidibus grandinatus; & ad inſtar Pauli capite truncatus: & tum per Evangelii prædicationem: tum per virtutis ædificationem: tum per martyrii paſſionem, *ex Dominica voce promeruit audire*: Euge ſerve bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, intra in gaudium Domini tui. *Digne itaque hodie iſte ſanctus immenſo laudis celebratur præconio, quando ſuo Domino talentum reportavit cum lucro. Ipſe olim inter Apoſtolos conſtitutus audire à Domino meruit.* Beati qui vident quæ vos videtis. *Hodie multo beatior cum cæteris Sanctis cantare fideliter potuit:* Sicut audivimus ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in aula ſancta ejus. *Vere fœlix ac beatus qui ut concinit Propheta*: Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

D Aug Ser. de S Mathia

Math. 25.

Luc 7.

Pſ. 95.

Pſal. 83.

Inde Chriſtianos urget D. Auguſtinus ut ſuo munere rite fungantur ad exemplum Mathiæ: *Iſte ſanctus dilectiſſimi, ideo intrare in gaudium Domini ſui potuit, quia ſuper pauca fidelis extitit. Ergo ſummopere nobis eſt cavendum, ne lucro commiſſi talenti neglecto, ab æterni gaudii arceamur ingreſſu. Quicunque enim in matre Eccleſia, in fide ſanctæ Trinitatis baptizati ſumus, ac ejuſdem Sacramenta fidei cognovimus, donum intelligentiæ aſſecuti ſumus, proculdubio talentum à Domino percepimus: ſed hoc in terra abſcondimus, ſi bona quæ intelligimus, per compaſſionem charitatis proximis non diſtribuimus; ac contra de accepto negotio lucrum facimus, ſi ea quæ intelligimus, etiam audire volentibus fideliter miniſtramus.* Quod de prædicatoribus, ait D. Auguſtinus, cunctis poteſt adoptari Chriſtianis; qui à Deo acceperunt talentum fidei aliarumque virtutum, talentum gratiæ & donorum Spiritus Sancti: qui de ejuſmodi talentis nullum faciunt fructum, ſunt ſervi inutiles, pœnis deſtinati; qui vero multum fructum reportant, ſunt ſervi fideles, & ut tales in cœlo remunerantur

CONCIO SEXTA.

Tert lib. de Præſc. Hæret. 20. *Christus Ieſus Dominus noſter, quandiu in terris agebat, ipſe pronuntiabat, ſive populo palam, ſive diſcentibus ſeorſum.* Plures autem Authores Marcum unum ex ſeptuaginta diſcipulis merito exiſtimant quos Apoſtolicos nuncupat Tertullianus. *Si & Apoſtolicos, non tamen ſolos, ſed cum Apoſtolis, & poſt Apoſtolos. Quoniam prædicatio diſcipulorum ſuſpecta fieri poſſet de gloriæ ſtudio, ſi non aſſiſtat illi authoritas magiſtrorum, imo Chriſti, qui magiſtros Apoſtolos facit.* Marcus Petri Apoſtoli ſocius & diſcipulus, in ſchola Chriſti eruditus, quod à Petro & præſertim à Chriſto didicit, eructat; & quemadmodum Angeli primæ Hierarchiæ ab ipſomet Deo immediate illuminati, & ſufflammati, inferiores Angelos illuminant & ſufflammant, ita Marcus à Chriſto edoctus, quæ à Domino accepit fideles edocet, calamo, lingua, & ſanguine: Scripto tanquam Evangeliſta & author Canonicus, verbo tanquam prædicator Apoſtolicus, ſanguinis ſuffragio tanquam martyr magnanimus. Veritatem & virtutem 1. tanquam Evangeliſta manu conſignavit: 2. tanquam concionator, ore prædicavit: 3. tanquam martyr, ſanguine propugnavit.

Lib. 4. adv. Marc. 2.

I. PARS. *Nobis fidem ex Apoſtolis Ioannes & Matthæus inſinuant: ex Apoſtolicis, Lucas & Marcus inſtaurant: iiſdem regulis exorſi, quantum ad unicum Deum attinet Creatorem, & Chriſtum ejus, natum ex Virgine, ſupplementum Legis & Prophetarum. Viderit enim ſi narrationem diſpoſitio variavit, dummodo de capite fidei conveniat.* Quatuor notatu digniſſima docet Tertullianus. Primo, ſupponit quatuor duntaxat eſſe Evangeliſtas, non plures, neque pauciores; & hujus numeri hanc ſubminiſtrat D. Auguſtinus rationem. *Quatuor ſunt Evangeliſtæ in toto terrarum orbe notiſſimi. Et ob hoc fortaſſe quatuor, quoniam quatuor ſunt partes orbis terræ: per cujus univerſitatem Chriſti Eccleſiam dilatati; ipſi ſui numeri ſacramento, quodammodo declararent.* Secundo, ex quatuor Evangeliſtis duos tantummodo Apoſtolos, alios vero Apoſtolicos, refert Tertullianus: quod non ſine myſterio & Dei providentia factum cenſet D. Auguſtinus. *Ideo voluit Spiritus ſanctus etiam ex his qui inter duodecim Apoſtolos non fuerant, eligere ad conſcribendum Evangelium duos, ne putaretur gratia evangelizandi uſque ad Apoſtolos perveniſſe, & in illis fontem gratiæ defeciſſe.* Tertio, licet quatuor Evangeliſtæ varient circa modum ſcribendi Evangelium, neque iſtud eodem ordine incipiant: non variant tamen, ait Tertullianus, in fide Dei & Chriſti, ſed prorſus in ea conveniunt. Itaque *quod alius Evangeliſta alium verborum ordinem tenet, non eſt utique alteri contrarium. Neque illud eſt contrarium, ſi alius dicit, quod alius prætermittit. Vt enim quiſque meminerat, & cuique cordi erat vel brevius vel prolixius, eandem tamen explicare ſententiam,*

Tert. l. 4. adv. Marc. 2.

L. 1. de Conſenſ. Evang. 2.

Serm. 146. de Temp.

D. Aug l. 2. de Conſenſ Evang. 12.

ita

ita eos explicaſſe manifeſtum eſt. Quarto tandem, quatuor illos Evangeliſtas Joannem, Matthæum, Lucam, & Marcum, Tertullianus nuncupat, quos in prophetia Ezechielis & Joannis Apocalypſi, per animal quatuor facies habens, denotatos D. Auguſtinus aſſeverat. *Apud Ezechielem prophetam, & in apocalypſi Ioannis commemoratur animal quadrupes habens quatuor perſonas, hominis, vituli, leonis, aquilæ. Qui ante Scripturarum myſteria tractaverunt, plerique in hoc animali, vel potius in his animalibus quatuor Evangeliſtas intellexerunt.* Symbolice Matthæo homo appropriatur, quia à temporali & humana Chriſti generatione Evangelii ſumit exordium: Joanni aquila attribuitur, quia cœlum aëraque tranſcendens, Verbum in ſinu Patris contemplatur: Lucæ bos accommodatur, quia de ſacrificio Chriſti in principio Evangelii tractat. Tandem leo ad Marcum pertinet; quia enarrat victoriam quam Chriſtus reſurgens de dæmone, peccato, & morte, reportavit. Sub his quatuor faciebus, ab Evangeliſtis repræſentari voluit Dominus. [Ipſe Dei Filius per hominem deſignatur; quia veraciter factus eſt homo. Ipſe in ſacrificio dignatus eſt mori ut vitulus. Ipſe per virtutem ſuam ſurrexit ut leo qui dormit apertis oculis, quia ex humanitate dormire potuit, ex divinitate ſua immortalis permanendo vigilavit. Ipſe etiam poſt reſurrectionem ſuam, accedens ad cœlos elevatus eſt ut aquila.]

Tract: 16. in Joan.

D. Gregor. Hom: 4. in Ezech.

Cur autem Marcus conſcripſerit Evangelium refert D. Hieronymus: *Marcus diſcipulus & interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, brevi ſcripſit Evangelium*; de quo meminit vas electionis Paulus, (in quo clamamus Abba pater.) Quaſi dicat, *Abba* quod ſignificat *pater*. Pater enim nominativi eſt caſus, additurque ut explicet Hebræum, vel potius Chaldæum *Abba*. Unde Biblia regia & Romana to *pater* includunt parentheſi. Alludit hic Paulus ad Evangelium Marci, quod ſciebat eſſe conſcriptum, notumque Romanis. Nam apud Marcum dicitur *Abba*, id eſt *pater*. Imo ipſemet Chriſtus Marco pro fide incarcerato apparens, illi largitur pacem, eumque velut ſuum Evangeliſtam ſalutat: *Pax tibi Marce Evangeliſta meus*; quo nihil dici poteſt pro Marco glorioſius. [Narratores quippe originis, factorum, dictorum, paſſionum Domini noſtri Jeſu Chriſti, proprie dicti ſunt Evangeliſtæ. Nam & ipſum nomen ſi quæramus, quod Latine interpretetur, bonum nuntium dicitur Evangelium, vel bona annuntiatio.] Evangelium manu ſcripſit Marcus, illudque nobis offert velut bonum nuntium commendatum, 1. majeſtate: 2. veritate: 3. utilitate.

L. de Scrip. tor. Eccleſ. — Rom: 8. — Marc. 14. — D. Aug l: 2. cont Fauſt. c. 2.

1. *Iam offerimus majeſtatem Scripturarum.* Belle Tertullianus Scripturas ſacras, majeſtate commendat: Tum ob principii majeſtatem: à Deo namque majeſtatis ſuam ſumunt originem; ideoque dicuntur à Dionyſio Areopagita, *Eloquia divinitus tradita:* Tum ob antiquitatem: unus enim Moyſes *mille circiter annis cladem Priami antecedit. Poſſem etiam dicere quingentis amplius & Homerum.* Tum ob ſummam qua pollent authoritatem. *Primam inſtrumentis iſtis authoritatem ſumma antiquitas vindicat.* Tum ob ſcriptorum Canonicorum ſanctitatem: *Vires enim*

Tert. Apol. 20. — D. Dion de cœleſt. — Hier. c. 1. — Tert. Apol. 19. — Tert ibid. — Tert. Apol. 18.

 juſti-

juſtitia & innocentia dignos Deum noſſe & oſtendere, à primordio in ſæculum emiſit Spiritu divino inundatos. Tum ob myſteriorum de quibus ſantur dignitatem: Prophetæ namque ſunt *per Dei gratiam intellectum conſecuti ſacramentorum ejus*, Tum ob infallibilem earum veritatem: *Ubi enim apparuerit eſſe veritatem, & diſciplinæ & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum.* Ob has aliaſque rationes Lucius Epiſcopus in Concilio Carthaginenſi, cui interfuit B. Cyprianus, vocitat *ſancta & adorabilia Scripturarum verba.* Etenim ſi ſanctus Ambroſius vult Imperatorum ſanctiones, cum tremore & veneratione legi, chartamque ab illis miſſam *velut divinos adorari apices*: quanto majori veneratione dignæ ſunt ſacræ paginæ, & à cunctis *velut oracula de cœlo miſſa*, in honore habendæ?

Tert. l. 3. adv. Marc. 16. — Tert. lib. de Præſc. Hæret. 19. — Apud S. Cypr. — De Arbit. Interced. c. 4. — D. Chryſoſt. de ſanct. Pentec.

Cunctæ Scripturæ ſacræ honorandæ ſunt tanquam ſupremi Imperatoris litteræ, majeſtate fulgurantes: ſed major videtur Evangelio deferendus honor: quia in illo divina Majeſtas amplius ſplendeſcit. Ex D. namque Hieronymo conſtat, *magnam eſſe Evangelii majeſtatem: ad cujus fulgura omnis mortalium ſenſus hebetatur.* Ideo magnus Baſilius omnem Evangelii vocem *reliquis omnibus Spiritus ſancti præceptis atque doctrinis magnificentiorem & eminentiorem dignoſci* audacter pronuntiat. Nam 1. Evangelium, Spiritum ſanctum agnoſcit authorem, quod inſpiravit Evangeliſtis tanquam *diſcipulis novi Teſtamenti.* Quapropter ſanctus Maximus Evangelia, à ſanctitate authoris ipſorum, appellat *ſancta Evangelia.* Et quamvis Tertullianus nuncupet Evangelium, *expunctorem totius retro vetuſtatis*; quia præſtat veritatem figurarum, quæ fuerunt in lege Moſaica: *Quod enim Lex & Prophetæ futurum prænuntiaverunt, hoc redditum atque completum in Evangelio demonſtratur*: fuit tamen 2. ut docet Apoſtolus *temporibus æternis*, ſcilicet in ſecreto divinitatis conſilio, & ab æterno in mente divina tacitum & occultum. Inde exclamat Tertullianus: *O Chriſtum, & in novis veterem!* Duplex eſt æternitas: anterior una, poſterior altera. In æternitate anteriori Evangelium fuit in mente divina; in æternitate poſteriori, in cunctis erit ſæculis. [Quod enim pretioſum ſonabat de ore Domini, & propter nos ſcriptum, & nobis ſervatum, & propter nos recitatum, recitabitur etiam poſteris noſtris, & donec ſæculum finiatur:] tanto majori veneratione recipiendum, quanto majori 3. authoritati innititur. Hinc à primis Eccleſiæ temporibus fuit conſtitutum, ut in conſecrationibus pontificum, eorum capitibus imponerentur ſancta Evangelia, ſeu *à Deo data oracula*, ut fatur ſanctus Dionyſius; quæ conſiderat Magnus Baſilius velut *Oraculorum omnium cœleſtium coronidem*: Ut enim docet D. Auguſtinus, *inter omnes divinas authoritates quæ ſanctis litteris continentur, Evangelium merito excellit*: non ſolum propter authoritatem, *Quæ unquam litteræ ullum habebunt pondus authoritatis ſi Evangelicæ litteræ non habebunt*: ſed etiam propter Scriptorum Canonicorum ſanctitatem: Nam ut vult D. Auguſtinus, ipſemet Chriſtus per Evangeliſtarum manus, Evangelium ſcripſit. *Omnibus diſcipulis ſuis Chriſtus per hominem quem aſſumpſit, tanquam*

Epiſt. 12. — Tert. lib. de Orat. 1. — Tert. ibid. — D. Aug. l. 1. de Conſenſ. Evang. c. 1. — Rom. 16. — Lib. 4. adv. Marc. 21. — D. Auguſt. tract. 30. in Joan. — Dion. de Eccl. Hier. c. 5. — Lib. 1. de Conſenſ. Evang. 1. — Lib. 33. cont. Fauſt. 6. — L. 1. de Conſ. Evang. c. 35.

membris ſui corporis caput eſt. Itaque cum deſcripſerunt quæ ille oſtendit & dixit, nequaquam eſt dicendum quod ille non ſcripſerit: quoniam quidem membra ejus id operata ſunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de ſuis factis & dictis nos legere voluit, hoc ſcribendum illis tanquam ſuis manibus imperavit. Hoc unitatis conſortium, & in diverſis officiis concordium membrorum ſub uno capite miniſterium, quiſquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus diſcipulis Chriſti in Evangelio legerit, quam ſi ipſam manum Domini, quam in corpore proprio geſtabat, ſcribentem conſpexerit. Et quia, ut fatur Tertullianus, *nullus omnino theſaurus extraneis patet*: Chriſtus Evangeliſtis, velut ſuis domeſticis & diſcipulis 5. occulta religionis myſteria manifeſtavit. Non enim ſcripto mandarunt, niſi ea quæ à magiſtro fuerant edocti. *Obſerva & invenies in Evangelica lectione, non fabulas & narrationes ab Evangeliſtis, ſed miſteria eſſe conſcripta*; [qui Dominum ipſum & Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum etiam præſentem in carne viderunt. Cujus non ſolum ea quæ ex ore ejus audita, vel ab illo ſub oculis ſuis operata, dicta & facta, meminerant: verum etiam quæ, priuſquam illi per diſcipulatum adhæſerant, in ejus nativitate, vel infantia, vel pueritia, divinitus geſta & digna memoria, ſive ab ipſo, ſive à parentibus ejus, ſive à quibuslibet aliis certiſſimis indiciis, & fideliſſimis teſtimoniis requirere & cognoſcere potuerunt: impoſito ſibi evangelizandi munere generi humano annuntiare curarunt:] & cuncta quæ continet Evangelium miſteria, tanquam 6. veriſſima certo credenda ſunt. Impoſſibile eſt enim ut Evangeliſta à Deo edoctus *mentitus ſit, aut in tanto, & tam ſancto culmine authoritatis erraverit*,

Orig. Hom. 1. in Cant.

D. Aug l. 1. de Conſenſ. Evang c. 1.

D. Aug l. 3. de Conſenſ. Evang. 13.

Apoſtolus nuncupat *Evangelium gloriæ*: Tum quia legi Moiſis antiſtat, lex enim eſt velut umbra; Evangelium vero lux & claritas: Tum quia profiteri Evangelium & pro illo pati, non eſt ignominioſum, ſed glorioſum: Tum quia gloriam pollicetur, & ad illam ducit. Sicut enim aurora ſeu Lucifer præit, & prælucet diei; ſic fides in hac vita quaſi Lucifer præit, & prælucet cœleſti gloriæ, & beatæ viſioni: Tum maxime, quia Evangelio glorificatur Deus, & honoratur Chriſtus; & ut fatur D. Auguſtinus, *Nos ad Chriſtum adorandum fulgens Evangelium veritatis, tanquam de cælo ſtella perduxit*, Quomodo Apoſtolus alioſum vocitat *Evangelium gloriæ Chriſti*, quia ſcilicet in Evangelio glorificatur Chriſtus. Ut autem per Evangelium glorificatur Chriſtus, ita ob Chriſti miſteria in illo contenta Evangelium veneratur. Et ob hanc cauſam D. Hilarius Evangelia vocitat, *Libros arcano cœleſti conſecratos*: & D. Dionyſius eadem nuncupat *ſanctiſſima & veneratione digniſſima*, quæ ſumere non debet Chriſtianus, niſi *cum multa reverentia, & religione, & horrore plenus, ac timens Deum.* Qualis autem veneratio fuerit à priſcis Chriſtianis præſtita Evangelio, refert D. Damaſc. *Nec Evangelici codicis materiam, nec crucis materiam adoramus, verum id quod per ea exprimitur*: Idcirco ſeptima & octava ſinodus decreverunt Evangeliorum librum eſſe adorandum, quia ſacratiſſimas res nobis proponit.

1. Timoth. 1.

Serm. 3. de temp.

2. Cor. 4.

In Pſal. 119.

De Eccle. ſiaſt. Hierarc c. 1. D. Chryſoſt. Hom. 7. ad Pop L. 4 de Fid. Orthod. 1 Senar l. c. n

Multimodam autem invenio ſimilitudinem inter venerationem, cruci & Evangelio olim præſtitam. 1. Crux honoris gratia, collo appenſa defertur, & Barnabas Apoſtolus tum vivens, tum mortuus, Matthæi ad collum & ſupra pectus habuit Evangelium. *Non cernis ut mulieres & parvi pueri, pro magna cuſtodia collo Evangelia ſuſpendunt, & ubique circunferunt, quocunque abierint? Tu Evangelii mandata, & leges mente deſcribas* 2. Sanctimoniales virique pietate conſpicui, ſæpe ſæpius parvas conficiunt cruces, & Theodoſius magnus Imperator pingendi artificio pollens, Evangelium *propria manu*, litteris aureis exquiſite elaboratis deſcripſit. 3. Crux in thecis aureis gemmis ornatis ponitur, & cum Belliſarius Gelimerum Vandalorum regem, inſigni victoria ſuperaſſet, in præda fuerunt divinorum Evangeliorum libri *undique refulgentes, & omnis generis lapillis diſtincti*. 4. Crux pro dono pietatis mittitur unionibus ornata: Conſtans Imperator dono miſit Romam ad Vitalianum ſummum Pontificem Evangelia aurea, gemmis albis miræ magnitudinis undique exornata. 5. Crux in proceſſionibus & ſupplicationibus publicis honorifice defertur, præitque Clerum: & *præcedentibus ſacroſanctis Evangeliis* & crucibus, Rex Clodoveus cum magna pompa ducitur ad baptiſterium à ſancto Remigio, ſubſequente Regina & populo. 6. In conciliis crux Patrum oculis objicitur, pariter in medio cœtu ponitur Evangelium. Sic in media ſinodo Epheſina honorifice collocatum fuit Evangelium, ſupra thronum pulcherrime ornatum, & regifice decoratum, ut Chriſtus velut aſſeſſor, & loco capitis intereſſet: Similiter in Concilio Florentino poſitum eſt ſanctum Evangelium ſupra ſolium perquam ornatum, aureoque velamento apparatum,

D. Chryſoſt Hom. 19. ad Pop.
Niceph: l. 14 c: 3.
Zonar: to: 3
Anaſtaſ: Vital:
Flodoard. L: 1. c: 13
Cyrill: Alex Apolog. ad Theodoſ

Non eſt prætereundum decretum Anaſtaſii ſummi Pontificis, quo prohibet tam ſacerdotibus, quam aliis ne ſedeant in conſpectu ſancti Evangelii, ſed ſtent humiliter incurvati, dominicaque verba attente audiant, & fideliter adorent. Apoſtolicæ quoque conſtitutiones jubent, ut cum legitur Evangelium, Epiſcopus & cæteri omnes magno cum ſilentio aſſurgant quaſi Chriſto præſenti & loquenti venerationem exhibeant & auditum præſtent. *Nos ſic audiamus Evangelium, quaſi præſentem Dominum.* Chriſtiane, quando Evangelium legitur, ne libro attendas aut lectori, *ſed loquenti è cælis Deo* qui commendavit Evangelium majeſtate & veritate.

To: 1 Concil
Clem. Rom l. 2 Conſt c. 57.
D Aug Tract. 30 in Joan Greg. Thaũ orat. de Annunt

2. Dæmones *fabulas ad deſtructionem veritatis ſubminiſtraverunt:* quod exequi potiſſimum moliti ſunt, mediis Romantiis, Poëtis, & & hæreticis. Romantii *humanis caſibus, aut criminibus, aut fabulis polluuntur.* Referunt enim gigantum pugnas, inſignes Herorum victorias, inauditas oberrationes: fictitias metamorphoſes, inania commenta, imaginariam fælicitatem, infames amores, inſperatam fortunam: aliaque ejuſmodi *quæ neſcire, quam ſcire, ſit melius.* Pro dolor! hac ætate, innumerabilis librorum illorum eſt copia, qui variis ſcripti linguis, continent fabellas, narrationes excogitatas, magnas fortunæ commutationes, eventus mirabiles, qui nunquam evenerunt, ſomnia vigilantium.

Tert. Apol 21.
Tert. l. 2. ad Nat r.
D. Aug in Enchir 17.

tium. Quod ſi, ut fatur Tertullianus, *ſed & poëtis nec vigilantibus credam:* quantominus credendum eſt Romantio qui *de majoribus fabulas ficit?* Et licet ſermonis lepôre, delicatæ orationis ornatu, voluptatis lenocinio ad ſui lecturam invitet: *Sint dulcia licet, & grata, & ſimplicia, etiam honeſta quædam. Nemo venenum temperat ſelle & ellebor o, ſed conditis pulmentis, & bene ſaporatis, plurimum dulcibus id mali injicit: ita & diabolus lethale, quod conficit, rebus gratiſſimis & acceptiſſmis imbuit. Omnia illic ſeu fortia, ſeu honeſta, ſeu ſonora, ſeu canora, ſeu ſubtilia, proinde habe, ac ſi ſtillicidia mellis de ranunculo venenato: nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per ſuavitatem.* L. de An. 33 Tert. l. 1 ad Nat. 18 Tert. l. de Spect. 27

Neque magis veraces Poëtæ quam Romantii. *Sane fides à Poëtis non exigenda.* Nam à Diabolo mendacii parente edocti *mentiuntur ſane Poëtæ.* Imo ut fatur alioſum Tertullianus: *Tunc vani Poëtæ, cum Deos humanis paſſionibus & fabulis deſignant.* Quod Romanis exprobat Tertullianus: *Sed converſus ad litteras veſtras, quibus informamini ad prudentiam & liberalia officia, quanta invenio ludibria?* Nimirum infames voluptates, ſævas crudelitates, violentas iniquitates, relatas à Poëtis quas poſtquam fuſe dinumeravit, ſic concludit: *Hæc neque ſera prodi, neque ſalſa confingi apud religioſiſſimos oportebat. Nec tragici quidem, aut Comici parcunt, & non ærumnas vel errores domus alicujus Dei præfantur.* Ob ludibria, falſa, & fœda, quæ referunt Poëtæ, eorum electionem abominandam fugiendamque paſſim aſſeverant Patres. *Quia per oblectamenta inanium fabularum mentem excitant ad incentiva libidinum.* Evangelium cibum animarum nuncupat D. Auguſtinus. *Paſcamur epulis Dei: invitat enim ad Evangelium ſuum: & ipſe cibus noſter eſt, quo nihil dulcius: ſed ſi quis habeat palatum ſanum in corde.* Poëtarum vero carmina, *cibos dæmonum* vocitat D. Hieronymus, ſubjungens: *Hæc ſua omnes ſuavitate delectant, dum aures verſibus dulci modulatione currentibus capiunt, animum quoque penetrant.* Nec mirum ſi Patres poëtas depretiant, quos Plato [tanquam adverſarios civitatis cenſuit urbe pellendos.] Romani tamen eos in ſua urbe receperunt, eorumque *doctiſſimi & graviſſimi, quatenus gravitas aut prudentia, de doctrina proficere credunt, nec eis ceſſit litteratura, quam ut aut turpia, aut vana, aut falſa de Deis inſerat.* Quod eſt prorſus ſtupendum apud Chriſtianos, qui unum verum agnoſcunt Deum, & religionem profitentur caſtitatis ſectatricem, *Scenici, Ludi, Comœdiæ, Tragediæ, hoc eſt fabulæ Poëtarum agendæ in ſpectaculis, multa rerum turpitudine, ſed multa alia verborum obſcœnitate compoſita: quas etiam inter ſtudia quæ honeſta ac liberalia vocantur, pueri legere & diſcere coguntur à ſenibus.* Et hoc in Religione veri Dei in qua *nulla jam fabula*, nec ullus falſorum deorum cultus. Et hoc à Chriſtianis, qui vitam componere volunt ſecundum Evangelium in quo *nec fabula ſed veritates* continentur. Et hoc ab iis à quibus Chriſtus agnoſcitur & veneratur Dei filius. *Non quidem ita genitus ut erubeſcat in filii nomine, aut de Patris ſemine: non de ſororis inceſto, nec de ſtupro filiæ, aut conjugis alienæ, Deum patrem paſſus eſt ſquamatum,*

Tert. l. 2 ad Nat. 7 — Lib. de Teſt. An. 1. — Apolog. 14 — D. Iſid. l. 3 de Sum. Bon. 13. — Tract. 7. in Joan. — Epiſt. 146 — D. Aug. l. 2 Civ. 14. — Tert. l. 1 ad Nat. 10 — D. Aug. l. 2 Civ. 8 — Tert. l. adv. Valent. 3 c — Tertul. l. de Spect. 29 — Tert. Apol. 21.

enim dat mihi linguam diſciplinæ, ad cognoſcendum quando oporteat dicere ſermonem quem ego loquar. Sicut Pater mihi dixit, ita & loquor.) Igitur nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum patris authoritate loquentem, nec inquiſitione poſt Evangelium miraculis & prodigiis confirmatum. *Poſt tot ac tanta jam opera, atque documenta Chriſtianæ religionis ſæculo edita, quæ edi utique non potuiſſent ſine Evangelii veritate*, non eſt amplius dubitandum, neque curioſe inveſtigandum. Ut enim ſapienter ait Picus Mirandulanus, *magna inſania eſt Evangelio non credere, cujus veritatem ſanguis Martyrum clamat, Apoſtolicæ reſonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, dæmones confitentur.* Sane poſt tot motiva credibilitatis, magna inſania eſt Evangelio non credere, *ſed major inſania, Evangelio credere, vivere tamen quaſi de ejus falſitate non dubitares.* Inſaniunt equidem qui poſt tot *experimenta fidei victricis* idololatriæ, Evangelio non credunt, ſed magis adhuc inſaniunt, qui Evangelio credentes, ita vivunt ac ſi Evangelium eſſet falſum; illi Evangelii veritatem offendunt, iſti de Evangelii utilitate nullum fructum referunt. Fratres *teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem*; nimirum Evangelium quod eſt noſtræ fidei confeſſio. Hanc confeſſionem tenemus indeclinabilem; ſi in fidei veritate non vacillamus, & ſi viventes ſecundum confeſſionis noſtræ regulas, de Evangelio utilitatem reportamus.

Tert. l. 4. adv. Marc. 4.

Epiſt. 1.

Tert. l. 5. adv Marc. 4.

Hebr. 10.

3. Primiceri Chriſtiani ſimul conveniebant ad commemorandas Scripturas divinas. *Coimus ad litterarum divinarum commemorationem*: ex quarum lectione vult Origenes nobis advenire *ſummam utilitatem.* In illis namque recognoſcit vim quamdam divinam & mirabilem, qua & ſopiantur vitia, & quæ bona ſunt, meliora fiant, & exſuſcitentur. Nam *ubique in eis veritas regnat, ubique divina virtus irradiat, ubique panduntur humano generi profutura.* Ab eodem ſacræ paginæ vocitantur adhuc *utilitas Chriſtianorum, theſaurus Eccleſiæ, lumen animarum.* Divinos codices conſiderat Iſidorus Peluſiota, *ſcalas veluti quaſdam, quibus ad Deum aſcenditur*: quas aperire cœlum aſſeverat D. Chriſoſtomus: *Scripturarum lectio; cœlorum eſt reſeratio*, pio deſiderio, & ardenti amore pandens quodammodo æternæ fœlicitatis ſinum. *Hæc non Poëtas nos efficit, nec Philoſophos reddit, ſed inſtruens facit è mortalibus immortales, ex hominibus deos.* Sed nemo melius Tertulliano magnas refert utilitates quas confert ſacri Textus lectio, aut meditatio. *Si quid præſentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoſcere: certe fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina.* Loquitur Tertullianus de Evangelio, cujus lectio fidem nutrit, ſpem erigit, fiduciam in Deo ponit, ad præceptorum obſervationem inducit: divinum judicium commemorat; & totum Chriſtum velut ante oculos repræſentat. *Surſum eſt Dominus, ſed in Evangelio etiam eſt veritas Domini. Corpus enim Domini, in quo reſurrexit, in uno loco eſſe poteſt: veritas ejus ubique diffuſa*

Tert. Apol. 19

In Philocalia c. 12

Caſſiodor. de Divin. lect. c. 16 Cap 15

L. 1 Ep 369

Hom. 2 de Verb. Iſa.

Juſtin. Mar. Orat: 2

Ibid.

D. Auguſt. Tract. 30. in Joan.

Lib. 5. adv. Marc. 13. *eſt.* Ratione Evangelii, quod ut ex Apoſtolo refert Tertullianus, *virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti*, ob Chriſti nativitatem, vitam & mortem in illo repræſentatam, confert ſalutem corporalem, ſpiritualem, & æternalem. Corporalem quidem, cujus Evangelium non ſolum voce, ſed etiam ſcripto, eſt cauſa inſtrumentalis. Hinc orta eſt conſuetudo recitandi Evangelium ſa.cti Joannis ſupra ægrotantes, illudque ſcriptum geſtandi & circumferendi contra venena, veneficia, morbos, aliaque incommoda.

D. Auguſt. Tract. 7. in Joan. *Cum caput tibi dolet, laudamus ſi Evangelium tibi ad caput poſueris*, & non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim eſt perducta infirmitas hominum, & ita plangendi ſunt homines qui currunt ad ligaturas: ut gaudeamus quando videmus hominem in lecto ſuo conſtitutum jactari febribus & doloribus, nec alicubi ſpem poſuiſſe, niſi ut ſibi Evangelium ad caput poneret, non quia ad hoc factum eſt, ſed quia prælatum Evangelium eſt ligaturis:] quod potiſſimum *poſuit Deus remedium contra ægritudinem animæ.* Inde concludit D. Auguſtinus: *Si ergo ad caput ponitur ut quieſcat dolor capitis, cur ad cor non ponitur, ut ſanetur à peccatu? Fiat ergo, ponatur ad cor, ut ſanetur cor.* Chriſtiane, vis ab impudicitia ſanari? pone ad cor tuum

1. Cor. 6. hæc Evangelii verba: *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, regnum Dei poſsidebunt.* Vis ab avaritia, rapacitate, & furto ſanari? pone ad mentem tuam, pone ad cor tuum: *Neque fures, neque avari, neque rapaces, regnum Dei poſsidebunt.* Vis ſanari à detractionibus, imprecationibus, maledictionibus? Pone ad cor tuum: *Neque maledici regnum Dei poſsidebunt.* Exoptas ſanari à gula, ab ebrietate? Pone ad cor tuum: *Neque ebrioſi regnum Dei poſsidebunt.* Deſideras tandem à quovis peccato ſanari? Pone ad cor tuum & diligenter conſidera: *Iniqui regnum Dei non poſsidebunt.*

Serm. 1. ad Paſtor. in Synod. Congr. Animadvertit D. Bernardus, & ipſa experientia comprobatur, quod *ſæculares in ſpeculis ſuis, viſu cognoſcere ſolent pulchritudinem aut turpitudinem ſuam:* hanc ut tollant; illam ut conſervent, vel augeant. *Alterius generis eſt ſpeculum veſtrum, in quo magis auditu, quam viſu poteſtis attendere quid deceat, quid non deceat, quid impediat, quid expediat* quid animam turpet, quid eam venuſtet; quid ad ejus ſalutem conveniat, quid eam impediat. Virtus animam decorat, vitium dedecorat, gratia eam ad ſalutem conducit; peccatum à ſalute abducit; humilitas v. g. ad cœlum ſublevat; ſuperbia ad infernum deturbat. *Speculum veſtrum ſanctum eſt Evangelium: Conſiderate obſecro non vultum veſtræ nativitatis, ſed ſtatum quotidianæ converſationis. Conſiderate, & nolite abire negligendo, ſed ſletis diligentius inveſtigando, & perſcrutatis medullitus conſcientiis veſtris, in teſtimonium earum, aut gloriamini, aut terreamini.* Gloriamini, ſi vita veſtra ſit Evangelio conformis. Si-

D. Cypr. Prolog. in Orat. Dom. quidem *Evangelica præcepta fratres dilectiſsimi, nihil ſunt aliud, quam magiſteria divina, fundamenta ædificandæ ſpei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præſidia obtinendæ ſalutis: quæ dum dociles ad credendum mentes, in terris, inſtruunt ad cæleſtia regna*

regna perducunt æternalemque ſalutem conferunt. Quod docet Apoſtolus ad Epheſios ſcribens: *Cum audiſſetis verbum veritatis, Evangelium ſalutis:* Epheſ. 1.
ſeu ut Sirus legit, *Verbum veritatis, quod eſt Evangelium ſalutis.* Romantii, Poëtæ, Hæretici neque veritatem docent, neque ſalutem procurant: quin imo & mentem mendacio obtenebrant, & ad tartara viam parant; at Evangelium luce veritatis illuminat, & media acquirendæ ſalutis ſubminiſtrat. Inde à Chriſtianis expoſtulat Tertullianus ut *ſuſtineant Evangelia pauliſper, dum radicem eorum exprimo legem: dum inde elicio Dei voluntatem, unde & ipſum recognoſco.* Scorp. 2

Uti autem Evangelii obſervatores immortali fruentur in cœlo fœlicitate; ita ejus contemptores in inferno interminabili pœna punientur. *Cum judicabit Dominus occulta hominum, ſecundum Evangelium*, in ultimo judicio aperientur Evangeliorum libri, ſecundum quos cuncti judicabuntur. Chriſtiani, qui vitam duxere Evangelio conformem, ſalvabuntur: illi vero quorum vita contraria fuerit Evangelio, condemnabuntur, & graviter punientur, eo quod veritatem Evangelii in injuſtitia detinuerint: quoniam Apoſtolus: *& iram dicit revelari de cœlo, ſuper impietatem & injuſtitiam hominum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.* Aliud eſt veritatem in ignorantia & errore, aliud in injuſtitia detinere: Idololatræ, eam detinuerunt in ignorantia & errore, falſa colentes numina: perverſi Chriſtiani, veritatem probe noſcentes, neque juxta veritatem cognitam agentes, eam velut incarceratam, feris iniquæ voluntatis detinent, ne exeat ad opus; & per illam vim illatam veritati, injuſtamque ejus detentionem ſeſe iræ & vindictæ Dei ſubjiciunt. *Revelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injuſtitia detinent:* quos Evangelium docet humilitatem, liberalitatem, caſtitatem, charitatem, ſobrietatem, & ipſi contra notam Evangelii veritatem, ſectantur gulam, inimicitiam, impudicitiam, avaritiam, ſuperbiam. In illos igitur *ira Dei revelari habet in ultionem veritatis.* Quomodo Tertullianus intelligit Apoſtolum dicentem: (Scimus autem judicium Dei ſecundum veritatem eſſe.) Scimus quod *venit judicium pro veritate*, ſcilicet vindicanda, in pœnam eorum qui eam in injuſtitia detinuerunt. Timeamus, fratres, Dei iram, & ejuſmodi timor impediat, ne injuſte operemur contra cognitam Evangelii veritatem. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit.* Nox ſcilicet ignorantiæ, erroris, infidelitatis & idololatriæ: Dies vero veritatis, fidei, ſimul cum luce Evangelii appropinquavit. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum*, nimirum peccata, quæ luci & veritati Evangelii contraria ſunt, *& induamur arma lucis*, ideſt opera fidei, gratiæ & virtutum, quibus debellabimus principem tenebrarum. *Sicut in die honeſte ambulemus*, ut omnis noſter inceſſus, motus, guſtus, ſermo, converſatio, actio, ſit conformis luci & veritati Evangelii, quod Marcus tanquam Evangeliſta manu ſubſignavit, & tanquam prædicator Apoſtolicus ore propalavit.

Rom. 2. Tert. l. 5 adv. Marc. c. Rom. 1. Rom. 13

II. PARS

Tert l. 4. adv. Marc. 5.

In cap 4. Ep ad Epheſ.

Tert lib. adv. Prax. 23.

Serm 2 de S Marc.

Apoſtolis munus Evangelii promulgandi eſt ab ipſo Domino impoſitum. Inde D. Hieronymus colligit quantum ſint ad Evangelizandum adſtricti Eccleſiæ paſtores & præſules. *Si quis non ædificat Eccleſiam Chriſti, nec ſubjectam ſibi plebem inſtruit, ut de ſubjecto populo Chriſti Eccleſia conſtruatur, iſte nec Apoſtolus, nec Evangeliſta, nec Paſtor, nec Magiſter eſt appellandus,* munus promulgandi Evangelii à Deo impoſitum non exequens; neque in hoc munere imitans Apoſtolos. Ex D. namque Auguſtino, *omnes Apoſtoli prædicaverunt Evangelium, ſed non omnes ſcripſerunt.* Neque ſolummodo Apoſtolos ad Evangelizandum miſit Deus, verum etiam, ſubjungit Tertullianus, *Apoſtolicos, ſed cum Apoſtolis, & poſt Apoſtolos.* Marcus etſi non Apoſtolus, Apoſtolicus tamen fuit. Extitit Evangeliſta & *Evangelizator.* Evangeliſta Evangelium ſcribens, Evangelizator, conciones habens. Quem ideo Petrus Damianus *cæleſtem tubam* nuncupat. Quam probe Evangelizatoris functus fuerit officio conſtat; ex 1. multitudine populorum quibus prædicavit: 2. promptitudine, qua tot regiones peragravit: 3. magnitudine fructus, quem reportavit.

Tert. lib. 5 adv. Marc 22

Pſal. 18

Rom. 10.

I. *Habes & Apoſtolorum opus prædicatum. In omnem terram exivit ſonus eorum, & in terminos terræ voces eorum.* Hunc verſum à Regio Vate mutuatum refert Apoſtolus. Quomodo autem id Pauli tempeſtate fuerit adimpletum, non eſt explicatu facile: in India enim Occidentali ſeu America tum meridionali tum ſeptentrionali, novæ gentes plurimæ & maximæ hactenus incognitæ repertæ ſunt, quæ nihil unquam de Chriſto & Evangelio audierant. Ut autem ſolvatur nodus difficultatis, Regius Vates poteſt intelligi vel in ſenſu litterali, vel in ſenſu allegorico. In ſenſu litterali loquitur de cœlis materialibus, qui ſua pulchritudine, motu, velocitate, ſtellarum varietate, per univerſum orbem enarrant gloriam Dei. In ſenſu allegorico loquitur de Apoſtolis aliiſque Evangelii præconibus, quorum ſonus partim exivit, partim exibit in omnem terram. Itaque paulatim impletum eſt, & etiamnum impletur illud vaticinium. In quo futurum ponitur pro præterito, prophetico more, ob rei futuræ certitudinem. Quod enim Prophetæ futurum prædicunt, tam certo fiet, ac ſi jam factum eſſet.

Coloſſ 1.

Quomodo intelligendus eſt Apoſtolus, aiens, quod *Evangelium prædicatum eſt in univerſa creatura quæ ſub cælo eſt.* Hiperbolice enim loquitur Paulus, quia ejus tempore prædicatum non erat Evangelium omnibus omnino gentibus, puta Danis, Norvegis, Japponibus, Sinis, Moſcovitis. Omnibus igitur prædicatum eſt Evangelium, hoc eſt pleriſque, permultis, pene omnibus: vel omnibus, non in ſpecie, ſed in genere: quia ſcilicet prædicatum gentibus tam Orientalibus quam Occidentalibus; tam Septentrionalibus, quam Meridionalibus: omnes enim gentes vel Orientales, vel Occidentales, vel Septentrionales, vel Meridionales ſunt. Evangelium igitur non fuit in Judæa recluſum, ſed inſtar fulguris, ab Oriente ad Occidentem, à Meridie ad Septentrionem plurimas gentes pervaſit, quarum maximam partem Marcus ſua prædicatione veritatis luce illuſtra-

luſtravit: Unde ex Procopio; *Decet de Marco illud dicere, In omnem terram exivit ſonus ejus, & in fines orbis terræ verborum ejus utilitas.* Subjungens: *Occidentis regiones ad Chriſtum convertit, & de rebus myſticis gentes inſtruxit,* Deinde *ad Orientis terram profectus eſt, ubi Evangelii ſementem ſpargens, iſtis gentibus perſuaſit, ut Deum, quem ipſe prædicabat, agnoſcerent.* Et quaſi parum ſit prædicaſſe Romæ quæ erat orbis domina, illuſtraſſe Europam, in Aſiam ſe tranſtulit, ubi annuntiata Chriſtiana religione, Africam adiit; & ut refert Metaphraſtes, *primus ipſe in tota Ægypti regione Libia, Marmarica, Ammoniace, & Pentapoli, Chriſti Evangelium quod ſcripſerat, prædicavit:* glorioſius Pompeio de tribus præcipuis veteris mundi triumphans partibus, quas incredibili velocitate peragravit.

2. Angelos ſumma velocitate præditos aſſeverat Tertullianus: *Omnis ſpiritus ales, Hoc angeli & dæmones. Igitur momento ubique ſunt,* & à Gentilibus *velocitas; divinitas creditur, quia ſubſtantia ignoratur.* Marcus non eſt natura Angelus, ſed officio, quia uti Angelus eſt nuntius, ita Marcus prædicat Evangelium quod bonum nuntium vocitat D. Auguſtinus, ſed tanta promptitudine, ut Laurentius Juſtinianus non dubitet Marcum fuiſſe, denotatum à Joanne per Angelum. *Marcus eſt quem Ioannes myſterialiter prævidens, ait: Vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum.* Tanta namque velocitate Marcus perluſtrat terram, prædicans Evangelium, ut velut volare videatur. Diodorus Siculus ut majorem authoritatem & certitudinem tribueret famoſæ ſuæ Bibliothecæ ait; *Multis difficultatibus & periculis, majorem Aſiæ peragravimus Europæque partem; quo majori qua à nobis ſcripta ſunt ex parte, locis conſpectis, certa litteris mandaremus:* & Marcus, ut Evangelii quod conſcripſerat probaret veritatem, incredibili promptitudine illud annuntiavit præcipuis terræ partibus.

Apolog 12.

Apocal. 14. Serm. de S. Marc.

In Proœm.

Apoſtolus ut aliqualem præberet notitiam regionum, in quibus Evangelium prædicaverat, teſtatur *ab Ieruſalem per circuitum uſque ad Illiricum* prædicaſſe. Duos terminos ſuæ prædicationis ſtatuit Paulus: Jeruſalem ſcilicet & Illiricum (quæ nunc Sclavonia vel Boſnia dicitur,) medias omnes regiones, Arabiam, Damaſcum, Antiochiam, Seleuciam, Cyprum, Pamphiliam, Piſidiam, Licaoniam, Siriam, Ciliciam, Phrygiam, Galatiam, Myſiam, Troadem, Achaiam, Epirum, & alias, quaſi fulmen, omnes fide illuſtrans pervaſit. Non abſimiliter termini prædicationis Marci, fuere, Jeruſalem in Aſia; Roma in Europa; Alexandria in Africa; inenarrabili velocitate medias nationes luce Evangelii illuminans, ut fatur Procopius Marcum alloquens: *Vox tua tonitrui ſonitum dedit, & Evangelii tui lumen, ſupra ſolis radios effulſit.*

Rom. 15.

Julius Cæſar non minus velocitate quam animi magnanimitate commendatur: Nam velut fulgur à Gallia in Italiam volat: ab Italia, Macedoniam pervadit; à Macedonia, in Ægyptum penetrat; ab Ægypto, in Thraciam ſe transfert; & ut denotet Romano ſenatui, quanta promptitudine tantum peregerit iter, & Pharnacem Ponti regem vicerit, in

in Epiſtola dumtaxat ſcripſit, *Veni, vidi, vici*: Cæſaris tamen promptitudo minor videtur velocitate Marci, qui cum Petro è Judæa diſcedens in Italiam venit, annuntiatoque Romæ Evangelio, ubi erat Imperatorum ſolium, in navem aſcendens, mare ſulcans, per Græciam tranſiens in Palæſtinam rediit, ſuumque iter Evangelii prædicatione, valetudinum curatione, & infidelium converſione commendans, in Ægiptum ſe tranſtulit; & Alexandriæ Chriſtianam religionem ſeminavit: ut quemadmodum de Cæſare triumphaverat Romæ; ita Alexandriæ, de magno Alexandro famoſæ illius civitatis fundatore, victoriam reportaret.

Procopius Marcum velut ſpiritualem Nilum contemplatur: Nilus Ægyptum ſuis aquis irrigat & fœcundat: Ægyptii Marci prædicationibus & exemplis, cœleſti gloriæ imbre irrigati, veritatis & virtutis produxerunt fructus. (Nunc Alexandria, imo vero tota Ægyptus, Marcum ipſum tanquam alterum quemdam Nilum non corporeum ſed myſticum habens, ita ſpirituales eorum agros irrigantem, quemadmodum frugiferos ille alter qui oculis corporeis cernitur, irrigare ſolitus eſt.) Addit & melius ad propoſitum præfatus auct.r, Marcus *ad inſtar ſplendidiſſimi ſolis, humanas animas illuſtravit.* Sol univerſo orbi lucis ſuæ diſpergit radios, Marcus præcipuis mundi partibus Evangelii communicavit lucem. Sol velociſſimo ſuo motu girat terram, Marcus velociſſime regiones peragrat. Sol immunda loca purificat, Marcus Ægyptum ab idololatriæ veneno, & vitiorum ſpurcitiis mundavit. Alexandria dicebatur civitas Solis, qui in illa velut ſupremum numen venerabatur; & media Marci prædicatione Alexandriæ Chriſtus ſol juſtitiæ recognitus & adoratus eſt. Sol media ſua luce & calore cunctas terræ producit fruges, & Marcus, multum prædicationis ſuæ retulit fructum.

Tert. lib. de Præſc. Hær. 6. 5. *Apoſtoli acceptam à Deo diſciplinam fideliter nationibus aſſignaverunt*, quas per prædicationem ad veritatis notitiam, & fidem adduxerunt, ut oſtendit Apoſtolus deſcribens ordinem rerum quibus pervenitur ad juſtitiam & ſalutem. Deſtruere nititur Apoſtolus Judæorum errorem, qui ſibi ſolis arrogabant, tum juſtitiam, tum fidem Evangelii prædicationem. Ab illo errore Judæos avocat Paulus declarans omnibus Gentibus prædicandum

Rom. 10. eſſe Evangelium, ut credentes ſalutem poſſint conſequi, quia *Deus dives eſt in omnes qui invocant illum.* Si in omnes, ergo tam in Gentes quam in Judæos. *Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Quicunque invocaverit Deum ſicut oportet, ſcilicet cum debita fide, ſpe, contritione, charitate, ſalvus erit. Certum eſſe enim quod Turcæ, Hæretici, pravi Chriſtiani, quamquam Deum ore tenus invocent, non ſalvantur. *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt?* Si enim non ſolis Judæis, ſed omnibus indiſcriminatim Gentibus Deum invocantibus à Deo promiſſa eſt juſtitia & ſalus, omnibus neceſſaria eſt fides. Nemo enim invocat eum in quem non credit, quem non agnoſcit, utpote à quo nihil auxilii ſperat.

ſperat. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo vero prædicabunt niſi mittantur?* Pulchra gradatione utitur Apoſtolus, ex eo quod Deus per Joëlem omnibus ſe invocantibus promiſerit ſalutem; recte concludens omnibus gentibus prædicandum eſſe Evangelium. Nam Deus eſt dives in omnes, vultque omnes ſalvare: ſalvari autem non poſſunt niſi in eum credant; credere non poſſunt, niſi ejus præcones audiant; prædicare hi non poſſunt niſi mittantur. *Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Quam grati & accepti erunt gentibus Apoſtoli Apoſtolicique viri annuntiantes & evangelizantes per totum orbem pacem cum Deo, gratiam, juſtitiam & ſalutem! Tertullianus trinam Apoſtoli præbet explanationem. Illum intelligit 1. de prædicatorum velocitate: 2. de temporis ab eis accepti opportunitate: 3. de prudentiæ & ſapientiæ maturitate. I. De velocitate prædicantium: *Quoniam ecce veloces pedes evangelizantiū pacem.* 2. De temporis opportunitate: *quam tempeſtivi pedes evangelizantium pacem!* Tempus illud Veri comparat Cyrillus Alexandrinus. Sicut enim Ver, quod poſt hiemem pura luce fulget, homines exhilarat, omnes agros & montes florum varietate colorat, frondentes arbores mira amœnitate repræſentat: ſic Apoſtoli virique Apoſtolici, cuncta cœleſtibus virtutibus & ornamentis, vernantia & florentia reddunt. 3. De maturitate: *Quam maturi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Tertulliano arridens D. Ambroſius, Gentiles ſic alloquitur: *Chriſtus nobis tanquam maturitas advenit, ut nihil acerbum, nihil immaturum in noſtris conſiliis ſit, nihil immite, nihil aſperum in operibus ac moribus.* Commendat igitur Paulus Apoſtolos, Apoſtolicoſque viros: Tum de velocitate, qua celerrime per totum orbem diſcurrerunt: Tum de cura, & ſollicitudine, qua tempus opportunum ad prædicandum captaverunt: Tum de maturitate; qua ſe prudentes & ſenſatos demonſtraverunt: Tum de fortitudine, qua ardua quæque aggreſſi ſunt, & cuncta obſtacula ſuperaverunt: Tum de pulchritudine, qua ſe innocuos, exemplares, & virtutum ſtudioſos oſtentaverunt. Si ullus umquam prædicator Apoſtolicus meruit commendari de velocitate, temporis opportunitate, maturitate, & morum venuſtate, maxime Marcus qui tot ſplendeſcens dotibus, *innumeras Gentilium multitudines convertit ad Chriſtum.*

Lib. 4 adv. Marc. 13. Lib. 5. adv. Marc. 2. Lib. 5 adv. Marc. 5 In Pſ. 1. Dion. Cart. Serm. de S. Marco.

Exoptat Apoſtolus ut Prædicatores Apoſtolici ſtent *calceati pedes in præparatione Evangelii pacis*; Tum ut ipſi ſancte, in via Evangelii ambulent: Tum ut ſua ſancta vita & converſatione, alios ad eamdem viam ineundam inducant. Pergentes enim ad barbaras gentes prædicandi Evangelii cauſa, ut ipſæ juxta Evangelium ambulent & vivant, debent illi prius opere implere quod ore prædicant, & tam verbo quam exemplo infideles vitioſos ad veritatem & virtutem allicere. Marcus *de Evangelii paratura ſuccinctus, acutiore verbo Dei.* Evangelii prædicationem, virtute & exemplo authorans, abundantiſſimam meſſem collegit. Ut enim

Epheſ. 6. Tert. lib. de Cor. Mil. 13.

Die 25. April.

enim refert Metaphraſtes apud Surium. [Cum Dominus Evangeliſta Marcus ad Cirenem urbem Pentapolis veniſſet, & cœleſte regnum prædicaſſet, ægrotos curavit, leproſos mundos reddidit, ac divinæ gratiæ verbo, impuros & feroces ſpiritus ejecit, multique per eum crediderunt in Dominum Jeſum Chriſtum; Alexandriam veniens, fidem accepit magna ejus regionis multitudo.] Idem effecit in aliis provinciis, quas tum ſermone, tum exemplari virtute illuminavit.

Petr. Dam. Serm 1 de S. Marco — Serm 5. de S. Marco — Serm. 5. de S. Marco

Cunctis virtutibus enituit Marcus: ſed tanta præſertim humilitate fuit præditus, quod *amputaſſe ſibi pollicem legitur, ut ſacerdotio reprobus haberetur;* Sed mox à ſancto Petro reſtituto; *tantum in eo potuit prædeſtinata ſupernæ diſpenſationis electio, ut Epiſcopus factus, Alexandrinam fundaret Eccleſiam;* quæ teſte Petro Damiano etiam ſuper Anthiochenam ab ipſomet Petro fundatam obtinet principatum. *Eccleſia Alexandriæ, præcellit illam Antiochiæ, ſicuti Romana Alexandrinam;* & pro humilitate qua pollebat, eam ſub nomine B. Petri conſecravit, ut refert purpuratus Doctor: *Hoc itaque modo Alexandrinam fundavit Eccleſiam, eamque non ſuo, ſed magiſtri nomine titulavit, ut ad honorem B. Petri ſedes Apoſtolica nuncupetur.*

2. Timoth 4 — Serm. 5. de S Marco

Timotheum ſic hortatur Apoſtolus: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* Quatuor expoſtulat Apoſtolus à Timotheo ut rite Epiſcopali fungatur officio; ſcilicet vigilantiam, laborem, Evangelii prædicationem & exemplarem virtutis operationem. Marcus Epiſcopatum aſſecutus hæc omnia præſtans, ingentem ſui muneris fructum retulit. Ut enim aſſeverat Petrus Damianus, illi *Deus tantam verbi virtutem contulit, tantam prædicationis efficaciam prorogavit, ut omnes qui tunc ad fidei rudimenta confluerent, mox per continentiam ac totius ſanctæ converſationis inſtantiam, tanquam ad monaſticæ perfectionis faſtigium pervolarent.*

Tert. Apol 24. — L. adv Iud. 9 — D. Hieron. — Cont Apoll — Lib. 5. 10.

Inter omnes nationes Ægyptus fuit maxime idololatriæ & vitio dedita. Adeo vigebat apud Ægyptios idololatria, ut non ſolum homines mortales, ſed & aves, & beſtias & ſerpentes, tanquam deos venerarentur: *Ægyptiis permiſſa eſt tam vana ſuperſtitionis poteſtas, avibus & beſtiis conſecrandis, & capite damnandis, qui aliquem hujuſmodi Deum occiderint.* Ita vitiis diffamata erat Ægyptus, quod ut animadvertit Tertullianus, *Ægyptus nonnumquam totus orbis intelligitur ſuperſtitionis & maledictionis elogio.* Illa tamen Ægyptus ignominioſa ob idololatriam & iniquitatem, prorſus immutata eſt prædicatione & pietate Marci, qui *Alexandriæ inſtituit Eccleſiam tanta doctrina & vita ſanctitate, ut omnes ſectatores Chriſti ad exemplū cogeret.* Inſtituta Alexandriæ Marci doctrina diu floruit; in ea ſiquidem aperiebantur philoſophiæ fontes. Ideo nuncupatur à Gregorio Niſſeno, *vera philoſophiæ ſcaturigo.* In ea promebantur divinæ Theologiæ arcana, quapropter illam Euſebius appellat *ſacrarum diſciplinarum gymnaſium.* In ea fidei principia docebantur, ſine quibus nemo bonus Chriſtianus eſſe potuit: & ob hanc cauſam nominatur ab eodem Euſebio *ſchola Catecheſeos.* In ea docuerunt homines,

ſcientiæ

ſcientiæ magnitudine illuſtres nempe Panthænus, vir omni laude digniſſimus, Clemens Alexandrinus, qui ut ejus monumenta declarant, memoriam omnem vetuſtatis, & Græcam eruditionem collegerat, Origenes, cui omnes Sapientes ſuæ ætatis,in omni ſcientiarum genere primas deferebant. Taceo alios quamplurimos, quorum lumen eruditionis, longe magis Alexandriam, quam ſua pharus de nocte luminoſa ornavit. Neque duntaxat cœleſtis doctrina à Marco edocta diu decoravit Alexandriam; ſed multo plus eminens virtus quam Marci diſcipuli ab eximio illo magiſtro didicerant, qui inter ſe mira erant charitate conjuncti; omnia illis communia præter uxores,admirabili fruebantur pace; quia neque ſuperbia tumebant, neque avaritia æſtuabant,neque luxuria ſufflammabantur: ſed in humilitate vivebant; ſectabantur paupertatem, cœlibatum agebant, redigebantque ad praxim cunctas virtutes contentas in Evangelio quod Marcus manu ſubſignaverat, ore prædicaverat, & ſanguine confirmaverat.

Cæterum pati oportebat omnem Dei prædicatorem atque cultorem, qui ad idololatriam provocatus negaſſet obſequium ſecundum illius quoque rationis ſtatum, qua & præſentibus tunc & poſteris deinceps commendari veritatem oportebat, pro qua fidem diceret paſſio ipſorum defenſorum ejus, quia nemo voluiſſet occidi niſi compos veritatis. Marcus ad idololatriam provocatus negavit obſequium, conſtantiſſime confitens Chriſtianam fidem quam ſcripto tradiderat,& verbo prædicaverat ſuo martyrio confirmans. Ut enim refert Metaphraſtes: *Marcus Evangeliſta primus Chriſti martyr in Ægypti Alexandria*, ubi pro defenſione veritatis mortem ſubiit, octavo Neronis anno, priuſquam Petrus & Paulus fuerint Romæ martyrio coronati. Et quemadmodum cruce Chriſtus Hieroſolymis,redemptionis conſummavit opus; ita fune; ait ſummus Pontifex Gelaſius, Alexandriæ Marcus *glorioſe conſummavit martyrium*, in quo Chriſto aſſimilatur; quia uterque 1. ab ingratis morte mulctatur: 2. ignominia dedecoratur: 3. magno honore veneratur.

III. PARS. Tert Scorp 3. Apud Sur. die 25 Apr. Baron. ann. 45.

1. De Judæis ingratis merito conqueritur Salvator: *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Multa beneficia Judæis contulerat Chriſtus, eos veritatem docuerat, ad virtutem ſuo exemplo induxerat, illorum cæcos illuminaverat, leproſos ſanaverat, paralyticos redintegraverat, mortuos ad vitam revocaverat: Ipſi tamen tot beneficiorum immemores & *divites pro morte ejus*, cum Juda de proditione paciſcuntur, benefactorem ſuum violenter captant, falſo apud Pilatum de multiplici crimine accuſant, mortis reum clamitant, & crucis ſupplicio puniri expoſtulant. Marcus ſimiliter Alexandrinos veritatis luce illuminaverat, ad virtutem ſuo exemplo incitaverat, à dæmoniis liberaverat, beneficiiſque ſpiritualibus cumulaverat; ipſi tamen deteſtanda ingratitudine benefactorem ſuum comprehendunt, in ergaſtulum conjiciunt, ignominioſa morte afficiunt.

Tert lib. adv Jud 10. Tert. lib. adv. Jud 9.

2. Quanta ignominia à Judæis dedecoratus fuerit Chriſtus, *ipſæ paſſiones, ipſaque contumeliæ loquuntur.* Nam mox ut eis à Juda proditore traditus fuit, velut ſceleroſum funibus ligarunt, tanquam infamem ad domum

Tert lib. de Car. Chr. 9

mum Annæ, ad pretorium Pilati, ad curiam Herodis, & tandem flagellis dilaceratum, ſpinis coronatum, ſputis contaminatum, ad Calvarium crucem deferentem, crucifigendum duxerunt. Marcum ſimiliter Ægyptii ignominia dedecoratum, funem in collo habentem, per plateas Alexandriæ duxerunt, in carcerem injecerunt: (Cum vero dies illuxiſſet, venit illuc civitatis multitudo, quæ cum illum eduxiſſet de carcere, rurſus in ejus collum funem injecerunt, eumque pertrahentes dicebant: Trahamus bubulum in bubulci ſtabulum. At B. Marcus eo majores gratias omnipotenti Domino Jeſu Chriſto agebat, dicens: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum; cumque hoc dixiſſet, tradidit Deo ſpiritum) ad inſtar Chriſti, qui

Metaphr:

3. *Gloriam & honorem adeptus demonſtratur:* nam factus obediens uſque ad mortem crucis, meruit exaltari & à cœlo, inferno, univerſoque mundo adorari. Marcus ſimiliter mortuus, ut Domino obtemperaret, fuit ex obedientia ſublimatus; ſiquidem Marcus interpretatur *ſublimis mandato.* Honoratur potiſſimum Romæ, Alexandriæ, & Venetiæ: Romæ ubi Evangelium conſcripſit. *O fœlix Roma*, exclamat D. Hieronymus, *Evangelium ſcribentis alumna.* Alexandriæ, *quam glorioſo martyrii ſui cruore perfudit.* Venetiæ, quæ ſacras Marci reliquias poſſidet: *Beata Venetia*, inquit Petrus Damianus, *quam adhoc ut pretioſi corporis ſui theſaurum, ſibi Marcus commendaret elegit.* Venetia antiquitate nobilitatur, divitiis locupletatur, imperio dilatatur, viribus commendatur; at major ejus nobilitas, opulentior theſaurus; præſtantiores vires, imperii propugnacula, ſunt B. Marci reliquiæ. Nam ut ſubjungit Petrus Damianus Venetiam alloquens, *Plurima quidem divitiarum copia, ex diverſis in te mundi partibus confluit, ſed hæc gemma cæleſtis, quæ in medio tui poſita eſt, in excelſam te gloriam conſpicuæ dignitatis attollit.* Marcus eſt gemma cœleſtis, non Carbunculus, non Adamas, non Hiacinthus, non Smaragdus; ſed Berillus, ait præfatus Cardinalis qui Marcum Berillum vocitat, ut innuat Venetiam à Marco ſuam mutuaſſe ſublimitatem. *Berillus hominem magnificat & exaltat.* A gemma illa cœleſti, à Berillo, à Marco, mirum in modum exaltata & magnificata eſt Venetia; quam ideo *fœlicem dixerim, quæ tanto propitiatur patrono, talique gubernatur protectore.*

Tert: lib: adv Jud: 10

Petr. Dam:

Petr: Dam:

Pier: lib: 6: 5.

Laur: Juſt.

Neque ſola Venetia multa bona obtinet per Marcum, ſed plures alii qui ejus implorant auxilium. Nam ut teſtatur Patriarcha Venetus, *invocat illum oppreſſus, & levamen ſentit; ejus implorat auxilium infirmus, & ſoſpitatem recipit; in mari, in ſolitudine, in periculis, inter latronum acies exoratur, & juxta fidelium poſcentium ſuffragatur vota.* Venetia in gratitudinis monumentum B. Marcum in patronum & protectorem aſſumpſit, ſuperbam & decoram Eccleſiam ſub ejus nomine ædificavit, ejus reliquias thecis pretioſiſſimis inſertas religioſe conſervat pro armis, Marci leonem aſſumpſit, & pro ſtemmate ipſamet Chriſti verba ad Marcum, (Pax tibi Marce Evangeliſta meus,) & rempublicam ſub nomine B. Marci intelligi voluit: idem enim eſt dicere, B. Marcus præliatur, ac Venetia præliatur; D. Mar-

cus

cus imperat, ac ſenatus Venetus imperat. Venetiæ pietas nos ad ſancti Marci venerationem ſtimulat, & ſi eum non poſſumus tanta pompa honorare, ſaltem magna devotione veneremur, fructum referentes de Evangelio quod manu ſubſignavit, verbo propalavit, ſanguine confirmavit.

Devote legamus, attente audiamus ſcriptum Evangelium in quo continentur veritates fidei, quæ credendæ ſunt, documenta morum quæ obſervanda ſunt. Nam Marcus, *quo plenius adiremus Deum, & impreſſius tam ipſum, quam diſpoſitiones ejus, & voluntates adiremus, inſtrumentum adjecit litteraturæ, ſi quis velit de Deo inquirere, & inquiſitum invenire, & invento credere, & credito deſervire.* Tert. Apol. Marcus Evangelium prædicavit, & virtutis exemplo confirmavit, de prædicatione proficiamus, & virtutes quas nobis præbuit Marcus, potiſſimum ejus humilitatem imitemur. *B. Marcus non erat excelſus animo, ſed mandato: quia dum mentem gereret humilem, vitam ſatagebat habere ſublimem.* Petr Dam. B. Marcus pro veritate martyrium ſubiit; & nos illatas injurias patienter feramus. *Erras, ſi putas umquam Chriſtianum perſecutionem non pati*, D.Hier Ep. I. quovis tempore religionis cultores paſſi ſunt. *A primordio enim juſtitia vim patitur*, ſcilicet ab ipſis mundi incunabulis. Tert. Scorp. *Statim ut coli Deus cœpit, invidiam religio ſortita eſt*, ut ex Abele à fratre Cain occiſo comprobat Tertullianus. Profecto *perſecutio nunquam deeſt, ſi nunquam deſit obſervantia pietatis*, D Leo Ser. 9 Quadrag. quam velut ſibi contrariam ſceleroſi perſequuntur. *Quicunque Salvatoris mandata exequuntur, in unaquaque actione ſunt martyres:* Clem: Alex: l: 4: Strom: c 4.

Tum quia ab aliis contradictiones patiuntur: Tum quia ſibi ipſis inferunt violentiam: regnum autem cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

SPES THEOLOGICA.

SCHOLIUM.

Spes 1. Mundana depretiatur: 2 Christiana commendatur: 3. Ejus natura declaratur: 4. Trina diſcriminatur: 5. Præſumptionem averſatur: 6. Deſperationi contrariatur.

CONCIO PRIMA.

Tert. l. 5. adv. Marc. 10.

APOSTOLUS terrenis hominibus cæleſtes oppoſuit. *Vt ſtatum ac ſpem ſtudioſius diſtingueret in appellationis ſocietate; ſtatu enim ac ſpe dicit terrenos atque cœleſtes homines.* Homines ſunt ſtatu cœleſtes, qui cœleſti beatitudine fruuntur: terreni vero, qui adhuc in terra degunt; ſpe etiam cæleſtes ſunt, quorum ſpes in cœlo eſt, ſpe terreni qui non in cœlo ſed in terra duntaxat totam ſuam ſpem collocant. Nihil omiſit Apoſtolus ut Chriſtianos *in illam ſpem erigeret æternæ ſalutis, & averteret à reſpectu præſentium rerum.* Plerique tamen Apoſtoli doctrinam dedignantes, non cœleſtia ſed terrena deſiderantes, collocant totam ſuam ſpem in 1. bonis mundi fallacibus: 2. hominibus mendacibus: 3. operationibus ſuis inanibus.

Tert lib. de Reſ. 31.

1. PARS. Tert l de Pat 7.

Omni pene in loco, de contemnendo ſeculo, Scripturis dominicis commonemur, Tum quia ſæculum eſt exilii locus: Tum quia malitiæ & improbitatis gymnaſium: Tum quia eos quibus fœlicitatem pollicetur, decipit: Tum quia non in ſæculo, ſed in cœlo collocanda eſt ſpes noſtra. Qua ratione utitur Tertullianus ut uxorem ad ſæculi contemptum inducat. *Cæleſtia recogita, & terrena deſpicies.* Quam pauci ſunt hac ætate qui cœleſtia recogitent & terrena deſpiciant; quam multi è contra qui cœleſtia contemnant, terrena exiſtiment, ſpem ſuam ponentes in ſæculi bonis quæ 1. titubant: 2. à cœlo avocant: 3. miſere infœlicitant.

L. 1. ad Ux. 5.

Tert lib. de Pall. 2. Salv. l. 2. ad Eccleſ.

1. Omne quod eſt in ſæculo, *totum verſiforme eſt;* nec ulla ſtabilitate firmatur. Divitiæ perituræ ſunt *brevis & umbratilis voluptas*, pulchritudo ut flos defloreſcit, dignitates & honores tranſeunt, fortuna inconſtans

ſtans & verſatilis eſt. Quoties enim *ſacularium ſortium variavit urna*, ut ex historia ediſcimus, & ipſa quotidiana experientia nos edocet? Chriſtiane, poſt notitiam inconſtantis & labentis ſæculi, *quid tibi cum flore morituro?* quid tibi cum volubilibus fortunæ bonis? quid in ſæculo ponis ſpem tuam, quam nonniſi in Deo collocare debes? Chriſtiana *ſpes non confundit*, quia ut ait D. Bernardus, *infundit certitudinem*, ſperantem certo perducens ad aſſecutionem rei à Deo ſperatæ, in quo multum ab ſpe mundana diſcriminatur; quæ fruſtratur, fallit, decipit, quia rebus vanis, fallacibus & tranſeuntibus innititur. Unde Regius Propheta, [Odiſti obſervantes vanitatem: ego autem in Domino ſperavi.] *Ego qui non obſervo vanitatem, in Domino ſperavi. Speras in pecunia, obſervas vanitatem: ſperas in honore & ſublimitate aliqua poteſtatis humanæ, obſervas vanitatem; ſperas in aliquo amico potente, obſervas vanitatem: in his omnibus cum ſperas, aut tu expiras, & ea hic dimittis, aut cum vivis omnia pereunt, & in ſpe tua deficis. Iſtam vanitatem commemorat Iſaias, dicens:* Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos fœni. Aruit fœnum, & flos ejus decidit: verbum autem Domini manet in æternum. *Ego autem non quomodo illi qui ſperant in vanitates & obſervant, ſed in Domino ſperavi, qui non eſt vanitas*, ſed veritas, ſtabilitas & firmitas, quem tamen deſpiciunt Chriſtiani ſæculo addicti, ſpem ſuam ponentes *in rebus præſentibus: non enim dicenda ſunt præſentia nunquam ſtantia:* cujuſmodi ſunt ſæculli bona, quæ ſemper titubant, & ab ſpe cœleſtium avocant.

Tert lib. de Pſal. 5.
Lib. de Cor. Mil. 15
Rom. 5.
Serm. 37. in Cant.
D. Auguſt. in Pſal. 30.
D. Aug. Ser. 29. de Verb. Dom.

2. Protecto *retinacula iſta, ſunt ſpei noſtræ.* Loquitur de terrenis bonis Tertullianus, quæ animamineſcant, impediuntque ne ad cœlum attollat mentis oculos; & cordis affectus. *Nihil tam inimicum eſt ſpei quam ret... reſpicere, ideſt in eis rebus quæ retro labuntur & tranſeunt, ſpem ponere, & ... quæ nondum datæ ſunt, ſed danda quandocumque nunquam tranſibunt, ... in eis re.* Homo terrenus ſpei Chriſtianæ hoſtis infenſiſſimus, in re... *...n ſperа-* bus nunquam perituris non ſperat, & in bonis terrenis con... ...bus cœleſtibus ſperat, agens contra diſciplinam Chriſtianam, & adh... ...nuo pereuntiam. Contra diſciplinam Chriſtianam, quæ cœleſtia ... c contra pruden- *in Deum, æterna concupiſcite, æterna expectate*, Ch... ſperat. *Figite ſpem* prudentiam, in rebus volubilibus fortunam ſuam ... *riſtiani ſumus.* Contra *fruſtra audimus, Surſum cor. Quid ponimus cor* ... conſtituens. *Omnino non* ... *da noſtra in terra, cum videamus, quia evertitur terra?* [Sperent in te qu... ...noverunt nomen tuum;] ſcilicet Chriſtiani, fide illuſtrati, & in ſpe ... m cœleſtis hæreditatis regenerati. *Ne ſperent in his rebus, quæ temporis* ... *volubilitate præterfluunt, nihil habentes, niſi erit & fuit. Quoniam quod r... n iſtis futurum eſt, cum venerit fit ſtatim præteritum, & quod expectatur cum cupiditate, amittitur cum labore. In Dei autem natura non erit aliud, qu... ſi nondum ſit; aut fuit, quaſi jam non ſit: ſed eſt tantum id quod eſt, & ip... a eſt æternitas. Deſinant igitur ſperare & diligere temporalia, & ſe ad æternam ſpem conferant, qui cognoſcunt nomen ejus, qui dixit: Ego ſum, qui ſum.* Quam fœlices Chriſtiani qui Deum

Tert. lib. Cult. ... fœm.
D. Aug. Ser. 29 de Verb. Dom.
D. Aug ibi.
D. Aug. ibi.
D. Aug. in Pſal. 9.

cogno-

cognoſcentes immutabilem, æternum, & bonum, valentem veram præſtare beatitudinem; in eoſperant. Quam infœlices Chriſtiani, qui in Deum quem immutabilem cognoſcunt non ſperant; ſed ſperant in rebus mundi, vanis, labilibus, periturꝭ, quæ ſperantes in ſe infœlicitant.

Tert. l. 5 adv. Marc. 14 — 3. *Spe gaudentes, utique Dei: Bonum eſt enim ſperare in Dominum quam ſperare in magiſtratus*, in honores, divitias, facultates, aliaque fortunæ bona Tert. lib. de An. 1 quæ impii perſæpe & reprobi *proſpero errore*, *cæca fœlicitate* aſſequuntur. Chriſtiani bonitate & pietate præditi, cœleſtem beatitudinem ſectantes, cœlum deſiderant, poſt cœlum ſuſpirant, poſt Deum anhelant; immortalia bona ſperant; non terrena vana, caduca & peritura, quæ miſeriam quidem ſed non beatitudinem conferre poſſunt. *Spes noſtra non de iſto tempore, neque de hoc mundo eſt, neque in ea fœlicitate qua excæcantur homines qui* D. Aug. Ser. 64. de Verb. Dom. *obliviſcuntur Deum. Hoc noſſe primitus & tenere corde Chriſtiano debemus, non ad præſentis temporis bona nos factos Chriſtianos eſſe.* Qui non terrena ſed cœleſtia ſperant, ſunt veri Chriſtiani, expectantes bonum æternum quod eos beatos efficere poteſt: qui vero cœleſtibus ſpretis, terrena ſolummodo ambiunt, *plane & ipſi imaginarꝭ Chriſtiani*; vel quia ſolum Chriſtianum Tert. lib. ad. v. Valent. 37 nomen habentes, rem nominis non habent, nempe gratiam, & virtutes Theologicas: vel quia mundi quem diligunt, in quem ſperant, & in quo fœlicitatem ſuam collocant, ſapiunt naturam & qualitates. Sunt autem Tert. lib. de Cor. Mil. 13, lib. de *omnia imaginaria in ſæculo & nihil veri.* Quomodo enim verum poſſet eſſe ſæculum; *cum tota ejus ratio vana ſit*? In imaginarios illos Chriſtianos, qui Tert. Idol. 4 duntaxat imaginaria & vana ſæculi ſperant bona, maledictiones vibrat D. In Pſal. 38 Aug. *Væ qui habent ſpem in ſæculo, & his ſæculi rebus hærent!* Nam quærentes [illegible]ſæculo fœlicitatem quam dare nequit, decipiuntur, fruſtrantur, infœliin[illegible]r, vera & cœleſti beatitudine privantur. Idem de illis qui mundacitantu[illegible]ut dignitates, carnales ſectantur voluptates, dicendum eſt, quod Prov. 11 nas quæm[illegible]erat Sapiens: *Qui confidit in divitiis, corruet.* Corruet ſcilicet de avaro aſſe[illegible] à gloria, à beatitudine. De quo adhuc irriſorie decantat à gratia, à fide, [illegible] *homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed ſperavit in* Pſal. 51 Regius Vates: *Ecce* [illegible] *ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua.* *multitudine divitiarum.* [illegible]llis & mentitis Chriſtianis quod Judæis: *Judæi* Tert. lib. de Reſ. 16 Idem accidit falſis[illegible] *do, cœleſtia amittunt*, & pro terrenis, cœleſtia *terrena ſolummodo ſperan*[illegible] leſtia amittunt, ſed etiam terrena, quæ præ deſpicientes, non ſolum cœ[illegible] runt: Non diſſimiliter imaginarii Chricœleſtibus ſperaverunt, perdid[illegible] licitate. Nam & amittunt cœleſtia & ſtiani, duplici plectuntur infœ[illegible] verunt; & perſæpe perdunt terrena & æterna, quæ nullo modo ſpera[illegible] D[illegible]plici illa infœlicitate mulctatum vi- Luc. c. 12 temporalia quæ ſola ſperaverunt. deo Evangelicum divitem. Infœlix, quia æternam non habuit fœlicitatem. Ut enim animadvertit Hugo C[illegible]tenſis; *Reprehenditur iſte dives, non quia terram coluerit, vel quod in horre[illegible] fructus congregaverit, ſed quia in illis ſpem vitæ poſuit.* Infœlix adhuc, quia opulentia bonorum quæ poſſidebat, non ei fœlicitatem, ſed miſeriam & anxiam ſollicitudinem,

pau-

paupertati ſimilem contulit. *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* Ex abundantia pauperrime angitur; & ut fatur V. Beda, *anguſtiatur ex opulentia, Infælix ex præſentibus bonis*: Terrena bona & antequam habeantur, & dum poſſidentur, & dum amittuntur, infœlicitant eos, qui in illis ſpem ſuam collocant: neque fœliciores ſunt, qui in hominibus ſperant.

II. PARS

Bonum eſt fidere in Deo, quam fidere in homine: quia cum Deus ſit verax, conſtans, & potens; beatificat eos qui in ſe ſperant: Quoniam, ut verax, eos non decipit: ut conſtans, amicos ſuos ex levitate non deſerit: ut potens, ſperantes in ſe beare poterit. Itaque merito decantat Regius Vates; Bonum eſt fidere Deo. Aliter ratiocinandum eſt de homine, qui cum ſit fallax, inſtabilis & impotens, ſperantes in ſe fallit, deſerit, neque in neceſſitate eis ſubvenit: Idcirco homini fidendum non eſt, ex defectu 1. veritatis: 2. firmitatis: 3. poteſtatis. (Tert. l. 5 adv. Marc. 5)

1. *Dominus noſter Chriſtus veritatem ſe cognominavit*, hoc titulo ſe demonſtrans omnino alienum tum à mendacio quod veritati opponitur, tum à fallacia quæ alios decipit; *quia neque perverſitas, neque fallacia Deo congruit.* (Tert. lib. de vel. Virg. 1) Chriſtus autem eſt Deus, qui neque mentiri, neque decipere poteſt: ita bonum eſt fidere in Deo, quam fidere in hominibus, qui ſi non ſunt *deſicientes in mendacio ſemper*, perſæpe tamen mentiuntur: & ut plurimum decipiunt, quia ſunt verſipelles, & per eos *fallaciæ negotium operatur.* (Tert. lib. adv. Prax. 11) (Tert. l. 4 adv. Marc. 7) Hac conſideratione utitur D. Auguſtinus, ut Chriſtianos ad fiduciam in hominibus ponendam, dimoveat; & ad ſpem ſuam in Deo ponendam, inducat. (Tert. lib. ad Nat. 7) Siquidem *confunditur, quem fallit ſpes. Quis eſt qui confunditur? Qui dicit, Quod ſperabam non inveni. Non immerito. Sperabas enim de homine.* Maledictus autem qui ſpem ſuam ponit in homine, *Confunderis, quia fefellit te ſpes; Fefellit ſpes poſita toto in mendacio*: omnis enim homo mendax. *Si autem ponas ſpem in Deo tuo, non confunderis; quia ille in quo poſuiſti, fallere te non poteſt.* quia eſt à mendacio & fallacia alienus; neque te ex levitate & inconſtantia poteſt deſerere, quia eſt conſtans & firmus. Non enim eſt ſicut homo, inconſtans, levis, mutabilis, cui fidendum non eſt ex defectu veritatis, & ſinceritatis, ſed adhuc ex defectu conſtantiæ & ſtabilitatis. (In Pſal. 10)

2. Homines inconſtantes & inſtabiles *ita variant* ut cras contemnant, quod hodie exiſtimant; hodie averſentur, quod heri ardenter amaverant. (Tert. lib. adv. Valent. 10) Quorum inconſtantia nunquam magis elucet, quam in amicitia quam tamdiu demonſtrant, quamdiu ex illa utilitatem captant. *Hæc eſt amicitia, quam temporariam populus appellat. Quæ cauſa utilitatis aſſumpta eſt, tamdiu placebit, quamdiu utilis fuerit. Hac re florentes amicorum turba circumſidet: circa everſos ingens ſolitudo eſt: & inde amici fugiunt, ubi probantur.* (Senec. Ep. 9.) Duplicem diſcriminat D. Paulinus amicitiam. Unam in fide fundatam, aliam in ſpe collocatam. (Epiſt. 12.) Illa non commoda, ſed amici benevolentiam deſiderat: hæc nihil aliud præter utilitatem captat. Illa conſtanter etiam in amici adverſitate perſeverat; hæc ubi deficit ſpes,

titu-

titubat, neque durat; niſi quando ſibi aliquam utilitatem conciliat. *Nec volo amicitiam noſtram tempore metiaris: non enim hac ut ſæcularis eſt, quæ ſpe potius, quam in fide paritur*, quæ ideo amicitiæ non meretur nomen. Vera amicitia non utilitatis ſpe, ſed amici fide commendatur. Quam merito Tertullianus prædicat, *miſerum hominem qui ſpem in hominem ponit*, ſuum commodum quærens: Tum quia *qui ſe ſpectat, & propter hoc ad amicitiam venit, male cogitat quemadmodum cœpit, ſic deſinet*; ex ſpe commodi quod ubi ceſſat, ejus quoque amicitia ceſſat: Tum quia nundinatoria amicitia, humanus favor imo & protectio, nonniſi in commodo conciliatur, & magno pretio emitur. Quod belle declarat Salvianus: *Si judicandum ſe aliquis ab humana poteſtate eſſe cognoverit, advocatos requirit; officialium atque apparitorum gratiam favoremque mercatur; cum tamen eventum judicii comparare non poſſit: adeo ut ſi victoriam emere ipſum non valet, ſpem tamen victoriæ magno emit.* Tum quia ſæpe ſæpius homines in quibus ſperamus ſunt ſceleroſi, & ſua converſatione, vitia nobis alliniunt & affricant. Quod probe animadvertit D. Auguſtinus expendens iſtud Davidicum: [In Domino ſperans non movebor.] *Quid eſt in Domino ſperans? Ille titubat inter malos, qui non in Domino ſperat. Si enim ſperavero in homine, viſurus ſum fortaſſe ipſum hominem male viventem, nec eas vias tenentem quas vel didicit, vel docet in Eccleſia, bonas; ſed quas diabolo docente, ſectatus eſt: ſed quia ſpes mea in hoc erit, titubante homine titubabit ſpes mea, & cadente homine cadet ſpes mea.* Quia vero in Domino ſperavi, non movebor: Tum quia eſt conſtans, nec hominem deſerit, niſi prius deſeratur ab eo: Tum quia non ſuum commodum, ſed hominis utilitatem quærit: Tum quia non errorem, ſed veritatem docet, neque vitia, ſed virtutes allinit: Tum quia potens eſt eiſque qui in ſe ſperant, ſubvenit,

Lib 5. adv Marc 5 Senec ibib

L 3. ad Eccleſ

In Pſ 23

3. *Cujus poteſtas ſumma niſi Dei ſolius?* Quapropter quæ impoſſibilia ſunt apud homines, non ſunt impoſſibilia apud Deum apud quem omnia poſſibilia ſunt: *Cum enim omnia dixit, entia ſubintelligas, peccatum enim non eſt ens. Eſt enim abſque eſſentia, & hypoſtaſi peccatum.* Conſultiſſime Evangeliſtam interpretatur Theophilactus, de omni re quæ ſubſiſtentiam habet, ut Deum non eſſe peccati authorem oſtendat, quia ad entia duntaxat producenda potentiam ſuam adhibet. Ratio autem potentiæ divinæ, cui omnia poſſibilia ſunt, eſt incentivum fiduciæ in Deo ponendæ. Sicut è contra homini ex defectu poteſtatis non eſt fidendum. Sane *miſer homo, qui ſpem habet in homine*; quia ſcilicet confidit in arundine fragili, quæ illum non valet ſuſtinere. Ut enim perfecte ait Imperfectus: *Homo carnalis, fatuus in fide, levis in ſenſu, arundo eſt* vento agitata, quæ nequit eſſe ſpei ſuſtentaculum. Quod Deus exprobrat Iſraëli, ſpem ſuam in Pharaonis auxilio ponenti. *Super quem habes fiduciam, quia receſſiſti à me? Ecce confidis in baculum arundineum, cui ſi innixus fuerit homo intrabit in manum ejus & perforabit eam: Sic Pharao rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eo.* Baculus arundineus pro infirmo auxilio ponitur, qui tantum abeſt ut imbecillum ſuſtentet, quin imo manum

Tert lib. de Teſt An 2

Marc 10

Theophilact

Tert l 4. adv Marc 38

Iſa. 36

manum apprehendentem violat, pungit & perforat: Imbecilla ſunt hominum auxilia, utpote arundine. Ex præfatis ſapienter concludit D. Auguſtinus: *Si maledictus homo qui ſpem ponit in homine; ergo nec in temetipſo debes ſpem ponere, quia & ipſe homo es.* Epist. ad Macedon. III PARS.

Chriſtianus à ſacris paginis *etiam ſpem ſuam diſcit.* (Nam maledictus omnis, qui ſpem ſuam ponit in homine.) Quare, frater, *cave ne tibi ſubrepat in tua virtute confidere, homo enim es: ſed plane in Deo tuo toto corde confide, & ipſe erit virtus tua, in qua pius gratuſque confidas.* Qui enim non in Deo, ſed in ſemetipſis confidunt, 1. Phariſæos ſapiunt: 2. in terra mercedem ſuam recipiunt: 3. ſpem regni cœleſtis amittunt. Tert lib. adv Valent. 18. Hierem. 17. D. Aug Ep: 208. ad Palatin:

1. *Iuſtificantes ſe coram hominibus Phariſæi* præfigurant multos Chriſtianos, qui ſuis viribus & operationibus freti, & in ſemetipſis confiſi, non ſecus ac Phariſæi, de fucata pietate ſe jactitantes miſere reprobantur, ut conſtat ex illo tumente Phariſæo, humili publicano inſultanti: *Ideoque alterum reprobatum, alterum juſtificatum deſcendiſſe* in domum ſuam aſſeverat ex Evangelio Tertullianus. Hujuſmodi exemplum timorem ingenerare debet Chriſtiano ſuperbo, in ſemetipſo confidenti. Nam (ſi maledictus eſt omnis qui ſpem ponit in homine.) *Sicut divina teſtantur eloquia: ac per hoc qui in ſemetipſo ſpem ponit, hujus maledicti vinculo innectitur. Ideo non niſi à Deo petere debemus quidquid ſperamus nos, vel bene operaturos, vel pro bonis operibus adepturos.* Tert. l: 4. adv. Marc: 33. Lib: 4. adv. Marc. 36. D August. in Enchir. c. 114.

Belle ad propoſitum Philo Judæus philoſophatur. [Quam difficile eſt ſoli Deo credere! Res nimirum mortales, quibus circundati ſumus, ſuadent nobis, ut credamus & fidamus gloriæ, potentiæ, amicis, ſanitati, & corporis robori, noſtræve imprimis prudentiæ: Has perſuaſiones penitus ex animo eluere, nulli creaturæ fidere, ſed in ſolo Deo omnes ſuas ſpes & opes habere collocatas, ex eoque totum mente animoque pendere, res eſt animi magni, & cœleſtis, non ineſcati, captique rebus terrenis.] Quam pauci ſunt hac ætate Chriſtiani, magno & cœleſti animo pollentes; in ſolo Deo cor fidentes! at quam multi ſunt terrenis rebus capti & ineſcati, fiduciam ſuam in nobilitate, dignitatibus, facultatibus, virtutibus, operationibus, ponentes! Qui ſunt hujuſmodi, phariſaicam ſuperbiam ſapiunt & in terra mercedem ſuam recipiunt. Lib. Quis rerum divinar. hæres.

2. Phariſæi in ſemetipſis confidentes, & opera ſua buccinantes: *ſpem mercedis in homine ponebant.* Chriſtiane cave ne Phariſæos imiteris. Si ad eorum exemplum in operibus tuis confidas, dicetur tibi, Quia recepiſti in hac vita mercedem tuam. Idcirco *ne quiſquam ſpem ſuam in ſe ponat, ſed totam ſpem in illo ponat in quo ſunt vires noſtræ: ex adjutorio enim ejus vincimus, non ex noſtra præſumptione.* Quod experientia cognoſcentes diſcipuli, poſtquam in vanum conſumpſerunt ſuas vires, artes, induſtrias, ad vitandum naufragii periculum, ad Chriſti confugerunt auxilium, quo ſolo fuerunt à naufragio liberati, ut eloquenter declarat Baſilius Seleucus: *Diſcipuli ſtudioſe ſalutem quæritabant ab arte: ſed manus fatiſcebant: cum tempeſtate depugnabant, & cum ventis de navi* Tert l. 4. adv Marc. 11. D August. in pſ 90. Orat. 11.

decertabant. At cum procella pravaleret, neque arti pareret mare ac potius vinci extimeſceret, & terrorem de terrore exſuſcitaret, victi diſcipuli, & quæſitas ab arte ſpes, tanquam & ipſæ naufragium facerent, omittentes, recurrunt ad portum, qui in ſcapha erant. Diſcipulorum naturales vires, ab arte quæſitæ, induſtriæ, in quibus confidebant, non auferunt timorem, ſed ingerunt; non auferunt periculum, ſed adaugent; à naufragio non eximunt, ſed naufragio exponunt. Non diſſimiliter Chriſtiani qui in ſemetipſis, in naturæ viribus, in artibus, induſtria, mentis ſagacitate, ſuiſque operibus confidunt, naufragandi incurrunt periculum, ſpemque regni cœleſtis amittunt.

Tert lib de Reſ 31. D. Auguſt. in Pſal. 70. 3. Profectò *ſpem ſuam perditam* illi habent, qui eam non in Dei adjutorio, ſed in ſemetipſis collocant. Ideoque, fratres, *tota ſpes noſtra in Deo ſit, nihilque de nobis tanquam de noſtris viribus præſumamus, ne noſtrum facientes quod ab illo eſt, & quod habemus amittamus*, nimirum ſpem regni cœleſtis. Quapropter ne tantum nobis adveniat damnum, dicamus cum D. Bernar-

Serm 9. in Pſ. 90. do: (Quoniam tu es Domine, ſpes mea.) *Quidquid igitur agendum ſit, quicquid declinandum, quicquid tolerandum, quicquid optandum.* Tu es Domine ſpes mea: *Hæc una mihi omnium promiſſio nunc cauſa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, ſuſtinere ſe jactet pondus diei & æſtus, jejunare bis in ſabbato dicat; poſtremo non eſſe ſicut cæteros hominum glorietur.* Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam. *Sperent in aliis, alii forte hic in ſcientia litterarum, hic in aſtutia ſæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat.* Propter te omnia detrimentum feci, & ut ſtercora arbitror, quoniam tu es Domine

Matth. 6. ſpes mea. *Speret qui vult in incerto divitiarum: ego vero ne ipſa quidem niſi abs te victui neceſſaria ſpero, nimirum verbo tuo confidens.* Quærite primum

Pſal. 9. regnum Dei, & hæc omnia adjiciantur vobis: *Nempe* tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor. *Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda ſperabo. Si inſurgant adverſum me prælia, ſi ſæviat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro adverſus ſpiritum concupiſcat, in te ego ſperabo.* Fuſe quidem D. Bernardus, ſed admirabiliter concludens: *Vt quid enim ſi hæc ſapimus, ut quid cunctamur abjicere omnino ſpes miſeras vanas, inutiles, ſeductorias: & huic uni tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei, tota devotione animi, toto fervore ſpiritus inhærere;* quæ non fallit, ſed inſtruit; non concutit, ſed firmat; non infœlicitat, ſed beat; prægustans beatitudinem, & ad illam fœliciter perducens.

* * *
* *

CONCIO

CONCIO SECUNDA.

IN vanum impii *ſpei dejectionem* inducere moliuntur, cum nihil ſit ſpe communius, ſuavius, & validius. Nihil communius, quare Thales interrogatus quidnam eſſet inter homines communius & familiarius, ſapienter reſpondit: *Spes. Hanc enim habent qui nihil habent.* Unde Alexander in Aſiam properans Dario Perſarum regi bellum illaturus, cuncta ſua largitus eſt, generoſe aiens Perdiccæ ſciſcitanti, quid illi ſupereſſet, *Spes*, inquit, qua nihil ſuavius Bias aſſeverat: *Quid eſt dulce hominibus? Spes.* Illi namque qui adverſitate plectuntur *per ſuavitatem ipſius ſpei* aliquam deguſtant conſolationem; tandem nihil eſt ſpe validius, ad mala conſtanter toleranda, & pericula quæque fortiter aggredienda. Quid non ſuſtinet, quid non audet homo ſperans? Sempronius Gracchus Ammonios, Brucios & Lucanios hoſtiliter aggreſſurus, in prima exercitus acie, integram ſervorum poſuit cohortem; & ut eos ad fortiter dimicandum incitaret, libertatem pollicitus eſt ſingulis hoſtile caput allaturis. Servi ſpe libertatis incitati, adeo ſtrenue pugnaverunt ut ſibi, libertatem, & glorioſam Sempronio victoriam adepti ſint. *Nunc ſpes alia* proponitur, quæ reſpicit non caduca & temporalia ſæculi bona, ſed immortalem & æternam cœli beatitudinem: quæ non eſt vana, futilis, inutilis, ſicut mundana, ſed vera, ſublimis, proficua, cujus in præſentiarum conſideranda eſt 1. neceſſitas: 2. dignitas: 3. utilitas.

Tert lib. adv. Valent. 9. — Plutarch in Conv. 7. Sapient. — Plutarch in Alex — Tert lib. de Reſur. 26. — Tert lib de Pœn. 6.

I. PARS.

Cum enim & tempora totius ſpei fixa ſint ſacro-ſancto ſtylo, neque beati in cœlo, neque damnati in inferno, ſed duntaxat viatores valent elicere actus ſpei Chriſtianæ & ſupernaturalis. Non quidem beati, quia ſpes eſt boni futuri & abſentis. *Spes quæ videtur, non eſt ſpes.* In cœlo autem beati Deum vident, beatitudinem poſſident. Unde quilibet illorum exultando ait: *Hanc video, hac perfruor.* Neque etiam damnati in inferno, quia ſpes tendit in bonum quod apprehenditur poſſibile & futurum. *Adeo contemplatio eſt ſpei in hoc ſpatio per fidem; non repræſentatio, nec poſſeſſio, ſed expectatio.* Damnati autem utpote in malitia confirmati, certo ſciunt ſe nunquam beandos, ſed in æternum damnandos, alias non eſſent abſolute miſeri. Soli igitur viatores eliciunt actus ſpei, futuram beatitudinem ſperantes: ut ipſimet fatentur apud Tertullianum: *Animo ſolo poſſumus cœleſtia attingere, quæ non quæreremus, nec ſperaremus, ſi poſſideremus.* Sed quia illa non poſſidemus, aliquando poſſidenda exſpectamus per ſpem, quæ neceſſaria eſt ad 1. humanam converſationem: 2. virtutis exercitationem: 3. cœli acquiſitionem.

Tert. lib de Reſ 21. — Rom. 8. — Tert lib. adv Hermog: 29. — Tert. lib. de Reſ 23.

1. *Corpus ſumus de conſcientia religionis, & diſciplinæ unitate, & ſpei fœdere.* Chriſtiani componunt myſticum Eccleſiæ corpus, uniunturque non ſolum Chriſto qui eſt illorum caput, ſed adhuc inter ſe in unitate

Tert. Apol. 39.

ejuſdem fidei compaginantur, & in ſpe ejuſdem beatitudinis confœderantur. Uti autem fideles componunt myſticum Eccleſiæ corpus, & in eadem ſpe Chriſtiana confœderantur: ita homines conſtituunt corpus civile & politicum, cui neceſſaria eſt ſpes humana, ut membra qui illud componunt valeant ad invicem politice converſari. Spes adeo eſt cognata homini, ut qui ſpem abjicit, humanam naturam dediſcat; qui vero ſperat, ſe verum hominem oſtentat, ut acute animadvertit Philo Judæus elucidans iſtud

L. de Abrah. Geneſeos: (Sed & Seth natus eſt filius, quem vocavit Enos, ipſe cœpit invocare nomen Domini.) Septuaginta vertunt: (Hic ſperavit invocare

Gen. 4. nomen Domini.) *Quoniam igitur principium parandorum bonorum ſpes eſt, etiam hanc tanquam publicam viam oſtendit, & aperit anima veri boni ſtudioſa.* Moyſem intelligit per animam verbi boni ſtudioſam: *Qua primum amicum ſpei nominat hominem, vocabulum totius generis commune, tribuens ei per excellentiam: nam Chaldæi hominem Enos vocant: ac ſi ſolus verè homo ſit, qui res bonas exſpectat, & bona ſpe ſe ſuſtentat. Unde manifeſtum eſt, quod ſpe carentem non hominem exiſtimat, ſed beſtiam humana forma præditam, cui deſit ſpes, proprium ornamentum humanæ naturæ.* Homo à bellua non ſolum ratione, ſed etiam ſpe diſcriminatur: & quemadmodum qui non utitur ratione, beſtia dicitur, quia caret differentia eſſentiali hominis, ita qui non ſperat, etſi hominis larvam præ ſe ferat, vere tamen non eſt homo, quia humanæ naturæ non habet ornamentum: Quapropter præfatus Philo Judæus ſubtiliter notat, quod poſtquam ſacer Hiſtoricus dixit: (Sed & Seth natus eſt filius, quem vocavit Enos, id eſt homo, hic ſperavit invocare

Gen. 5. nomen Domini:) mox ſubjungit: (Hic eſt liber generationis Adam: in die qua creavit Dominus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum. (*Quamobrem cum vellet egregie laudare hunc bene ſperantem, poſtquam dixit: Hic eſt liber generationis hominum, quamvis jam & patres & avi erant, bene ſperantem hominem per excellentiam nominat, ſecretum à vulgo ignobili & indigno tali appellatione.* Quaſi ille ſolus qui ſperat hominis nomen mereatur, qui

Lib. Quod deterius potiori inſidiatur. vero non ſperant tali elogio indigni ſint, quia à dignitate humanæ naturæ degenerantes, beſtiarum redolent indolem. Quare Philo Judæus audacter ait: *Quid homini magis poteſt eſſe proprium, quam ſpes? tanquam hi qui non ſperant extra naturam rationalem cenſeantur;* non habentes innatam proprietatem, quæ hominem à bellua diſcriminat.

D. Chryſoſt. Hom. de Fide, Spe & Charitate. *Spes ipſum hominem conſtravit,* quaſi ſolus homo bene ſperans, homo ſit. *Ideo tolle ſpem, torpet humanitas tota,* & humanarum functionum ceſſatione, pecuniam

S. Zeno ſer. de Fide, Spe & Charitate. ſtoliditatem imitatur. *Tolle ſpem, artes, virtuteſque univerſæ ceſſabunt:* nam ſpes eſt animi vigor, corporis robur, virium promptuarium, virtutum ſtimulus. *Tolle ſpem, & interempta ſunt omnia:* artes; ſcientiæ, negotiationes, bella, commercia, & in univerſum cuncta quæ ad humanam pertinent ſocietatem. Quapropter *primo omnium ſpes nobis proponenda eſt futurorum, ſine qua ne præſentia quidem ipſa ſtare poſſe perſpicimus:* Sine qua torpet humanitas, converſatio deſiſtit, politia ceſſat, virtus non exercetur, quia ſpes neceſſa-

neceſſaria eſt, tum ad civilem converſationem: tum ad virtutum exercitationem.

2. Chriſtianus *erigens interim & excitans animos ad proximum jam ſpei fructum*, virtutum elicit actus: ſpes namque fidei excitat credulitatem, patientiam reporat, fortitudinem animat, orationi efficaciam præſtat, charitatis ignem ſufflammat, ad martyrium ſtimulat. 1. Fidei excitat credulitatem: Ut enim ait D. Chryſoſtomus, *Spes eſt cognitio fidei, credulitatis propinquitas.* Licet enim fides ſit actio intellectus ſupernaturali lumine arcana Dei myſteria percipiens: ſpes vero ſit actus voluntatis objecta fidei perſpicere non valens, dicitur tamen fidei cognitio, quia fidei vigorem præſtat, ejuſque credulitatem firmat: ſicque *ſpes eſt fidei gloria*, ait Veronenſis Antiſtes. Et 2. patientiæ robur, quæ ſpei vigore armata, adverſitates conſtanter portat, dolores lætanter tolerat, perſecutores fidei fortiter debellat. Quam ideo nuncupat D. Chryſoſtomus, *ſuſtinendi gloriam*: quia eſt patientiæ fœlicitas, tolerantiæ gloria, & laborum triumphus. *Si ſpem auferas, non poteſt perpetua eſſe patientia; nam patientiæ radix, ſpes eſt.* Quæ 3. fortitudinem animat, ad contemnanda cuncta fortunæ damna, ipſamque vitæ corporalis jacturam. *Spes reſurrectionis faſtidium eſt mortis*: Orationique 4. efficaciam præſtat. *Tertia ala eſt ſpes, qua in divina pietatis obverſatur palatio*, divinam miſericordiam orans & exorans. Et charitatis 5. ignem ſufflammans. Qui enim ſperat aliquod bonum quod ſeipſo non poteſt adipiſci, diligit illum cujus auxilio & virtute ejuſmodi bonum ſibi obvenit. Spes eſt expectatio futuræ beatitudinis, quam homo non poteſt aſſequi niſi virtute Dei, Deum itaque qui ſperat beatitudinem diligit. Si enim, ut vult Apoſtolus, ex ſpe cœleſtis præmii diligimus Sanctos. *Dilectionem quam habetis in Sanctos, propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in cælis*: quanto magis ſpes eſt cauſa quare diligamus Deum tanquam principale objectum futuræ beatitudinis, quam per ipſum & ab ipſo ſperamus in cœlis? Et quia majorem charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis: Spes 6. ad martyrium ſtimulat, ut demonſtrat generoſus ille miles ab animoſa ſpe effundendi ſanguinem prænaturè purpuratus. *Et nunc ruſſatus ſanguinis ſui ſpe.* Neque ſolum ſpes prænaturæ martyriũ inchoat, ſed etiam glorioſe conſummat; ſiquidè martyrii *fides gloriã inchoat, ſpes ſuſtinendo conſummat*, Martyrii immortalẽ comparans beatitudinẽ, ad cujus acquiſitionẽ neceſſaria eſt.

Tert. lib de Reſ 22

Serm de Fl. de Spe & Charitate

D. Ambr in Pſ. 118

Tert. 1. ad Nat 19

Pet Dam Ser 52

Coloſſ 1

Tert lib de Cor Miſi D. Chryſoſt

3. Chriſtiane! ut ſperes in Deum, & ab illo æternam expectes beatitudinem: *A te exigit ſpei tuæ ratio*, cujus actus tibi neceſſarii ſunt; tum neceſſitate medii: tum neceſſitate præcepti. Neceſſitate medii, quia juſtificatio eſt medium neceſſarium ad ſalutem: ſine ſpe autem adultus non juſtificatur; Ex Apoſtolo namque *ſpem non habentes, ſunt ſine Deo in hoc mundo*. Neceſſitate etiam præcepti quod nobis intimat Regius Vates in veteri Teſtamento: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ & ſperate in Domino*: & Apoſtolus in novo: *Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum ſuarum, ſed in Deo vivo;* qui

Tert. lib de Mons

Epheſ. 2

Pſal. 4

1. Timoth 6

Rom. 8 qui poteſt nobis præſtare beatitudinem quam ſperamus; *Spe enim ſalvi facti ſumus.* De facto æternam non poſſidemus ſalutem, ſed per ſpem tendimus ad ſalutem quam ſperamus aliquando in cœlo poſſidendam: *Cupimus autem unumquemque veſtrum oſtentare ſollicitudinem ad expletionem ſpei uſque in*
Hebr 6. *finem.* Quaſi dicat: Cupio vos ſollicitos in ſtudio bonorum operum, ut ſpes veſtra quotidie augeatur, donec perficiatur & conſummetur, creſcente enim ſancta vita, creſcit & ſpes, & quantum unuſquiſque majori morum probitate præditus eſt, tanto magis ſperat; bonorum namque operũ ſtudio, & vitæ ſanctitate roboratur ſpes commendata neceſſitate, & dignitate.

II. PARS *Permanent fides, ſpes, dilectio*; quæ ſunt eximiæ virtutes, quas largita
Tert. lib de Pœn. eſt ſancta & divina Trinitas, ut nos emundaret & ſanaret à trina miſera trinitate, quam contraxeramus per peccatum; ſcilicet [cæcitatem, infirmitatem, immunditiam. Ratio enim imprudens & tenebroſa facta eſt,
D Bernard: Serm. 45 de Diverſis memoria impotens & infirma, voluntas impura. Veruntamen hunc tam gravem, tam tenebroſum, tam ſordidum lapſum noſtræ naturæ reparavit illa beata Trinitas, memor miſericordiæ ſuæ, immemor culpæ noſtræ. Venit ergo à Patre miſſus Dei filius, & dedit fidem: poſt Filium miſſus Spiritus ſanctus, & dedit charitatem. Per hæc duo, ideſt, fidem & charitatem, facta eſt ſpes redeundi ad Patrem. Et hæc eſt Trinitas, ſcilicet fides, ſpes, charitas, per quam velut per tridentem reduxit de limo profundi ad amiſſam beatitudinem illa incommutabilis, & beata Trinitas, mutabilem lapſam & miſeram trinitatem. Et fides quidem illuminavit rationem; ſpes erexit memoriam; charitas vero purgavit voluntatem:] & ut fatur Sera-
Lib 5 Cõp Theolog. phicus Doctor: *Fides dirigit in ſumme verum, credendo & aſſentiendo; ſpes in ſulnme arduum, innitendo & expectando: charitas in ſumme bonum, deſiderando & amando.* Spes haud ſecus ac fides & charitas, multum nobilitatur à majeſtate divinæ Trinitatis à qua donatur; à reſtitutione miſeræ & lapſæ trinitatis, quæ ab ipſa reparatur: Verum ſpes actualis de qua agimus potiſſimum commendatur, 1. à potentia, in qua ſubjectatur: 2. ab objecto à quo ſpecificatur: 3. à cœleſti beatitudine, ad quam terminatur.

Tert. lib. de Bapt 4. 1. Spes Chriſtiana mire commendatur *de originis prærogativa.* Producitur enim ab habitu ſpei, & ab hominis voluntate: ſpes enim actualis duo importat. Unum, quod ſit actus ſupernaturalis; aliud, quod ſit actus humanus. Quod ſit actus ſupernaturalis, habet non ab hominis voluntate, ſed ab habitu ſpei; quod vero ſit actus humanus, habet non ab habitu ſpei; ſed ab hominis voluntate. Itaque habitus ſpei, & hominis voluntas, ſunt principium totale à quo producitur actus ſpei, de originis prærogativa multum nobilitatus. Tanto enim actus eſt nobilior, quanto nobilius eſt principium à quo procedit. Habitus ſpei eſt nobiliſſimus: Tum quia à Deo infuſus: Tum quia ſupernaturalis: Tum quia Theologicus. Voluntas humana eſt nobiliſſima, primum dignitatis tenens gradum inter ſpiritales animæ rationalis potentias, cæteriſque velut

lut regina dominans & imperans: & quia actus immanentes inhærent potentiæ à qua eliciuntur, ſpes actualis commendatur à nobilitate voluntatis, in qua ſubjectatur, & adhuc à dignitate objecti, à quo ſpecificatur.

2. Virtutum Theologicarum *genus quidem unum, ſpecies vero quamplures*: nimirum fides, ſpes, charitas. Ternarii numeri hanc convenientiam ſubminiſtrat D. Bonaventura: [Quemadmodum in patria tres erunt dotes ſecundum tres animæ vires, quarum una reformabit & conſummabit rationem, videlicet ipſa viſio: alia concupiſcibilem, videlicet delectio: tertia iraſcibilem, Videlicet ipſa tentio, ſeu poſſeſſio: ſic & in via neceſſe eſt, ponere virtutes Theologicas, fidem, cui viſio; charitatem, cui dilectio; & ſpem, cui poſſeſſio reſpondeat. Illæ autem virtutes Theologicæ multum virtutibus moralibus & cardinalibus antiſtant: eo quod Deum reſpiciant pro ſuo primario objecto, in illumque duntaxat tendant, & tanquam in objectum materiale & tanquam in obiectum formale, à quo ſpecificantur, & tanquam primam regulam à qua regulantur: fides, in divinam veritatem; ſpes in divinam fidelitatem; charitas, in divinam bonitatem. Illam eminentiam virtutum Theologicarum ſupra Cardinales, belle declarat Doctor Seraphicus: Tum quia [Theologicæ habent Deum, vel bonum increatum pro fine, vel pro objecto: virtutes Cardinales habent bonum creatum pro objecto:] Tum quia [Virtutes Theologicæ reſpiciunt magis vitam contemplativam & ordinant hominem ad Deum: Cardinales vero pertinent ad vitam activam, & ordinant hominem ad proximum, & ideo illæ dicuntur Theologicæ, ideſt divinæ, à θεὸς quod eſt Deus, & λόγος, quod eſt ſermo; quia principaliter ſunt ad Deum: ſed Cardinales dicuntur à cardine, in quo vertitur oſtium, quia principaliter reſpiciunt vitam activam quæ tota eſt mobilis ſuper Cardinales virtutes.] Huc uſque Doctor Seraphicus qui merito virtutes Theologicas earumque actus virtutibus moralibus & cardinalibus tam habitualibus quam actualibus præponit: quia actus virtutum nobilitantur ab objecto, à quo ſpecificantur. Virtutes Theologicæ à Deo ſpecificantur, ab illo etiam ſuam nobilitatem mutuantur. *Quod autem generi attributum eſt, etiam in ſpeciem redundat.* Quod de dignitate virtutum Theologicarum in communi dictum eſt, ſpecialiter competit Spei, quæ ut fatur Doctor Seraphicus, eſt *gemma pretioſa. Nam ſicut gemma eſt grata, ſic ſpes eſt Deo placita; ſicut gemma habet valorem magnum, ſic ſpes facit hominem pretioſum: ſicut gemma eſt perlucida, ſic ſpes eſt quodammodo diaphana, quia per eam videntur, & ſperantur loca cæleſtia*, ad cœleſtem namque beatitudinem terminatur.

Tert lib de Bapt 4
In 3 dist 26 a 1 q 3
Diæta ſalut tit 5 c 2
Tert lib de Bapt 4
Diæt. Salut. tit 5 c 4

2. *Spero à Chriſto regnum Dei, æternæ & cæleſtis poſſeſſionis*, quod eſt objectum ad quod terminatur ſpes Chriſtiana, in quo multum virtutibus moralibus & intellectualibus antiſtat. Quarum operatio eſt dirigere & ordinare hominem in finem naturalem, operatio autem ſpei diri-

Tert l 3 adv. Marc. 24

dirigit & ordinat hominem ad finem ſupernaturalem; nimirum ad Dei viſionem dilectionem, & poſſeſſionem, in quibus conſiſtit formalis Sanctorum beatitudo. *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Quaſi dicat: Gloriamur propter cœleſtium ſpem, quia ſcilicet ſperamus gloriam præparatam filiis Dei. Æterna beatitudo duplex eſt. Objectiva una, formalis altera: Objectiva eſt ipſemet Deus formalis ſunt Sanctorum operationes, nimirum viſio, & amor, quibus objectum beatificum poſſidetur; ad utramque terminatur ſpes. Ad objectivam quidē: *Erige ſpem tuam ad bonū bonorum omnium, à quo omnia in ſuo genere ſacta ſunt bona.* Ad formalem etiam, & ut fatur Apoſtolus, *in ſpem vitæ æternæ quam promiſit, qui non mentitur Deus*; & in ſpem cœleſtis hæreditatis, quam nobis acquiſivit Chriſtus ſanguine ſuo, & ad quam obtinendum regenerati ſumus *in hæreditatem incorruptibilem conſervatam in cœlis.* Ideo parentes generant ut habeant hæredes, Deus nos in baptiſmate regeneravit, ſuoſque filios efficit, ut hæreditatis ſuæ faceret participes & hæredes. Hæc autem hæreditas quam Deus daturus eſt filiis ſuis dilectis & electis, eſt cœlorum regnum; imo ipſemet Deus totus quantus eſt. Beati enim videndo & contemplando Deum, eo fruuntur gaudent, & in æternum beantur. Etenim in cœlo *à Domino poſſidebimur, hæreditas ejus erimus; & ipſe hæreditas noſtra erit: quoniam & modo dicimus.* Dominus pars hæreditatis meæ. *Et de nobis dictum eſt.* Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditam tuam: nempe cœli beatitudinem, ad quam tendis ſpe commendata dignitate & utilitate.

Rom 5 — D. Aug in Pſal. 32 — Epiſt ad tit. — 1. Petr 1. — D. Auguſt Serm. 19. de Temp — III PARS

Tert. lib de Orat. 9 — *Commemoratio ſpei in regno.* Chriſtus Dominus docens nos in oratione Dominica, poſtulare, ut regnum Dei adveniat, ſpem commemorat, quæ ad illud deſiderium noſtrum erigit. Verum *etiamſi præfinitum in oratione non eſſet de poſtulando regni adventu, ultro eam vocem protuliſſemus feſtinantes ad ſpei noſtræ complexum.* Duplex protulimus ſpei Chriſtianæ incitamenrum, nempe ejus neceſſitatem, & dignitatem: modo tertium afferendum eſt, nimirum utilitas. Adeo proficua eſt ſpei operatio, ut omnem ſpeciem boni ſecum ducat, afferatque bonum: 1. utile: 2. delectabile: 3. honorabile.

Tert lib de Orat 12.

Tert. Apol 31. — 1. Ob utilitatem *ſpem erigimus, fidem figimus*, multumque ex ſpe fructum reportamus. Ex D. namque Bonaventura, *ſpes eſt ſicut arbor fructuoſa. Nam ſicut arbor profert uberes fructus, quæ habet irriguum aquarum viventium; ſic ſpes profert fructus bonorum operum quæ ſita eſt & plantata, juxta irrignum aquarum.* Unde dicitur: [Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei, ſperavi in miſericordia Dei mei.] Quam ſit fructuoſa & utilis ſpes alior ſum Seraphicus Doctor belle ex ſacris paginis declarat: Tum quia temporalia miniſtrat: *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu eſcam das illis in tempore opportuno.* Tum quia à tribulatione liberat: *In te ſperaverunt patres noſtri, ſperaverunt, & liberaſti eos.* Prodit exemplum Suſannæ & Danielis: Tum quia confortat, ut patet ex matre Machabæorum, quæ pereuntes ſeptem filios ſub unius ddiei tempre conſpiciens *bono animo ferabat, propter ſpem quam in Deum habebat.*

Diet Salv ut 5. c. 4 — Pſal. 51 — Lib. 5 Compend Theolog c 22 — Pſal 141 — L. 2 Machab 7.

habebat. Tum quia mentem elevat: *Qui ſperant in Domino, aſſument pennas ut aquilæ: volabunt,& non deficient*; Tum quia ſalvat: *Qui ſalvos facis ſperantes in te*: Tum quia bonum delectabile communicat. Iſa 40. Pſal. 16.

2. *Claudius Herminianus in Cappadocia, cùm indignè ferens uxorem ſuam ad hanc ſectam tranſiiſſe, Chriſtianos crudeliter tractaſſet, ſoluſque in prætorio ſuo vaſtatus peſte, cum vivus vermibus ebulliſſet: Nemo ſciat*, ajebat, *ne ſpe gaudeant Chriſtiani*. Verum bonus ille prætor cauſam gaudii Chriſtianorum ignorabat; qui de aliena miſeria non lætantur, ſed præ compaſſione dolent: *Non poteſt corpus de unius membri vexatione lætum agere, condoleat univerſum neceſſe eſt*. Neque adhuc gaudent dum à preſſuris & perſecutionibus eximuntur; *Verum etiam exultantes in preſſuris; certi quod preſſura tolerantiam perficit, tolerantia verò probationem, probatio autem ſpem, ſpes verò non confundit*, ſed ad cœlum conducit: quæ ideò Chriſtianos gaudio afficit: *Spe gaudentes*: expectatio namque tot tantorumque bonorum, quæ fidelibus in cœlo præparavit Deus, ingens etiam in tribulationibus parit gaudium. In adverſitatibus *contriſtetur, qui fructum ſæculi ſuſpirat*; & ut ajebat Abbas Apollo apud Palladium, cùm aliquem è ſuis monachis triſtem ac puſillanimem videret: (Triſtentur mundani, triſtentur Judæi, triſtentur peccatores, qui aliam ſpem non habent, nos verò qui tanta ſpe cœleſtis gloriæ digni habiti ſumus, quomodo non perpetuo lætabimur?) Et ob hanc cauſam Philo Judæus ſpem nuncupat, *gaudium ante gaudium*. Tum quia tendit ad beatitudinem in qua eſt verum gaudium: nam *lætior ſpes poſt mortem*. Tum quia futuri gaudii quamdam velut habet prælibationem quæ ægrè ferunt afflictiones, damna, vitæ incommoda, jacturam bonorum vel proximorum. *Cæterum impatientia in hujuſmodi ſpei malè ominatur*. Nam ſpes apprehendens bonum conveniens, eſt productiva gaudii: bonum autem conveniens poteſt apprehendi, vel ut præteritum, vel ut præſens, vel ut futurum. Ut præteritum apprehenditur à memoria, qui eſt cauſa delectationis, boni præteriti & convenientis: Ut præſens apprehenditur à ſenſu, quæ eſt cauſa delectationis, boni convenientis præſentis: ut futurum apprehenditur à voluntate, & ſic ſpes, quæ eſt de bono convenienti futuro adipiſcibili, eſt dilectionis cauſa. *Juſti per ſpem de futuris præmiis gaudent*. Qui inter adverſa impatientes ſunt, ſpei ſuæ malè ominantur. Atqui in hujuſce vitæ miſeriis & afflictionibus patientes ſunt *imaginem ſpei ſuæ inaugurant*, quæ confert bonum delectabile, & honorabile. Tert:lib ad Scap: 3. Tert:lib de Pœn: 10. Tert. Scorp. 13. Rom: 12. Tert:lib ad Mart. 2. In Lauſiaca c. 52. Tert:lib:de Teſt. An. 4. Tert.lib.de Pat. 9. D. Ambr. in c. 12. Rom. Tert Apol. 35.

3. *Quæ enim eſt ſpes noſtra, vel gaudium, vel exultationis corona*, niſi beatitudo, quæ eſt bonum honorabile, quod abſque dubio poſſidebimus, *ſi fiduciam & gloriam ſpei uſque ad finem, firmam retineamus*? In Hebræo habetur *glorîationem*, qua in ſpe noſtra firmi & animoſi de ea gloriemur: ac ſi jam à nobis eſſet obtenta: Vatablus legit *ſpem glorioſam*, quia ſcilicet conducit ad cœlum in quo juſti de æterna beatitudine, tanquam de bono ſummè honorabili, gloriantur. Quam infœlices, infideles & hæretici ſpe Theologica denudati! *In hac vita cùm ſumus, malum* Hebr. 3. D. Aug. in Pſ. 129.

lum eſt non habere ſpem : qui enim modo ſpem non habet , rem poſtea non habebit. Quam fœlices è converſo probi Chriſtiani & Catholici ſpem habentes!

In Pſal. 39. (Beatus vir cujus nomen Domini ſpes ejus.) Ubi D. Auguſtinus : *Non aliud aliquid à Domino ſperes , ſed ipſe Dominus Deus tuus , ſit ſpes tua. Multi de Deo ſperant pecuniam, multi de Deo ſperant honores caducos & perituros, vel aliud quodlibet à Deo præter ipſum Deum ; ſed tu ipſum Deum pete. Imò verò contemptis aliis perge ad illum, obliviſcens alia, memento illius : relinquens retrò alia, extende te in illum. Ipſe certè averſum correxit, ipſe ducit rectum : ergo ſit ipſe ſpes tua, qui ducit & perducit.* Alia à Deo ſæpè ſæpius avertunt : unde in his non eſt ponenda ſpes , ſed ut ſubjungit D. Auguſtinus , *ſit ſpes noſtra Deus noſter. Qui fecit hæc omnia melior eſt omnibus : qui fortia fortior : qui magna major : quidquid amaveris, ille tibi erit. Diſce amare in creatura creatorem, in factura factorem : ne teneat te quod ab illo factum eſt , & amittas eum à quo ipſe factus es.* Sed aſcende à creatura ad creatorem, qui eſt objectum veræ fœlicitatis, ad quam erigere debes ſpem tuam. *Spes vocata eſt, quaſi pes, quod ſit pes*

D. Iſidor: l. 8 Ethim: c. 2. *progrediendi*, ad cœlum, ad Deum, ad beatitudinem, ad æternitatem.

Oſee: 12. Chriſtiane *ſpera in Deo tuo ſemper* ; præſertim in tempore tentationis , afflictionis, defectionis, & offenſionis, orationis & dilectionis. 1. In tempore

Prov: 30. tentationis, ut reſiſtas, non cadas, ſed vincas. Deus namque *clipeus eſt ſperan-*

Jerem: 17. *tibus in ſe.* 2. Tempore afflictionis, *ſpes mea in te Domine in die afflictionis meæ.* Deus autem *non deſerit ſperantes in ſe* , ſed adverſus perſecutores protegit.

Judith: 13. *In Deo ſperavi , non timebo quid faciat mihi homo.* 3. In tempore defectionis quando neceſſaria nobis deſunt. Nam *erit egeno ſpes.* 4. In tempore offenſionis. Si enim eſſet aliquis medicus corporalis , qui ſciret , vellet , & poſſet omnes infirmitates curare, nullus eſſet infirmus qui non confideret & ſperaret in tali medico. Deus autem ſupremus medicus , ſcit , vult , & poteſt omnes

Eccleſ. 2. peccatores curare & ſalvare : *Reſpicite & ſcitote quia nullus ſperavit in Domino , & confuſus eſt.* 5. In tempore orationis , Deus autem non audit niſi

Serm: 19 in Pſal: 118. ſperantes in ſe. Unde ſic alloquitur Moyſem apud D. Ambroſium : *Tu ſolus ad me clamas , qui de me ſperas : tu ſolus ad me clamas qui virtutem meam excitas.* 6. In tempore divinæ dilectionis, ſicut enim habitus charitatis præſupponit habitum ſpei. Nam *domus Dei credendo fundatur , ſperando erigitur,*

D. Aug. Ser: 22. de Verb: Apoſt: *diligendo perficitur* ; ita charitatis, actus, actualem ſpem prærequirit : ſed nulli potiori jure poſſunt ſperare in Deo , quam illi qui bona conſcientia præditi ſunt , & ſeſe in bonis operibus exercent. Ut enim animadvertit D. Auguſti-

Præfat: in Pſ 31. 1 ad Timoth: nus expendens iſtud Apoſtolicum : (Finis præcepti eſt charitas de corde puro & conſcientia bona.) *Pro ſpe conſcientiam poſuit : ille enim ſperat qui bonam conſcientiam gerit : quem verò pungit mala conſcientia , retrahit ſe à ſpe , & non ſibi ſperat niſi damnationem. Ut ergo ſperet regnum , habeat bonam conſcientiam ; & ut habeat bonam conſcientiam , credat & operetur* ; neque Theologicas virtutes inertes ſinat & otioſas. Nam ut ratiocinatur magnus Gregorius :

Hom: 22 in Ezech: *Unuſquiſque, qui in activa vita exercito verſatur, tantum credit, quantum ſperat, amat*

amat & operatur; tantum ſperat, quantum credit, operatur & amat: tantum
amat, quantum credit, ſperat & operatur: tantum operatur, quantum credit, ſpe-
rat & amat, & credendo, ſperando, amando, benè operando, æternam ſibi in
cœlo beatitudinem comparat.

CONCIO TERTIA.

DE *propria ſpe*, id eſt de ſpe propriè ſumpta differentes; omnis tollenda Tert. lib. de
eſt nominis æquivocatio, hæc autem vox ſpes, quinque modis poteſt Reſ 30.
uſurpari. 1. Pro paſſione, in bonum arduum tendente, & ſubjectante, in
appetitu iraſcibili. 2. Pro habitu fidei infuſæ: *Nunc autem manent fides,* 1. Cor: 13.
ſpes, & charitas. 3. Pro objecto ſpei, ſeu re ſperata; quomodo intelligendus
eſt Apoſtolus: *Spes quæ videtur, non eſt ſpes*, id eſt res ſperata, ſi adſit, ſi poſ- Rom: 8.
ſideatur, non amplius ſperatur: Nam *quod videt quis? quid ſperat.* 4. Pro
eo, ad quem ſpes dirigitur, quomodo Deus ſpes nuncupatur à Regio Vate, Pſal: 13.
Dominus ſpes ejus eſt. 5. Et propriè hic uſurpatur pro actu ſpei: Sic *ſpes eſt* Clem:
boni acquirendi expectatio: ſeu ut fatur Magiſter ſententiarum, (Spes eſt Alex.
certa expectatio futuræ beatitudinis proveniens ex Dei gratia, & ex meritis L. 3. Diſt. 26.
noſtris.) Ex hac definitione trina ſpei proprietas colligitur, quæ 1. ad futu-
ram beatitudinem poſſidendam terminatur: 2. certitudine ſolidatur: 3. me-
ritis ſublevatur.

Adeò contemplatio eſt ſpei in hoc ſpatio per fidem, non repræſentatio, nec poſſeſſio, I. PARS.
ſed expectatio; ſicut patria eſt locus poſſeſſionis, ita via eſt locus expectationis; Tert. lib. de
Ut autem docet D. Auguſtinus: *Ab amore hujus ſæculi vocati ſumus, ut aliud ſæ-* Reſ. 23.
culum ſperemus. Sperent ſæculum Turcæ qui beatitudinem ſuam in carnis vo- Serm: 39. de Verb.
luptatibus collocant; ſperent ſæculum impii, qui animam credentes moritu- Dom.
ram, nullam poſt mortem corporis fœlicitatem expectant: *Non eſt ſpes noſtra*
de hoc ſæculo; quia fœlicitatem non in carnis voluptatibus collocamus, & ani-
mam credentes immortalem, ad æternam beatitudinem ſpem noſtram erigi-
mus. *Ad hanc expectationem, & propter hanc ſpem, Chriſtiani facti ſumus.* Chri-
ſtiana autem expectatio terminatur ad 1. bonum: 2. arduum: 3. futurum.

1. *Etiamſi præfinitum in oratione non eſſet, de poſtulando regni adventu,* Tert lib. de
ultrò eam vocem protuliſſemus, feſtinantes ad ſpei noſtræ complexum, nem- Orat. 5.
pè cœleſtem beatitudinem, quæ complectitur aggregationem omnium
bonorum abſque ulla permixtione mali: in quo ſpes à timore dif-
fert: timor enim circa malum verſatur, ſpes autem ad bonum termina-
tur. Cujus objectum totale & adæquatum eſt omne bonum ſupernatu-
rale quod poſſumus à Deo expectare concernens beatitudinem, dividi-
turque in objectum primarium & ſecundarium: primarium eſt ipſemet
Deus per viſionem & amorem poſſidendus: ſecundarium eſt, vel gloria

 corporis,

corporis,aliorumque beatitudo,vel auxilia quæ à Deo expectamus,ad conſequandam beatitudinem neceſſaria ; utrumque autem objectum tam primarium,quam ſecundarium eſt bonum arduum.

Tert. Scorp. 6.

2. Bonum ſpei objectum *tale quid eſſe oportuerat illud emolumenti,quod magno conſtaret labore,cruciatu,tormento,morte.* Quod etſi poſſibile adipiſci,ob ſuam arduitatem nonniſi magna cum difficultate poteſt comparari. Poſſibile quidem adipiſci,impoſſibile enim ut tale cognitum,ſperari & deſiderari nequit , ſaltem deſiderio efficaci ſtimulante ad proſecutionem boni apprehenſi : arduum etiam, difficile & laborioſum : non enim dicitur ſperari bonum facile, quod ſtatim habetur & in poteſtatem venit : objectum autem ſpei non eſt obtentu facile,ſed difficile: Nam primarium eſt ſupernaturale,neque ſolis naturæ viribus ſperari & acquiri poteſt : ſecundarium autem , nempe auxilia ad beatitudinem obtinendam neceſſaria , à Dei bonitate & liberalitate dependent.

Tert. l. 2. de Cult: Fœm: 13. 12 q.40 a 2. ſolu. ad 1. arg:

Quædam enim ſunt divinæ liberalitatis,quædam noſtræ operationis. Quæ à Domino indulgentur , ſua gratia gubernantur : quæ ab homine captantur , ſtudio perpetrantur. Inde D. Thomas magnum agnoſcit diſcrimen inter ſperare & expectare. Sperare eſt tendere in bonum propria virtute obtinendum : expectare verò eſt tendere in bonum, non per propriam, ſed per alienam virtutem adipiſcendum. Objectum autem ſpei non eſt propria,ſed virtute divina comparabile. Itaque ſpes eſt expectatio boni ardui, æternalis, poſſibilis adipiſci, cujuſmodi eſt æterna beatitudo,quæ eſt bonum,arduum : (Arcta eſt via quæ ducit ad cœlum,& pauci ſunt qui inveniunt eam.) *Et ideò multi vocati , pauci electi. Non quæritur qui latam viam ſequi ſit paratus ſed qui anguſtam.* Illa enim ducit ad infernum,hæc verò ad cœlum,& æternam beatitudinem quæ eſt bonum arduum,& futurum,ad quod ſpes Chriſtiana terminatur.

Matth. 16. Tert:lib:de Fug. in Perl: 14.

Tert.lib:de An: 55.

3. *Nulli patet cœlum, terra adhuc ſalva.* Quandiu anima includitur in terreno & mortali corpore, nequit cœleſti frui fœlicitate , quæ non eſt bonum vitæ præſentis , ſed futuræ : licet enim beatitudo utpote æterna , in ſe non habeat præteritum, præſens, & futurum, eſt tamen beatitudo æterna ſperanti : ſicque ut futura apprehenditur prout eſt ſpei objectum. Ex D. namque Chryſoſtomo *ſpes eſt futuræ pollicitationis religioſus aſſenſus , promiſſæ gloriæ devota intentio, Sanctorum deſtinata ſublimitas.* Spes autem principaliter futuram reſpicit beatitudinem, alia verò quæ à Deo poſtulantur : reſpicit ſecundario , ſcilicet in ordine ad futuram beatitudinem. (Haud ſecus ac fides principaliter reſpicit Deum , ſecundario verò ea quæ ordinantur ad Deum.) Unde numquam licet ſperare aliquod bonum , præter beatitudinem , ſicut ultimum finem , ſed ſicut id quod eſt ordinatum ad ultimum finem , & ad conſequendam beatitudinem , quam expectamus futuram ; quia *animo ſolo adhuc poſſumus cœleſtia attingere* ; nempè deſiderio & ſpe , quam bellè D. Auguſtinus ovo comparat : *Spes nondum pervenit ad rem , & ovum eſt aliquid , ſed nondum eſt pullus :* Orto autem pullo , ovum amplius non eſt. Sic *finitur ſpes , quando venit res* ; quia verò nondum venit res,

Ser. de Fi de, Spe, & Char.

Tert lib de Reſ. 23. Serm.29.de Verb: Apoſt D. Aug Ser. 2. de Aſcenſ.

nec

nec à nobis obtenta eſt futura beatitudo, ad eam ſpes noſtra attollit deſideria. Ut enim fatur aureum eloquentiæ Græcæ flumen, apud D. Bonaventuram: *Spes eſt, in qua ſalus noſtra conſiſtit, & qua de terris animas, velut quibuſdam catenis, cœlitus dependentibus, innexas evehit ad ſuperna.* Ad cœleſtia non evehunt mentem, qui ad terrena curvantur; neque futuram expectant beatitudinem, qui nihil ſperant niſi præſens ſæculum. Quam ſtulte aberrent inde patet, quod *ſpes noſtra non de iſto tempore, neque de hoc mundo eſt, neque in ea fœlicitate qua excœcantur homines qui obliviſcuntur Deum. Hoc noſſe primitus & Chriſtiano corde tenere debemus, non ad præſentis temporis bona nos factos Chriſtianos eſſe, ſed ad neſcio quid aliud quod Deus promittit jam, & homo nondum capit.* In Pharet l. 2. c. 24. D. Aug. Ser. 64. de Verb. Dom.

Verum quia impii Chriſtianos criminantur, quod bona operentur & mala ſuſtineant, ob ſpem futuræ beatitudinis, quam nondum vident, neque poſſident, neque certi ſunt an illam aliquando obtineant, in illos D. Auguſtinus retorquet tela quæ adverſus fideles jaculant. *Dicendum eſt eis, qui cum perdidiſſent, vel numquam habuiſſent ſuſtinentiam, nobis ſuſtinentibus Deum, quia quod non videmus, ſperamus, & per patientiam expectamus, etiam inſultare audent, cum imitari deberent. Ubi ſunt deliciæ veſtræ, propter quas ambulatis per vias pravas? Non dicimus, Ubi erunt, cum hæc vita tranſierit, ſed ubi modo ſunt? Cum heſternum diem dies hodiernus abſtulerit, & hodiernum craſtinus ablaturus ſit, quid eorum quæ diligitis, non tranſvolat? Nos irridetis quia ſperamus æterna quæ non videmus, cum vos eis quæ videntur temporalibus ſubditi, neſciatis qualis vobis dies craſtinus illuceſcat quem ſæpe bonum ſperantes, malum invenitis: nec ſi bonus fuerit, eum ne fugiat, tenere poteritis. Nos irridetis, quia ſperamus æterna quæ non videmus, quæ cum venerint non tranſibunt, quia nec ipſa veniunt, ſed ſemper manent: Nos autem ad illa veniemus cum per viam dominicam iſta quæ tranſeunt tranſierimus. A vobis vero temporalia nec ſperari aliquando deſinuntur, & tamen crebro ſperata vos fallunt, nec ceſſant vos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere tranſeuntia. Nonne ipſa ſunt quæ concupita inardeſcunt, adepta vileſcunt, amiſſa vaneſcunt?* Fuſe quidem, ſed acute impios inſequitur D. Auguſtinus. Deinde Chriſtianos ſic alloquitur. *Firmiſſime ſperate, quod non videtis, patienter expectate quod nondum habetis, quia veracem promiſſorem Chriſtum retinetis*, & ſpes veſtra, qua futuram expectatis beatitudinem, certitudine firmatur. Serm 23. de Ver. Apoſt.

Sed ſi aliqua nos quoque perſtringunt, ut nobis cohærentes, lætamur magis recognitione divinarum prædicationum, confirmantium ſcilicet fiduciam, & ſpem fidei noſtræ in atrociſſimis tyrannorum perſecutionibus divinarum prædictionum oracula, Chriſtianorum animabant fiduciam, & fidem ſpei confirmabant: quia fides quæ certa & infallibilis eſt, eis ſperata, tanta certitudine repræſentabat, ac ſi illa de facto poſſidiſſent. Nam ut fatur alibi Tertullianus; *hæc jam quodammodo habemus per fidem ſpiritu imaginante repræſentata*, Tertulliano attidet D. Hieronymus atto- II. PARS. Tert. Apol. 39. L. de Spect. 30.

nitus cur Apoſtolus non recenſuerit ſpem inter fructus Spiritus ſancti. Poſt attentam conſiderationem recenſuiſſe fatetur, *quia in fide ineſt quod ſperatur: ſiquidem quod ſperamus eſſe venturum, nec dum eſt in præſenti, fide poſſidemus, ſperantes nos tenere quod credimus.* Inter fidem & ſpem cognatio quædam, eſt, mutuumque ſibi ad invicem præſtant officium. *Fides ſpei ſubſtantia eſt & ſpes fidei gloria.* Spes eſt fidei gloria, quia ſperando illam adornat, vegetat & animat ad credendum. Ut enim ratiocinatur Clemens Alexandrinus, *Eccleſia conſtat corpore, ſcilicet fide, anima vero ſpe: uti Chriſtus carne & ſanguine.* Veteres exiſtimabant ſanguinem eſſe animæ ſubſtantiam, vel potius vitam animæ in ſanguine collocabant. Ad quos alludens Clemens Alexandrinus ſubjungit: *Revera ſanguis fidei eſt ſpes*, vitam illi & motum communicans. *Cum autem ſpes expiraverit, perinde ac ſi ſanguis effluxerit, vitalis fidei facultas diſſolvitur.* Verum ſi ſpes eſt fidei ſanguis, fides eſt ei ſubſtantia, & ut fatur Philo Judæus, *fides, bona ſpei ſupplementum, eam à titubatione eximens, & illi certitudinem impertiens.* Certitudo autem fidei à certitudine ſpei diſtinguitur: Tum quia certitudo fidei eſt intellectus, certitudo ſpei affectus: Tum quia certitudo fidei opponitur dubitationi, certitudo ſpei hæſitationi ſeu diffidentiæ: Tum quia certitudo fidei nullatenus deficere poteſt, certitudo ſpei peraccidens deficere poteſt, non vero per ſe, quia innititur divinæ 1. liberalitati: 2. fidelitati: 3. poteſtati.

(In c. 5. Ep. ad Gala. — S. Zen. S. de Fide, Spe, Charit. — L. 1. Pæd. 6 — L. de Abrah.)

1. Beatitudinem quam ſperamus in cœlo, mediaque ad illam aſſequendam Deus *de ſua liberalitate præſtabit.* Et ob hanc cauſam ait Seraphicus Doctor: *Certitudo ſpei oritur ex divina largitate.* Ut autem fides fallere non poteſt, quia innititur primæ veritati: ita ſpes non poteſt deficere, qui innititur ſummæ liberalitati. Qui in ſpe titubant, de Deique liberalitate diffidunt, Deo injuriam irrogant: qui vult haberi bonus, liberalis, munificus, honori ducens dum talis creditur, colitur ſperatur. Non ſecus ac rex à ſuis haberi deſiderat clementiſſimus regali in omnes utens munificentia, Gratiſſimum itaque obſequium, reverentiam & honorem Deo deferunt, qui illum munificum & liberalem exiſtimant; fiduciam in ejus liberalitate collocant; magna ab eo ſperant. Qui ſunt hujuſmodi illum ſanctificant: *Dominum exercituum ipſum ſanctificate.* Quomodo autem Deum poteritis ſanctificare, declarat Neotericus: (Id facietis ſperando in ipſum, ipſi vos veſtraque committendo. Diſcite hic Deum ſanctificari per ſpem. Honoratur enim ejus bonitas, potentia, & fidelitas, ſi illi nos, noſtraque credamus.) Spes enim ſuæ fidelitati innititur.

(Tert. lib. de Spect. 30. L. 5. Comp. Theol. c. 12 — Iſa. 8. — Cor. à Lap.)

2. Deo credendum eſt, quia eſt verax *neque mentitur.* Qua conſideratione utitur Apoſtolus, ut à Deo ſperet juſtitiæ coronam: Pem ſpem, binam habet Paulus certitudinem. Unam de veracitate Dei: *Scio cui credidi* in quo ſpero, nimirum in Deo veraci, fideli in promiſſis, qui mentiri, neque fallere nequit: Aliam de beatitudine ſeu corona juſtitiæ quam certo à Deo veraci, fideli, & juſto ſperat. *In reliquo repoſita eſt mihi*

(Tert. lib. de Teſt. An. 6. — 2. Timot. 1. — 2. Timot. 4.)

mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi in illa die juſtus judex. Chriſtus Dominus ut diſcipulorum ſpem animaret, ſeipſum proponit; cui abſque ulla hæſitatione fidere debent. *Habete fiduciam, ego ſum.* Ego ſum verax, mentiri neſciens; ego ſum fidelis fallere non valens; ego ſum Deus in quo omnem veſtram debetis ponere ſpem. Credendum non eſt hominibus mendacibus, fallacibus, infidelibus, qui ut plurimum mentiuntur, decipiunt, infideles ſunt; at Deo veraci, fideli, omnino credendum, in omnibus ſperandum eſt ob ejus liberalitatem, fidelitatem, & poteſtatem. Math. 14.

3. *Deus non alia lege credendus eſt, quam ut omnia poſſe credatur.* Ex Dei omnipotentia Tertullianus demonſtrat mortuorum reſurrectionem, quæ eſt *fiducia Chriſtianorum.* Chriſtus Dominus reſurrexit *ad ſublevationem ſpei noſtræ.* Quod docet D. Auguſtinus quærens: *In paſſione quid egit Chriſtus? Docuit quid toleremus. In reſurrectione quid egit? Docuit quid ſperemus.* Reſurrectionis autem ſpes potentiæ divinæ innititur. Quo argumento utitur D. Auguſtinus ut impiis reſurrectionis oſtendat veritatem. *Nemo ergo de reſurrectione deſperet, in qua Chriſtianorum ſpes tota conſiſtit. Credite Apoſtolo prædicanti, & nihil de reſurrectione dubitantes, ad diem judicij vos præparate. An forte ſicut impij & increduli non putatis fieri poſſe ut à mortuis reſurgamus? Plane dicat hoc, qui omnipotentem non credit Deum, qui hoc promittit futurum: Nos autem qui ſcimus Dei omnipotentem eſſe virtutem, quia promiſiſſe Deum legimus quod reſurrectionem faciat mortuorum non poſſumus de reſurrectione dubitare quam ſe facturum eſſe promittit, qui & omnipotens eſt, & mentiri neſcit.* Neque ſolam ſpem reſurrectionis Dei omnipotentiæ innixam vult D. Bernardus, ſed omnem penitus ſpem Chriſtianam. *Si quid illi impoſſibile, ſi quid vel difficile eſt quære alium in quo ſperes,* nempe Deum omnipotentem, *ſed verbo omnia poteſt. Quid facilius dictu? Attamen hujuſmodi dictum intelligas volo. Si decreverit ſalvare nos, continuo liberamur: ſi vivificare placuerit,* vita in voluntate ejus eſt. *Si præmia æterna largiri* licet ei quod vult facere. *An vero de facilitate ejus jam non dubitas, ſed ipſa tibi eſt ſuſpecta voluntas? Plane & voluntatis teſtimonia credibilia ſunt nimis.* Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. *Denique quando in ſe ſperanti deſit illa majeſtas, quæ tam ſtudioſa monet in ſe ſperari? Plane non dereliquit ſperantes in ſe.* Adjuvabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & ſalvabit eos. *Quare? Quibus meritis? Audi quod ſequitur.* Quia ſperaverunt in eo. *Dulcis cauſa, attamen efficax, attamen irrefragabilis.* Ablegandа eſt quidem præſumptio, ſed firmanda eſt ſpes. Quia de ſe præſumit, Dei juſtitiam offendit; qui de Deo diffidit, injuriam ejus omnipotentiæ facit. *Sicut multum confidere non debemus, ne noſtram virtutem videamur profiteri: ſic diffidere non debemus, ne Dei adjutoris noſtri impotentiam videamur pronunciare.* Qui ultra modum confidit, arrogantiæ reus eſt, qui in ſpe vacillat, Deum velut impotentiæ arguit. Menſura ſpei noſtræ eſt Dei omnipotentia, cui tantum derogamus, quantum fiduciæ non erogamus. Nam in Deo non ſperantes,

Tert. l. de Reſ. 11. — L. de Reſ. — D. Tho. 3 p. q. 53. a. 1. — Ser. 119. de Temp. — Serm. 54. de Ver. Apoſt. — Serm. 9. in Pſ. 90. — Joan. 15. — Pſal 36. — Orig. Tract. 35. in Math.

ſperantes, vel de ejus auxilio dubitantes, illum aliquo modo pronuntians impotentem.

Firmæ ſpei in divina omnipotentia, fundatæ, illuſtre habemus Davidis & Abrahæ exemplum. David mediis in anguſtiis, firmiter in Deo ſperat: (Clamavi ad te Domine, dixi, tu es ſpes mea.)

Pſal: 141.

Quæ verba ſic elucidat D. Chryſoſtomus: *Vides quomodo mala eum minime obruerint, ſed magis erexerint, & extulerint. Etenim cum in ſumma eſſet inopia, agnovit manum inviſam, & vires omnipotentes, dicens*: Tu es ſpes mea. *Humana omnia defecerunt, tempeſtas eſt omni auxilio ſuperior. Et tamen etiam ſi hæc apud homines deſperata ſint, tibi tamen omnia ſunt facilia*, quia infinita polles poteſtate, tuæ autem omnipotentiæ cui nihil eſt impoſſibile, tota ſpes mea innititur. Eximia ſane Davidis fiducia, ſed multo admirabilior Abrahami ſpes: qui, ut fatur Apoſtolus, *contra ſpem in ſpem credidit*: quia nullam habens poſteritatis ſpem, neque naturaliter habere debens, eo quod Sara eſſet ſterilis, & adhuc annoſa, prætergreſſa parturitionis ætatem; ipſe pariter eſſet ſenio confectus, & parum ad prolis generationem ideoneus, & tamen in ſpem contra ſpem credidit, credens & ſperans ea, quæ erant naturaliter impoſſibilia: & contra omne Medicorum & Phiſicorum judicium, *Deum potentiorem credens omni corporum lege.* Supra naturæ vires ſperans, certiſſime ſibi perſuaſit ex Sara ſterili, & annoſa, naſcituram prolem à Deo promiſſam. Abrahami ſpem mire commendat Veronenſis Antiſtes: *Huic & præſentia ſubjacent & futura. Iſta, quia contemnit: illa, quia ſua eſſe præſumit. Nec ſpes timet, ne non veniat: quia ea ſecum ſuis in virtutibus portat. Hoc eſt quod Abraham* contra ſpem in ſpem credidit Deo, ut fieret pater multarum gentium. *Contra ſpem autem eſt, quod impoſſibile: ſt, ac non videtur eſſe poſſibile: ſed poſſibile hoc ſpe fit, cum Dei dicto indubitanter ac firmiter creditur: dicit enim Dominus*: Omnia poſſibilia ſunt credenti. Admirabilis ſane Abrahæ ſpes, quæ rem prorſus deſperatam, & totius naturæ viribus impoſſibilem audacter intentat, & fœliciter exequitur quia quod non videtur impoſſibile ſpei efficacia efficitur non poſſibile: Licet enim ſpes eſſentialiter circa rem poſſibilem verſetur: pia tamen præſumptione in Dei omnipotentia ſupra naturæ vires audet, reddens poſſibile quod naturaliter videtur impoſſibile. Adeo grata fuit animoſa Abrahami fides & ſpes, ut velut divinæ particeps omnipotentiæ, naturæ vires ſuperans, impoſſibilia attenta ſit. Et ut eloquenter fatur Baſilius Seleucus, *Sterilis venit in oblivionem ſuæ conditionis: natura, dum ſpe renovatur, ſenecta obliviſcitur. Accepta promiſſione habuit filium ante filij partum: & ſpes ipſa prius Iſaacum peperit, quam alvus.* Abrahami ſpes ſuppliciter omnipotens ſupra naturæ vires potens, prius gignere & parere Iſaacum audet quam natura: ſpes antevertit prolem, & ante humanam genituram, ſterilem naturam fœcundavit ad fœlicem partum, quem prius peperit ſpes, quam Sara.

In Cathen. Corde. Græ Pat.
Rom: 4
Tert. lib. de Reſ: 52.
Ser. de Fide, Spe, & Cha.
Marc. 9.
Orat: 2.

Philipp 4.

Adeo efficax eſt ſpes, ut voluntas animoſe confidentis, ſit potentia omnipotenter operantis: *Omnia poſſum in eo qui me confortat*, ait Apoſtolus,

Apoſtolus, id eſt potens, fortis, validus ſum: Deus namque qui me intus corroborat, validum ac robuſtum efficit, dum animæ, menti, voluntati, vires gratiæ ſuæ ſuggerit. *Quanta fiduciæ vox*, exclamat D. Bernardus! (Omnia Serm 85. in
poſſum in eo qui me confortat:) *Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes qui in eo ſperant.* Cant: Denique omnia poſſibilia ſunt credenti: *An non omnipotens cui omnia poßibilia ſunt? ita animus ſi non præſumat de ſe, ſed ſi confortetur à Verbo, poterit utique dominari ſui, ut non dominetur ei omnis iniquitas: ita inquam, Verbo innixum, & indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra poterit vel ſtantem dejicere, vel ſubjicere dominantem.* Fiduciam illam omnipotentem in muliere fluxu ſanguinis laborante agnoſcit D. Hieronymus, cui dixit Salvator: (Fides tua te ſalvum fecit.) *Non dixit, fides tua te ſalvam factura eſt; ſed ſalvam fecit. In eo enim quod credidiſti, jam ſalva facta es.* Matth: 9. Tanta eſt enim vis animoſæ ſpei mulieris illius, ut ei Chriſtus miraculoſæ ſanitatis adſcribat virtutem.

Ob certitudinem D. Bonaventura tribus comparat ſpem: (Eſt enim ſicut columna domum firmans; ſicut galea caput armans, & ſicut anchora navem ſervans. Diæt: Salutis: 5. c. 4. Spes itaque eſt ſicut columna, quæ domum ſuſtentat. Nam columna debet eſſe ſolida, & de forti ligno, non fragilis & vacua, ut arundo: ſic ſpes quæ eſt in Deo, quia eſt ſolida, eſt quaſi de forti ligno, & facit ædificium ſolidum. Spes eſt etiam ſicut galea. Nam ſicut galea eſt munimentum capitis, ſic ſpes eſt armatura intentionis. Spes eſt ſicut anchora: nam ſicut anchora ſervat navem contra procellas fluctuum: ſic ſpes mentem contra tentationis impulſum.) Doctor Seraphicus alludit ad Apoſtolum, ſpem vocitantem modo galeam, modo anchoram. Galeam quidem, *Galeam ſalutis aſſumite.* Epheſ. 6. Galea caput noſtrum, puta intentionem armat & munit: Tum quia intentionem in Deum, æternam beatitudinem, & ſalutem tanquam in finem dirigit; eoque refert omnia cogitata, dicta, & facta: Tùm quia homo cœleſtis beatitudinis cogitatione & deſiderio munitus, cogitationes à diabolo ſuggeſtas repellit: Tum quia ſpe cœli armatus omnia dura vel ſuſcipit, vel ultrò tolerat, ut ſperatam valeat aſſequi fœlicitatem. Spes eſt etiam *ſacra anchora.* D. Chryſoſt. in Pſal 140. In c. 6. Hebr: Notat D. Chryſoſtomus fidem eſſe velut columnam, vel fundamentum in terra jactum; fides enim eſt ſolidiſſima, certiſſima, firmiſſima: Spem verò, quæ fide quidem eſt incertior, certior tamen omnibus humanis auxiliis & rebus, eſſe quaſi anchoram, non quamlibet, ſed tutam & firmam: quia ſicut firma anchora navem in mari, inter fluctus & ventos firmam, illæſam & inconcuſſam retinet & conſervat, ita ſpes, inter tentationes hujuſque ſæculi agitationes, quibus in hac vita quaſi navigantes jactamur, animam firmat & corroborat, ut ſolida, immobilis, conſtans in fide ſtudioque virtutis conſiſtat: *Confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.*

Objiciet aliquis, Quod poteſt deficere non eſt certum, ſed multi ha-

bentes ſpem deficiunt à conſecutione beatitudinis, ergo ſpes certitudinem non habet. Reſpondeo eadem ratione poſſet dici fidem non habere certitudinem, quia multi fidem habentes non ſalvantur. Deinde dico quod aliqui habentes ſpem deficiunt à conſecutione beatitudinis, non quidem ex defectu divinæ liberalitatis, fidelitatis, poteſtatis: unde ſuam mutuatur certitudinem; ſed ex defectu liberi arbitrii hominis, quod malo conſentit; ideoque ut certitudo ſpei ſit undequaque firma & ſtabilis, prærequirit merita, quibus in cœlum ſublevatur.

III. PARS. *Supereſt de conſummatione, & diſpenſatione mercedis* quam ſpes expectat. Ut enim docet D. Bonaventura: (Certitudo ſpei ex tribus oritur, ſcilicet ex divina largitate, ex prægustatione æternorum, ex abundantia meritorum; verum quia quidam Neoterici, nolunt Deum amandum amore concupiſcentiæ; & hæretici opera meritoria deſtruere moliuntur, impatienterque ferunt beatitudinem ex illorum intuitu ſperari; ne in hac materia aliqua difficultas inſoluta relinquatur, 1. non immerito Deus ut nobis bonus amatur & deſideratur: 2. rectè ex intuitu mercedis operatur: 3. optimè beatitudo ex meritis ſperatur.

Tert. lib: adv. Valent: II. Lib: 5. Compend: Theolog. 22.

1. Deus *Creatori diligendo ædificaverat hominem.* Duplex eſt autem Dei amor; amicitiæ unus, concupiſcentiæ alter. Amor amicitiæ eſt ille quo Deus diligitur propter ſemetipſum, ob infinitam bonitatem qua pollet, nullo habito reſpectu ad commodum & bonum diligentis, à quo non minus diligeretur etiamſi nuſquam eſſet ab ipſo poſſidendus: amor concupiſcentiæ eſt ille quo quis diligit Deum quatenus ipſi bonus; amor amicitiæ pertinet ad charitatem, amor concupiſcentiæ ad ſpem ſpectat. Spes & charitas ſunt habitus ab invicem diſtincti, & producunt actus inter ſe diverſos. Ut enim ratiocinatur D. Anſelmus, in voluntate ſunt duæ inclinationes, vel affectiones; juſtitiæ una, qua proſequitur bonum propter ſe; commodi altera, qua proſequitur bonum quatenus ſibi conveniens; affectio juſtitiæ, nobilior eſt affectione commodi; ideoque Deus duos habitus largitus eſt voluntati, correſpondentes duabus illis affectionibus; affectioni juſtitiæ habitum charitatis: affectioni commodi, habitum ſpei: habitus charitatis eſt nobilior habitu ſpei. Charitas autem Deum diligit affectione juſtitiæ ob infinitam ejus amabilitatem: ſpes Deum diligit affectione commodi, ob magnam diligentis utilitatem; de qua loquitur D. Bernardus diſtinguens ex modo loquendi Prophetæ regis, motivum ſperandi, & objectum ſpei. Motivum ſpei deſignat: (Quoniam in te ſperavi,) ratione ſcilicet liberalitatis, fidelitatis, & poteſtatis. Objectum verò ſpei denotat. *Cæterum quod dicit, Tu es Domine ſpes mea, fortè amplius aliquid ſonat & ſublimius, quod videlicet non modo in eo ſperet, ſed eum: Convenientius ſiquidem ſpes noſtra dicitur quod ſperamus, quam in quo ſperamus. Sunt autem forte nonnulli qui à Domino obtinere temporalia ſeu ſpiritalia qualibet concupiſcunt: ſed perfecta charitas ſolum ſitit quod* *ſum-*

Tert: l. 4. adv: Marc: 16.

Lib de Concord. c. 19.

Serm. 9. in Ps. 90.

ſummum eſt, tota deſiderii vehementia clamans: Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. [Pſ. 72.] *Pulchre nobis utrumque paucis verbis Hieremiæ lectio commendavit.* Bonus es Domine ſperantibus in te, animæ quærenti te. [Thren. 3.] *Ubi ſanè & ipſam numeri diſcretionem prudenter adverte, quod ſperantes quidem in eo pluraliter dixerit, quod hoc videatur commune multorum: quærentem verò eum ſingulariter, quod ſingularis ſit puritatis, ſingularis gratiæ, ſingularis perfectionis, non modo nihil ſperare niſi ab eo, ſed nihil quærere niſi eum. Quod ſi bonus illis, quanto magis iſti* qui non bona Dei, ſed ipſum Deum ſibi deſiderat, & ut eum velut ſuam mercedem obtineat, rectè operatur?

2. *Cui me decet obſequi, niſi remuneratori?* Hoc loquendi modo Tertullianus damnat hujuſce ætatis hæreticos, qui nolunt licitum eſſe operari ex intuitu mercedis æternæ. [Tert: l. 4 adv: Marc: 31.] Cunctis tamen benè & meritoriè operantibus in cœlo præparatur, *magna merces, fœlicitas ſcilicet.* [Tert. lib de Pat 11.] Hæreticorum errorem anathematizavit Concilium Tridentinum: (Si quis dixerit hominem juſtificatum peccare, dum intuitu mercedis æternæ operatur, anathema ſit.) [Seſſ. 6. Can 3.] Eumdem damnavit Facultas Parienſis hanc propoſitionem erroneam declarans: (Qui præmii cauſa certat, non certaturus niſi dandum eſſet præmium, is ſeipſum præmio fruſtrat.) [Apud Claud. Guilliaud. in 1. Cor. 9.] Contrarium apertè docet Tertullianus. *Nihil adhuc dico de præmio, ad quod Deus Martyres invitat.* [Lib ad Mart 2.] Tertulliano arridens D. Auguſtinus ſic ait: *Omnium Chriſtianorum ſpes in futurum tempus extenditur, ut quod ſervimus hic Deo, alibi nos ſerviſſe lætemur. Hic enim nobis propoſita ſunt certamina, ſed in futuro ſæculo certaminum præmia reſervata.* [Serm. 34 de Verb. Apoſt.] *Juſtè ſiquidem & provide divina ſapientia ſeparavit tempus laboris & præmii. Hic ergo laboramus, hic ſervimus Deo & mandata Jeſus ſervamus, ut in futuro ſæculo, id eſt in cœlorum regno, æterna præmia capiamus*, ipſumque Deum poſſideamus, qui ut fatur dubius Auguſtinus, eſt *præmiator & præmium fœlicitatis æternæ, coronator & corona, promiſſor & promiſſio, remunerator & munus*: [Soliloq 36.] & ne quis de authoritate tanti Doctoris dubitet, audiatur indubitatus Auguſtinus Chriſtianum ſic inhortans. *Deum gratis ama, quaſi propoſita acceptione mercedis; quia ipſa merces tua ſumma Deus erit, quem diligere & ſic amare debes, ut ipſum pro mercede deſiderare non ſinas, qui ſolus te beatum faciet.* [In Pſal. 10.]

Ex his concluditur actum ſpei quo quis ex intuitu mercedis æternæ operatur, eſſe actum virtutis bonum & meritorium, modo gratia & charitate ſit informatus. Sicut enim pium eſt operari bona, ex virtute & inſtinctu charitatis, ſcilicet ut per illa placeamus Deo, noſtrumque erga Deum teſtemur amorem: ſic pium eſt operari bona ex inſtinctu ſpei, ut per illam adipiſcamur mercedem æternam. Spe mercedis, Moyſes negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, malens affligi cum populo Dei quam temporalis peccati habere jucunditatem. *Aſpiciebat enim in remunerationem.* [Hebr: 11.] Ex intuitu mercedis æternæ Regius Vates divina obſervavit mandata, *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas,* [Pſal. 118.]

tus , *propter retributionem.* Ex intuitu æternæ mercedis Apoſtolus bonum certamen, certavit, curſum conſummavit, fidem ſervavit; ideoque aſſeverat

Tert: Scorp: 6. ſibi repoſitam coronam juſtitiæ à Deo juſto Judice. *Ita ab ævo digniſſimum creditum eſt ſtudiorum experimentum* , *committere artes* , *corporum & vocum præſtantiam expendere* , *præmio indice* , *ſpectaculo judice; ſententia voluptate.*

Hom 15. in Matth. Imò ipſemet Chriſtus ut acutè animadvertit Auctor Operis Imperfecti : *doctrinam ſuam non ſub ſpecie mandatorum atque exhortationis induxit, ſed ſub præmio beatitudinem : ut ſcilicet ſermonem ipſum faciat gratiorem* , ſuos diſcipulos ex intuitu mercedis ad bene operandum ſtimulet, quia nonniſi ex meritis propriis æterna ſperatur beatitudo.

Tert: lib. de Pœn: 6. 3. *Quam porrò ineptum* , *quam iniquum* , *pretium non exhibere* , *ad mercedem manum emittere* , id eſt ſine ullis meritis æternam beatitudinem ſperare ! Quapropter ſpes definitur ,

Mag. ſent: in 3. diſt: 26. [Certa expectatio futuræ beatitudinis proveniens ex Dei gratia , & ex præcedentibus meritis noſtris.] Non eſt autem intelligendus de ſpe habituali , per quam expectatur futura beatitudo , quæ cùm ſit habitus à Deo infuſus nullatenus procedit ex meritis ; ſed intelligendus eſt de actu ſpei ad quem requiritur primario Dei gratia , ſecundario bona opera ex gratia facta. Gratia requiritur : Ex Concilio namque Tridentino,

Seſſ. 6. c. 3. *Si quis dixerit hominem ſine Spiritus ſancti gratia* , *& ejus adjutorio poſſe credere, ſperare , & diligere ſicut oportet , anathema ſit.* Merita etiam requiruntur : nam ut docet Magiſter ſententiarum, vel potius D. Bernardus infra citandus, *ſine meritis aliquid ſperare non ſpes , ſed præſumptio dici poteſt.* Res enim ſperata ſeu objectum beatitudinis , cùm detur tanquam præmium , præexigit

1. Cor. 3. merita ad ſui conſecutionem. Ut enim ait Apoſtolus , *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum laborem ſuum.* Hic Paulus clarè docet merita bonorum operum : ubi enim merces eſt, ibi etiam meritum ; merces enim & meritum ſunt duo correlativa quæ ſunt ſimul natura. Hunc locum D. Hieronymus belle elucidat : *Unuſquiſque pro operibus ſuis mercedem accipiet , nec poſſunt in die judicii aliorum virtutes , aliorum vitia ſublevare* : ſed quilibet propriæ virtutis accipiet mercedem.

Opera noſtra moralia vel ſunt à voluntate ſola ſine gratia ſanctificante : vel procedunt à voluntate, charitate & gratia formata. Quæ ſunt à ſola voluntate, non ſunt cœleſtis beatitudinis digna , quæ cùm ſit ſupernaturalis , nonniſi

Tert: lib. 2. ad Ux. 7. mediis & operibus ſupernaturalibus poteſt adipiſci. Quæ verò procedunt à voluntate, gratia & charitate formata , ſunt æternæ vitæ digna & meritoria. Itaque juſti *ſanctificantur* , *& ſpem lucrationis accipiunt.* Prius ſanctificantur , quam de condigno lucrentur beatitudinem ſperatam. Et quia Deus eſt principalis cauſa bonorum operum ; nam gratis largitur gratiam actualem , qua movet & excitat voluntatem ut velit bene operari , & adhuc gratiam habitualem & ſanctificantem , quæ cum voluntate de facto producit bona opera , tum noſtra merita : tum ſpes beatitudinis : tum

L. de Orat. 5. adepta beatitudo , principaliter Deo tribuitur. Ut enim animadvertit

Tertullia-

Tertullianus expendens iſtam petitionem Orationis dominicæ : (*Adveniat regnum tuum.*) *Quicquid nobis optamus, in Deum auguramur, & illi deputamus quod ab illo expectamus.* Totum ordinem ſpei noſtræ denotare videtur Tertullianus. Nam 1. Deum amamus amore concupiſcentiæ, & ut nobis bonum, poſſidere deſideramus. 2. Quia ex noſtris viribus Deum non valemus poſſidere, ab illo auxilia petimus & expectamus; quibus eum valeamus poſſidere. 3. Et quoniam merita queis comparanda eſt æterna beatitudo, ab ejus gratia procedunt, illi deputamus tum merita digna beatitudinis: tum ipſam beatitudinem. Inde concludit: *Ad Dei voluntatem & ad noſtram ſuſpenſionem pertinet regni dominici repræſentatio*, id eſt poſſeſſio regni cœleſtis quod ſperamus, obtinetur tum per gratiam, tum per noſtra propria præcedentia merita. *Quorum cum auctor ſit, neceſſe eſt proinde & acceptator: ſi acceptator, etiam remunerator.* Deus eſt bonorum operum auctor, quia ob ejus gratia ſimul cum humana voluntate procedunt. Eſt etiam acceptator, quia illa ordinavit ad æternam beatitudinem. Tandem remunerator; quia meritum exigit mercedem. Nam ut ſubjungit Tertullianus, *Bonum factum Deum habet debitorem, ſicut & malum: quia judex omnis remunerator eſt cauſa.* Judex Deus juſtitiam exhibet erga malos & bonos. Malos damnat, bonos glorificat: Malos damnat, quia pravis ſuis operibus ſeſe inferno præſtiterunt dignos: Bonos glorificat; quia bonis operibus meruerunt gloriæ coronam: ad quam bene operantes ſpes ſublevat. *Hæc eſt quæ fragiles animos erigit ad ſuperna, quæ tædium expectationis levigat, quæ præſumit de miſericordia judicis,* à quo expectat præmia meritorum. Ad ultimum judicium attendens D. Auguſtinus, in quo Chriſtus aget judicis perſonam, condemnabit ſceleroſos, beabitque innocuos, ſic alloquitur Chriſtianos: *Simus expediti & parati ad ſpem noviſſimam, ad expectanda noviſſima, quæ ſunt in hoc ſæculo metuenda: ſuccedat requies, quæ non habet finem: beati qui participes facti fuerint ejus. Erunt autem tunc ſecuri qui modo non ſunt ſecuri: & tunc timebunt, qui modo timere nolunt.* Juſtos ab impiis diſcriminat D. Auguſtinus. Modo impii Dei juſtitiam non timent; juſti vero ſpem ſuam cum timore miſcent, metuentes, ne non aſſumant media aſſequendæ ſperatæ beatitudinis. At econtra in ultimo judicio impii abſque ulla ſpe beatitudinis, gehennæ timebunt ſupplicia: juſti vero de ſua ſalute ſecuri omnem excutient timorem. Infœlices impii æternum patientur ſupplicium, fœlices juſti interminabili gloria præmiabuntur.

Tert lib de Pœn. 2.

Petr. Dam. Serm. 52.

Serm. 3. de Ver. Apoſt.

CONCIO QUARTA.

PLVRA ſunt quæ *ſpei noſtræ fidentiam ædificant*; præſertim tria ſpem noſtram firmant. *Tria ſunt*, inquit D. Bernardus, *quæ ſic roborant & confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla conſideratio propriæ utilitatis, nulla æſtimatio cœleſtis beatitudinis, ab altitudine ſpei dejicere poßit in ea firmiter radicatum.* Quod ſi inquiramus à D. Bernardo quæ ſunt illa tria quæ tam firmiter radicant ejus ſpem, reſpondebit: *Tria conſidero in quibus tota ſpes mea conſiſtit. Charitatem adoptionis, veritatem promißionis potiſtatem redditionis. Murmuret jam quantum voluerit inſipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu, aut quanta eſt illa gloria, quibuſve meritis, hanc obtinere ſperas? Et ego fiducialiter reſpondebo: Scio cui credidi, & certus ſum, quia in charitate nimia adoptavit me, quia verax in promißione, quia potens in exhibitione: licet ei facere quod voluerit.* Merito D. Bernardus ſpem ſuam firmat ſuper charitatem Dei adoptantis, veritatem pollicentis, & poteſtatem exhibentis. His fulcris innixam ſpem diſcriminat D. Bernardus in ſpem veniæ, gratiæ, & gloriæ: (Eſt igitur fides alia præceptorum, alia ſignorum, alia promiſſionum: id eſt, qua credimus in Deum, qua credimus Deum, qua credimus Deo. Per fidem præceptorum credimus in Deum. Credere autem in Deum eſt in eum ſperare, & eum diligere. Per fidem ſignorum credimus Deum, qui talia poteſt, & omnia poteſt. Per fidem promiſſorum credimus Deo, qui quicquid promittit veraciter complet.) Similiter quoque *ſpes triplex eſt. & procedit de prædicta triplici fide. Nam de fide præceptorum oritur ſpes veniæ: de fide ſignorum, ſpes gratiæ: de fide promiſſorum, ſpes gloriæ,* In præſentarium autem ſtabilienda eſt ſpes, 1. veniæ: 2. gratiæ: 3. gloriæ.

Tert. Apol. 23.
Ser. 3. Dom. de 7. panib.
Serm 45. de Diverſis.

I. PARS. *Venia, pœnitentiæ fructus.* Veniam autem ſperare debet peccator. Ut enim docet D. Bonaventura, *Spes eſt virtus qua ſpiritualia & æterna bona expectantur: iſta ſpiritualia bona poſſunt intelligi, venia peccatorum, gratia meritorum, & gloria præmiorum: ut dicatur quædam ſpes veniæ, quædam gratiæ, quædam gloriæ.* Spes autem veniæ innititur divinæ 1. miſerationi: 2. promiſſioni: 3. jurationi.

Tert lib de Pud 4.
3. p: Centiloq c. 39.

1. *Heus tu peccator bono animo ſis*; ſpera à Deo peccatorum veniam, accurre ad ejus miſerationem, ad exemplum prodigi, qui jacens in libidinis luto dixit: Surgam, & ibo ad Patrem meum. *Qua ſpe? qua fiducia? qua confidentia? Qua ſpe? Illa qua pater eſt. Ego perdidi quod erat filij, ille quod patris eſt non amiſit*; nempe amorem, benevolentiam, miſericordiam: *Ille eſt, ille eſt, qui miſericordiam mavult, quam ſacrificium.* Belle ad propoſitum D. Auguſtinus: *Ex utroque homines periclitantur, & ſperando, & deſperando, contrariis rebus, contrariis affectionibus. Sperando quis decipitur? Qui dicit: Bonus eſt Deus, laxem habenas cupiditati;*

Tert. lib. de Pœn. 8.
Chryſol. Serm. 2.
Tert. ibid.
Tract. 33. in Joan.

cupiditatibus meis, impleam deſideria animæ meæ Quare hoc? Quia miſericors eſt Deus, bonus eſt Deus, manſuetus eſt Deus: ſpe iſti periclitantur. Deſperatione autem, qui cum inciderint in gravia peccata, putantes non poſſe ſibi ignoſci pœnitentibus, & ſtatuentes ſe ad damnationem ſine dubio deſtinatos, dicunt apud ſemetipſos: Iam damnandi ſumus, quare non quod volumus facimus? Iſtos deſperatio necat, ſpes illos. Quid ergo agit Dominus cum periclitantibus utroque morbo? Illis qui ſpe periclitantur hoc dicit: Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem: ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. *Illis qui deſperatione periclitantur, quid dicit?* In quacunque die iniquus converſus fuerit, omnes iniquitates ejus obliviſcar. *Propter illos qui ſpe periclitantur; & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum: propter illos qui deſperatione periclitantur, propoſuit indulgentiæ portum,* & veniæ ſpem quæ innititur divinæ miſerationi, & pollicitationi. Eccleſ. 5. Ezech. 18.

2. *Omnibus delictis, ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpoſpondit, dicens ad populum: Pœnitere, & ſalvum faciam te.* Poſt pollicitationem veracis Dei cunctis peccatoribus rite pœnitentibus veniam promittentis, nemo deſperet, ſed promiſſione divinæ confidens veniam ſuorum delictorum ſperet. *Spes noſtra tam certa eſt, quaſi res jam perfecta ſit: neque enim timemus promittente veritate. Veritas enim nec falli poteſt, nec fallere.* Non omni homini promittenti fidendum eſt; quia interdum mendacium ore adulatorio occultat, interdum ex impotentia, promiſſionem quantumvis ſincere factam non conſummat: At Deus fideliſſimus eſt, verax ſemper habetur in promiſſis, quæ perficit cum ſit potentiſſimus, perficit & adimplet: dum veridicus & potentiſſimus habetur apud homines, velut ſpeciem gratitudinis acceptat: ut acute animadvertit Lippomanus expendens mandatum Moyſis factum Hebræo populo jam egredienti de Ægypto: (Mementote diei hujus in qua egreſſi eſtis de Ægypto & de domo ſervitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco iſto.) *Gratitudinem autem duplicem Deus exigit pro beneficio redemptionis ex Ægypto. Memoriam ſcilicet beneficij ſempiternam, fiduciamque in Dei omnipotentiam & benevolentiam: ut fideles credant omne bonum, Deum poſſe & velle.* Deum poſſe præſtare omne bonum hominibus, res fidei eſt, qua Deum omnipotentem credimus, Deum vero expeditum bonum donare velle, non fidei, ſed ſpei eſt negotium, quæ ex Dei veracis pollicitatione ſolidatur. Peccator ne diffidas de venia delictorum tuorum. (Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.) *Unde delectaris in Domino, niſi quia tenes certum promiſſorem, qui ſe fecit promittendo debitorem?* & quo firmior ejus eſſet promiſſio, eam jurejurando ſolidavit. Tert. lib. de Pœn 4. D. Aug. in Pſ. 123. Exod. 13. D. Aug. in Titul. Pſ. 74

3. *Vivo*, inquit, *Dominus, & pœnitentiam malo quam mortem. Vivo, dicens, cupit credi ſibi.* Homines quo major eorum ſermonibus adhibeatur fides, eos juramentis confirmant, Deumque quem ſibi ſuperiorem agnoſcunt, Tert. lib. de Pœn. 4.

Hebr. 6. agnoſcunt, in teſtimonium vocant. *Homines enim per majorem ſui jurant &*
omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem, eſt juramentum; nempe per
Deum, quem in teſtem veritatis invocantes apud illos omnis lex, & omne du-
bium terminatur, & juramento firmatur. Quia vero Deus neminem ſe majo-
Hebr. 6. rem agnoſcit, per quem juret, per ſeipſum jurat, ſuamque pollicitationem ju-
ramento confirmat. *In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis im-*
mobilitatem conſilij ſui, interpoſuit juſiurandum; ut per duas res immobiles, qui-
bus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus
ad tenendam propoſitam ſpem. De Deo pollicente nullatenus dubitandum eſt,
ſed quo major ejus pollicitationi adhiberetur fides, & certior ſpes, illi adjecit
juſiurandum, quæ ſunt duæ res immobiles, id eſt immutabiles & irrevoca-
biles, tum apud homines, tum maxime apud Deum, quem impoſſibile eſt
mentiri, id eſt ludificare & fallere homines, revocando & retractando quod
promiſit, & jurejurando aſſeveravit, validam conſolationem habeant pecca-
Ibid. tores non frangantur animo, ſed peccatorum ſperent veniam, quam etiam ju-
rejurando pollicitus eſt Deus, *O beatos nos*, exclamat Tertullianus, *quorum*
cauſa Deus jurat! ô miſerrimos ſi nec juranti Domino credimus! Si homini ju-
ranti qui ſæpe ſæpius pejeratur, adhibenda eſt fides; quanto magis Deo, pec-
Tert. ibid. catoribus etiam cum juramento promittenti veniam delictorum: *Quod igitur*
Deus tantopere commendat, quod etiam humano more ſub dejeratione teſtatur,
ſumma utique gravitate & aggredi & cuſtodire debemus; ut in aſſeveratione divi-
næ gratiæ permanentes, in fructu quoque ejus & emolumento proinde perſeverare
poſſimus. Toto corde, fratres, de peccatis noſtris pœniteamus, expectantes à
Deo veraci ſpem veniæ, & quia gratia eſt pœnitentiæ fructus, perſeveremus
adhuc in ſpe gratiæ.

III. PARS. *Etſi Adam propter ſtatum legis deditus morti eſt, ſed ſpes ei ſalva eſt dicente Do-*
Tert. l. 2. adv. *mino, Ecce Adam factus eſt tanquam unus ex nobis, de futura ſcilicet adlectione*
Marc. 25. *hominis in divinitatem.* Adamus peccando gratia denudatus fuerat, animæ
mortem incurrerat, ſpes tamen ei data eſt de aſſequenda rurſus gratia & divi-
nitatis participatione, quam de facto pœnitendo obtinuit. Quare Tertullia-
Lib. 2. adv. nus protoparentes propalat, *ut reſtitutionis candidatos, ut confeſſione relevatos.*
Marc 25. Idem accidit homini peccanti quod Adamo inobedienti, per peccatum
enim, gratiam ſanctificantem amittit, animæ mortem incurrit, in ſpe tamen
gratiæ vivit, quam expectat à 1. Dei miſeratione: 2. Chriſti paſſione: 3. pœni-
tentiæ ſuſceptione.

1. *Deus miſericordiarum pater, idem erit, qui miſericors, & miſerator,*
Tert. l. 5. adv. *& miſericordiæ pater plurimum eſt dictus*, oſtendens miſericordiam ſuam
Marc. 14. non ſolum peccatorum condonans veniam, ſed etiam peccatori pœ-
nitenti largiens gratiam. Quod in prodigo denotatum vult Tertullia-
nus, qui *ſapientiam quam utique à Deo acceperat, prodegit, longe à*
L. de Pud. 9. *Domino factus, inter errores & illecebras & libidines ſeculi, ubi fame*
veritatis compulſus, tradidit ſe principi hujus ævi. Ille enim eum præfecit
porcis,

porcis, (*ut familiare id dæmonum genus paſceret*) *ubi nec ille compos eſſet vitalis eſcæ, ſimulque alios videret in opere divino abundantes pane cœleſti. Recordatur patris Dei, ſatisfacto redit, veſtem priſtinam recipit, ſtatum ſcilicet eum, quem Adam tranſgreſſus amiſerat.* Fusè quidem, ſed bellè Tertullianus peccatorem per prodigium denotatum ſub quadruplici ſtatu conſiderat. Primò peccantem, & per ſuum peccatum gratiam & ſapientiam à Deo acceptam amittentem: ſecundò, miſere in peccato viventem, & ſub dæmonis tyrannide porcos, id eſt carnales voluptates paſcentem: tertiò pœnitentem, ad Deum redeuntem, ejuſque clementiam implorantem: quartò tandem deperditam gratiæ veſtem recuperantem quam ſperat peccator à miſeratione Dei, *qui ſalvat ſperantes in ſe*, & adhuc à Dominica paſſione.

2. *Omnibus gentibus eadem ſpes annuntiatur*, nimirum obtinendæ à Deo gratiæ, qui cùm velit omnes homines ſalvos fieri, nulli eam denegat. Veruntamen *omnes ſpes Iudæorum, ne dicam gentium, in Chriſti revelationem deſtinabatur*, qui mortem crucis ſubiturus erat pro cunctarum gentium ſalute. Ideoque humana ſalus & gratiæ ſpes non ſolum in Dei miſericordia fundatur, ſed adhuc, ut ait Tertullianus, *à redemptione carnis, id eſt Domini paſſione cenſetur.* Quo argumento utitur D. Auguſtinus ad erigendam ſpem tum veniæ, tum gratiæ. Ipſe eſt pignus hæreditatis noſtræ, *& pignus redemptionis mihi datum per litteras patentes Evangelicas, quibus non eſt aliud ſigillum, quam ipſe* Dei *Filius, quæ pro confirmatione & teſtificatione veritatis Evangelicæ appenſus eſt in ligno crucis, Incarnatio, paſſio, mors, reſurrectio* Domini *me fulciunt & firmant undique, ut de venia, gratia, gloria, nulla remaneat hæſitatio.* Chriſtiane *ſecurus eſto te accepturum vitam ipſius, qui pignus habes, mortem ipſius* qui pœnitentiam inſtituit, ut tibi gratiam, quæ eſt fructus paſſionis ſuæ conferat.

Tert: lib: de Reſ. 31. Tert: l. 3. adv: Marc: 6. L. de Pud: 11. In 2. Cor. 1.

3. *Pœnitentia, vita eſt*, quia ſcilicet communicat gratiam, & animam peccato mortuam ad vitam ſupernaturalem revocat: & ut fatur D. Auguſtinus, homo ritè pœnitens, *ex malo ſervo factus eſt bonus filius.* Quandiu homo exiſtit in peccato læthali, eſt diaboli ſervus; at per veram pœnitentiam Dei filius efficitur. *Ideò præſume non de operatione tua, ſed de Dei gratia.* Gratia enim ſalvati eſtis, ait Apoſtolus, quam Chriſtus acquiſivit ſanguine ſuo, & quam per Sacramenta diffundit. Quapropter, fratres, *perfectè ſperate in eam quæ offertur vobis gratiam.* D. Hieronymus legit *defertur*, quia hujuſmodi gratia eſt non ſolum à Deo oblata, Chriſti ſanguine comparata, ſed adhuc per Sacramenta velut delata, & data iis quæ ritè ad pœnitentiam accedunt. Nam ut fatur princeps Apoſtolorum, Deus ſecundum miſericordiam ſuam magnam, *regeneravit nos in ſpem vivam.* Duplex eſt regeneratio: una facta per baptiſmum, altera per pœnitentiam. In baptiſmo regenerati ſumus, & abluti ab originali labe, gratiam baptiſmalem, & cum ea ſpem ſalutis accepimus: in pœnitentia quoque velut renaſcimur & ſuſcitamur à morte peccati ad vitam gratiæ: proinde in ſpem vivam. Dicitur autem ſpes viva,

D. Aug. in Pſal 96. Tert: lib. de Pœn: 4. In Appendice de Diverſis Ser: 5. Epheſ. 2. 1. Pet. 1.

Tum quia eſt gratia ſanctificante vivificata: Tum quia fidelium vitam ſuſtentat, eiſque vires & animos in laboribus & adverſitatibus communicat: Tum quia Chriſtianos ad vivas & heroicas virtutum actiones excitat: Tum quia vitam æternam & gloriam ſperat.

III. PARS. Tert: l. 4. adv: Marc: 25. Prov: 16.

Ne plus aliquid obſervationis exigeret ſublimior ſpes, idcircò conſuluit de æterna vitæ conſecutione. Quam merito à Sapiente, *qui ſperat in Domino beatus* prædicatur; & ut vertunt Septuaginta, *qui confidit in Domino beatiſſimus!* Seu ut in Hebræo habetur, *confidens in Domino beatitudines ejus*, quia ex ſublimiori illa ſpe qua præditus eſt in via, æternam vitam conſequitur. Unde Cajetanus depretiatis vanis mundi ſpeciebus ait: *Multo fœlicior eſt ſperans in ſummo bono, quoniam ipſe beatus hic in ſpe, poſtea in re erit.* Cœleſtis autem illius ſpei D. Bonaventura trinum diſtinguit gradum. *Spei altus gradus eſt expectare cœleſtem hæreditatem, quam daturum ſe nobis per pignus obligavit, ſcilicet Spiritum ſanctum in baptiſmo qui eſt pignus hæreditatis noſtræ. Altior eſt expectare beatitudinis hæreditatem quam nobis ſe daturum jurejurando firmavit. Altiſſimus eſt expectare eamdem beatitudinem, quam nobis ſe daturum promiſit.* Verum quia his fulcris ſpem veniæ & gratiæ firmavimus, alia ſpei gloriæ quærenda ſunt fundamenta quibus ſolidetur. Nec aliis meo judicio melius ſublimior illa ſpes fulcitur quam 1. divinis promiſſionibus: 2. Chriſtianis operationibus: 3, tolerandis ex juſtitia paſſionibus.

Tract: de Gradib: Virt: c. 27.

Tert: lib. de Reſ. 2.

1. *Per diverſitatem promiſſionum, diverſitas inſinuatur Deorum.* Fallacia Gentilium numina, falſas ſæculi pollicebantur ſpes: at Deus noſter, unus & verus ad cœleſtia bona erigit ſpes Chriſtianorum, immortalem eis promittens fœlicitatem. *Arentia corda ſunt hominum, quæ in ejus ſæculi ſpe plantata, æternitatis fiduciam non habent: virent autem quæ illi hæreditati inhærent.* [Quoniam tu Domine in ſpe conſtituiſti me;] æternam mihi promittens beatitudinem quæ tanta eſt, quod oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis aſcendit, ea quæ Deus præparaſti in cœlo diligentibus te. *Ergo quia hoc bonum tam magnum, tam præclarum, tam ineffabile, non invenit hominem perceptorem, invenit Deum promiſſorem.*

D. Gregor: l. 11 Mor: 12. Pſal: 4. D. Auguſt. Ser: 64. de Verb. Dom.

Rom. 4.

Meritò de ſpe Abraham commendatur, qui non hæſitavit fiduciam ponere in Deo pollicenti, licet multæ illi occurrerent diffidentiæ rationes. Deus pollicetur Abrahamo; quia patrem multarum gentium poſui te. Abrahamus tamen *infirmatus non eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum cùm jam ferè centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Saræ* Sciebat Abraham corpus ſuum eſſe mortificatum, effœtum, & ad gignendam ſobolem ineptum: non ignorabat Saram eſſe ſterilem, & prætergreſſam tempus ad concipiendam prolem idoneum: contra tamen rationem, experientiam, propriamque notitiam, *in repromiſſione Dei non hæſitavit diffidentia*, non dijudicavit, non diſquiſivit, quomodo ſcilicet id fieri poſſet, cum vires naturæ ſuperaret: *Sed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo.*

Cus

Cur autem contra ſenſum, experientiam, rationem, naturam, crediderit, & ſperaverit Abraham, ſubjungit Apoſtolus: *pleniſſimè ſciens, quia quæcumque promiſit Deus, potens eſt & facere.* Ille Deum glorificat, qui de Deo ejuſque veritate, fidelitate, & potentia, ut par eſt, ſentit, credit, & prædicat: quare Abraham Deum glorificavit pleniſſimè perſuaſus, ſua Deum promiſſa, quantacumque & velle & poſſe implere. Non dicit autem Apoſtolus, quia Deus eſt verax, aut ſapiens, aut fidelis, ſed quia potens: quoniam in rebus arduis, præ aliis Dei attributis proponenda eſt humanæ infirmitati, ut naturam, & omnia hominum auxilia tranſcendens, in Deum Deique potentiam ſe erigat, ab eoque certè rem promiſſam ſperet. *Ideò in Dei promiſſis nulla eſt falſitas, quia in faciendis nulla omnipotentiis eſt difficultas.* Hac conſideratione D. Auguſtinus afflictos ad gaudium incitat. (Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete. *Gaudete de exhibitione, iterum gaudete de promiſſione: Quoniam & res plena gaudio, & ſpes plena gaudio eſt. Gaudete quia jam percepiſtis dona ſiniſtra: gaudete, quia expectatis præmia dextera:* itaque credendum eſt de rei ſperatæ exhibitione quam ſpes velut anticipata prælibatione deguſtat: iterum gaudendum de promiſſione quæ certo rem promiſſam ſubminiſtrat. *Et ego quidem, etiamſi nullam ſpei cæleſtis manum mihi toties Scriptura porrigente, ſatis haberem hujus quoque promiſſionis præjudicium, quod jam terrenam gratiam teneam, expectarem aliquid & de cælo, à Deo cæli, ſicut & terræ: ita crederem Chriſtum ſublimiora pollicentem, ejus eſſe qui & humiliora promiſerat, qui experimenta majorum de parvulis fecerat, qui hoc inauditiſ ſortè regni præconium ſoli Chriſto reſervaverat, ut per ſamulos quidem terrena gloria, cæleſtis verò per ipſum Deum annuntiaretur.* Acutè Tertullianus ex conſecutione terrenæ gratiæ quam nobis contulit Deus, promiſſam ab ipſo cæleſtem beatitudinem certo ſe conſecuturum ſperat. Quo medio utitur D. Bernardus, ad æternorum ſpem in divina promiſſione fundandam. *In ſpe vivimus*, fratres, *nec deficimus in tribulatione, quod in expectatione ſimus ineffabilium gaudiorum. Neque enim vana nobis hæc expectatio, aut dubia ſpes videtur innixa æternæ promiſſionibus veritatis. Deinde etiam ex perceptione præſentium munerum, firma eſt expectatio futurorum: & præſentis gratiæ virtus nimis credibiliter atteſtatur fælicitatem promiſſæ gloriæ, ſine dubio ſecuturam.*

D. Fulg. l. 1. ad Monim.

Philip 4.

Serm. 4. in Vig. Nat.

Tert. l. 3. adv. Marc. 23.

Serm. 7. in Pſal: 90.

Et quia homo eſt conſtitutus anima & corpore, *tota ſpes noſtra* tendit ad æternam beatitudinem animæ & corporis, quam à Deo pollicitam expectat. Beatitudinem quidem animæ, mox ut juſtitiæ divinæ ſatisfecit; gloriam verò corporis in fine mundi, poſt generalem reſurrectionem. *Cùm igitur & ſtatus temporum ultimorum Scripturæ notent, & totam Chriſtianæ ſpei frugem in exodio ſæculi collocent, apparet tunc adimpleri quodcumque nobis à Deo repromittitur.* In exodio, id eſt in fine ſæculi, corpora ſuſcitabuntur ad gloriam quam non ſecus ac animæ beatitudinem aſſequendam ſperamus Chriſtianis operationibus.

Tert lib de Pud: 7.

Tert. lib de Reſ. 25.

Tert: lib: adv: Valent: 30. — Tert: ibid: — Stob: Ser: 27. — Epiſt: ad Demetriad: — L. Quod deterius potior inſid. — Chryſoſt: Ser: 2. — Petr: Dam: Serm: 21.

2. Hæretici hujuſce ætatis ad ſalutem *nec operationes neceſſarias ſibi exiſtimant*, *nec ulla diſciplinæ munia obſervant*: & quo ſolutius in omnia crimina diffluant, mandata Dei obſervatu etiam cum gratia impoſſibilia clamitant. Ejuſmodi errorem deteſtantes fratres, bonis vacemus operibus, *ut ſalutem quam non de privilegio ſtatus poſſidemus, de ſuffragio actus elaboremus.* Democritus interrogatus, quomodo laborioſi & ſtudioſi differrent à non ſtudioſis, reſpondit, *Spe.* Nimirum bona illa ſpes eſt bona, quæ bonis innixa eſt operibus, ſpes verò quæ tali fulcro non ſuſtentatur, bona non eſt. Mundialium rerum voluptuaria pellacia nuncupatur à D. Cypriano, *morum labes, probrorum fomenta*, *alimenta vitiorum*; quia pingui deliciarum illicio vitia nutrit & fovet: Philo Judæus ècontra ſpem appellat. *Alimentum animarum, virtutem amantium, propter quam ſemovemus pigritiam, quoque ſuapte promptitudine, properamus ad honeſta opera.* Quaſi homo ſpe vivat, bonoſque mores ſpeciebus nutriat, ſuſtentet, adipet, ne præ alimenti fame deficiant. Uti enim alimentum in ſubſtantiam aliti convertitur, quo viventem foveat ac nutriat; ſic erecta cœleſtium ſpes, ut ſit alimentum animarum & virtutes foveat ac ſuſtentet, ne præ imbecillitate marceant atque deficiant, in mores abit, & in reliquas virtutes quodammodo convertitur, eas fovens, ſuſtentans, nutriens, adipans, incrementans. Caveamus, fratres, ne ad inſtar prodigi *vivendo luxurioſè*, *ſubſtantiam totam ſalutis diſſipemus*, *& vita omnibuſque conſumptis famem ſpei graviſſimam perferamus.* Qui famem ſpei patiuntur ſunt macidi, virtutibus vacui, bonis operibus deſtituti, & tanquam arbores ſiccæ, aridæ, mortuæ, ignibus deſtinati: *Terra autem noſtra, ubi noſtra radix innititur, illa profectò eſt, de qua per Pſalmiſtam dicitur*: Portio mea in terra viventium. *Si ergo ut infructuoſæ arbores areſcere nolumus, ſi ſecuribus excidi, ac deputari ignibus inutiliter formidamus, in illa supernorum civium patria, ſpei noſtræ radix ſemper inhæreat, ut ad proferendos bonæ operationis fructus, in robur fortitudinis firmiter convaleſcat.*

Tert: lib de Idol 15. — Matth 7. — Tert lib de Cor. Mil. 12. — D. Paulin Ep 27. — D. Bern. Ser. 2. in ult. cœn.

Duas arbores Scriptura ſacra commemorat. Una eſt arida, ſicca, mortua, nullos fructus afferens: alia *virens ſemper*, frondes fructuſque bonos proferens: (Arbor mala, quæ non facit fructus bonos excidetur, & in ignem mittetur:) Et, jam *ſecuris ad caudicem arboris poſita eſt.* Fratres non *areſcamus viventes ſucco ſalutis æternæ*: ſcilicet ſpe æternæ fœlicitatis, ſed ſimus arbores virentes ſemper, & fructus cœleſtis beatitudinis proferamus. O quam diverſa eſt ſors ſceleratorum & proborum Chriſtianorum in die obitus! Illi abſque ulla ſpe gloriæ miſeram inter manus dæmonum efflant animam: iſti ſpe freti exeunt ex hoc mundo, ut cœleſtem poſſideant patriam. *O tu Chriſtiane, ne de hac infirmitate deſperes. Docuit quid tunc & in omnibus periculis mortis debeas dicere, ad quem confugere, quem invocare, in quem ſperare. In patrem Deum qui non poteſt deſpicere ſperantes in ſe cum atteſtatione bonorum operum. Bonorum dico, quia ſine meritis aliquid ſperare, non ſpes, ſed*

præſum-

præſumptio debet dici. Tu itaque talia fac opera tua, ut ei in hora mortis in veritate dicere poſſis: In te Domine ſperavi non confundar in æternum. In hora mortis nequit deſpicere Deus ſperantes in ſe cum atteſtatione bonorum operum & cum teſtimonio paſſionum quas pro juſtitia toleraverunt. Pſ 30.

3. *Oportebat fidem habere aliquem ſpei cumulum, cui ſtudium cogeret, votumque ſuſpenderet, quo eniteretur aſcendere* per perſecutiones, afflictiones, & paſſiones propter juſtitiam toleratas Nam *tanto ſpes in Deum ſolidior ſurgit, quanto pro illo quiſque gravia pertulerit. Quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, qui non hic prius pia tribulatione ſeminatur.* D. Bonaventura trinum ſpei gloriæ diſcriminat gradum: (In alto gradu eſt, qui expectat æternam beatitudinem ex operibus miſericordiæ & juſtitiæ, in quibus ſe diu exercuit. In altiori eſt, qui expectat eam ex paſſione Christi, qui nobis eam promeruit. In altiſſimo, qui expectat eam ex mera bonitate & miſericordia Dei, qui nos ad ipſam creavit) Ni potius dicam quod illam expectat ex Dei juſtitia qui hominem velut in ſtadio collocavit, ut cum paſſionibus certaret, & victoriæ ſibi coronam compararet. Unde poſtquam Tertullianus, Græcorum & Romanorum enarravit ſolemnia, in quibus præmia conferebant Judices iis qui in agone victores extiterant; ſic concludit: *Deum dedecebit artes & diſciplinas ſuas educere in medium, in hoc ſæculi ſpatium, in ſpectaculum hominibus, Angelis, & univerſis poteſtatibus; carnem atque animam probare de conſtantia atque tolerantia; dare huic palmam, honorem, illi civitatem, illi ſtipendia.* Si ſpes palmæ athletas ad fortiter certandum inducebat quanto magis Chriſtianos ſpes æternæ coronæ ſtimulare debet ad tolerandas conſtanter quaſlibet paſſiones.

Tert Scorp. 6.
D. Gregor. L. 10. Mor. 12.
De Grad. Virt. c. 13.
Scorp. 6.

Qui ſpem non habet *generalis hujus vitæ labores, & quod maxime nocet, in fidei certamine, conſtantiam fortitudinis perdit.* Qui vero ſperat fortiter dimicat, & glorioſe triumphat. Fides namque ſpei vigore animata, hoſtes fidei exarmat; perſecutiones patienter tolerat, & per paſſiones Christiane toleratas gloriæ coronam ſibi comparat. *Filii Iſrael perfecta fidei ſpem non habentes firmam, gemebant ſub afflictione inimicorum*, neque victoriam de Ægyptiorum perſecutione reportabant. Job è contra victor de certamine exiit & *omnem patientiæ ſpeciem adverſus omnem diaboli vim expunxit.* Undequaque atrociſſimis calamitatibus Job premitur: frendet in eum diabolus, illi velut in crudelem mutatus eſt Deus; amici miſeriam augent, uxor calamitatem exaggerat: undique adverſitas ingruit: abacti greges, everſæ domus, obruta & miſere enecata proles, ipſum vero corpus ulcere peſſimo percuſſum, ſola illi ſpes ſupereſt: (Repoſita eſt ſpes in ſinu meo.) Quæ verba Galfridus ſic elucidat: *Advertite & videte pauperem & inopem percuſſum ulcere peſſimo, quas repoſuerit ſpes, ut theſaurum ſuum cuſtodiat: ſiquidem cordis non corporis ſinus eſt in quo repoſitam habet ſpem ſuam, ac ſi dicat: Nemo tollet à me hoc refrigerium, & ſpei gaudium.* Magna profecto Jobi ſpes, ad

V. Beda in c. 8. Prov.
Ruper in c. 6. Exod.
Tert. lib. de Pat. 14.
Job. 19.
Apud Thilman.

quam in tot calamitatibus, velut ad ſecurum confugit aſilum, generoſius ille
L. de Pat. 14. miles & *operarius victoriæ Dei*, ut fatur Tertullianus. *Conſtitit nobis in exemplum & teſtimonium, tam ſpiritu, quam carne, tam anima quam corpore, patientiæ perpetrandæ: ut neque damnu ſecularium, nec amiſionibus clariſſimorum, nec corporis quidem conflictationibus ſuccidamus*; ſed ob ſpem æternæ
Epiſt. 52. ad Maced: fœlicitatis æquò animo patiamur, ad exemplum proborum Chriſtianorum, qui apud D. Auguſtinum ſic loquuntur: *Spe adipiſcendi beatam vitam, vitam iſtam temporalem atque mortalem non tam delectabiliter ducimus: &*
D. Aug: Ep. 52. ad Mace. *mala ejus tunc bono conſilio, & divino munere fortiter ferimus, cum bonorum æternorum fideli Dei promiſſione & fideli noſtra expectatione gaudemus, ſicut nos hortatur Apoſtolus dicens*: Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Spes illa æternorum excitavit Petrum, Andream, Philippum, Simonem, ad crucem exultanter conſcendendam; Jacobum & Paulum ad enſes & gladios complectendos, Laurentium ad craticulam calcandam, Sebaſtianum ad ſagittas, Stephanum ad lapides, Ignatium ad Leones, Clementem ad naufragium, Policarpum ad ignem, Theclam ad ſerpentes, tauros, aculeos; Cathatinam ad rotas, aliosque ad cuncta tormentorum & ſuppliciorum genera, ut Chriſtum imitantes in paſſione, gloriæ quoque eſſent con-
D. Aug: in Pſal. 60. ſortes. *Factus eſt Chriſtus ſpes noſtra. In illo vides laborem tuum & mercedem tuam: Laborem in paſſione & mercedem in reſurrectione. Sic ergo factus eſt ſpes noſtra. Habemus enim duas vitas; ſed unam, in qua ſumus; alteram, quam ſperamus. In qua ſumus, nota nobis eſt: quam ſperamus, ignota nobis eſt. Tolera in qua es, & habebis quam nondum habes. Laboribus ſuis, tentationibus, paſſionibus, & morte ſua demonſtravit tibi vitam in qua es: Reſurrectione ſua demonſtravit tibi vitam in qua eris. Nos enim non noveramus, niſi naſci hominem & mori: reſurgere hominem & vivere in æternum, non noveramus. Suſcepit quod noveras, & demonſtravit quod non noveras. Ideo factus eſt ſpes noſtra in tribulationibus & tentationibus*: nos excitans ad patienter tolerandos morbos, dolores, cruciatus, cunctaque hujus vitæ damna, incommoda, tormenta. Spe paradiſi excitatus bonus latro pœnaliſſimum crucis ſupplicium alacer patitur, plus dolens in animo de pia paradiſi ſpe, quam de cruciati-
D. Maxim. Hom. 1. de S. Latro. bus, quos in corpore tolerabat. *Reminiſcens enim ſuorum ſcelerum, et pœnitudinem gerens, plus incipit dolere quod ſperat, quam ſentire quod patitur.* Bonus latro juſte ſe puniri cognoſcens, anteactæ vitæ in corde pœnitens, de conſortio paſſionis cum Chriſto honoratus, Salvatoris pollicitatione factus immortalitatis candidatus, vix ſentit quam patitur crucem, pluſque ſpei ſuæ dilatione torquetur quam pœnaliſſimis cruciamentis quibus punitur. Bonus latro ex ſpe paradiſi dediſcit acerbiſſimos crucis dolores: quantum à fortiori ſperata cœleſtis beatitudo, nos ſtimulare debet ad patienter toleranda levia hujus vitæ incommoda? Quandiu ſumus in hoc ſæculo, corpus quod corrumpitur aggravat animam: ſpes tamen immortalitatis eam attollit: & ut fatur Grego-

Gregorius Niſſenus, *in ſaltibus divinæ ſpei totum corpus attollitur*, & ex futuræ reſurrectionis ſpe difficillimas quaſque & pœnaliſſimas operationes aggreditur. Chriſtiane pro coronide iſtius concionis, idipſum tibi dico quod S. Iſidorus Peluſiota Zenoni presbytero ſcribit: *Si ea ſpe fretus quæ omnia continet, ad hujuſmodi rem oculos conjeciſti, ac fide ea aggreſſus es quæ modulum noſtrum ſuperat fruere ſane iſto animi inſtituto.* Spes omnia continet, nimirum animæ fœlicitatem & corporis reſurrectionem: Spes omnia continet, quia terminatur ad Deum qui continet omnia: Spes omnia continet, quia beatitudo ad quam tendit, eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Chriſtianus fide illuſtratus, omneque bonum ſperans in cœlo, removet omnia obſtacula quæ poſſent impedire ejus aſſecutionem, & diligenter quærit omnia media quæ ad beatum illum finem conducunt. Qui non ſectantur media beatitudinis, non ſperant beatitudinem; qui eam non ſperant, non credunt neque credentes neque ſperantes, futuris omnibus bonis fruſtrantur. Væ animabus illis, ſubjungit Peluſiota, *quæ nec præmiorum ſpem ſibi proponunt, & futuris rebus ſpoliantur.* Quemadmodum qui bene ſperat omnia continet; ſic qui ſpem abjecit, futuris omnibus ſpoliatur. Caveamus, fratres, futurorum deſpoliationem, & ne tantum nobis eveniat malum, habeamus ſpem quæ continet omnia, quia ducit ad æternam & beatam immortalitatem.

Orat. 14. in Cant.

L. 1. Ep. 270.

CONCIO QUINTA.

UTinam Chriſtiani hujuſce ætatis, eundem modum ſpei tenerent, quem obſervabant primiceri fideles, qui ſperabant quidem, ſed non præſumebant. Utrumque ipſimet fatentur apud Tertullianum. Fiduciam ſe habere teſtantur: *Spem erigimus, fiduciam figimus*: in Deum ſcilicet qui eſt principale objectum noſtræ ſpei, & motivum adhuc noſtræ fiduciæ. Deinde ſe à præſumptione alienos aſſeverant: *Neque de Deo aliter præſumimus.* Hoc autem ævo in quo ſane rariſſima eſt vera virtus, pauci ſunt ſperantes, multi præſumentes. O *præſumptio nequiſſima, unde creata es?* Spes à Deo creatur; nam habitualis eſt ab ipſo infuſa; actualis, nonniſi auxilio gratiæ poteſt produci. Præſumptio autem à Deo non poteſt eſſe. *Nec idem habendus eſt dilicti auctor, qui invenitur interdictor, imo & condemnator.* Deus autem interdicit & condemnat præſumptionem, utpote ream, 1. vanitatis: 2. temeritatis: 3. falſæ ſecuritatis.

Apolog. 34.
Apolog. 21.
Ecclef. 37.
Ter. L. 1. adv Marc. 9.

I. PARS.

Qui præſumit, ſuperbit. Ut enim docet D. Auguſtinus, *præſumptio Spiritus, audaciam & ſuperbiam ſignificat.* Ex magno adhuc Gregorio *præſumptio eſt filia inanis gloriæ.* A duplici itaque vitio oritur præſumptio, ſcilicet à ſuperbia, & à vana gloria: Nam ſuperbus tanti ſe exiſtimat, ut etiam ſi peccat à beatitudine excludi non diffidat; adeòque inanem gloriam

Tert. lib. de Pœn. 6.
Li 1, de Ser. Domin. in Mont c 2.
L. 31, Mor. 15

riam affectat, quod ut illam aſſequatur, etiam ſupra vires ſuas audet & attentat. Luciferi exemplum prodit D. Bernardus: *Conſiderate præſumptionis principem, ſi non manifeſte in immaniſſimam ſtatim præſumptionem proſilierit, dicens:* Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis, ſimilis ero Altiſſimo. *Quam temeraria, quamque horrenda præſumptio*, quæ multos habet imitatores. Nam ut ſubjungit D. Bernardus, *qualis ille eſt, tales & domeſtici ejus*; non ſolum Angeli apoſtatæ qui præſumptionis Luciferi fuerunt conſortes, ſed etiam homines qui præ ſuperbia, qua tument, ſibi arrogant 1. innocentiam: 2. juſtitiam: 3. perſeverantiam.

Serm. 11. in Pſal. 90.

Iſa. 14.

1. Trina eſt ſanctitas de qua nullatenus poteſt dubitari. Primo, ſanctitas Dei, quæ illi eſſentialiter convenit. Nam ut fatur Tertullianus, *Sanctitas propria eſt natura ejus.* Secundo, ſanctitas Chriſti. Nam *quis vere ſanctus, quam Dei Filius*? Tandem ſanctitas vel Beatorum in cœlo regnantium: Unde cœleſtis Jeruſalem *tota candida de ſanctitate deſcribitur:* vel viatorum quos Deus ſpeciali prærogativa ſanctificavit, & in ſanctitate ſolidavit, quales fuere beatiſſima Virgo ab omni peccato etiam originali præſervata, Joannes Baptiſta in ventre matris ſanctificatus; Apoſtoli, poſt adventum Spiritus ſancti in gratia confirmati. Inde patet præſumptio hæreticorum hujuſce tempeſtatis qui certitudine fidei ſeſe juſtos, Deique filios exiſtimant. Quod quam ſit falſum & erroneum ex ſacris paginis evidenter colligitur. Quia *neſcit homo, utrum amore, vel odio, dignus ſit*: & conſequenter an ſit in ſtatu peccati lætalis, an in ſtatu gratiæ ſanctificantis. Juſti ſunt amore digni, peccatores vero odio habentur. *Si ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Itaque *quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum: purus ſum à peccato*? Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum à peccato cogitationis, delectationis, & conſenſus? purus ſum à peccato omiſſionis, locutionis, & tranſgreſſionis? *Sed neque meipſum judico.* Quaſi dicat Apoſtolus: Non poſſum certo dijudicare me, mea opera, intentionem, conſcientiam. *Nihil enim mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Licet enim nullius infidelitatis in Apoſtolico munere mihi conſcius ſim, non ideo tamen revera juſtus ſum coram Deo, ipſe enim peccata in me videt, quæ ego non video. *Cum multis in rebus offendamus Deum, majorem tamen offenſarum partem ne intelligimus quidem. Idcirco Apoſtolus dicebat:* Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. *Quod idem eſt ac ſi diceret: Multa delicta committo, quæ committere non intelligo. Propter hanc cauſam Propheta ait:* Delicta quis intelligit? Perſæpe enim putamus nos bene agere, cum male agimus; nos ex gratia & Dei amore facere, quod amore inanis gloriæ vel cupiditatis facimus. *Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile*: neque ſcrutari poteſt niſi à ſolo Deo qui illud cognoſcit. *Deus conſpector eſt cordis*, & certo ſcit an ſit gratia ornatum, vel peccato turpatum. *Oculi ejus multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem; circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* Ipſe corporis

L. de Mon. 3 Tert. lib. de Car. Chr. 1. Tert. l. 1. ad Uxor. 7.

Eccleſ. 9.

Job. 9. Prov. 20.

1. Cor. 4.

D. Baſ. Inſt. Monaſt. c. 1.

Jerem. 17. Tert. l. 2. de Cult. Fœ. 13.

Eccleſ. 23.

corporis plaſmator, animi creator in centrum cordis inſpicit, voluntatis latebras, & mentis intentiones detegit, ejus ſtatum probe cognoſcit, & ignoratas & inviſas nobis videt & intuetur culpas. *Apud Deum diſtrictè judicati, ipſi quoque maculas inquinationis habent, qui per munditiem ſanctitatis lucent.* D. Greg. L. 9. Mor: 8. Idcircò nec alios neque ſeipſum judicare præſumit Apoſtolus; ſed tum ſuiipſius, tum aliorum judicium Deo tribuit, qui cordis penetrat abyſſum, & quæ ſunt hominibus inſcrutabilia perfectè ſcrutatur. *Qui autem me judicat, Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*; id eſt obſcuras, tenebroſas, occultas hominum actiones, cogitationes, intentiones, ſecretas inclinationes, hominibus ignotas, ſibi cognitas: *Tu, ut homo, extrinſecus unumquemque noſti: putas quod vides: vides autem quouſque oculos habes; ſed oculi Domini alii. Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur, & ideò cognoſcit Dominus qui ſunt ejus*; qui ſunt in innocentia & ſtatu gratiæ, non verò homo tumidus præſumens de ſua innocentia, & de ſua juſtitia. Tert: lib. de Præſc: Hæt: 3.

2. Quem conſtat *deliquiſſe in obſervationis præſumptione*, ſeſe divinæ legis obſervatorem jactitans ad inſtar Phariſæorum, de quibus Chriſtus Dominus: *Dixit autem & ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam juſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam: Duo homines aſcenderunt in templum ut orarent: unus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæus ſtans apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum: raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Jejuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo.* Hæc phariſaica ſermocinatio *vanitati & præſumptioni deputatur*; in eaque trinum apparet ſcelus. Siniſtrum ſcilicet publicani judicium quem de crimine accuſat: deinde tumidæ mentis indicium ſeſe ab aliis diſcriminans & ſupra illos ſe attollens; tandem mendacium ſeſe de juſtitia commendans; cùm eſſet ſceleroſus. *Publicanus à longè ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.* Ex illa parabola, hanc concluſionem colligit Salvator: *Dico vobis, Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo*; quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. In phariſæo & publicano duos Chriſtianos repræſentatos agnoſco. Unum, de ſua juſtitia nullatenus præſumentem, ſed ſeſe hominem *nullius boni* ad inſtar publicani exiſtimantem; alterum, in ſua juſtitia confidentem, de eaque ſe jactitantem; ille à Deo exaltatur, iſte humiliatur. *Non derelinquis præſumentes de te, ſed de ſua virtute præſumentes humilias.* Bona præſumptio, quæ non in ſua juſtitia, ſed in Deo duntaxat fiduciam ponit. Chriſtiane, *quicquid eſt circa te, vel in te, unde poſſis præſumere, abjice abs te foras, & tota præſumptio tua Deus ſit; & illius dignus eſto, ut ipſo implearis. Quicquid enim aliud habueris ſine ipſo, latius inanis eris*: Mala præſumptio qua homo tumidus de ſua juſtitia præſumit. Profectò *nulli hominum de ſua juſtitia præſumendum eſt*: Tum quia ignorat an vera juſtitia

Tert: lib de Cor: Mil: 2. Luc: 18. Tert. lib. de Teſt: An: 4. Tert. Judith. 6. D. Aug: in Pſal: 35. D. Aug L. 4. cont. Creſ. con. 16.

juſtitia præditus ſit : Tum quia à gratia Dei, non à ſemetipſo , juſtitiæ opera facit : *A Deo confertur continentia virtus* : Tum quia Chriſtiano præcipitur ut non in ſua juſtitia , ſed in virtute Dei confidat. *Cave ne tibi ſubrepat in tua virtute confidere, ſed planè in Deo tuo toto corde confide, & ipſe erit virtus tua, in quo pius gratuſque confidas* : Tum quia qui non in Dei gra ſed in ſua juſtitia confidit , miſere corruit. *De nulla re præſumendum homini : quia nec de juſtitia ; Si quis de juſtitia quaſi de ſua juſtitia præſump , cadit.* Lapſum pertimeſcere debet tumidus præſumptor , qui perſeverantiam in bono vanè ſibi pollicetur.

Tert. lib de vel. Virg: 13. D. Aug Ep. 201. ad Palatin. D. Aug. in Pſal: 51.

3. *Nemo Chriſtianus , niſi qui ad finem uſque perſeveraverit* , id eſt nemo perfectus Chriſtianus , & cœleſtis beatitudinis dignus extiterit. *Non itaque dicant homines perſeverantiam cuique datam uſque in finem, niſi cùm ipſe venerit finis, & perſeveraſſe cui data eſt, repertus fuerit uſque in finem.* Perſeverantiam illam tumidus præſumptor ſibi arrogat , ſed falſò. Nam cum D. Auguſtino *aſſerimus donum Dei eſſe perſeverantiam , qua uſque in finem perſeveratur in Chriſto. Finem autem dico, quia iſta vita finitur, in qua tantummodo periculum eſt ne cadatur.* Cadendi periculum pertimeſcunt qui Saulis , Davidis & Salomonis lapſum attentè conſiderant. *Saul bonus præ cæteris , livore poſtea evertitur : David vir bonus ſecundum cor Domini, poſtea ſtupri & cadis reus eſt : Salomon omni gratia & ſapientia donatus à Domino, ad idololatriam à mulieribus inducitur.* Taceo alios innumeros qui eximiæ virtutis dederant indicia & infœliciter lapſi ſunt. Poſt tot caſus, *& hoc mirum opinor, ut probatus aliquis retrò poſtea excidat.* Tot exempla humanæ imbecillitatis ſuperbum condemnant , tumide de ſua conſtantia & perſeverantia præſumentem , & cum vana ſua fiducia miſere labentem. Ne quis cum illo labatur , præbeat aures Apoſtolo prædicanti : *Qui ſe exiſtimat ſtare , videat ne cadat.* Id eſt, nullus in ſua juſtitia confidat neque de ſtatu ſuo præſumat. Sed qui putat ſe eſſe in bono ſtatu per gratiam & charitatem , caveat ne à ſtatu gratiæ cadat in culpam. Quare , ut docet D. Auguſtinus , *utile eſt omnibus , vel penè omnibus , quod quales futuri ſunt, ſcire non poſſunt, ut quiſque dum neſcit an ſit in bono perſeveraturus, humiliter & ſollicitè Dei gratiam imploret, cum eaque caſum cavere, & in gratia perſeverare ſatagat.* Sic agunt qui non inflantur præſumptione rea vanitatis, & temeritatis.

Tert. lib de Præſc: Hær: 3. D. Aug: l. de Bon: perſever: c. 6. Lib: de Bon: perſever: c. 1. Tert. lib: de Præſc. Hær. 3. Tert ibid. 1. Cor. 10. Lib. de Bon perſever c. 8.

II. PARS. *Modus temeritatis , teſtatio eſt timoris. Timor autem hominis , Dei honor eſt* , Præſumptor nullum modum temeritatis ſervans , timorem ſe non habere teſtatur ; Deique carens timore Deum non honorat ; ſed inhonorat , divinamque offendit miſericordiam , munificentiam , & juſtitiam : Miſericordiam quidem , exiſtimans quod peccatoribus impœnitentibus & in peccatis perſeverantibus concedat veniam : Munificentiam adhuc , putans quod homini abſque ulla diſpoſitione largiatur ſanctificantem gratiam : Tandem juſtitiam , credens , quod homini immerito donet gloriæ coronam. Itaque peccator temere ſperat , abſque pœniten-

pœnitentia, veniam: 2. abſque ulla diſpoſitione, gratiam: 3. abſque ullis meritis, gloriam.

1. *Sciebat Dominus ſe ſolum ſine delicto eſſe. Docet itaque, petamus*: Dimitte nobis debita noſtra. *Exomologeſis eſt petitio veniæ; quia qui petit veniam delictum confitetur. Sic & pœnitentia demonſtratur acceptabilis Deo, quia vult eam quam mortem peccatoris.* Peccator in ſuis ſceleribus obſtinatus, neque de illis ullo modo pœnitens, & veniam peccatorum temere præſumens, tantum abeſt, ut ſit Deo acceptabilis, quinimò de novo peccat, & Deum non ad miſericordiam, ſed ad juſtitiam provocat. Uti enim Dei miſericordia pœnitentibus concedit peccatorum veniam; ita peccatoribus & in peccato perſeverantibus denegat. Ex D. autem Thoma aliquis dupliciter peccat. Uno modo, ſub ſpe veniæ quandoque percipiendæ, cum propoſito abſtinendi à peccato, & pœnitendi de ipſo. Alio modo, cum propoſito perſeverandi in peccato ſub ſpe veniæ. Qui peccat primo modo, non præſumit, quia voluntatem ad peccatum firmatam & obſtinatam non habet, ſed potius propoſitum abſtinendi à peccato; & pœnitendi includit: qui verò ſecundo modo peccat, præſumptione culpatur, pœnitentiam excludens. Pœnitentiam *qui optat, honorat* Deum, qui verò pœnitentiam abjicit, & peccatorum veniam præſumit, Deum offendit. *In illo verecundia, in iſto petulantia apparet*; & pro ſua temeritate, ſe venia indignum demonſtrat. Ut enim belle ait Tertull. *Quam porrò ineptum, quam iniquum, pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere, hoc eſt, pretium non exhibere, ad mercedem manum emittere? Hoc enim pretio Dominus veniam addicere inſtituit, hac pœnitentia compenſatione redimendam propoſuit impunitatem.* Hanc compenſationem non exhibens, præſumptuoſus peccator, Dei miſericordiam non flectit, ſed potius juſtitiam ejus ad ultionem incitat. Quod belle quamvis fusè declarat D. Auguſtinus: *Anceps eſt animus humanus & fluctuans inter confeſſionem infirmitatis & audaciam præſumptionis. Plerumque hinc, atque inde contunditur, ut ei in quamlibet partem cadere præcipitium ſit: Si enim ſe infirmitati propriæ, omnis ex parte donaverit, & in cogitationem ſe inclinaverit, quia miſericordia Domini omnibus peccatoribus, in quibuslibet peccatis perſeverantibus, tantum credentibus, quia Deus liberat, Deus ignoſcit, ita in finem parata eſt, ut nemo pereat fidelium iniquorum, id eſt nemo pereat eorum qui ſibi dicunt: Quicquid faciam, quibuslibet facinoribus & flagitiis inquiner, quantumlibet peccem, liberat me Deus miſericordia ſua, quia credidi in eum. Qui ergo dicit neminem perire talium, cogitatione mala inclinatur immunitatem peccatorum, & Deus ille juſtus, cui cantatur miſericordia & judicium, invenit hominem malè de ſe præſumentem, & ad meritum ſuum miſericordia Dei abutentem, & neceſſè eſt ut damnetur.* Damnatum aſſeverat D. Auguſtinus peccatorem in ſuis facinoribus perſeverantem, perversè de miſericordia Dei abutentem, veniamque temere præſumentem modo in Deum credat, uti faciunt hæretici hujuſce ætatis. Proſequitur Hipponenſis Antiſtes, referens

Tertull: l. de Orat: 7.

22. q. 21. a. 32. In Solut. 2. arg.

Tert. lib de Pœn 6.

Tert: ibid:

Præfat: in Pſal. 31.

rens miſeram ſortem ſuperbi vanè de ſua juſtitia præſumentis. *Talis itaque cogitatio præcipitat hominem, qua quiſque terretur, ſi ſe in audaciam quamlibet præſumptionis erexerit, & de ſuis viribus juſtitiaque præſumpſerit, & propoſuerit animo implere juſtitiam, & omnia quæ præcipiuntur in lege ita facere, ut in nullo offendat, atque in poteſtate ſe habere vitam ſuam, ut nuſquam labatur, nuſquam deficiat, nuſquam titubet, ſibique hoc tribuat, & potentatui voluntatis ſuæ. Etiam ſi fortè impleverit omnia quæ juſta videntur coram oculis hominum, ita ut, non inveniatur in vita ejus quod poſſit reprehendi ab hominibus , ipſam præſumptionem jactantiamque ſuperbiæ damnat Deus. Quid igitur fit, ſi ſe homo juſtificaverit, & de juſtitia ſua præſumpſerit ? Cadit. Si autem cogitans & conſiderans infirmitatem ſuam, & præſumens de miſericordia Dei, neglexerit vitam ſuam mundare à peccatis, & ſe omni gurgite vitiorum demerſerit, & ipſe cadit. Præſumptio de juſtitia, quaſi dextera eſt : cogitatio impunitatis peccatorum, quaſi ſiniſtra eſt. Au-*
Prov. 4. *diamus vocem Domini dicentem nobis* : Ne declines in dexteram, aut ſiniſtram ; id eſt, *ne præſumas ad regnum de juſtitia tua , ne præſumas ad peccandum de Dei miſericordia. Ab utroque te revocat præceptum divinum, & ab illa altitudine, & ab iſta profunditate. Illuc ſi aſcenderis, præcipitaberis ; huc ſi lapſus fueris, demergeris.* Ad dexteram & ad ſiniſtram declinat præſumptuoſus , ad dexteram inanitate, ad ſiniſtram temeritate: ad dexteram, in ſua juſtitia ponens fiduciam: ad ſiniſtram, abſque ulla prævia diſpoſitione ſperans ſanctificantem gratiam.

Tert: lib: de Pœn: 6. 2. *Præſumptio inverecundiæ portio eſt* , temere abſque ulla diſpoſitione ſperans gratiam ſanctificantem. Duplex eſt gratia : actualis , & habitualis. Primam gratiam ſive actualem , ſive habitualem homo non meretur , ad iſtam tamen ſeſe diſponere debet , per actus fidei , ſpei , contritionis , charitatis , aliarumque virtutum. Ut enim ait D. Auguſtinus Chriſtianum allo-
Serm. 15. de Verb. Apoſt. quens : *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*, neceſſe eſt ut gratiæ actuali vocanti , libere conſentias ; & per auxilium gratiæ adjuvantis & cooperantis ad gratiam ſanctificantem te diſponas. Præviam illam diſpoſitionem requirit Tertullianus in adultis Sacramentum Baptiſmi recipere deſiderанti-
L. de Bapt. 20. bus : *Ingreſſuros baptiſmum orationibus crebris , jejuniis , & geniculationibus , & pervigiliis orare oportet.* Et aliorſum illum qui ad ſuſceptionem baptiſmi per pœnitentiam , jejunium , orationem ſe diſponit , ſic diſcri-
L. de Pœn. 6. minat ab illo qui abſque ulla prævia diſpoſitione accedit : *Ille ſatagit , hic negligit. Ille ſumit , hic invadit* & ſua negligentia , & indiſpoſitione, effectui baptiſmatis impedimentum ponere aſſeverat Tertullianus : *Neque ego renuo divinum beneficium , id eſt abolitionem delictorum , inituris aquam omnimodo ſalvum eſſe , ſed ut eo pervenire contingat , elaborandum eſt. Quis enim tibi tam infidæ pœnitentiæ viro aſperginem unam cujuslibet aquæ commodabit ? Furto quidem aggredi , & præpoſitum hujus rei aſſeverationibus tuis circumduci facilè eſt. Sed Deus theſauro ſuo providet , nec ſinit obrepere indignos.* Nihil melius ad propoſitum. Eodem modo ratiocinandum eſt de pœnitentiæ Sacramento , ac de baptiſmi lavacro. Ex mente Tertulliani,

adulti bene diſpoſiti accedentes ad baptiſmum baptiſmalem gratiam recipiebant, indiſpoſiti è converſo non recipiebant. Pariter qui bene diſpoſiti accedunt ad Pœnitentiæ ſacramentum, ſanctificantem gratiam recipiunt: indiſpoſiti vero non juſtificantur: præſumptuoſus tamen peccator, abſque ulla diſpoſitione, & ullo bono opere prævio temere ſperat ſanctificantem gratiam, & *eadem licentia præſumptionis* abſque ullis meritis adhuc ſperat gloriam.

Tert l. 2. ad Nat 7.

3. *Spes & de mercedibus & pretiis intereſt. Proinde intereſt & de labore.* Labore enim comparatur merces; quæ ſine meritis non debet ſperari; & ob hanc cauſam ſpes dicitur à D. Chryſoſtomo, *deſtinatum præmiorum tempus, futura expectatio meritorum.* Ideo Deus ut hominem ad laborandum & bene operandum ſtimularet, mercedem ei propoſuit. Quod ſi ſcire deſideras, *Qualis apud Deum merces homini,* non aliam proponit Chriſtiano adulto bene operanti quam vitam æternam; ſicut criminoſo æternum comminatur ſupplicium. Quod Gentilibus declarat Tertullianus: *Miſeræ atque miſerandæ nationes, ecce proponimus vobis diſciplinæ noſtræ ſponſionem: vitam æternam ſectatoribus, & conſervatoribus ſuis ſpondet: è contrario prophanis & æmulis, ſupplicium æterno igni comminatur.* Homo gratia ſanctificante donatus æternam ſibi comparat beatitudinem: qui vero eſt ſanctitate denudatus, eſt æternæ mercedis indignus: *Poſt hanc vitam merces perficiens redditur, ſed eis tantum à quibus in hac vita ejuſdem mercedis meritum comparatur.* Ut autem quis mereatur gloriam, bene debet operari. Qui enim male operatur, æternam non meretur gloriam: alias *peccando promeremur:* quod quam ſit fidei contrarium, & à ratione alienum nemo non videt. Præſumens tamen temere ſperat abſque ullis meritis, & bonis operibus æternam conſequi mercedem. Contrarium tamen ſapiet ſi præbeat auditum Matthæo Evangeliſtæ male operantibus comminanti: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Merito peccator bonis operibus non vacans, regno Dei privatur: quod nulli conceditur indigno, nulli denegatur digno. *Si tanta in terris moraretur fides, quanta merces ejus expectatur in cœlis,* ſedulo Chriſtiani eſſent virtutum ſtudioſi ut tantam mercedem mœreri poſſent, quam ſine meritis fruſtra expectat præſumens, reus temeritatis, & adhuc falſæ ſecuritatis.

Tert lib. de Idol: 8.

Ser. de Fide, Spe, & Cha.

Lib. 2. adv. Marc. 19.

L. 1. ad Nat. 7

D. Aug. l. de Perfection. Iuſtit. Ratiocin. 17.

Tert l. de Pud. 10.

Matth 21.

Ter. l. 1. de Cult. Fœ 1.

III. PARS.

Tert lib de Pœn 6.

Sperare quidem, ſed *non præſumere oportet.* Spes enim Chriſtiani formidinem & metum importat. Ex D. Bonaventura, (ſpes eſt ſicut mola.) Et nota, quod duæ ſunt molæ ſpiritales, ſcilicet timor ſupplicii, & ſpes præmii. Timor eſt mola ſuperior, quæ premit animam, ne evaneſcat per elationē: ſpes eſt mola inferior, quæ animam ſuſtinet, ne deficiat per deſperationē. Iſtas duas molas debet pœnitentes conjungere, ſicut David qui dicebat: *Ab altitudine diei timebo;* ſcilicet à die judicii; ecce mola ſuperior: *Ego vero in te ſperabo;* ecce mola inferior. Unde una ſine altera non valet. Et ideo in figura hujus dicitur: *Non accipies loco pignoris, inferiorem & ſuperiorem molā,* id eſt ſpem & timorem non

Diæt. Salut. tit 5. c. 4.

Pſ. 55.

Deut. 24.

ſubtrahas peccatori, & inter duas molas, fit optima molitura tritici, id eſt perfecta contritio peccati.) Præſumptio ſuperiorem molam adimens, ſpem expellit, ſalutiſque jacturam incurrit: Sane *timor, fundamentum ſalutis eſt: præſumptio impedimentum timoris*, ſalutis evertens fundamentum. (Altus ſpei gradus, quem certificat de æterna beatitudine, eſt bene diſcuſſa conſcientia.) Quia tamen certitudo bonæ conſcientiæ non eſt infallibilis, velut certitudo fidei, ſed duntaxat conjecturalis, præſumptionem expellit, formidinemque cadendi admittit. Quod à mulieribus Chriſtianis exoptat Tertullianus, ne pudicitiæ patiantur damnum. *Debemus quidem ita ſancte & tota fidei ſubſtantia incedere, ut confiſe & ſecuræ ſimus de conſcientia noſtra, optantes id perſeverare in nobis, non tamen præſumentes.* Peccator tamen bonam conſcientiam non habens, timorem damnationis abjiciens, cœli ſpe carens *tanta præſumptione* falſaque ſecuritate ſibi promittit: 1. vitæ diuturnitatem: 2. gratiæ opportunitatem: 3. converſionis voluntatem.

Ter. l. 2. de Cult Fœ 2.

D. Bona. de Grad. Virt. c. 25.

Ibid:

Tert l. 2. ad Nat. 4.

Imprudenter longam ſibi vitam pollicentur *Chriſtiani, quibus craſtinum eſt*, non enim certi ſunt ducere vitam uſque in craſtinum. Quod innuit Chriſtus Dominus docens eos petere in oratione Dominica, quæ ad præſentem vitam neceſſaria ſunt! *Merito adjecit*: Da nobis hodie *ut qui præmiſerat: Nolite de craſtino cogitare quid edatis*, neſcientes an craſtinum veniat ad vos, vel vos uſque ad craſtinum dies veſtros protrahatis. *Cui rei parabolam quoque accommodavit illius hominis, qui provenientibus fructibus ampliationem horreorum, & longæ ſecuritatis ſpatia cogitavit, is ipſa nocte moritur.* Hoc exemplo inſtruere nos voluit Salvator, nullam ſecuritatem collocandam eſſe in vita, quæ brevis eſt, & cujus eſt hora incerta. *Separatio mentis à carne quandoque ventura eſt, propter brevitatem vitæ nunquam longe eſt, propter quotidianos caſus, quando ſit, neſcis, Ergo ſive feſtines, ſive tardes, omnis vita humana brevis eſt*, vitæque brevitas, & inopinata hora mortis, tibi terrorem ingenerare debent. Nam ut loquitur Eccleſiaſtici author. Dei *ira cito proximat*: & hoc, Tum propter brevitatem; quia tempus breve eſt reſpectu æternitatis. *Non eſt diu quod habet extremum, quia tranſvolant tempora; & quod tibi tardum eſt, in oculis Dei breve eſt*: Tum propter velocitatem: Chriſtus enim Dominus cito ſe venturum denuntiat: *Ecce venio cito.* Et alibi orſum, *Ecce venio velociter:* Tum propter inopinabilitatem; unde de præſumptuoſis ſic fatur Apoſtolus: *Cum dixerint, pax & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperveniet interitus.* Id eſt, Cum dixerint, tuta ſunt omnia, nullum eſt periculum, nullus timendi locus; tunc in momento, improviſo, eis ſuperveniet mors. Belle exiſtimat Tertullianus, *congruere homini ſeu moveri, ſeu terreri à Deo, velut fulgure rapido, momentanea mortis ictu.* Nam ut ad Heliodorum ſcribit D. Hieronymus: *Nihil æque tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quam cogitatio brevis ævi, & hujus incerti; quicquid facis reſpice mortem.* Quanta præſumentis ſtultitia, qui de brevitate vitæ de certitudine mortis inſtructus, ab Scripturis ſanctis admonitus, à Deo improviſis

Tert. lib. de Exh. Caſt. 12

Tert. lib. de Orat. 6.

Tert.

D. Aug. Ser. 5. de Verb. Apoſt.

Cap. 5.

D. Aug. in Pſal 30.

Apocal. 2. Apocal. 22. 1. Theſſal. 5.

L. de An. 44

proviſis & ſubitaneis mortibus perterritus, tamen longam ſibi pollicitetur vitam; & falſa illa ſecuritate deceptus, pœnitentiam procraſtinat & in ſuis ſceleribus perſeverat! *Omne praterea cunctationis & tergiverſationis erga pœnitentiam vitium, præſumptio importat*, ſibi promittens vitæ diuturnitatem, & gratiæ opportunitatem.

Tert. lib. de Pœn. 6.

2. Chriſtiane peccator, ut à tuis ſceleribus exire valeas, *rape occaſionem inopinata fœlicitatis*; nimirum gratiam tibi oblatam: quæ eſt quidem fœlicitas, quia ad comparandam fœlicitatem tibi neceſſaria. Eſt occaſio quæ tibi offertur; quam niſi arripueris, fortaſſe numquam amplius illam invenies. Eſt adhuc inopinata: Tum quia tuam prævenit voluntatem; Tum quia cito tranſit *in modum fulguris: priuſquam illuſtret oculos, jam refugit*: Præſumptuoſus falſa ſecuritate deluſus, occaſionem inopinatæ fœlicitatis contemnit; Deum vocantem non audit; ſtulte Dei gratiam pro libito ſperans, quaſi imperium in Deum habeat, & ad nutum de ſua voluntate diſponat, *liberalitatem ejus facit ſervitutem*, quo nihil ſtultius poteſt concipi. Hac tamen præſumptione fretus & falſa ſecuritate *certus indubitata venia delictorum, commeatum ſibi facit delinquendi*, ſperans gratiæ opportunitatem, & pœnitendi aliquando voluntatem.

Tert: lib: de Pœn: 4. Chryſol: Ser: 64. Tert: lib: de Pœn: 6. Tert. ibid.

3. Falſam illam ſecuritatem pœnitendi quando voluerit præſumptuoſus, *improvidentiam exiſtimo*. Imò magnam inſaniam. Quænam enim major ſtultitia quam ſibi certo promittere gratiam converſionis quam toties recuſavit; Deum efficaciter adjutorem quem toties contempſit: pœnitendi voluntatem, quæ in ſceleribus obduruit? Ut præſumens ille habeat converſionis voluntatem, pugnandum illi eſt *adverſus vetuſtatem, conſuetudinem, & neceſſitatem*. 1. Adverſus vetuſtatem, nimirum adverſus crimina, à longo tempore in voluntate radicata & obdurat. 1. At *exercitata vitia uſu vitioſa* difficillimè tolluntur. *Quotieſcumque peccavimus non expectemus mortifera ſecuritate vulnera ipſa putreſcere, ſed continuo ſalutem recipere feſtinemus*. 2. Adverſus conſuetudinem, quæ eſt velut altera natura: *Conſuetudinis vitium* difficillimè tollitur; & ut fatur D. Auguſtinus, *Conſuetudinis malo difficilè reſiſtitur: & tanto amplius in ea ſuperanda voluntas laborat, quanto ei majores vires conſuetudo dedit*. 3. Adverſus neceſſitatem: nam voluntas peccatis aſſueta, & in ſceleribus obdurata, velut aliqua neceſſitate fertur in malum. *Erit tempus quando peccator velit pœnitere & non poterit: quia quando potuit, noluit; & propter malum velle, perdidit bonum poſſe*. Poſt hæc *quid ſpes ſupereſt ejuſmodi homini* de ſe præſumenti?

Tert: l. 5. adv. Marc: 1. Tert. lib. 2. ad Nat: 19. Tert: lib: adv: Valent. 16. D. Aug. L. de Ver. & Falſ. Pœn. Tert: lib. de Idol. 20. Lib 4 cont. Julian. 7. D. Auguſt. Serm. 58. de Temp. Tert: lib: de Spect. 24.

En quo perducit falſa præſumentis ſecuritas. 1. Ad delictum: nam *ſecuritas delicti, libido eſt ejus*. 2. Ad obſtinationem: *Cor ſuum poſuerunt ut adamantem, ne audirent legem*. 3. Ad damnationem: *Immittit diabolus ſecuritatem, ut inferat perditionem*. Fratres ſi tanta volumus vitare damna, tria præſtemus. 1. Longam nobis non promittamus vitam. *Quam ſtultum eſt ætatem diſponere, ne craſtino quidem dominamur*. 2. Non nobis promittamus gratiæ opportunitatem, neque *nobis de manſuetudine &*

Tert. lib. de Pud. 7. Zach. 5. D. Aug. Ser 121. de Temp. Senec. Ep. 101. Tert. lib. de Idol. 13.

ne & clementia Dei *blandiamur*. Tandem 3. non præſumamus nobis ineſſe converſionis voluntatem: nam talis præſumptio *decipit nonnumquam*: imo ut plurimum. Deinde *qui præſumit, minus jam veretur, qui minus veretur, minus præcavet; qui minus præcavet, plus periclitatur*. Inde concludit Tertullianus præſumptionem eſſe timore depellendam. *Vtilius ergo ſi ſperemus nos poſſe delinquere, quam ſi præſumamus non poſſe. Sperando enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo, ſalvi erimus*: ſperando nam delinquere timebimus delictum, timendo cavebimus illud committere: timendo autem, & cavendo à peccato, ſalutem conſequemur. *Contra*: *ſi præſumamus* ſcilicet non poſſe delinquere, *neque timendo, neque præcavendo ſalvi erimus*. Quia neque timentes peccatum, neque illud præcaventes, abſque dubio peccabimus. *Qui ſecurus agit, non & ſollicitus, non poſſidet tutam ac firmam ſecuritatem*. Firmam ſecuritatem non habet præſumptionis, quamvis eam ſibi falſo promittat. *At qui ſollicitus eſt, id vere poterit eſſe ſecurus*, cujuſmodi eſt Chriſtianus cum ſpe timorem miſcens, ſollicite fugiens omnem peccandi occaſionem, de ſe diffidens, in Deo humiliter confidens. *Non ergo hic arrogantia eſt, ſed fides. Bona præſumptio, ſed moderato*; ſollicitudinem, timorem, & cautelam comites habens. Vide præſumens qui vanitati, temeritati, & falſæ ſecuritati, inniteris: *Si tecum ſit noſtra præſumptio*: quæ ſociam habet non vanitatem, ſed humilem in Deo fiduciam? non temeritatem, ſed timorem; non falſam ſecuritatem, ſed cautelam & ſollicitudinem. *Et de ſuis quidem ſervis Dominus pro miſericordia ſua curet; ut etiam præſumere illis de bono ſuo fœliciter liceat*; ut ſcilicet pia & moderata præſumptione, Dei auxilio muniti, vere pœniteant ut veniam peccatorum obtineant, gratiæ actuali conſenſum præbentes per virtutum actus ad gratiam ſanctificantem ſe diſponant; gratia ſanctificati, boniſque operibus vacantes, per merita, æternæ mercedis digna, à Deo meritorum acceptatore & remuneratore, gloriæ coronam recipiant.

(Tert. lib. de Pœn. 6. Tert. l. 2. de Cult. Fœ. 2. — D. Amb. l. 5. de Sacra. 4. — Tert. lib. de Teſt. An. 4. — Tert. l. 2. de Cult. Fœ. 2.)

CONCIO SEXTA.

NON *ſuccidendus ac ſubruendus animus deſperatione*. Tria hominum genera diſcriminat D. Bernardus: *Vnum, non ſperantium; aliud, fruſtra ſperantium; tertium, deſperantium*. Illi non ſperant qui ſola temporalia quærentes, non ponunt Deum adjutorem ſuum: Alii ſperant quidem in Domino, ſed fruſtra: quia ſic de miſericordia ejus ſibi ipſis blandiuntur, ut à peccatis ſuis non emendentur. Tertii tandem deſperant, qui conſiderantes imbecillitatem ſuam, deficiunt & obruuntur à puſillanimitate ſpiritus. Priores idcirco Dei non quærunt auxilium, quia nequaquam ſibi illud neceſſarium ſentiunt: alii propterea longe fiunt, quia eo modo quærunt auxilium Dei, quo obtinere non

(Tert. lib. de Pœn. 7. — Serm. 11. in Pſal. 90.)

non poſſunt. Tandem extremi, in adjutorio Altiſſimi non habitant; quia conſideratione propriæ infirmitatis, deſperatione dejiciuntur. *Fortes ac ſtrenui, etiam contra fortunam inſiſtunt ſpe: timidi & ignavi, ad deſperationem formidine properant.* Loquitur Tacitus de ſpe humana. Sicut enim *magnæ indolis ſignum eſt, ſperare ſemper*, ita parvi animi indicium eſt non ſperare fortunæ bona. Ac in præſentiarum ſermo eſt de ſpe Chriſtiana, cui opponitur præſumptio, quam deſperatio penitus deſtruit. Ex D. namque Auguſtino, *duo ſunt vitia generis humani, quibus homines pereunt. Alii enim ſperando, alii deſperando.* Ut autem aliorſum docet Hipponenſis Antiſtes, *iſta duo mala occidunt animas: aut deſperatio, aut perverſa ſpes.* Sicut præſumptio importat exceſſum ſpei inordinatè convertentis in Deum: ita deſperatio importat defectum ſpei avertentis à Deo. Utraque falſo innititur: præſumptio quidem, non quod nimis ſperet de Deo, ſed quia perverſe ſperat: ſcilicet quod in peccato perſeverantibus Deus concedat veniam: & quod bonis operibus non vacantibus largiatur gloriam. Deſperatio etiam falſo innititur, exiſtimans quod Deus peccatores ad pœnitentiam non admittat: & quod pœnitentibus non indulgeat. Deſperans autem gravius peccat præſumente: quia offendit Deum prout eſt bonus & miſericors, præſumens verò prout eſt juſtus. Ratio autem optimi propriè Deo & per ſe competit; ratio verò juſti ultoris & punitoris per accidens ob peccata commiſſa. *Accipe & cauſam qui apud Deum diſcis, tam optimum, quam & juſtum: de ſuo optimum, de noſtro juſtum. Niſi enim homo deliquiſſet optimum ſolummodo Deum noſſet ex naturæ proprietate, at nunc etiam juſtum eum patitur ex cauſæ neceſſitate:* nimirum ob peccata hominum, quæ juſtè punit. Ille autem magis peccat qui offendit illud quod convenit Deo propter ſe; quam ille qui offendit illud quod convenit Deo propter aliud. Nemo igitur malè ſperet, neque malè deſperet. *Malè ſperat, qui ſe poſt multa tempora ad pœnitentiæ medicamenta reſervat. Malè diſperat, qui credit quod etiamſi pœnitentiam agat pro peccatis ſuis, divina miſericordia non indulgeat.* In ſuperiori Concione *adverſus portentoſiorem præſumptionem* præliati ſumus: *Perinde igitur & hic dimicemus neceſſe eſt* adverſus iniquam deſperationem, quæ validius nequit debellari quam propugnando ſpem innixam 1. ſanctiſſimæ Trinitatis operationi: 2. dominicæ redemptioni: 3. cœleſtis Hieruſalem protectioni.

[Margin: Lib. 1. c. 2. — Flor. l. 4. c. 8. — Serm. 5 de Commun. — Serm. 59. de Verb. Dom. — Tert. lib. de Reſ. 14. — D. Auguſt. Serm. 1. de de Pœnit. — Tert. lib. de An. 32.]

Graviſſimè Deum offendit peccator deſperatione, & ſibi ipſi magnum affert damnum. Graviſſimè Deum offendit *deſperans potentiam protectionis ab illo*, ſuaque crimina majora Dei miſericordia exiſtimans, divinis perfectionibus fidem quodammodo imponit, ad inſtar Hebræorum, quos poſt multa accepta à Deo beneficia aſſeverat Propheta ſæpè Deum tentaviſſe, irritaviſſe, in eo non crediſſe, *neque ſperaſſe in ſalutari ejus* ſubjungens: *Sanctum Iſrael exacerbaverunt.* In Hebræo habetur *limitaverunt*; quaſi non ſperando voluerint ponere limites divinæ potentiæ, bonitati, & miſericordiæ. *Nullum tantum unquam poſ-*

[Margin: I. PARS. — Tert. lib. de Fug. in Perſ. 5. — Pſ. 77. — D. Aug. l. de ver. & falſ. Pœnit. c. 5.]

ſet peccare, quod pœnitens velit deſperare. Quid enim aliud eſt deſperare, quam Deum ſibi comparare? Nam qui de Deo non præſumit veniam, non animadvertit plus peccato ſuo Dei miſericordiam poſſe. Si enim ſentiret Deum magis bonum quam ſe malum: quicquid in ſe juſtitia non inveniret, à Deo magis bono expectaret: & quidem Deo diffidit, quia ſummi boni bonitatem majorem ſua nequitia non ſentit. Ille ſolus diffidat qui tantum peccare poteſt, quantum Deus bonus eſt: Cùm autem ſit nullus qui hoc poßit, qui timet de ſe malo, præſumat de meliore: diabolus enim & omnis nequitia minor eſt quam Dei miſericordia. Ipſe enim ſi poſſet ſperare, & culpam in ſe ſentire, quod non invenit in ſe, præſumeret in Dei pietate. Adhuc tamen diffidit; & ſuam nequitiam comparat Dei benignitati, finem imponit Dei virtuti, dans finem infinito, & perfectionem divinitatis auferens Deo, cui nihil deeſt. Sic divinam miſericordiam limitare ten-

Gen: 4. tavit Cain blaſphema & contumelioſa hac in Deum voce: (Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.) Quaſi dicat, ut animadvertit D:

Lib: 3. de Vit: Contemplat. Proſper, *Indulgere mihi non peto, quia peccatorum meorum magnitudine, indulgentia tua vincitur magnitudo.* Caini blaſphemiam imitantur peccatores de divina miſeratione deſperantes, & quantumvis exclamet D. Bernar-

Serm: 11 in Cant. Cap. 18. dus: *Abſit, abſit; major eſt ejus pietas, quam quævis iniquitas:* attamen in ſua deſperatione perſiſtunt, multumque ſibi damnum afferunt. 1. Corde triſtantur: ex Eccleſiaſtico autem (à triſtitia feſtinat mors, & cooperit virtu-

In Gloſſ. tem.) Id eſt ut explicat Anſelmus Laudunenſis: *A triſtitia, animæ deſperanti feſtinat mors; & obſcurat virtutem bonæ actionis.* Triſtitia omnem fiduciam eripiens, animam in deſperationem inducit, & à bona actione ab-

D. Ambroſ. Octon 3 in Pſ. 118. ducit: 2. Deſperantes in otio & deſidia ſqualent, *Deſperare, ſegnitiei eſt materia, ſperare autem incentivum laboris eſt.* 3. Abſque ullo fræno graviſſima

D. Auguſt: Tract. 33 in Joan: quæque crimina committunt. *Dicunt apud ſemetipſos: Jam damnandi ſumus, quare non quod volumus, facimus?* 4. Spiritus ſancti rejiciunt gratias:

D. Auguſt: Serm: 27. de Diverſis. *Sic illi qui deſperant de indulgentia Dei, ipſa deſperatione intus ſe ſuffocant: ut eos Spiritus ſanctus intus viſitare non poßit.* 5. In ſuis ſceleribus obdurantur. Hinc illa peccatricis animæ, ut meretriculæ, in ſcelere obſtinatio: *Deſperavi:*

Jerem: 25. *nequaquam faciam: adamavi quippè alienos.* 6. Damnationis periculum incurrunt, & ob hanc cauſam Judam deſperatione ad laqueum convalentem

Serm: 3. de Paſſ. ſanctus Leo, *ſceleſtiorem omnibus, & infœliciorem* vocitat. Cui non fuit

De Paſſ. Dom: longe diſſimilis pravus latro, de quo ſic fatur D. Cyprianus: *Illi blaſphemo, quia de Domini deſperavit potentia; nulla potuit ſubvenire clementia.* Uterque damnatus eſt; Judas, quia de Domini deſperavit miſericordia;

D. Aug: l. de Ver: In. Doc. c. 20. perverſus latro, quia de Domini potentia. *Prima ſalus, eſt declinare peccatum: ſecunda, non deſperare de venia. Nam ipſe ſe in æternum punit, qui apud miſericordem judicem, ad pœnitentiæ remedia non recurrit.* Caveamus fratres deſperationem, ſummè Deo injurioſam, & tantoperè deſperanti noxiam.

Tert. lib. de Bapt. 6. Deſperationem ſpe depellamus, *Sufficit ad fiduciam ſpei noſtri etiam numerus nominum divinorum*, ſcilicet trium perſonarum ſanctiſſimæ

Trinita-

Trinitatis, confidentes, in 1. Patris pietate: 2. Filii charitate: 3. Spiritus ſancti liberalitate.

Oratio Dominica Chriſtianorum animat ſpem. Non ſolum quia eorum animos erigit ad cœleſtem beatitudinem, dum fit *commemoratio ſpei, in regno*: ſed præſertim dum *oſtendit quid à patre filii expectent*: nimirum benignitatem, pietatem, miſericordiam: & ob hanc cauſam in exordio præfatæ orationis Deum nuncupamus Patrem noſtrum. *Appellatio iſta & pietatis & poteſtatis eſt*: & hæc conſideratio ſufficit ad tollendam à peccatoribus deſperationem. Qua utitur D. Auguſtinus, ut à peccatoribus deſperationem evellat. *Rogo vos fratres chariſſimi, ut ſi fortè ſit aliquis ex vobis, ut ſe habet humana fragilitas, calliditate diaboli ſuperatus, & capitalibus criminibus involutus, de Dei miſericordia non deſperet: ſed citò de malo iniquitatis ſuæ conſurgat: ne conſuetudine peccandi, in ipſis ſe ruinis ſuis ſepeliat. Non enim qui peccaverit, ſed qui in peccatis perſeveraverit, odibilis & abominabilis Deo erit. Nam ut de indulgentia divina nemo diffidat, Dominus nos per Prophetam velut piiſſimus Pater conſolatur, dicens.* Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. *Et illud*: Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua. *Dubium ſi non & alibi hanc clementiæ ſuæ profuſionem demonſtraſſet.* Nam ait, qui ceciderit reſurget; & qui averſatus fuerit, convertetur. Quanta autem pietate prædıtus ſit Pater cœleſtis, ex parabola prodigi colligit Tertullianus. *Illum etiam mitiſſimum patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, & poſt inopiam pœnitentem libens ſuſcipit, immolat vitulum præoptimum, convivio gaudium ſuum exornat. Quidni? filium enim invenerat quem amiſerat: cariorem ſenſerat, quem lucrifecerat. Quis ille nobis intelligendi pater? Deus ſcilicet. Tam pater nemo, tam pius nemo. Is ergo te filium ſuum, etſi acceptum ab eo prodegeris, etſi nudus redieris, recipiet, quia rediſti: magiſque de regreſſu tuo, quam de alterius ſobrietate lætabitur. Sed ſi pœniteat ex animo, ſi famam tuam cum ſaturitate mercenariorum paternorum compares, ſi porcos immundum relinquas pecus, ſi patrem repetas vel offenſum; Deliqui dicens, pater, nec dignus ego vocari tuus.*

Tert lib de Orat: 9.
Tert lib: de Orat: 6.
Tert lib de Orat: 2.
Serm 51 de Temp:
Ezech: 18.
Ezech: 33.
Tert: lib. de Pœn: 8.

D. Hieronymus argutè expendit rationem qua Chriſtus Dominus diſcipulos in mari periclitantes, de ſuaque ſalute deſperantes, à naufragii timore eximere nititur, eiſque fiduciam ingenerare molitur: (Statimque Jeſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam; ego ſum: nolite timere.) *Quod autem dicit*: Ego ſum, *nec ſubjungit quis ſit; ipſum eſſe ſcire poterant; quem locutum ad Moyſem noverant.* Hæc dices filiis Iſrael: (Qui eſt miſit me ad vos.) In tanto naufragandi diſcrimine nullum aliud affert motivum Chriſtus, quo diſcipulorum expellat timorem, & ingerat fiduciam, niſi dicens; *Ego ſum*, quod eſt potiſſimum Dei nomen. Sat eſt ad fiduciam quod dicit: *Ego ſum.* Nam Deus eſt, qui eſt, & qui omnia poteſt: Quod ſi Deus eſt qui eſt & qui omnia poteſt, & eſſentialis exiſtentia, & infinita potentia de Deo creditur; ſat eſt, ut

In cap. 14. Matth.

ut in periculoſiori diſcrimine naufragii proximo, diſcipuli deſperationem ex-
cutiant, & ſpem concipiant. Qui fide credit Deum eſſe Patrem ſumma pieta-
te, & infinita poteſtate prædictum, abſque dubio deſperationem excutit, & fi-
duciam concipit. Quo argumento utitur D. Auguſtinus ut à deſperatione ti-
Serm. 58 de Temp: midum ſanet peccatorem. *Sed fortè cogitat aliquis tam gravia commiſiſſe
peccata ut Dei miſericordiam promereri non poſſit. Abſit hoc à ſenſibus omnium
peccatorum. O homo quicunque illam peccatorum tuorum multitudinem atten-
dis; cur & omnipotentiam cœleſtis Medici non attendis? Cùm enim dicitur quod
vult miſereri, quia bonus eſt: & poteſt, quia omnipotens eſt: ipſe contra ſe divinæ
miſericordiæ januam claudit, qui Deum ſibi miſereri aut nolle, aut non poſſe, cre-
dit: & eum aut bonum, aut omnipotentem eſſe diffidit.* Fides namque tum divi-
næ bonitatis; tum ſupremæ ejus poteſtatis, deſperationem abducere. & ſpem
inducere debet. *Nemo ergo nec poſt centum peccata, nec poſt mille crimina, de
divina miſericordia deſperet,* ſed Deum credens bonum, & omnipotentem &
Tert. lib. de Fug. in perſ. 5. patrem pietate & poteſtate prædictum; *quare non magis ex parte fiducia in Deum*
fundamentum ſumat?

Sed cœleſtis Patris pietas, nunquam magis elucet quam in unigeniti filii
Tert. lib. adv. Prax. 21. ſui incarnatione, *cùm ad Nicodemum dicit*: Ita dilexit Deus mundum, ut Fili-
um ſuum unicum dederit: in quem omnis qui crediderit, non pereat, ſed ha-
beat vitam æternam. *Et rurſus*, Non enim miſit Deus filium ſuum in mun-
D. Aug. Ser 25. de Nat Dom. dum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvus ſit mundus per eum. *Clementiſſimus
pater omnipotens Deus, cùm condoleret ſæculum cænulentis erroribus involutum,
hominemque mortiferis criminibus catenatum, habuit cum ſua pietate conſilium,
ut totum redimeret mundum: delapſus eſt in viſcera Virginis Dei Filius, magiſter
& amicus, qui in principio erat Verbum, & Verbum erat Deus.* Magnum illud
pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, efficaciſſimum exiſti-
mat D. Auguſtinus, tum ad tollendam hominum deſperationem, tum ad
ſpem erigendam. Licet enim Deo non defuerit alius modus reparandæ hu-
manæ naturæ: aſſeverat tamen D. Auguſtinus (noſtræ miſeriæ ſanandæ con-
L. 13 de Trin c 10 venientiorem alium modum non fuiſſe, nec eſſe oportuiſſe.) *Quid enim
tam neceſſarium fuit ad erigendam ſpem noſtram, menteſque mortalium conditione
ipſius mortalitatis abjectas, ab immortalitatis deſperatione liberandas, quam ut de-
monſtraretur nobis, quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret? Quid verò
hujus rei tanto iſto indicio manifeſtius atque præclarius, quum ut Dei Filius immu-
tabiliter bonus, in ſe manens quod erat, & à nobis & pro nobis accipiens quod non
erat, præter ſuæ naturæ detrimentum noſtrum dignatur inire conſortium, prius ſine
ullo malo ſuo merito mala noſtra perferret: ac ſi jam credentibus quantum nos dili-
gat Deus, & quod deſperabamus jam ſperantibus, dona in nos ſua, ſine ullis bonis
meritis, imò etiam præcedentibus malis meritis noſtris, indebita largitate confer-
ret?* Unde Apoſtolus ex immenſa pietate, qua nobis Pater ſuum dedit filium,
Rom. 8. omnia cum illo nobis donaſſe rectè concludit: Cùm enim quod majus eſt
dederit, meritò quod minus eſt donare colligitur. Qui etiam proprio filio
ſuo

ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit?) Quæ ſcilicet vocationem noſtram, juſtificationem, glorificationem, & ſalutem ſpectant. Itaque poſtquam æternus Pater ineffabili ſua bonitate dedit filium ſuum unigenitum, & cum illo omnia ad ſalutem neceſſaria donare propoſuit, nemo quantumvis criminibus oneratus deſperare debet. *Reſpira peccator, reſpira, ne deſperes, ſpera in Deo quem times, confuge ad eum à quo aufugiſti*, redi ad eum, quem offendiſti, confide in Patris pietate, & in Filii charitate. D. Auguſt: in Medit:

Cui primum imaginem dedit in ſæculum, ſeipſum pro eo tradidit. Pater filium perfectam ſui imaginem tibi donavit, homo, quo ſpem tuam erigeret: Filius ſimiliter qui te in creatione ad ſuam formaverat imaginem, ſemetipſum tradidit, ut redimeret. *Vt cùm jam tanta perceperis, per ea quæ agnoſcis præſtita, diſcas ſperare promiſſa, & opem rebus nutrias, & de conſequendis, ea quæ jam eſt conſecutus, interroges: ut perceptorum experimentum proficiat tibi in teſtimonium ſperandorum: ac ſi jam attributa beneficia, pro retribuendorum fidejuſſoribus habeas, ac Dei tui præteritam, præſentemque bonitatem quaſi futurorum teneat cautionem.* Belle Emiſſenus? Ex Verbi humanatione qua nobis æternus Pater donavit Filium ſuum unigenitum, ulteriora beneficia ſperare diſcamus; quaſi donum Filii à Patre factum, ſit bonum ſpei gymnaſium. Quod interrogandum eſt, quoties occurrerit aliqua diffidentiæ ſeu deſperationis cauſa, ut de ejus reſponſione ſpem fidenter erudiamus: Tale namque ac tale donum, eſt velut fidei juſſor veniæ peccatoribus tribuendæ, cunctorumque etiam beneficiorum deinceps retribuendorum. Euſeb: Emiſſ. Hom. 1. de Simb.

2. Certè Dei Filius *dilexit hominem, propter eum deſcendit, propter eum prædicavit, propter eum omni ſe humilitate dejecit uſque ad mortem crucis.* Tres gradus amoris Filii Dei erga homines denotat Tertullianus: Primum quidem in ejus humanatione. Magnum ſanè homini Dei filius demonſtravit amorem in incarnationis myſterio, in quo *delapſus in virginem, & in utero ejus caro figuratus, naſcitur homo Deo miſtus.* Quo als his ſublimatur humana natura, eo magis apparet Verbi dilectio, quam præ angelica, ſibi hypoſtaticè univit. *Demonſtratum eſt homini quem locum haberet in rebus quas Deus condidit: quandoquidem ſic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus ſubſtantiis fieret una perſona.* Secundum, eumque majorem dilectionis gradum homini manifeſtavit Dei filius, in ſua humiliatione. Nam poſt ſuſceptam in utero Virginis naturam humanam, *ille Dominus in humilitate & ignobilitate inceſſit.* Dei autem filium dejecit & humiliavit *Amor dignationis neſcius.* Maximus tandem dilectionis gradus elucet in dominica Paſſione. Summoperè namque hominem *amavit quem magno redemit:* nimirum pretioſo ſanguine ſuo. Quod attentè conſiderans Bernardus ſubjungit. *Quæ eſt enim charitas, niſi quia & ſe pro nobis obtulit, & ſuo ſanguine nos redemit?* Tert. lib. de Car. Chr. 4. Tert Apol. 21. D Aug: l 13. Trinit. c. 17. Tert lib. de Idol 18. D. Bern: Ser: 64. in Cant. Tert. lib de Car: Chr. 4.

Verum ad quid Dei filius humanatus eſt? ad quid omni ſe humilitate dejecit? ad quid pretioſiſſimum ſuum ſanguinem fudit? Nimirum ad

Tert lib de Carn: Chr: 14.

ſalvandum hominem peccatorem. *Vt hominem geſtaret Chriſtus, ſalvus hominis fuit cauſa, ſcilicet ad reſtituendum quod perierat; homo perierat hominem reſtitui oportuerat.* Cauſa humanationis, humiliationis, & paſſionis filii Dei, debet quemlibet peccatorem à deſperatione avocare, eique ſpem veniæ & ſalutis ingenerare, modo de ſuis ſceleribus pœniteat, dicens cum Jobo: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* Ne quis putet me de Chriſti charitate minus bene

Job: 13

ſentire, aut timida agi deſperatione: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* Quod ſi inquiramus à Jobo rationem tantæ fiduciæ, reſpondebit: Quia *ipſe eſt Salvator meus*: Ideoque etiamſi mihi interfector appareat, Salvatorem reputabo.

Senec lib: 7. de Benef. 31 Tert. lib. de Reſ. 47.

Adeò ad bonas ſpes pertinax animus eſt de divina bonitate, & dominica charitate inſtructus. Cujus enim deſperationem procul non abigat Chriſtus Salvator, *quod periit, ſalvum faciens: quod mortuum eſt vivificans; quod percuſſum eſt, ſanans; quod languit medicans; quod ereptum eſt, redimens; quod ſamulatum eſt liberans; quod reductum eſt, revocans; quod eliſum eſt, ſuſcitans?* Plures Salvatoris Chriſti operationes recenſet Tertullianus, quæ ad ſpes bonas animum efficiunt pertinacem.

Tria ſunt potiſſimum in Verbo humanato quæ deſperationem ab animis fugant, & ſpem ingenerant. Unum, affinitas quam cum hominibus contraxit: aliud munus Mediatoris, quod aſſumpſit: tertium, opus Redemptionis,

Tert: lib de Carn: Chr. 5. D. Auguſt. in Manual. 13. D. Maxim. Hom. in Feſt. S. Pauli.

quod ſuo ſanguine conſummavit. 1. *Chriſtus homo, & filius hominis* & hæc affinitas quæ eſt inter Deum & hominem deſperationem abjicit: *Deſperare utique potuiſſem propter nimia peccata mea; niſi Verbum tuum Deus meus, caro fieret, & habitaret in nobis.* Neque deſperationem duntaxat expellit, ſed ſpem adhuc fulcit. *Nam propter bonitatem divinitatis peculiarem nobis Salvator debet affectum? Scilicet quia ſicut Deus noſter in ipſo eſt, ita & ſanguis noſter in illo eſt. Miſericordiam igitur nobis debet præſtare divinitas: neceſſitudinem debet exhibere affinitas.* Chriſtus eſt Deus & homo, quia natura divina & humana, in Verbi perſona ſuppoſitantur, & inquantum Deus eſt, inquantum homo, miſeris peccatoribus debet miſericordiam. Inquantum Deus, *propter bonitatem divinitatis*; cujus proprium eſt miſereri ſemper & parcere: inquantum homo, propter humanitatis teneritudinem, quia *neceſſitudinem exhibere debet affinitas.* Sicut enim ratione divinæ bonitatis debet præſtare miſericordiam; ita ratione humanæ affinitatis debet exhibere neceſſitudinem, id eſt benevolentiam & beneficentiam, quam exigit affinitatis neceſſitudo. Chriſti beneficentiam ſpei noſtræ illicem, neceſſitudinem ex affinitate ortam appellat.

Tert. lib de Reſ. 51.

Neque minus ſpes fulcitur munere Mediatoris quod 2. obivit Chriſtus: *Hic ſequeſter Dei atque hominum appellatus, ex utriuſque partis depoſito commiſſo ſibi.* Diſſidium erat inter Deum & hominem, homo Deum aggrediebatur ſuis ſceleribus; Deus hominem debellabat ſuppliciis & punitionibus: Chriſtus Dominus ſequeſtri & mediatoris fungens officio, Deo offenſo ſatisfecit,

D. Aug l. 10. Civ 29.

homini offendenti gratiam obtinuit; *Gratia Dei non potuit gratius commendari, quam ut ipſe unicus Dei filius indueret hominem, & ſpem dilectionis*

ſua

ſua daret hominibus, homine medio. Chriſtus eſt non ſolum mediator noſtræ reconciliationis, ſed etiam noſtræ ſpei. Si Deus extitiſſet iratus erga hominem peccatorem, abſque ullo reconciliationis & ſpei medio peccator incidiſſet in deſperationem. At poſtquam Chriſtus mediator hominem Deo reconciliavit, & in ſemetipſo univit; tali ſpei mediatore exiſtente, non eſt amplius deſperationis locus. Qui quo firmior eſſet ſpes peccatoris 3. opus redemptionis ſuo ſanguine conſummavit hominemque *magno redemit.* Jocob Patriarcha Ter. l. 5. adv. Marc. 7.
ultimum valedicens duodecim filiis, tot tribuum capitibus, veniens ad Dan de cujus tribu Sanſon erat naſciturus: ita fatur, (Dan judicabit populum Gen. 49.
ſuum ſicut & aliæ tribus Iſraël:) Mox ſubjungens, *Salutare tuum expectabo Domine.* Cur autem Dan ejuſque poſteris benedicens Jacob, ab eis deflexit oculos, eoſque convertit ad expectandum Salvatorem, qui ex illa tribu naſci non debebat? Paraphraſtes Chaldæus reſpondet, ſalutare tuum expectabo Domine, (quaſi dicat: Non expecto ſalutare Gedeon, quæ eſt ſalus temporalis, neque ſalutare Sanſon, quæ eſt ſalus tranſitoria, ſed expecto redemptiotionem Chriſti filii David, qui venturus eſt, cujus redemptionem deſiderat anima mea :) velut ſolidum ſpei meæ fundamentum. Quod ſi redemptio Chriſti futura, eſt fulcrum cui innititur Jacobi ſpes, quanto magis jam facta Chriſti ſanguine, humana redemptione, Chriſtianus tenere debet firmum ſpei propoſitum? *Iam ſecurus eſto. Initus eſt bona fidei contractus. Nemo fallit* D. Aug: in Pſ. 102.
redemptorem, nemo circumvenit, nemo premit. Egit hic commercium jam pretium ſolvit, fudit. Qui omnem expellere debet deſperationem. Poſtquam latroni & crucifixoribus Chriſtus veniam obtinuit. *Quid autem converſo non ignoſcitur, ſi fuſus Chriſti ſanguis agnoſcitur? quis homicida deſperet, ſi in ſpem redditus* D. Auguſt. Tract. 12. in Ioan.
eſt, à quo etiam Chriſtus occiſus eſt? Quis deſperet, ſi in cruce latro ſalvatus eſt; ante paululum homicida, poſt paululum accuſatus, convictus, damnatus, ſuſpenſus, & liberatus? Multum quidem ſceleroſus latro, ob ſua latrocinia ad crucem damnatus; ſed longe crimino ſiores qui Chriſtum crucifixerunt; eju'que ſanguinem fuderunt: At fuſus ſanguis Chriſti expiavit ſcelera non ſolum latronis, ſed etiam eorum qui eum effuderunt. Poſt hæc *nemo de ſui peccati dimiſſione deſperet, quando & veniam meruerunt, qui Chriſtum occiderunt.* Quem ſapienter D. Auguſt:
admonet D. Auguſtinus : *Sic tamen non deſperet, ut ſine ulla mora Deum ſibi* Tract: 3. in Ioan.
repropitiari feſtinet; ne forte ſi conſuetudinem peccandi fecerit, etiam ſi vellet ſe à diaboli laqueis liberare non poſſit. A laqueis diaboli ſeſe extricat, qui cito ad Serm 58. de
pœnitentiam properat; ſpem ſuam ponens in Patris pietate, Filii charitate, & Temp:
Spiritus ſancti liberalitate.

3. Chriſtus Dominus aſſumptus in cœlum, *acceptum à patre munus* L. adv: Prax. 30.
effudit Spiritum ſanctum, tertium nomen divinitatis, & tertium gradum majeſtatis. Sex notatu digniſſima de Spiritu ſancto docet Tertullianus : 1. Spiritum ſanctum, Deum & tertiam Trinitatis perſonam declarat: *Spiritus ſanctus in Trinitate eſt, quem Patri & Filio conſubſtantialem &* D. Auguſt: Tract. 74. in
coæternum fides Catholica confitetur. 2. Filium à Patre accepiſſe Spiritum Ioan.
ſanctum

ſanctum aſſeverat, qui ſcilicet in ſua generatione accepit à Patre voluntatem [D. Aug. l. 15. Trin. c. 26] fœcundam, qua ſimul cum Patre producit Spiritum ſanctum. *Si enim quicquid habet de Patre habet Filius, de Patre habet utique, ut de illo procedat Spiritus* [Tert. lib. de Bapt. 10.] *ſanctus*. 3 Spiritum ſanctum, miſſum à Filio affirmat: perſona namque divina mittitur, ab illo à quo procedit; Spiritus ſanctus à Filio procedit, & ita à Filio [D. Aug. l. 15. Trin. 18.] mittitur, non quatenus eſt homo, ſed quatenus Deus, *nec Spiritum ſanctum in-* [D. Aug. Ser. 43. de Verb. Dom.] *dulget niſi ſolus Deus*. 4. Spiritum ſanctum munus ſeu donum nuncupat. *Rectiſ-ſime Spiritus ſanctus cum ſit Deus, vocatur etiam donum Dei*. 5. Divinum illud [D. Aug. de Duab. Nat. Chriſ.] donum hominibus datum, prædicat. *Magna eſt miſericordia Dei, quia donum dat æquale ſibi*. Tandem 6. ad quid Spiritus ſanctus datus ſit hominibus propa- [D. Aug. l. de Fid. & Sim. cap. 9.] lat; Tum ut homines à peccatis emundet. *Ille à vinculo peccati hominem cum patre & filio regeneratur, abſolvit* Tum ut homines cum Deo reconciliet, *per Spi-* [Tert. l. adv. Prax. 2.] *ritum ſanctum reconciliamur Deo*: Tum ut homines per ſuam gratiam ſanctificet; & ob hanc cauſam Chriſtus in cœlum aſſumptus *exinde miſerit ſecundum promiſſionem ſuam, à Patre Spiritum ſanctum paraclitum ſanctificatorem fidei eorum qui credunt in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum.*

[Epheſ. 1.] Hæc dona Spiritus ſancti primario accepimus in baptiſmatis ſacramento, *in quo & credentes ſignati eſtis, Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ*. Hic Apoſtolus baptiſmi effectus ordinate deducit, *in quo & credentes*; nam ad ejus ſuſceptionem requiritur fides, vel adultorum, vel ſaltem Eccleſiæ, in parvulorum lavacro *ſignati eſtis* in Græco habetur ſigillati ſeu ſigillo obſignati eſtis, charactere ſcilicet indelebili, quo innuitur baptizatos ſpecialiter ad Deum pertinere: *ſignati eſtis Spiritu ejus ſancto* : quia Spiritus ſanctus [Ter. l. 5. adv. Marc. 17.] baptizatum, à peccatis emundat, & gratia ſanctificante exornat ; *Spiritu promiſſionis* quem Deus promiſerat : *Mox gratiam pollicitus quam per Spiritum* [Tert. lib. de Pœn. 2.] *ſuum, univerſo orbi illuminaturus eſſet*, quod in Chriſtianiſmo adimpletum conſtat, *qui eſt pignus hæreditatis*. Gratia namque ſanctificans quam renatis confert Spiritus ſanctus, dat jus ad cœleſtem hæreditatem : in Græco habetur arrha : Ex D. Auguſtino Spiritus ſanctus melius dicitur arrha, quam pignus : quia pignus datur in mutuo, & ſoluto debito repetitur & aufertur : arrha vero datur in contractu vendentis & ementis quaſi pars anticipata futuræ plenæ ſolutionis, ut firmior ſit contractus: gratia autem Spiritus ſancti eſt gloria inchoata, & quaſi prælibatio futuræ fœlicitatis.

Tot dona, quæ à Spiritu ſancto accepit in baptiſmo peccator, de- [Tert. lib. de Orat. 7.] bent ejus ſpem erigere ne deficiat, & in deſperationem labatur. *Conſequens erat ut obſervata Dei liberalitate, etiam clementiam ejus præcaremur*. Tria ſunt potiſſimum quæ peccatoris ſpem erigunt ; unum, pro- [D. Ber. Ho. 4. ſup. miſſus eſt.] miſſio Dei Spiritum ſanctum pollicentis: Deus namque : *Multa quæ dare diſpoſuit, prius pollicetur, ut ex promiſſione devotio excitetur* : experta jam [Hom. 12. in Evang.] in baptiſmate Spiritus ſancti liberalitas : ex Magno Gregorio Iſrael: *Omnipotens Deus largiendo terrena, ſuadet ad cœleſtia : ut percipiens quod videret,*

videret, ſperare diſceret, quod minimè videbat. Similiter peccator poſt tot & tanta dona ab Spiritu ſancto jam accepta, debet majora adhuc ſperare. Prior namque liberalitas, eſt poſterioris munificentiæ velut pignus: *Ut fidelis quiſque cùm jam tanta perceperit, per ea quæ cognoſcit præſtita; diſcat ſperare promiſſa: ac Dei ſui præteritam præſentemque bonitatem, quaſi futurorum teneat cautionem.* D. Aug. Ser. 176 de Temp.

Tertium, pœnitentiæ Sacramentum, per quod Spiritus ſanctus denuò peccatorem ſanctificat, in eoque cum ſuis donis inhabitat: *Uti quicquid error vetus inquinaſſet, quicquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pœnitentia verrens & radens & foras abjiciens, mundam pectoris domum ſuperventuro Spiritui ſancto paret, quo ſe ille cum cœleſtibus bonis libens inſerat.* Tert. lib. de Pœn. 2.

Quanta Dei bonitas qui peccatoribus, ne in deſperationem cadant, pollicetur Spiritum ſanctum! Quanta Spiritus ſancti liberalitas, qui peccatori pœnitenti cœleſtia dona benigne largitur! *Omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe*: Tigurina habent *purificat*; alii verò legunt *expiat ſe*; ſcilicet ritè accedens ad pœnitentiæ Sacramentum, quo peccata foras abjiciat, & mundam pectoris domum Spiritui ſancto paret. Peccatores ex deſperatione pœnitentiam fugientes, ſeſe cœleſtibus donis privant, & in Spiritum ſanctum graviter peccant: *Soli illi in Spiritum ſanctum peccant, qui impœnitentes exiſtunt uſque ad mortem. Spiritus ſanctus charitas eſt deitatis, amor eſt genitoris & genitæ veritatis; qui ſuam gratiam nobis tribuit ſuiipſius arrham. Qui igitur peccat, & gratiam ſuam recuperare non amat, & numquam curat ab eo diligi, qui totus eſt amor & charitas, nec ad eum tendit: unde ſumpſit arrham, in Spiritum ſanctum peccat, & nunquam poſt mortem ſicut neque vivens, conſequetur veniam.* 1. Joan. 3. D. Aug. l. de Ver. & Falſ. Pœnit. c. 4.

Cujuſmodi eſt peccator deſperans, & ex deſperatione pœnitere recuſans: infœlix ille peccat in Patrem, in Filium, & in Spiritum ſanctum: in Patrem cujus pietatem & miſericordiam offendit: nam *fiducia ſperantium: miſericordia Dei eſt.* In filium, cujus ſanguinem contemnit, qui eſt pignus ſpei noſtræ. *Chriſtiane ſecurus eſto, te accepturum vitam illius, qui pignus habes mortem ipſius.* In Spiritum ſanctum, cujus gratiam rejicit, quem *negat beneficium, cùm beneficium non honorat. Quemadmodum ei poteſt placere, cujus munus ſibi diſplicet? Ita in Dominum non modo contumax, ſed etiam ingratus apparet*, ſuaque ingratitudine, contumelia, pertinacia, diffidentia, & deſperatione tanto majori pœna eſt dignus: quanto magis fidendum erat divinis ſanctiſſimæ Trinitatis perſonis? Nam *ſi in tribus teſtibus ſtabit omne verbum, quanto magis dum habemus eoſdem arbitros fidei, quos & ſponſores ſalutis?* nimirum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, quorum operationibus innititur ſpes, quæ adhuc Chriſti myſteriis ſolidatur. D. Prosp. in Pſal. 130. D. Aug. in Pſal. 91. Tert. lib. de Pœn. 5. Tert. lib. de Bapt. 6.

II. PARS. *Tota ſpes noſtra, cum reliqua Iſraelis expectatione conjuncta eſt.* Chriſtus namque eſt ſpes tum Judæorum, tum Chriſtianorum: cum hoc tamen diſcrimine, quod Judæi ſperabant in Meſſiam venturum: *Omnis ſpes Iudæorum in Chriſti revelationem deſtinabatur*: Chriſtiani verò in Chriſtum jam natum, & redemptionem humanam operatum ſperant: Tert. lib. de Pud. 7. Tert. l. 3. adv. Marc. 5.

Quare Tertullianus Marcionem Chriſto veram carnem denegantem merito
[Lib: de Carn: Chr: 5.] redarguit : *Parce unicæ ſpei totius orbis* : nam ſi Chriſtus veram non habuit
carnem : *falſo ergo ſtatuit inter nos ſcire Paulus tantum Ieſum crucifixum : falſo
ſepultum ingeſſit , falſo reſuſcitatum inculcavit. Falſa eſt igitur & fides noſtra,
& phantaſma erit totum quod ſperamus à Chriſto.* Judæi Meſſiam futurum
[Tert: l. 5. adv: Marc: 17.] expectantes , in illum præſperare dicuntur. *Qui enim præſperaſſe potuerunt,
id eſt ante ſperaſſe in Deum , quam veniſſet, niſi Iudæi , quibus Chriſtus prænun-
tiabatur ab initio ? Qui ergo prænuntiabatur , ille & præſperabatur.* Chri-
ſtiani in Chriſtum non præſperant, ſed ſperant : quare Apoſtolus mentionem
[1. Timoth. 1.] facit *Salvatoris noſtri Chriſti Ieſu ſpei noſtræ.* Spes noſtra eſt Chriſtus , quia
eſt ſpei noſtræ cauſa, tum materialis & objectiva, ſperamus enim beati Chri-
ſti viſione, dilectione & fruitione ; tum finalis & terminativa , omnis enim
noſtra ſpes & virtus ad Chriſtum ut ad finem terminatur : tum effectiva :
nam & habitum ſpei infundit, & ad actum ſpei, ſua gratia concurrit : & tum
habitum ſpei , tum gratiam qua actualis producitur ſpes , ſuo ſanguine
meruit : tum fundamentalis , quia ſpes noſtra præſertim Chriſto ſolidatur :
[D. Aug. Ep 52. ad Maced:] *Non præter ſpem eſſe debemus : imò cum magna fiducia de Chriſto præſumere.*
Noſtra ſpes cunctis innititur Chriſti myſteriis , ſed potiſſimum tribus , nem-
pe 1. Euchariſtiæ inſtitutioni : 2. Dominicæ reſurrectioni : 3. glorioſæ
Chriſti aſcenſioni.

[Tert: l. 4. adv. Marc: 31.] 1. Euchariſtiæ Sacramentum eſt fundamentum ſpei noſtræ ; 1. quia beati-
tudinem quam ſperamus in cœlo præfigurat : *Cœna paratura vitæ æternæ ſatu-*
[L. de je-jun. 5.] *ritatem figurat* : 2. Quia cœlum fragrat , ſi enim Tertullianus manna *cœlum
fragrare* aſſeverat , quanto magis Euchariſtia , quam belle D. Chryſoſtomus
[Hom. 36. in 1. Cor] nuncupat *cœlum in anguſtum redactum* ? quia ſcilicet continet objectum beati-
tudinis, nempe divinitatem & humanitatem Chriſti. 3. Quia eſt medium aſ-
[Tert. lib. adv. Jud 3.] ſequendæ ſperatæ beatitudinis. Nam *ſi Iſraël manna cibatus quadraginta an-
nis, ad inſtar æternitatis redactus eſt* ; certo credendum eſt Euchariſtiam à man-
na figuratam, eſſe medium conſequendæ æternitatis. Et ſi, ut vult Tertullia-
[L. de An. 9.] nus Martyrem alloquens, *tota paradiſi clavis, tuus ſanguis eſt* ; quis eandem vir-
tutem denegabit ſanguini Chriſti in Euchariſtia myſtice effuſo ? Chriſtiani,
[D. Bern. Serm. in Cœn Do.] *ut ſecuri ſitis , Sacramenti Dominici corporis & ſanguinis inveſtituram habetis* ;
ſcilicet regni cœleſtis : inveſtitura autem eſt quædam quaſi poſſeſſionis colla-
tio. 4. Ob infallibile Chriſti teſtimonium, pollicentis vitam animæ æternam,
& glorioſam corporis reſurrectionem iis qui dignè accedunt ad ſacram men-
[Tert. l. adv. Jud. 1.] ſam : Chriſto autem nequit denegari fides. *Quamquam habeamus ipſum De-
um idoneum pollicitatorem, & fidelem ſponſorem.* 5. Quia Euchariſtia eſt pignus
[Tert: lib: de An. 12.] immortalitatis. Neceſſè non erat ut Chriſtus ſuæ promiſſionis infallibilem
veritatem pignore confirmaret ; attamen pollicitationi adjungere voluit pi-
[Rom. 8.] gnus, *ut hujus ſpei pignore* omnem removeret dubitandi occaſionem. Quem-
admodum Pater æternus donans nobis Filium ſuum , cum illo omnia nobis
donavit, ſimiliter Filius dans ſeipſum in Euchariſtiæ Sacramento, omnia nobis
dat.

dat. *Quia Pater ſimul nobis omnia donavit , aut præſentia aut futura : ſit tantum ille nobis cibus , & omnia inſimul noſtra erunt.* In Euchariſtia habetur ſpes futuræ beatitudinis , quia Chriſtus in illa ſimul cum ſeipſo donat omnia ſive præſentia , ſive futura : *Bonam ſpem de futuris vobis præbe s. Quippè qui vobis hic metipſum tradidi , multo magis id in futuro faciam.* Argumentatur à majori ad minus. Homo glorioſius unitur Chriſto in Euchariſtiæ Sacramento , quam in cœlo : hæc enim unio eſt duntaxat intentionalis per viſionem & dilectionem ; illa autem eſt realis : Deinde ut Chriſtus in cœlo videatur, ametur & poſſideatur , nihil ſuæ gloriæ aut majeſtatis amittit ; at ut poſſideatur in Sacramento , dejicitur & occultatur ſub forma panis & vini , & perſæpè à ſceleroſis & peccatoribus ſumitur. Inde concludit Chryſologus : *Chriſtiane , qui ſe tibi hic manducandum dedit ; quid ſuum tibi denegare poterit in futurum ? Et qui tantum tibi viaticum paravit ad victum , quid in illa tibi manſione perpetua non paravit ?* 6. Quia Euchariſtia eſt arrha beatitudinis, & prælibatio quædam futuræ fœlicitatis. Apoſtolus, *Ne contriſtemur mortis ſi fortè præventu , arrhabonem nos Spiritus dicit habere , quaſi pignoratos in eamdem ſpem ſuperindumenti* , Chriſtus etiam ut conſolaretur triſtes de ſua abſentia diſcipulos , inſtituit Euchariſtiam in qua dedit arrham futuræ gloriæ. Ut autem ait D. Chryſoſtomus, *Non enim niſi totum daturus erat, voluiſſet arrhabonem dare & perdere.*

Paſchaſ in c. 6. Matth. — D. Chryſoſt. Hom. 41. ad pop. — Serm. 59. — Tert: l. 5. adv: Marc: 12. — Hom. 36. in 1. Cor.

Flores ſunt ſpei ſimbolum , quia in illis velut fructus habentur ; Lilium tamen veteres præ cæteris floribus ſumpſerunt in ſpei ſpecimen. Sic (in nummo Imperatoris Alexandri Auguſti ab altera facie, Dea lilium dextra prætendit, cujus inſcriptio eſt, Spes publica.) Idem obſervatur in nummis Imperatorum Æmiliani & Claudii. Chriſtus non inter roſas aut violas , ſed nos *paſcit inter lilia* : nimirum in Euchariſtia liliis circundata & ornata ; quæ deſperationem abigit, quia continet Chriſtum qui eſt ſpes noſtra, non ſolum in Sacramento, ſed etiam in reſurrectionis myſterio.

Pier. lib. 56 — Cant. 2.

2. Volo jam *ultimæ ſpei ſubtexere mentionem.* Loquitur de ſpe reſurrectionis corporum, quam ultimam vocat, quia erit in fine mundi antequam ad ultimum judicium veniat Chriſtus Dominus. *Habes omnem ſubſtantiam ſaluti deſtinatam, nec alio tempore quam in adventu Domini, qui clavis eſt reſurrectionis.* Tota hominis ſubſtantia animam corpori unitam complectitur, quæ ſalutem conſequetur in adventu Domini, qui clavis eſt reſurrectionis, qui prior reſurrexit, ut nos etiam reſurrecturos demonſtraret, incredulos confutaret ; reſurrectionis fidem ſolidaret, ad patiendum ſtimularet, ad bene operandum ſufflammaret, à timore mortis avocaret, & ad ſpem reſurrectionis animum ſublimaret. Ob ſex illas cauſas potiſſimum reſurrexit Chriſtus. 1. ob Reſurrectionem corporum : *Vulgus irridet , exiſtimans , nihil eſſe poſt mortem. Planè cum vulgo interdum & ſapientes ſententiam ſuam jungunt. Nihil eſſe poſt mortem , Epicuri ſchola eſt.* Cujuſs doctrinam amplectuntur impii dicentes. Niſi aliquis ex mortuis veniat , non credemus. *Crediturosſe volunt videri* ;

Tert. lib de Pœn: 7. — Tert. lib. de Reſ. 47. — D. Auguſt: Serm: 9 de Reſ. Dom. — Tert. lib. de Reſ 1. — D. Aug: Ser: 23. — Verb. Ap.

videri ; ſi quis parentum ſuorum reviviſceret. Ideò Deus homo factus , mori & reſurgere voluit , ut quid futurum eſſet in homine , in hominis carne oſtenderetur, & Deo tamen non homini crederetur. Inde divinam miſericordiam commendat D. Auguſtinus, Chriſtoque congratulatur qui ut impiorum confunderet
In Pſ. 147. incredulitatem , à mortuis reſurgere dignatus eſt. *O Domine gratias miſericordia tuæ. Voluiſti mori , ut aliquis ab inferis ſurgeret , & ipſe aliquis non quicumque, ſed veritas ab inferis, qui verum de inferis diceret. Propter voces imperitorum & malorum, ecce ipſe mortuus , ecce ſurrexit ab inferis ,* id eſt à ſepulchro in quo fuerat tumulatus ſurrexit ad confutandam impiorum increduli-
Tert: ibid: tatem , & 2. confirmandam Chriſtianorum fidem. Nam *fiducia Chriſtianorum reſurrectio mortuorum : illa credentes ſumus , hoc credere veritas cogit. Veritatem Deus aperit* non ſolum per ſacras paginas , quæ mortuorum docent reſurrectionem, ſed etiam per Chriſti reſurrectionem, quam ex fide credunt
D. Aug: in Pſal: 101. Chriſtiani. *Non eſt laus fidei Chriſtianorum , quia credunt mortuum Chriſtum : ſed quia credunt reſurrexiſſe Chriſtum : nam mortuum & paganus credit & hoc tibi pro crimine objicit , quia in mortuum credidiſti. Quæ igitur laus tua? Credere reſurrexiſſe Chriſtum , & ſperare te reſurrecturum per Chriſtum. Hæc eſt laus fidei* ad quam confirmandam , & 3. patientiam inducendam Chriſtus
Tert. lib. de Pat: 9. reſurrexit. Impatienter ferunt homines , proximorum mortem : *Ne illa quidem impatientiæ ſpecies excuſatur in amiſſione noſtrorum , ubi aliqua doloris patrocinatur affectio. Proponendus eſt enim reſpectus denuntiationis Apoſtoli ,* qui ait : Ne contriſtemini dormitione cujuſquam , ſicut nationes quæ ſpe carent. Et merito. *Credentes enim reſurrectionem Chriſti , in noſtram quoque credimus , propter quos ille & obiit & reſurrexit. Ergo cùm conſtet de reſurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris ;* & patienter toleranda ſunt cuncta miſeræ hujus vitæ damna & incommoda. Ut enim ratio-
Lib: 2. cont. Fœlic. 11. cinatur D. Auguſtinus : *Chriſtus ſuſcipere dignatus eſt carnem mortalem de virgine Maria : in qua nobis & paſſionis & reſurrectionis præbet exemplum : Paſſionis, ad firmandam patientiam : Reſurrectionis, ad excitandam ſpem : ut duas vitas nobis oſtenderet in carne quam ſuſcepit de vita noſtra mortali : Unam laborioſam, alteram beatam. Laborioſam , quam tolerare debemus : beatam , quam ſperare debemus* : quæ non comparatur niſi per vitam laborioſam, qua patienter toleramus labores , & ſtrenuè vacamus bonis operibus. Ad quæ 4. Reſurrectio
Tert. Apol. 48. nos ſtimulat. *Certè quia ratio reſtitutionis deſtinatio judicii eſt , neceſſario idem ipſe qui fuerat exhibebitur , ut boni ſeu contrarii meriti judicium à Deo referat.* Cuncti homines reſuſcitabuntur ; & comparebunt ante ſupremum judicem, ut referant in corporibus ſuis , vel pœnam facinorum quæ perpetrarunt , vel
D. Aug. Ser. 68 de Diverſ. mercedem bonorum operum quæ per carnem fecerunt : *In præſenti vita laboremus , futuram ſperemus , modo tempus eſt operis , tum mercedis, qui piger eſt in exhibendo opere , impudens eſt in expectanda mercede.* Timor ſupplicii à
De Cognit. Ver. Vit. in fine. malis operibus avocat , ſpes mercedis ad bene operandum incitat. Nam ut belle ad propoſitum D. Auguſt. *ad ſummum bonum juſti quadam*

eatena

catena trahuntur, quæ de virtutibus connectitur. Imprimis fides animam quaſi quidam circulus complectitur, fides ſpe nutritur, ſpes dilectione tenetur. Dilectio operatione expletur, operatio ad ſummum bonum intentione trahitur, intentio boni perſeverantia clauditur, perſeverantia à Deo ſonte bonorum omnium dabitur, & expectatione ſummi boni poſſidendi, & ſpe reſurrectionis futuræ. 5. Timor mortis expellitur. *Spes reſurrectionis, faſtidium eſt mortis*, cujus timorem adimit Chriſti reſurrectio. *Genus humanum mori hominem noverat, reſurgere non noverat. Ideo quid timeret habebat: quid ſperaret non habebat. Ut ergo ille qui propter diſciplinam fecit timorem mortis, propter præmium futuræ vitæ daret ſpem reſurrectionis, prior reſurrexit ante multos.* Et ut fatur aliorſum D. Auguſtinus Chriſtianum alloquens: *Exemplo ſuo docuit quid non timeres, quid ſperares: timebas mortem, mortuus eſt: deſperabas de reſurrectione, reſurrexit;* Suaque reſurrectione 6. reſurrectionis tuæ ſpem confirmavit, *exſuſcitatus ad ſpem vitæ æternæ* Chriſtus. Ideoque à D. Auguſtino *reſurrectio Chriſti ſpes noſtra* nuncupatur: quia eſt reſurrectionis noſtræ inſtrumentum, fundamentum, & exemplum. Ex D. namque Auguſtino, *in reſurrectione Chriſti, & miraculum, & exemplum. Miraculum, ut credamus: exemplum, ut ſperemus*, ſpemque noſtram in ejus adhuc Aſcenſione fundemus.

Tert. l. 1. ad Nat. 19.
D Aug. in Pſal. 90.
Ter. l 4. adv Marc. 25.
Serm. 14 de Aſcē Dom.
Serm 9. de Reſ. Dom.

3. *Chriſtus circunfuſa nube in cælum eſt ereptus;* clauſas uſque adhuc cœli januas aperuit: *Scito & aſcenſum illum exinde complanatum veſtigiis Domini, & introitum exinde reſeratum viribus Chriſti*, ſuaque aſcenſione, ſuoque introitu in cœlum nobis aſcendendi & ingrediendi ſpem confirmavit, Nam *hunc aſcenſum ſi Chriſtus nobis præparavit, erit ille Chriſtus, de quo Oſee*: Qui aſcenſum ſuum ædificat in cœlis, utique ſibi, & ſuis. *Exinde à quo ſperabo nunc, niſi à quo hæc audivi;* ſcilicet à Chriſto qui aſcendit in cœlum? *Homo, etſi Deus: Adam noviſſimus, etſi ſermo primarius; caro & ſanguis; etſi noſtris puriora*, ejuſdem tamen ſpeciei. Carnem autem ejuſdem naturæ ac noſtræ Chriſtus ſublimans in cœlum, ſpem nobis reliquit aſcenſionis carnis noſtræ. *Quemadmodum nobis arrhabonem ſpiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cælum pignus totius ſummæ illuc quandoque redigendæ.* Chriſti aſcenſio eſt pignus aſcenſionis noſtræ & poſtquam Chriſti caro ſoror carnis noſtræ, ſublimata eſt in cœlum: *Non jam timeo, Terra es, & in terram ibis: nunc audio: Cælum es, & in cælum ibis.* Poſtquam enim natura humana anima & corpore compoſita, in Chriſto eſt aſſumpta in cœlum: *quis non ſuam naturam jam immortalem gratuletur in Chriſto; atque futurum ſe ſperet immortalem per Chriſtum?*

Ter. Apo. 12
Tert Scorp. 10.
Ter. l. 5. adv. Marc. 15.
Tert lib. de Reſur 51.
Tert ibid.
D Chryſoſt in Pſ 92.
D. Aug Ser. 52 de Verb. Dom:

Plus audet Tertullianus, & quo ſpem noſtram & fiduciam magis fulciat, aſſeverat carnem noſtram de facto uſurpaſſe in Chriſto cœlorum regnum. *Securæ eſtote, caro & ſanguis uſurpaſtis & cælum, & regnum Dei in Chriſto. Aut ſi negent vos in Chriſto; negent & in cælo Chriſtum, qui vobis cælum negaverunt.* Dupliciter autem poteſt intelligi nos

Ibid.

in Chriſto, uſurpaſſe cœlum. Primo, quia caro Chriſti, quæ aſcendit in cœlum, eſt de genere noſtro: Secundo, quia unum & idem cum Chriſto componimus myſticum corpus, cujus ille eſt caput, nos membra: caput autem pro toto corpore uſurpavit cœlum. Utramque explanationem tradit D. Auguſtinus. Primam quidem hominem alloquens. *Natura tua in illo præ-*
In Pſal 70. *ceſſit te: & quod ſumptum eſt ex te, aſcendit ante te: ibi ergo & tu aſcendiſti;* quia natura quam ex te ſumpſit Chriſtus, aſcendit. Inde concludit D. Auguſtinus in gratiam cunctorum hominum: *Aſcendit ergo ille prior, & in illo nos; quia caro illa de genere noſtro.* Secundo Chriſtus pro corpore myſtico cui conjungitur, cœlum in ſuo aſcenſu uſurpavit: *Credimus reſurrectionem car-*
D. Aug. l. 1, de Simb. 6. *nis quæ præceſſit in Chriſto, ut hoc etiam ſperet corpus, quod præceſſit in capite: caput Eccleſiæ Chriſtus: Eccleſia Chriſti corpus: caput noſtrum ſurrexit, & aſcendit in cœlum: ubi caput, illic & membra.* Unionem capitis cum ſuis membris, & aſcenſum membrorum cum capite, recte declarat D. Auguſtinus ex
L. 1. de Pec. Mer. 31. unione divinitatis & humanitatis in perſona Verbi, ob quam humanitas Chriſti aſcendit in cœlum. *Quamvis filius Dei factus ſit in terra filius hominis, divinitatem tamen ſuam qua in cœlo manet, deſcendit ad terram, non indignam cenſuit nomine filii hominis, ſicut carnem ſuam nomine filij Dei dignatus eſt appellare: ne quaſi duo Chriſti iſta nomina accipiantur, unus Deus, & alter homo: ſed unus atque idem Deus & homo. Deus,* quia in principio erat Verbum: *Homo,*
Joan. 1. quia Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis. *Ac per hoc per diſtantiam divinitatis & infirmitatis filius Dei manebat in cœlo, filius hominis ambulabat in terra: per unitatem vero perſonæ, qua utraque ſubſtantia unus Chriſtus eſt, et filius Dei, ambulabat in terra, et idem ipſe filius hominis manebat in cœlo. Fit ergo credibilior fides, ex incredibilioribus creditis. Si enim divina ſubſtantia longe diſtantior atque incomparabili diverſitate ſublimior, potuit propter nos ita ſuſcipere humanam ſubſtantiam, ut una perſona fieret, ac ſi filius hominis qui erat in terra per carnis infirmitatem, idem ipſe eſſet in cœlo per participatam carni divinitatem: quanto credibilius alij homines ſancti et fideles ejus, fiunt cum homine Chriſto unus Chriſtus? ut omnibus per hanc ejus gratiam ſocietatemque aſcendentibus, ipſe unus Chriſtus aſcendat in cœlum, qui de cœlo deſcendit?*

Ex affinitate illa noſtræ carnis, cum Chriſti carne; & ex unione membrorum & capitis qua unus myſtice conſtituitur Chriſtus, qui aſcendit in cœlum, fiduciam ſuam fulcit dubius Auguſtinus, ſpemque aſcenden-
Manual. 12. di in cœlum confirmat. *Eſt enim in te Deo meo et Domino Ieſu Chriſto uniuſcujuſque noſtrum portio, caro, et ſanguis. Vbi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo. Vbi caro mea glorificatur, ibi glorioſum me eſſe cognoſco. Vbi ſanguis meus dominatur, ibi dominari me confido: et quamvis peccator ſim, de hac communione gratiæ non diffido. Et ſi peccata mea me prohibent, ſubſtantia mea requirit: et ſi propria delicta excludunt, naturæ communio non repellet.* En primum fiduciæ incentivum ex naturæ communione deſumptum. Mox ſecundum ſpei ſubjungit motivum, in

unione cum Chriſto fundatum: *In quo jam reſurreximus, jam in cælum conſcendimus, & in cæleſtibus conſedimus.* Manual 19.

Verum difficultatem injicit Apoſtolus docens quod caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, neque conſequenter aſcendit in cælum. Hanc difficultatem varie ſolvere nititur Tertullianus. 1. Caro *ſola & per ſemetipſam*; L. de Reſ. 50 quia gratia ei neceſſaria eſt, ut opera cœlo digna efficere poſſit. 2. Caro *non denudata, per vim incorruptibilitatis & immortalitatis*; ſine qua adire non poteſt regnum Dei. 3. Caro *nomine culpæ, non ſubſtantia, arcetur à regno Dei.* Omnis enim caro reſurget; criminoſa in infernum deſcendet, innocua in cœlum aſcendet. 4. Per carnem intelligit Apoſtolus non carnis ſubſtantiam, ſed *opera ſubſtantiæ alienantis à Dei regno.* 5. Carnem, pro converſatione ſumit, opponit enim Adamum cœleſtem Adamo terreno, deſiderans ut ſicut L. de Reſ. 49 portavimus imaginem terreni, *per collegium tranſgreſſionis, per conſortium mortis, per exilium paradiſi, ita & cæleſtis imaginem geſtemus in nobis; non jam in cælo conſtituti, ſed ſecundum lineamenta Chriſti incedentis in ſanctitate, & juſtitia & veritate. Atque adeo per diſciplinam totum hoc dirigit Apoſtolus, ut hic dicat portandam imaginem Chriſti in iſta carne, & in iſto tempore diſciplinæ.* Qui in iſta carne mortali, & in tempore vitæ, deferunt imaginem Chriſti mortalis incedentis in juſtitia, ſanctitate & veritate, ejuſque obſervant diſciplinam, hi poſt mortem reſurgent impaſſibiles, aſcendent in cœlum, Deique regnum hæreditate poſſidebunt. Quapropter *hic habitum Chriſti ſectemur ex diſciplina, & illic faſtigium conſequemur ex gloria.* Tert. ibid. Qui vero Chriſti non deferunt imaginem, neque ejus imitantur virtutes, diſciplinamque obſervant, cum illo non aſcendent in cœlum. *Nam cum bonitatis authore non aſcendit malitia; nec cum filio virginis libido atque luxuria. Non, inquam, aſcendunt vitia poſt virtutum parentem, nec peccata poſt juſtum, nec infirmitates ac morbi poſſunt ire poſt medicum.* D. Aug. Ser. 176. de Tem.

Ter. l. 3 adv. Marc. 23.

Per Chriſtum aditur cælum, & ut quis illud valeat aſſequi! tria ei ſunt neceſſaria. Unum, ut per veram pœnitentiam ſuſcitetur à morte peccati, ſitque membrum vivens ſuo capiti unitum. *Quia omnes qui renaſcuntur, membra ſunt Chriſti; ſi vis ergo aſcendere, eſto membrum Chriſti.* D. Aug. Ser. 14. de Verb. Apoſt. Aliud, ut non in ſæculo, ſed in cœlo ponant ſpem ſuam. Nam in ultimo judicio *miſerrimi revera qui in iſta tantum vita ſperantes, habebuntur excludendo, quod poſt illam repromittitur.* Tert. Tertium, ut Chriſti imitentur exempla, ejuſque ſectentur veſtigia. Ter. l. 3. adv. Marc 23. *Sed eſt & porta qua recipit, & qua perducit, ſtrata jam à Chriſto.* Hæc tria præſtare moliuntur probi Chriſtiani; nam per gratiam & ſanctitatem uniuntur Chriſto, non in terra, ſed in cœlo ſpes ſuas ponunt; capitiſque veſtigia ſequuntur. D. Aug. in Expoſ. Sim: & Orat. Do. *Fideles animæ, ſui ſequentes pedes capitis, ad cælorum capeſſendam beatitudinem promoventur*, non præſumentes de propriis meritis, ſed ſpes ſuas collocantes in adjutorio Hieruſalem cœleſtis. III. PARS. Ter. l. 3 adv. Marc. 23.

Peccatores ne deſperatione frangantur, *ſperant in Chriſtum, & in*

Eccle-

L. de Ver. & Fa.ſ. Pœn. c. 5. *Eccleſiam.* Unde dubius Auguſtinus: *Non itaque ſi peccaverit etiam Sacerdos deſperare debet, licet ſcriptum ſit:* Quis orabit pro eo? *Tota namque Eccleſia & omnis Sanctorum ordo, pro eo orabit, & ipſe Chriſtus qui pro nobis offert ſe Deo.* L. 1. Reg 2. Eccleſia eſt vel militans in terra, vel triumphans in cœlo. In utriuſque auxilio peccator fiduciam ponere debet. In militante quidem. *Fidelis, noli corrumpere ſpem. Manet civitas qua nos ſpiritualiter genuit. Civitas ſancta, civitas fidelis, civitas in terra peregrina, in cœlo fundata*, & adhuc ſpem tuam attolle ad Eccleſiam triumphantem ad *ipſam Hieruſalem, qua deſurſum eſt* D. Bonaventura trinum ſpei diſcriminat gradum. *Altum gradum tenet, qui expectat æternam beatitudinem, ex multiplici interceſſione in via, & in patria: altiorem, qui eam expectat ex diligenti cuſtodia Angelorum: altiſſimum, qui eam diligentiſſima cuſtodia divina expectat.* Noli deſperare peccator, confide in auxilio Eccleſiæ triumphantis, ubi habes 1. mediatorem miſericordiſſimum patrocinantem: 2. matrem benigniſſimam auxiliantem: 3. cætum amicorum & fratrum fideliſſimum intercedentem.

D. Aug. Ser. 29 de Verb. Dom.

Ter. l. 5. adv. Marc. 15. Tract. de Virt. c. 27.

Tert. lib. de Reſ. 73. 1. Peccator deſperare non debet agnoſcens *fideliſſimum, ſequeſtrem Dei & hominum Ieſum Chriſtum.* Chriſtum ſequeſtrem Dei & hominum nuncupat Tertullianus, qui mediator habetur ab Apoſtolo. *Vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Chriſtus autem dicitur mediator: ſeu medius inter Deum, & hominem: vel ratione ſtatus, ut vult D. Auguſtinus; quia ſimul beatus fuit, ut eſt Deus; & ſimul viator, ut ſunt homines. Vel quia, ut cenſet Tertullianus, natura divina & humana quamvis infinite diſtantes ſubſtantialiter & hipoſtatice uniuntur in Chriſto. *Qui & homini Deum, & hominem Deo; utrumque jam in ſemetipſo fœderavit.* Mediatoris namque nomen primario ſignificat, ſubſtantiale medium ſeu vinculum, quo duæ res extremæ diſtantes, uniuntur ad invicem. Vel ut docet dubius Tertullianus, quia Deum & hominem diſſidentes reconciliavit. *Pignorata in illo divinitatis & humilitatis videtur eſſe concordia.* Mediator enim denotat eum, qui partes diſſidentes & inimicas, ſive rogando, ſive conſulendo, ſive ſatisfaciendo parti læſæ, componit: & reconciliationem & amicitiam perficit: Quo ſenſu Chriſtus proprie dicitur mediator. Tertullianus legit *ſequeſter*: Eraſmus *reconciliator:* Theodoretus pacis conciliator: *Vnus eſt conciliator pacis, qui ea quæ erant inter ſe disjuncta & diſtantia conjunxit*: Subjungit autem dubius Tertullianus: *Qui mediator Dei & hominum effectus exprimitur; in ſe Deum & hominem ſociaſſe reperitur*, innuens hoc loquendi modo Chriſtum, non reconciliaſſe hominem Deo, niſi quia naturam divinam & humanam in ſemetipſo conjunxerat. Neceſſe enim fuit in Chriſto hipoſtatice naturam divinam & humanam uniri, ut odia inter Deum & hominem componeret. Nam ut belle Anſelmus; *Erant homines mortales & peccatores, Deus vero cui erant conciliandi, immortalis erat, & ſine peccato. Mediator autem inter Deum & hominem oportebat ut haberet aliquid ſimile Deo, & aliquid ſimile hominibus, ne in utroque hominibus ſimilis*

1. Thimot. 2.

L. 9. Civ. c. 15.

Ibid.

L. de Trin. 16.

longe

longè eſſet à Deo: aut in utroque Deo ſimilis; longè eſſet ab hominibus; & ita mediator non eſſet. Et ideo inter mortales peccatores, & immortalem juſtum, apparuit mortalis cum hominibus, & immortalis cum Deo; Mediatoris fungens munere, non qua Deus ſeorſim ſumptus, neque qua homo ſolus, ſed quatenus Deus homo. Opera namque mediatoris exercuit in humanitate aſſumpta. Ita ut principium quod, ejuſmodi operum, ſit Chriſtus in quantum Deus; principium verò quo, ſit humanitas, in qua, & per quam perfecta ſunt. Quomodo Apoſtolus ex Theodoreto *Chriſtum hominem nominavit: quoniam vocavit interceſſorem: homo enim factus fuit anteceſſor; & quemadmodum qui duos quoſpiam manibus inter ſe confligentes vult reconciliare, ſe medium interponens, & hunc quidem dextra, illum verò ſiniſtra tenens, ad amicitiam deducit & conjungit: ita ipſe cùm divinam naturam humanæ univiſſet, inviolabilem, & quæ non poteſt diſſolvi, pacem conciliavit.* Pulchra comparatione declarat Theodoretus modum, quo Chriſtus mediatoris peregit officium, & hominem Deo reconciliavit. Dum autem ait, quòd Apoſtolus Chriſtum appellavit hominem & interceſſorem, alludit ad Paulum aſſeverantem, quòd Chriſtus eſt in cœlo *ſemper vivens, ad interpellandum pro nobis.* Ut enim alibi ſum diximus, Chriſtus homo deprecatur, non ſolùm oratione interpretativa, plagarum cicatrices, quibus gratiam & gloriam nobis promeruit, exhibens æterno Patri; ſed etiam oratione propriè dicta, non qua comprehenſor denuò mereatur vel impetret, ſed qua jus in via promeritum, ſibique promiſſum ac debitum, nobis dari expoſtulet. Utroque modo *Chriſtus pro hominibus deprecatur, & advocatus ipſorum factus* prædicatur à Tertulliano: imo ab ipſo dilecto diſcipulo, qui ut peccatorem avocet à deſperatione, objicit illi advocatum Chriſtum, in cœlo perorantem & patrocinantem: *Sed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum juſtum.* Quaſi dicat, ſi quis lapſus eſt in ſcelus aliquod, quamtumvis enorme, pudendum, & erubeſcendum, non idcirco deſperet, neque animum abjiciat: quia apud Deum, qui eſt Pater amantiſſimus, habemus Chriſtum advocati officio ſedulò fungentem. Nam *ſi aliquando in hac vita homo committit ſe diſertæ linguæ, & non perit: multò magis committens ſe advocato Chriſto. Eum enim advocatum habemus apud Patrem*, & adhuc Mariam matrem benigniſſimam auxiliantem.

Tert. Præd to. 5. tract. de pac. ecc. 5. ubi habentur multa de Chriſto mediatore.
Hebr 7.
Tert. Præd. to 5, tract. de Chriſt. Conc 6.
To 5. tract. de Orat. Conc. 1.
L. de Præſc. Hæret. 55.
1. Joan. 2.
D. Auguſt. tract. 1 in epiſt Joan.

2. Chriſti mediatoris & advocati patrocinium meritò imploratur. *Nec Mater præteritur.* Scilicet Maria Deipara, quam adhuc *Matrem noſtram ſurſum* in cœlo regnantem agnoſcimus, & ab illa auxilium ſperare debent peccatores; quamtumvis hæretici hujuſce tempeſtatis Deiparam invocandam, & ab ipſa protectionem ſperandam negent. Sic enim fatur Beza, Calvini diſcipulus: *Si Ioannes advocatum nominat Chriſtum: quid ergo illis fiet, qui B. Virgini hanc faciunt injuriam, ut Chriſti ſpoliis velint eam exornari: imo etiam contentiſſima voce. Chriſtum illi tanquam matri infantulum ſubjiciunt?* Mentitur

Tert. lib de Orat 1.
Tert. l 5 adv Marc. 23.
Beza in 1 Ioan 2.

tamen impoſtor, dum aſſerit, nos Chriſtum ſubjicere B. Virgini, eamque Chriſti ſpoliis exornare. Scimus & profitemur Chriſtum eſſe Deum, Deique Filium, S. Virginem non eſſe deam, ſed Dei incarnati matrem, ac proinde infinitis

Tert lib de Orat.

partibus Chriſto inferiorem. Quia tamen *in filio mater recognoſcitur* abſque ulla Chriſti injuria, Deipara mediatrix noſtra, advocata noſtra, imo ſpes noſtra nominatur & recognoſcitur. Et quidem 1. mediatrix. Etenim ſi Moyſes medius ſeu Mediator inter Deum & populum nominatur: Si ex Apoſtolo

Deut. 5. Hebr. 5.

Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis; Pontificem autem pro hominibus conſtitui in iis, quæ ſunt ad Deum, quid eſt aliud quàm hominum cauſam agere apud Deum, pro eis orare tanquam mediatorem inter ipſos & De-

Serm de Annunt.

um conſtitutum: *Maria Dei & hominum veriſſima mediatrix* prædicatur à Laurentio Juſtiniano. Nec obſtat, quòd D. Auguſtinus plures concedens advo-

L. 2 cõt Ep Parmen. 8.

catos, unum duntaxat admittit mediatorem, *pro quo nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic unus veruſque mediator eſt*; quia D. Auguſtinus redarguit Donatiſtas, qui ſacerdotem quodammodo efficiebant mediatorem redemptionis, gratiam baptiſmatis à ſacerdote efficiebant dependentem; ita ut bonus ſacerdos baptizando ſanctificaret, malus verò baptizando pollueret. Hunc errorem confutat D. Auguſtinus, docens baptiſma, ſive à bono, ſive à malo ſacerdote adminiſtretur, communicare gratiam; quia vim communicandi gratiam habet non à ſacerdote, ſed à ſanguine & meritis Chriſti, quia unus eſt

Cyrill. Alex l 2 Theſaur. 10.

mediator Dei & hominum Chriſtus. Magnum ſanè eſt diſcrimen inter Chriſtum & alios Sanctos. Chriſtus ſolus eſt mediator redemptionis, non alii

D Chryſoſt 6. de Sacer. D Hier in c 2 Malach. Greg. Naz. Orat. ad Greg. Nyſſ. D Greg l 1. Epiſt. 24. Serm de B. Mar. in 1. Apoc 12. Signũ magnum.

Sancti; Chriſtus eſt mediator interceſſionis principalis, immediatus, primarius: nam immediatè per ſeipſum accedit ad Patrem, & orat pro omnibus, veniam gratiamque peccatorum depoſcit quaſi ex jure meritorum ſuorum: Sancti verò orant pro nobis, non ex jure aut meritis ſuis, quaſi gratiam per redemptionem nobis meruerint, eamque nobis quaſi ex debito poſtulent; ſed Chriſti meritis innixi per Chriſtum orant. Unde licèt à Patribus paſſim vocentur mediatores, nuncupantur tamen à Cyrillo Alexandrino mediatores miniſteriales, mediati & ſecundarii. Quos ideo D. Bernardus non vult ſimpliciter dicendos mediatores, ſed cum addito mediatores ad mediatorem, ſcilicet ad Chriſtum. *Opus eſt mediatore ad mediatorem, nec alter nobis utilior quàm Maria*, quæ eſt 2. advocata: non quidem eodem modo quo Chriſtus dicitur ad-

1 Ioan 2.

vocatus noſter, qui eſt *propitiatio pro peccatis totius mundi*, quia paſſione ſua placavit Patrem, juſtoque ſanguinis ſui pretio ſatisfecit. B. autem Virgo, cæterique Sancti ſunt advocati noſtri, ut deprecatores, & interceſſores per me-

D. Iren l 5. c. 19.

rita Chriſti: *Sicut Eva ſeducta eſt, ut fugeret Deum, ſic Maria ſuaſa eſt obedire Deo, ut virginis Evæ virgo Maria fieret advocata.* Sub advocatæ titulo à cunctis fidelibus invocatur, quoties *Salve Regina* dicunt. Et meritò, quia ut fatur

Serm de Aſſumpt.

Divus Bernardus, in cœlo pro nobis advocatæ munus exercet. *Advocata prima ſit peregrinationis noſtræ, quæ tanquam mater, miſericorditer & efficaciter*

ſalutis

ſalutis noſtræ negotia pertractat. Quam ideo 3. ſpem noſtram appellamus. Licèt Chriſtus per ſe & imediatè ſit ſpes noſtra, quia ab eo, & per eum gratiam & gloriam ſperamus: Sancti tamen, & præſertim B. Virgo dicuntur ſpes noſtra mediatè ſcilicet per Chriſtum, quia ſperamus eorum precibus, impetrare apud Chriſtum bona quæ petimus. Quo titulo honoramus Deiparam, abſque ulla Chriſti injuria: Si enim advocatum in curia vocare poſſumus ſpem cauſæ aut veniæ obtinendæ, cur non poſſimus ſpem noſtram appellare Matrem Dei, quæ advocata eſt in curia cæleſti, nobiſque gratiam & gloriam poteſt impetrare? Et ſi Apoſtolus Theſſalonicenſes, abſque ulla Dei aut Chriſti injuria, nuncupat ſuam ſpem, ſuum gaudium, imo ſuam coronam gloriæ, cur non poſſimus vocare & invocare B. Virginem, quæ cœli eſt regina, & Dei mater, ſpem noſtram, matrem miſericordiæ, vitam & dulcedinem noſtram? Quid hic injurium eſt Chriſto? imo quid non honorificum Chriſto? Nonne gloria matris, eſt filii gloria? Nonne mater intercedendo pro nobis apud filium, per filium, conſolationem, miſericordiam, vitam & ſalutem nobis largitur? Unde D. Auguſtinus, (Eſt adhuc quoddam ſingulare refugium poſt Deum, & maxima fiducia miſerorum, quòd in illo regno habemus Reginam, videlicet Sororem noſtram, ac Dei genitricem ſemper Virginem mariam, quæ non ceſſat apud Deum pro hominibus intervenire, & maximè pro illis, quos Filium ſuum congruè imitari viderit; vel etiam pro illis, qui de malo ad bonum aliquando redire volunt. Credere autem indubitanter poſſumus, quoniam non eſt aliquid quod filius matri ſuæ petenti debeat negate aut velit. Hæc eſt revera Virgo Maria, de qua proceſſit Dei Sophia, quæ peccatori ſatis eſt pia, per quam pateſcit ſalutis via. Hæc quoque ſine ceſſatione pro peccatorum amore, quaſi filio reverenter dicit: Ecce Fili, vide quia pro hominibus homo fieri voluiſti, & de me carnem ſumpſiſti, memento cur hæc feceris, atque miſeris tibi miſereri convenit. Quis igitur dubitare queat, ſi ab ea auxilium devotè poſtulaverit, & poſtulans humiliter in poſtulatione perſeveraverit, quòd numquam ab ea vacuus recedat? Quis enim in ea ſperavit, & deceptus fuit? vel quis eam aliquando dignè rogavit, & exauditus non eſt? Fruſtra enim amicos Sanctos oraret ille, quem iſta non adjuvaret; & ut majus dicam, hoc quod alii Sancti minimè auderent, hæc quadam congruenti authoritate à Filio poſtulans obtinet.) Verùm, licèt cæterorum Sanctorum interceſſio cedat interceſſioni Deiparæ, ſunt tamen interceſſionis mediatores, & omnis cæleſtium civium cœtus ex Angelis & animabus ſanctis compoſitus, nobis benignè opitulatur.

1 Theſſal. 2.

L. cur, quando, & quomodo Deus. cap. ult.

Avicenna quatuor modos vel quatuor velut ſpecies cauſæ efficientis diſcriminat. Prima eſt perficiens, quæ inducendo formam ſubſtantialem vel accidentalem, ultimam cauſat perfectionem. Secunda, diſponens, quæ ad receptionem formæ præparat ſeu diſponit materiam. Tertia, conſilians, vel inſtruens, quæ ad aliquid agendum, vel fugiendum erudit, conſulit, hortatur. Quarta. coadjuvans, quæ ad primæ cauſæ effectum operam præſtat. Cauſa perficiens beatitudinis conſequendæ eſt Dei miſeri-

L. 5 Metaph. 2.

ſericordia & gratia. Diſponens, ſunt opera meritoria: Conſilians & inſtruens ſunt vel homines in terra degentes, & fraternè erudientes, vel Angeli in cœlo regnantes, & homines ad opera virtutis inhortantes. Tandem coadjuvantes, ſunt orationes vel juſtorum in via, vel beatorum in patria. Et
D. Aug l.22 Civ.29. quidem S. *Angeli dicuntur & Dei, dicuntur & noſtri.* Dei ſunt, quia ejus voluntati in omnibus obediunt: noſtri ſunt, quia de ſalute noſtra ſollicitam curam gerunt. *Hi ſunt cives beatæ civitatis Hieruſalem ſupernæ*, ad miniſterium
D. Aug. Solil. c 27. Hebr. I. miſſi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis: *Vt eos liberent ab inimicis ſuis, & cuſtodiant in omnibus viis ſuis; confortent quoque ac moneant, & orationes offerant, in conſpectu gloriæ majeſtatis Dei.* Beati quoque in cœleſti cu-
In Pſal. 8. ria regnantes, ſuis nos adjuvant orationibus. Ut enim ait D. Auguſtinus: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus adhuc interpellat pro nobis. Omnes Martyres, qui cum illo ſunt, interpellant pro nobis. Non tranſeunt interpellationes ipſorum, niſi cùm tranſierit gemitus noſter.* Quamdiu gemimus in hoc terreno tabernaculo, tamdiu Beati orationibus ſuis nos adjuvant. Quis poſt hæc de ſua ſalute deſperabit, habens totam Eccleſiam triumphantem ſibi opitulantem? Quis non ſperabit in mediatione Chriſti, in protectione Deiparæ, in Angelorum cuſtodia, & Beatorum interceſſione? & quò firmior ſit noſtra fiducia, de peccatis pœniteamus, virtutibus ſtudeamus: *Imitemur eos qui præceſſe-*
D Auguſt. in Pſ. 88. *runt, & gaudeant de nobis, qui orant pro nobis, ut benedictio Domini in æternum maneat ſuper nos.*

TEMPLA

TEMPLA
VENERANDA.

SCHOLIUM.

Templa 1. Dedicantur: 2. Venerantur: 3. Dei præſentia honorificantur: 4. Sacrificio commendantur: 5. Profanantur: 6. Vindicantur.

CONCIO SEXTA.

H*Orrebo planè ſputeum blaſphemiæ flatum, de hæretico ore fœtentem,* Tert Scorp. 7.
præſertim adverſus templa dicata exhalatum. Nam Manichæi, & Meſſaliani templa & altaria execrantur: Magdeburgenſes contra templorum conſecrationem debacchantur: Calviniſtæ templorum ſanctitatem aſpernantur, eorum adhuc decorem & ornatum dedignantur. Verùm quanta falſitate & impietate ab ore hæretico errores illi afflantur, tanta veritate & pietate à Catholicis templa 1. conſecrantur: 2. ſanctificantur: 3. decorantur.

De templi à Salomone conſtructi *prima dedicationis ſolemnitate, & ſecunda reſtitutionis gratulatione*, fatur Tertullianus. Semel, iterum, & tertiò dedicatum Hieroſolymitanum templum, ex ſacris paginis evidenter comprobatur. Prima dedicatio facta fuit à Rege Salomone, ut Regum teſtatur hiſtoria. Secunda à Zorobabel, poſt reditum Iſraëlitarum de Perſide, ubi diu captivi remanſerant, & hanc Eſdras commemorat. Tertia tandem à Juda Machabæo, quam ſingulis annis voluit renovari, ut in libris Machabæorum legitur. Ad celebrandam autem factam à Salomone dedicationem, inſtituta fertur Encœniorum ſolemnitas: Inde concludit Magnus Gregor. *Solemnitates dedicationum Eccleſiarum, per ſingulos annos ſolemniter ſunt celebrandæ: ipſo Do-*

I. PARS. Lib. de cor. mil. 10. L. 3 Reg 8. L. 1. Eſd 6. L. 1. Machab 4. L. 12. Ep. 12.

mino exemplum dante, qui ad feſtum dedicationis templi, omnibus id faciendi dat formam, cum reliquis populis, eandem feſtivitatem celebraturus venit, ſicut ſcriptum eſt: Facta ſunt Encœnia Hieroſolymis, & hyems erat, & ambulabat Jeſus in templo in porticu Salomonis. *Quòd autem octo diebus Encœnia ſint celebranda, in libro Regum perfecta dedicatione templi reperietur.* Ex authoritate autem Scripturæ, Chriſti exemplo, & Eccleſiæ uſu 1. meritò templa Deo conſecrantur: 2. religioſè ſub Sanctorum nominibus dedicantur: 3. hujus conſecrationis ritus probè explicantur.

1. Ob quadruplicem finem ſacræ ſtruuntur & conſecrantur ædes. Nimirum ad ſacrificandum, orandum, reliquias Martyrum conſervandas, & populum verbo Dei, & Sacramentis paſcendum. Et ob quatuor illos fines, quatuor ſortiuntur nomina: Nam ratione ſacrificii, templa; ratione orationis, oratoria; ratione reliquiarum, baſilicæ, memoriæ, ſeu martyria; & ratione prædicationis & adminiſtrationis Sacramentorum, Eccleſiæ nuncupantur.

Tert. lib. de Pud. 16.

In lege autem gratiæ *Apoſtolus primus omnium templum Dei dedicavit*, deſignans ſacras ædes, ad quas conveniebant fideles, ut patet ex increpatione ab ipſo facta Corinthiis,

1. Cor. 11.

Convenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos. Eccleſiam autem illam non fuiſſe aliquam privatam domum, mox declarat Paulus, Eccleſiam in qua congregabantur fideles,

Bellarm l. 3. de cult San. c. 4

à privatis domibus diſcriminans: *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis?* Niſi enim Eccleſia à domo fuiſſet diſtincta, & aliquo modo ſacrata, de contemptu Eccleſiæ eos non redargueret Apoſtolus: Non enim Eccleſiam contemnere dicuntur, actionem alibi licitam in illa exercentes, niſi propter aliquam ejus conſecrationem.

L. de Eccleſ. Hier. c. 5.

Dionyſius Areopagita, Pauli diſcipulus, altaria ſacro oleo inungenda, & ab Epiſcopo conſecranda docet. Taceo reliquos Patres, qui unanimi conſenſu, templi conſecrationem ex praxi Eccleſiæ aſſeverant; ut concludam cum Fœlice Quarto, ante mille annos in cathedra Petri ſedente:

Epiſt 4.

Solemnitates dedicationum Eccleſiarum, per ſingulos annos celebrandæ ſunt: quibus denotatur, uſibus prophanis non eſſe adhibenda templa Deo ſacrata, & Baſilicas ſub Sanctorum nominibus religioſè dedicatas.

Tert. lib adv Valent. 4.

2. Ex *martyrii prærogativa*, ſeu debito Sanctis cultu, ſacræ ædes, ſub Martyrum & Sanctorum nominibus religioſè dedicantur. Templum Salomonis fuit erectum, non ſolùm ad ſacrificia & orationes, ſed adhuc ad conſervandam arcam Domini. Salomon enim executus eſt, quod David pater ejus cogitaverat.

L. 1. Paralip 28.

Cogitavi, ut ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri. Similiter ſacræ ædes dedicantur non ſolùm ad ſacrificia & orationes, ſed adhuc ad Sanctorum reliquias ornandas, conſervandas & honorandas. Reliquiarum autem nomine intelliguntur oſſa, veſtes, loca, ubi Sancti paſſi ſunt, vel ubi habitaverunt, vel aliquid præclarè geſſerunt. Sic extructæ ſunt B. Mariæ, vel Angelis, in locis

ubi

ubi apparuerunt, vel aliqua oſtenderunt miracula. Deinde erigi poſſunt Baſilicæ, ad Sanctorum memoriam conſervandam, per eorum imaginem, per & ipſum nomen, ut qui ingrediuntur, admoniti imagine ibi depicta, vel ipſo templi nomine, recordentur Sancti, cujus eſt imago vel nomen ædi ſacræ impoſitum, ut eum tanquam hujus loci patronum colant & venerentur. Ideo D. Hieronymus inter inimicos Eccleſiæ dinumerat eos, qui Baſilicas Sanctorum averſantur. *Samaritani, Iudæi, & Hæretici, quales nuper ſub magiſtro cerebro in Gallia pullularunt, Baſilicas Martyrum declinantes, nos ibi qui orationes ex more celebramus, quaſi immundos fugiunt.* D. Hieronymus teſtatur, ſua ætate fuiſſe Sanctorum Baſilicas, in quibus ex uſu Eccleſiæ fideles conveniebant, & ad Deum orationes fundebant, & ideo ab hæreticis Baſilicarum hoſtibus, velut immundos fuiſſe habitos. Nonne D. Hieronymus ferit hæreticos hujuſce tempeſtatis, qui magiſtro cerebro vel orco Sanctorum Baſilicas declinant, & Catholicos illos venerantes de idololatria accuſant? In c. 65. Iſa.

Quàm irrationabiliter ex Conciliorum authoritate, & Patrum teſtimonio conſtat. Concilium Gangrenſe damnat Euſtathium tanquam contemptorem Baſilicarum ſanctorum Martyrum. Carthaginenſe quintum vetat, ne ulli Martyri ædes ædificetur, niſi ibi ſit aut corpus, aut aliquæ ejus reliquiæ, aut ibi Martyr habitaverit, aut in eo loco paſſus ſit. Accedunt Patrum teſtimonia. Cyrillus Hieroſolymitanus meminit Eccleſiæ Apoſtolorum Hieroſolymis erectæ, in loco, ubi Spiritus ſanctus deſcenderat. Baſilius ſacrum templum Martyrum nuncupat. Chryſoſtomus: *Ad veras regias Eccleſias dico, & oratorias ædes, & martyrum templa*, dicitque Conſtantium poſt mortem, factum piſcatoris janitorem, quia apud Conſtantinopolim ſepultus erat pro foribus Baſilicæ ſancti Petri. Theodoretus templa olim idolorum, nunc martyrum eſſe aſſeverat. Damaſcenus templa in martyrum memoriam ædificanda declarat. Alii Patres, tam Græci quàm Latini, paſſim Martyrum Baſilicas, & Sanctorum loca vocitant: *Teſtantur hoc Martyrum loca, & Baſilica Apoſtolorum*, ait D. Auguſtinus. Aliorſum referens idololatras ægerrimè ferre, quòd idolorum templa in Baſilicas Sanctorum dedicarentur: *Sed hoc videntur dolere, quòd memoria Martyrum noſtrorum, templa eorum delubriſque ſuccederent.* Gaudentius Dei bonitatem agnoſcit, quòd nobis voluntatem & poteſtatem largitus ſit dedicandi Baſilicas in honorem Sanctorum: *Vt venerandas Sanctorum reliquias haberemus, Deus noſter tribuit: Deinde ut hanc honori eorum fundare Baſilicam valeremus, ipſe largitus eſt.* Plura alia Patrum teſtimonia videri poſſunt apud Bellarminum.

Ep. ad Epiſ. Armeniæ. Can. 14. Catech 16. In Pſ. 114. Hom. 26. ad Pop. Hom 66 ad Pop. L. 8 ad Græ. L. 4. cap 16. Lib 1. Civ. 1. Lib 8. Civ. 26. Tra de Dedic. Eccleſ. L. 3 de Cult. Sanct. c. 4.

Verùm hæretici Catholicam diſciplinam & pietatem labefactare præſumunt ex Divo Auguſtino, Martyribus & Sanctis templa denegante: *Nec tamen nos eiſdem Martyribus templa, ſacerdotia ſacra & ſacrificia conſtituimus, quoniam non ipſi, ſed Deus eorum, nobis eſt Deus.* Cujus aliorſum hanc ſubminiſtrat rationem: *Nonne ſi alicui ſancto Angelo excellentiſſimum de lignis & lapidibus faceremus templum, anathematizaremur*

Lib 8. Civ. c ult. Lib 1. cont. Maximum, Argumen. 10 de Spir. S.

mur à veritate Chriſti, & ab Eccleſia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam ſervitutem, quæ uni tantùm debetur Deo. Hoc ariete ſacras Sanctorum ædes penitus evertere gloriantur hæretici. Ad difficultatem enodandam nonnulli concedunt templa ſoli Deo dicari, denominari tamen à Sanctis, non quòd eis erigantur, ſed vel ad templorum diſtinctionem, vel quia in illis templis præſertim eorum colitur memoria, quia in illis locis patroni invocantur: unde cùm vocatur templum aut baſilica Petri, hoc modo exponunt, hæc baſilica ſeu templum dicatum eſt Deo in memoriam & nomen ſancti Petri: vel dicatum eſt Deo, ut ibi oretur Deus per interceſſionem ſancti Petri. Eodem modo intelligunt, dum dicitur in Miſſa ſancti Petri, non quòd Petro offeratur Miſſæ ſacrificium, ſed quòd offeratur Deo in gratiarum actionem pro gloria S. Petro collata, & ſimul interpelletur Petrus tanquam patronus, & advocatus apud Deum. Alii volunt, ſacras domos ſeu ædes verè & propriè ædificari & dicari Sanctis, non quidem ſub ratione templi, ſed ſub ratione baſilicæ ſeu memoriæ. Sub ratione templi, Deo ſoli dicantur, quia dicunt ordinem ad ſacrificia, quæ ad Deum ſolum pertinent. Sub ratione baſilicæ ſeu memoriæ, dedicantur Sanctis, ut patronis, quorum ſpecialis ibi fit mentio, ob ſepulchra eorum, aut reliquias, aut quia ibi fuerunt, aut quia fidelium pietas ita gratum habet, ob animum propenſum erga Sanctos, quorum ibi merita recoluntur. Quod ex altaris comparatione manifeſtum fiet: Nam unus & idem lapis dicitur & altare, & tumulus; altare quatenus in eo ſacrificatur Deo, tumulus ſeu ſepulchrum, quatenus alicujus Martyris vel Sancti tegit reliquias. Sicut autem lapis dicatur Sancto, non ſub ratione altaris, ſed ſub ratione ſepulchri: ita ædes ſeu domus dicatur Sancto, non ſub ratione templi, ſed ſub ratione baſilicæ: idololatria eſſet erigere Sanctis templa & altaria, non eſt idololatria eis erigere baſilicas & tumulos lapideos. Ex quibus hi Authores inferunt, aliter dici Miſſam S. Petri, aliter baſilicam S. Petri; quia Miſſa nullo modo offertur S. Petro, nec primariò, nec ſecundariò. Et ne præfata diſtinctio templi & baſilicæ gratis conficta videatur, eam fulciunt doctrina S. Auguſtini, qui conjungit templum cum altari & ſacrificio, docens alia convenire, cui unum illorum convenit; & èconverſo. Aſſeverans adhuc templi erectionem eſſe cultum latriæ ſoli Deo debitum. Aliorſum tamen martyrum baſilicas commemorat, ſpecialiterque meminit baſilicæ S. Fœlicis: *In beatiſſimi Fœlicis baſilica poneretur*, martyribuſque memorias rectè ædificari affirmat: *Nos autem Martyribus noſtris, non templa, ſicut diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus.* Qui baſilicas Sanctis rectè ædificari & dedicari negant, à Concilio Gangrenſi anathemate feriuntur: *Si quis conventus, qui per loca, & baſilicas martyrum fiunt, accuſaverit, anathema ſit.* Anathema ſunt Hæretici de idololatria accuſantes Catholicos, religiosè Sanctis & Martyribus baſilicas, memorias, & ſepulchra ædificantes & dedicantes. Nec obſtat ritus conſecrationis; nam templum dicitur ſacrari

Lib. 1. Civ. cap. ult.

Lib. 1. cont. Maxim.

L. de cura pro mortuis.

L. 22. Civ. 16

Can. 20.

ad

ad honorem Dei, *ſub humanorum nominum conſecratione*, id eſt, ſub nomine Petri vel Pauli. Hujus autem conſecrationis ceremoniæ clarè explicantur. Tert. Apol. 27.

3. Sacræ ædes Deo dicatæ *conſecratione cenſentur:* finis enim præcipuus conſecrationis eſt ſignificare, templum Deo, ſacriſque actionibus dedicari, neque eſſe domum profanam, ſed ſacram. Ideoque 1. pinguntur cruces numero duodecim, ita inter ſe diſtantes, ut totum templũ occupent, & ad ſingulas ſingulæ lampades accenduntur, ad denotandum, quòd duodecim Apoſtoli per totum orbem crucis vexillum portaverunt, mundumque Evangelii prædicatione illuſtraverunt: 2. Templum inungitur oleo, *Benedicta unctione, de priſtina diſciplina, qua ungui oleo de cornu in ſacerdotium ſolebant, ex quo Aaron à Moyſe unctus eſt* Hac unctione denotatur templum eſſe, non domum prophanam, ſed ædem ſacram. 3. Aſpergitur aqua, thus adoletur, cerei accenduntur: ſic enim denotantur actiones puræ, bona virtutis exempla, orationes, & ſacrificia, quibus dedicatur templum. 4. In pavimento deſcribitur Alphabetum; quia ad concionandum, fidemque docendam deſtinatur templum. Alphabetum autem deſcribitur Græcè & Latinè, quia illis linguis prædicata eſt fides, quibus utebatur tota ferè Eccleſia, tempore quo hæ ceremoniæ inſtitutæ ſunt. 4. Fit mixtio aquæ, cineris, ſalis, & vini, qua homines moventur ad virtutem, & vitæ novitatem. 5. Jubetur diabolus recedere, quia de templo ejicitur, neque ibi habitare ſinitur. 6. Oratur Deus, advocantur Angeli, aliique Sancti, ut in eo loco habitare dignentur: & ideo pulſant oſtium, & Sanctorum introducuntur reliquiæ. Tert Apol. 24. Tert. lib de Bapt. 7.

Ejuſmodi ceremoniæ totum fidelium demonſtrant progreſſum. Nam 1. pulſatur & aperitur templum ab Epiſcopo baculo paſtorali, quia Prædicatores poteſtate à ſummo Pontifice & Prælatis accepta, corda infidelium pulſant, & ad fidem ſuſcipiendam aperiunt. 2. Epiſcopus templum ingreſſus in pavimento cinere conſperſo deſcribit alphabetum: quia Prædicatores fidei rudimenta ſcribunt in cordibus pœnitentium, eoſque efficiunt Catechumenos. 3. Templum aſpergitur aqua, cereique accenduntur, quia poſt Catechiſmum ſequitur baptiſmus, qui eſt Sacramentum illuminationis. 4. In parietibus pinguntur & inunguntur cruces (quæ etiamſi ante initium conſecrationis factæ ſint, propter commoditatem, ne diu expectaretur, ſi in ipſa conſecratione pingerentur, hoc tamen tempore fieri debuiſſent) ad ſignificandam confirmationem, quæ poſt Baptiſmum cruce & chriſmate perficitur. 5. Fit mixtio aquæ, cineris, ſalis & vini, quia tota fidelium vita conſumi debet, in mortificandis vitiis, & novitate vitæ quærenda & retinenda. Aqua enim ſignificat hominem, qualis eſt ex ſe poſt peccatum, ſcilicet frigidum & inſipidum: cinis ſignificat pœnitentiam & mortificationem vitiorum: ſal ſaporem: & vinum lætitiam & fervorem novæ vitæ. 6 Finitâ conſecratione, agitur dies feſtus cum lætitia, quia poſt finem hujus vitæ intrabunt fideles in cœleſtem Hieruſalem, ubi perpetuò lætabuntur.

Tert lib. 2. ad Nat. 7.

Sic *Iuſtitia, pietate, & omni bono ejuſmodi conſecrationis ſolatio boneſtantur*, & templa Deo dicata ſanctificantur.

II PARS.

Pud. 15. Tert. lib. de Spect. 12 Tert. lib. de Pud. 14.

Quæ ſocietas juſtitiæ & iniquitati? quæ communicatio luci & tenebris? quæ conſonantia Chriſto & Belial? quæ pars fideli cum infideli? aut quis conſenſus templo Dei cum idolis? Chriſtianorum templa multùm diſcriminantur: Tum à templis Gentilium; Tum à templis Hæreticorum. A templis Gentilium, quæ falſis numinibus ſunt dicata, & immunditiis contaminata. In illis enim *immundi ſpiritus conſidunt*: Chriſtianorum autem ſunt vero Deo conſecrata, & *ab omni immunditiarum contagione* mundata. Ab hæreticorum adhuc templis, quibus verè competit, quod Petrobruſiani de Catholicorum templis falsò *blaſphemantes ajebant*, *Nihil differre templum à taberna, & aram ab hara*; quia nihil in illis ſanctum, nihil religioni ac pietati conſecratum; nihil, quod ad bonum & virtutem incitet, ſed omnia profana. Ideoque Magnus Conſtantinus negat loca, in quibus hæretici conveniunt, eſſe *templa aut domus orationis*. Quomodo enim poſſunt dici templa, domus orationis, & domicilia ſanctitatis, cùm ibi Chriſtiana diſciplina impio ritu, profanaque religione polluatur? Hæreticorum cœtum bellè Magnus Imperator nuncupat *Officinam maximè impiam*. Epiphanius illorum conventicula non Eccleſias, ſed *latibula & cavernas* vocanda declarat. Ejuſmodi hæreticorum conciliabula *forea diaboli* dicuntur à D. Hieronymo. Eadem vocitat Euſebius *profanos impioſque ritus atque ceremonias, & ſceleſta myſteria*. Solis Catholicorum templis hoc nomen pertinet, quæ ſunt non impura, ſed munda, non profana, ſed ſancta; & meritò ob ſanctitatis 1. deputationem: 2. comprehenſionem: 3. operationem.

Pet. Clunia. Euſeb lib. 3. de Vit. conſtant. c 63. Sozom. lib. 4 c. 15. L. 4 pag. 495 In Pſal 7. L. 4. Hiſtor. 10.

Tert. Apol. 12. Levit. ult. Lib. 4 cont. Creſcō. 40. Serm 4 de Dedicat. D Bern. Ser 4 de Dedic Eccleſ. 1. Timot 4. Conc. Agathenſe c 14. 3. Reg 9.

1. Ædes ſacræ ſanctificantur *ſtatum conſecratione mutantes*, ob peculiarem reſpectum, quem habent ad Deum, cujus honore conſecrantur. Omnis enim res Deo dicata eo ipſo ſancta eſt. *Quidquid ſemel fuerit conſecratum Domino, ſanctum ſanctorum erit.* Quod de Eccleſiis conſecratis ſpecialiter docet D. Auguſtinus, qui *Deo omnipotenti parietes conſecratos, Eccleſiam venerandam, quaſi quadam obſeſſione credidit retinendam.* Ex Ennodio, *tecta vilia de conſecrantis nobilitate decorantur*; id eſt domus profanæ in Eccleſias dedicatæ, decorantur Epiſcopi conſecrantis nobilitate, & ceremoniarum, quæ in conſecratione obſervantur, pietate. *Quis enim parietes Eccleſiæ ſanctos dicere vereatur, quos manus ſacra Pontificum tantis ſanctificavêre myſteriis?* Quis dicere audeat, tot benedictiones, tot ſacras Unctiones ab Epiſcopis factas, nihil ſanctitatis conferre, ſed prorſus inutiles eſſe? Si ex Apoſtolo cibi ſanctificantur per verbum Dei & orationem, cur non etiam templa ſanctificabuntur, quæ per ſacras perſonas publicis precibus & benedictionibus conſecrantur? *Altaria placuit non ſolùm unctione Chriſmatis, ſed etiam ſacerdotali benedictione ſacrari.* Et ſi Deus exaudivit orationem Salomonis dedicantis templum, illudque ſanctificavit: *Exaudivi orationem tuam, & ſanctificavi domum hanc, quam ædificaſti*; erunt-ne minus efficaces Eccleſiæ preces,

preces, quàm Salomonis, ad obtinendam à Deo templi ſanctificationem?

Scio equidem, templa virtute conſecrationis non effici formaliter ſancta; ſolæ enim creaturæ intellectuales & rationales utpote gratiæ ſanctificantis capaces, poſſunt formaliter ſanctificari: ſed templa dicuntur ſanctificari: Tum quia ab uſu prophano, tranſeunt ad cultum Dei ſanctum: Tum quia virtute conſecrationis expellunt dæmones, ne homines ab operibus pietatis dimoveant: Tum quia introeuntium peccata venialia delent: Tum quia orantibus quandam virtutem ſpiritualem communicant, qua majori cum fervore orant! Tum maximè, quia res ſanctas continent. *Quorum ſanctimonia congratulamur devotione ſolemni.* Et meritò, ob ſanctitatem tot rerum, quæ in illis continentur.

D Greg. l. 3. Dialog 30. D. Tho 3 p. q 83, a 3.

D. Bernard Serm 4. de Dedic Eccl.

2. *Puto nec ipſum templum, nec arca Teſtamenti, nec tabernaculum martyrÿ, nec altare, nec candelabrum*; neque alia multa, quæ templo Salomonis tantam conferebant ſanctitatem, ut rex Agrippa ad Caligulam Imperatorem ſcribens, glorietur natum eſſe Hieroſolymis, *ubi altiſſimi Dei templum ſanctiſſimum ſitum eſt.* Verùm hæc omnia dico comparari non debent ſanctitati rerum, quæ in noſtris templis continentur: quæ ſanctificantur non nube, ſed præſentia Spiritus ſancti; non arca fœderis, ſed Chriſti humanitate; non manna, ſed Euchariſtiæ Sacramento; non panibus propoſitionis, ſed pane Angelorum; non Cherubinorum figuris, ſed imaginibus & Sanctorum reliquiis: non virga Moyſis, ſed cruce Dominica; non candelabro, ſed libro Evangeliorum; non igne, ſed infirmorum oleo; non mari æneo, ſed fonte baptiſmali; non altari holocauſtorum, ſed pœnitentiæ tribunali. Tot res ſanctæ evidenter demonſtrant templorum ſanctitatem.

Tert. lib de Cor Mil. 10

Ennodius Chriſtianorum commendans pietatem, qui in ædificandis Eccleſiis ſua inſumunt bona, ſic ait: *Faciunt de æde ſacramentum, de terrena habitatione cæleſte collegium*, ubi templum duplici elogio ſublimat. Primò illud vocitat ſacramentum, alludens ad Sacramenta legis gratiæ, quæ ſunt ſancta: Tum quia ſanctitati deputantur: Tum quia ſanctitatem ſignificant: Tum quia ſanctitatem continent: Tum quia ſanctitatem operantur. His omnibus modis templa dicuntur ſancta. Secundò, templum appellat cœleſte collegium, vel ob commercium, quod intercedit inter cœlum & terram: vel ob multas operationes ſanctas, quæ in illo fiunt. *Ex tunc quoque & deinceps ſanctarum inibi lectionum reſultare frequentia, ſanctarum orationum devota murmurare ſuſurra, ſanctarum reliquiarum honorari beata præſentia, ſanctorum ſpirituum indefeſſa noſcitur cuſtodia vigilare.* Tam enim commercium quod intercedit inter cœleſtes ſpiritus, & homines mortales, quàm ſanctæ actiones, quæ in templo operantur, ejus ſanctitatem prædicant.

Serm. 4. de Dedic.

D. Bernard. ibid.

Tert. lib. de Pud. 16.

3. *Templum Dei ſanctum eſt:* quia in eo multæ fiunt operationes ſanctæ. Quod ideo Euſebius nominat *venerandam & auguſtam virtu-* tum

Lib 1. de Vit Conſtantini c. 40

tum ſcholam. Annon in templo divinam veneramur majeſtatem, laudamus magnitudinem, prædicamus liberalitatem, & recognoſcimus auctoritatem? In templo, cum fiducia ad Deum confugimus, neceſſitates noſtras & indigentias aperimus, protectionem ſuam & auxilium orantes petimus, & miſericordiæ effectus recipimus? Annon in templo Eccleſiaſtici & Regulares die noctuque ad templum conveniunt, & cœleſtem æmulantes harmoniam, ad Dei gloriam & honorem, divinum decantant officium? Annon in templo ſingulis diebus offertur ſacro-ſanctum Miſſæ ſacrificium, in quo Chriſtus eſt ſimul ſacerdos & hoſtia? In templo nonne efficimur Chriſtiani, per Baptiſmum; roboramur in fide, per Confirmationem; reconciliamur Deo, per Pœnitentiam; de corpore & ſanguine Domini ſaginamur, accedentes ad ſacram menſam? In templo nonne Concionatores prædicant verbum Dei, de myſteriis religionis inſtruunt fideles, peccatores ad odium vitii, & amorem virtutis incitant? In templo tot obſervantur ceremoniæ religionis, tot exercentur actiones pietatis, tot ſpectantur exempla perfectionis, & accipiuntur à Deo tot miſericordiæ effectus, & dona munificentiæ & liberalitatis. Ibi peccator pœnitens recipit veniam delictorum, juſtus recognoſcens incrementum gratiarum: pauper indigens levamen pœnarum, dives benefaciens mercedem largitionum. Ibi laſſi inveniunt requiem, triſtes conſolationem, debiles fortitudinem, tepidi devotionem, derelicti opitulationem. Ibi ignari inveniunt conſilium, ægri remedium, morientes auxilium, mortui refrigerium. Ibi Chriſtiani ſanctificationi ſtudent, & in perfectione proficiunt, Dei gloriam ſectantur, ſuæque ſaluti invigilant, dicentes cum Regio Vate: *Aperite mihi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino.* Ingreſſum templi portas juſtitiæ appellat, quia in templo peccatores juſtificantur, acquiruntque ſanctitatem: *Eccleſia locus quidam eſt medicina ſpiritualis, & eos qui huc veniunt, decet ne domum redeant, niſi congrua remedia acceperint, illaque ſuis vulneribus adhibuerint.* Ingrediuntur cæci, & illuminati exeunt: ingrediuntur obdurati, & emolliti exeunt; ingrediuntur ægroti, & exeunt ſani; ingrediuntur rei, & exeunt innocui: ingrediuntur dæmonum ſervi, & exeunt Dei filii; ingrediuntur peccatores, & exeunt juſti; ingrediuntur meritis deſtituti, & exeunt meritorum ditati gazis. *Sic nos in Eccleſiam convenimus, non propter hoc ſolùm, ut illic immoremur, ſed ut aliquid magnum lucrati, & ſpirituale lucrum, diſcedamus.* Quodnam quæſo majus lucrum lucrari poſſumus, quàm repleri juſtitia & ſanctitate? Sic expendit D. Hieronymus iſtud Davidicum: *Replebimur in bonis domus tuæ: Replebimur ſanctificatione templi tui.* Quaſi templi ſanctificatio ſit pretioſus theſaurus, quo abundè ditamur, quam afflat, ſpirat, communicat templum ſanctificatum & decoratum.

Marginal notes: Thom. à Kemp. 1. p. Serm. 30. — Pſal. 117. — D. Chryſoſt. Hom. 1. in Geneſ. — D. Chryſoſt. Hom. 5. ad Pop. — Pſal. 64.

III PARS. Tert. Apol. 25.

Ab initio Romanæ Reipublicæ *nondum aut ſimulachris aut templis res divina apud Romanos conſtabat: frugi religio, & pauperes ritus, & nulla capitolia certantia cœlo, ſed temeraria de ceſpite altaria, & vaſa adhuc ſimia, & nidor*

dor exilis. At poſtquam orbis obtinuit imperium, magnifica extruxit templa tot tantaque, ut ad eorum numerum & magnificentiam vix unum ſufficiat volumen.* Similiter initio Chriſtianæ religionis, cui prope omnium hominum contrarium erat genus, vix ulla publicè templa exſtrui potuerunt: fideles tunc temporis congregabantur vel in criptis & obſcuris locis, tyrannis & perſecutoribus incognitis; vel ſecretò conveniebant ad domos piorum hominum, nullo elegantiæ ſplendore, aut externo cultu decoratos. Verùm poſtquam veritas de errore, fides de idololatria triumphavit; poſtquam ſuper imperii ſolium ſederunt non tyranni, & impii Chriſtianæ religionis perſecutores, ſed Principes Chriſtiani, non minus pietate quàm majeſtate commendabiles; magnificentiam & devotionem ſuam demonſtrarunt in extruendis Deo vero templis, quorum excellens magnitudo, admirabile artificium, & exquiſitus in omnem partem ornatus, omnium Gentilium delubra longè ſuperabant. Tempore namque Conſtantini, *Magnifica templa, amplitudine, & ſublimitate ingenij, & longè quàm antea venuſtate, & ſplendore majore conſtructa* ſunt. Niceph l. 7. c. 40. Quod unum ſufficere debet ad retundendos hujuſce tempeſtatis hæreticos, qui Eccleſiarum decorem & ornatum reprehendunt: & ut appareat quàm immeritò, Eccleſiarum 1. ornatus vindicatur: 2. exceſſus non approbatur: 3. defectus damnatur.

2. *Jam verò ſuggeſtu & apparatu retractandum.* Templorum autem ornatus, partim in ipſa fabrica conſiſtit, partim in imaginibus, crucibus, calicibus, vaſis argenteis, aureis, gemmeis veſtibus, ſupellectilibus, aliiſque ornamentis; & quamvis ille ornatus rejiciatur ab hæreticis, meritò tamen approbatur. (Tert lib de Idol. 18.) 1. Quia ab exordio naſcentis Eccleſiæ fuit in uſu. In teſtimonium advoco Euſebium, Sozomenum, & Nicephorum. Nam *ſi in tribus teſtibus ſtabit omne verbum*, (Tert. lib de Bapt. 16.) quantò magis, dum teſtes ſunt antiquitate, authoritate illuſtres? Euſebius quidem referens, quanta lætitia, poſt debellatam idololatriam, fideles conſpiciebant *templa excelſa, pro humilibus conventiculis elevari.* (L. 9. Hiſtor. c. 10.) Sozomenus etiam de fœlici Magni Conſtantini ævo ait Emeſæ fuiſſe templum *plane viſendum atque mirabile, eximia quadam pulchritudine celebratum.* (L. 3. c. 16.) Tandem ex Nicephoro Conſtantinus Magnus, cùm ageret de templo in Calvariæ monte ædificando, Antiſtiti Hieroſolymitano declarat, velle ut omnia totius orbis *egregia & excellenti pulchritudine opera* ſuperet. (Lib 8 c 28.) 2. Quia Imperatores & Principes pietate famoſi, magnis ſumptibus magnifica templa ædificarunt & ornarunt. Taceo Theodoſium Imperatorem, (Sozom l. 7. c. 24.) qui Eccleſiam magnificam extruxit in honorem S. Joannis Baptiſtæ. Taceo Carolum Magnum, qui plures extruxit ædes ſacras, ſplendidiſſimas. (Abb Urſperg. in Chron.) Taceo Pulcheriam, quæ D. Stephano ædificavit templum, auri & lapillorum fulgore collucens: (Niceph. l. 14 c 9.) ut referam Juſtiniani & Conſtantini Imperatorum in ædificandis & ornandis templis pietatem: (Dei Genitrici paſſim per Romanum Imperium multas ædes Juſtinianus conſecravit, (Procop Or. 1 de ædific. Juſtin.) adeo plane magnificas, & præſtantes, tamque ingenti pecuniarum acervo conſtructas,

 ut

ut ſi quis unam duntaxat ædem conſpexerit, hoc ſolum opus ab ipſo elaboratum exiſtimabit, & in eo perficiendo omne regni ſui tempus confeciſſe: (nec-non cunctos Imperii conſumpſiſſe theſauros. Laudent Gentiles templum Dianæ Epheſinum, ad quod cohoneſtandum beatos ſe putabant Aſiæ reges, ſi magno ſumptu, & opere, columnam unam adjeciſſent. Eccleſia ſanctæ Sophiæ à Juſtiniano Imperatore ædificata, potiori jure eſt mundi miraculum, quàm Dianæ templum trecentorum annorum ſpatio à multis regibus conſtructum. Neque minor fuit Conſtantini Magni magnificentia, quam

Lib. 4. Vit. Conſt. c. 60: præſertim in conſtruendo templo ſub Apoſtolorum nomine dicato, demonſtravit, ut teſtatur Euſebius teſtis oculatus. (Apoſtolorum templum in urbe ſui cognomine, ad perpetuam illorum memoriam conſervandam ædificare cœpit. Illud verò cùm in infinitam extruxiſſet altitudinem, lapidumque omnis generis, ac cruſtarum varietate ab ipſo ſolo ad ſuperiorem contignationem colluſtraſſet, ſummo artificio factis laquearibus tectum intus complexus eſt, auroque univerſum contexit: ſupra verò pro tegula inductum æs, à toto opere imbrium injurias arcebat. Quod ipſum etiam multo auro fulgebat, ita ut longè contemplantibus per reciprocatos Solis radios, incredibilis ſplendor offundi videretur. Interiorem ædis partem undique in ambitum circunductam, reticulari opere ex ære & auro affabre tacto conveſtivit. Ac templum quidem in hunc modum permagna Imperatoris & cura & ſtudio extructum eſt.) Uſus Eccleſiæ in ornandis Eccleſiis, Patrum 3. authoritate roboratur: Nam *ſacrarum ædium ornatus* à ſancto Maximo prædicatur. Theodoretus Anciræ Epiſcopus, aſſeverat, ædes ſacras ſuis temporibus ædificatas

In cap. 4. Michææ. ſuperare in decore *eximias pulchritudines quæ in oculos incurrunt.* D. Paulinus Nolanus Antiſtes, Eccleſiarum ſplendorem & ornatum *pompam* appellat.

Epiſt. 12. D. Auguſtinus in ſua Hipponenſi Eccleſia multa vaſa argentea &

In Pſal. 113. aurea eſſe fatetur: *Sed & nos pleraque inſtrumenta, & vaſa ex auro & argento habemus in uſum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata, ſancta dicuntur*; & ut cæteros prætermittam, pro coronide D. Am-

Lib. 1 Offic. 21. broſius ſic fatur: *Maximè ſacerdoti hoc convenit, ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu, aula Dei reſplendeat.* Poſtremò, Eccleſiarum ornatum etiam ratio perſuadet: Tum quia extruere Deo templum, illudque ſplendidè ornare, magnificentiam redolet, religionem ſapit, fidem prodit, pietatem, charitatem & gratitudinem in Deum teſtatur: Tum quia ejuſmodi ornatus Dei magnitudini convenit. Quò enim major eſt princeps, eò majus ei ædificandum eſt palatium. Quod non ignorans Salomon, ſapienter

L. 2. Paral. 2. ait: *Domus quam ædificare cupio, magna eſt: Magnus eſt enim Deus noſter ſuper omnes deos.* Divinamque majeſtatem prædicant non ſolùm miniſtrorum dignitas & ſanctitas, ſed etiam ædificii apparatus, divitiarum copia, pretioſumque ſupellectile: Tum quia ornatus plures hominibus affert utilitates; nam & illos ad Eccleſiam attrahit, & devotionem præſertim ſimplicium adauget, & myſteriorum religionis reverentiam ingenerat: men-

temque ad exiſtimationem divinæ majeſtatis inducit. Ideoque juſſit templum Salomonis fieri magna cum magnificentia, ut Hebræi, qui corporalibus attrahebantur & alliciebantur, per illud, Dei conciperent & agnoſcerent majeſtatem. Quòd ſi interdum Patres invehunt in Eccleſiæ ornatum, exceſſum duntaxat inſequuntur, qui non approbatur. D.Chryſoſt Hom. 17 in Ep. ad Hebr

2. *Inſignia dignitatum & poteſtatum habent profanationis ſuæ maculam.* Si ſit exceſſus, qui etiam in ornatu templorum vitandus eſt, indebitè ornantur templa, niſi ſeptem obſerventur conditiones, hoc verſiculo comprehenſæ, Tert. lib. de Idol. 18.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Has circumſtantias in ſuis Eccleſiis & Monaſteriis non obſervantes Monachi Cluniacenſes, graviter reprehenduntur à D. Bernardo: 1. Attendenda eſt perſona. Si enim qui paupertatem profitentur, & victum ab aliis emendicant, templum vellent ædificare marmoreum, auro & gemmis ornatum, etiamſi poſſent eleemoſinis hinc inde conquiſitis; indecenter tamen, & contra paupertatis profeſſionem facerent. Magnificentia enim decet Principes, non Monachos & pauperes. Et hæc eſt prima ratio querelæ D. Bernardi. *Omitto Oratoriorum immenſas altitudines, immoderatas longitudines, ſupervacuas latitudines, ſumptuoſas depolitiones, curioſas depictiones; quæ dum orantium in ſe retorquent aſpectum, impediunt & affectum: & mihi quodammodo repræſentant antiquum ritum Iudæorum: ſed eſto fiant hæc ad honorem Dei: illud autem interrogo Monachus monachum, quod in gentilibus gentilis arguebat.* Dicite Pontifices, in ſancto quid facit aurum? *Ego autem dico: Dicite pauperes; ſi tamen pauperes, in ſancto quid facit aurum?* 2. Attendendum eſt, *quid* ad ornandum templum apponatur, an ad devotionem inducat, vel potiùs ab ea abducat? An templum Deo ſacratum deceat, vel potiùs dedeceat; & hæc ſecunda cauſa querelæ D. Bernardi adverſus Cluniacenſes, adhibentes ornamenta rara, quæ ad pietatem nullo modo excitabant, ſed curioſitatem dumtaxat paſcebant: tendentes ſtromata non ſancta, ſed prophana; pingentes in clauſtris vanas & chymericas Gentilium fabulas. (Cæterùm in clauſtris coram lugentibus fratribus, quid facit illa ridicula monſtruoſitas, mira quædam deformis formoſitas, ac formoſa deformitas? Quid ibi immundæ ſimiæ? quid feri leones? quid mōſtruoſi centauri? quid ſemi-homines? quid maculoſæ tygrides? quid milites pugnantes? quid venatores tubicinantes? videas ſub uno capite multa corpora, & rurſus ſub uno corpore capita multa. Cernitur hinc in quadrupedi cauda ſerpentis, illinc in piſce caput quadrupedis. Ibi beſtia præfert equum, capram trahens retrò dimidiam. Hic cornutum animal equum geſtat poſterius. Tam multa denique tamque mira diverſarum formarum ubique varietas apparet, ut magis legere libeat in marmoribus quàm in codicib⁹, totumque diem occupare ſingula iſta mirando, quàm in lege Dei meditando. Prô Deum! ſi non pudet ineptiarum, cur vel non piget expenſarum, quæ non conveniunt Monachorum templo & clauſtro? Nam conſiderandum *ubi* ſeu locus. Certum eſt enim, non omnia loca eumdem requirere ornatum: Parochiæ non

Apolog. de Vit. & Mor. Religioſ. c. 12.

Perſius Sat. 2.

non tantum requirunt quantum cathedrales, neque Eccleſiæ quæ ſunt in deſertis vel oppidis, ad quas perpauci conveniunt homines, ſunt tantis ſumptibus decorandæ, ſicut illæ quæ ſunt in magnis urbibus, ad quas innumera confluit multitudo. Et hac 3. de cauſa D. Bernardus Cluniacenſes redarguit, habentes Eccleſias adeo amplas & ſplendidas, ut non ſolùm æquarent Epiſcopales & Cathedrales, ſed eas longè ſuperarent. *Et quidem alia cauſa eſt Epiſcoporum, alia Monachorum. Scimus namque, quòd illi ſapientibus & inſipientibus debitores cùm ſint, carnalis populi devotionem, quia ſpiritualibus non poſſunt, corporalibus excitant ornamentis. Nos verò, qui jam de populo exivimus, qui mundi quæque pretioſa ac ſpecioſa pro Chriſto reliquimus, qui omnia pulchrè lucentia, canore mulcentia, ſuaveolentia, dulce ſapientia, tactu placentia, cuncta denique oblectamenta corporea, arbitrati ſumus ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciamus; quorum quæſo, in his devotionem excitare intendimus? quem, inquam, ex his fructum requirimus? ſtultorum admirationem, an ſimplicium oblectationem?* an fidelium devotionem? Eſto. Verùm *quibus auxiliis* adeo ſplendidè decorantur & ornantur templa? juſtis, an injuſtis? licitis, an illicitis? de ſua, an de aliena facultate? Indebitè mulier maritum depauperat, filios ad egeſtatem redigit, ut ditet templa: Si enim reprehenduntur
Matt. 7. Phariſæi docentes, filios-familias offerre templo donaria cum detrimento parentum: eadem ratione reprehendendæ ſunt uxores, quæ inſcio marito, ultra ſuas facultates, ſplendidè ornant Eccleſias, in damnum totius familiæ: Sed multò magis culpandi ſunt, qui aliena rapiunt, vel furtis, ut latrones; vel injuſtitiis, ut judices; vel concuſſionibus, ut vectigalium exactores, ut templa ædificent vel ornent. Ex Apoſtolo enim non ſunt facienda mala, ut veniant bona.
Rom. 3. In his adhuc qui licitè templis ſua largiuntur, examinandum eſt, *cur* id faciant, quo ſcilicet fine. An ut Deo placeant, vel ſibi? an ut Dei honorem quærant, vel potiùs vanam mundi ſectentur gloriam, ex liberalitate, vel potiùs avaritia? & de pravo illo fine Cluniacenſes increpat Bernardus, quòd quæſtus cauſa ornarent templa, nimirum ut plures confluerent ad offerendum. *Et ut apertè loquar, totum hoc facit avaritia, & non requirimus fructum, ſed datum. Si quæris, quomodo? Miro, inquam modo. Tali quadam arte ſpargitur æs, ut multiplicetur; expenditur, ut augeatur; & effuſio copiam parit. Ipſo quippe viſu ſumptuoſarum, ſed mirandarum vanitatum accenduntur homines magis ad offerendum, quàm ad adorandum. Sic opes opibus hauriuntur, pecunia pecuniam trahit. Quia neſcio quo pacto ubi amplius divitiarum cernitur, ibi offertur libentius. Oſtenditur pulcherrima forma Sancti vel Sanctæ alicujus, & eò creditur ſanctior, quò coloratior. Currunt homines ad oſculandum, invitantur ad donandum, & magis mirantur pulchra, quàm venerantur ſacra.* Neque ſolùm in his Bernardus agnoſcit avaritiam, ſed adhuc vanitatem detegit. *Ponuntur dehinc in Eccleſia gemmatæ non coronæ, ſed rotæ circumſpectæ lapidibus, ſed non minus fulgentes inſertis lapidibus. Cernis & pro candelabris arbores quaſdam, multo æris pondere, miro artificis*

artificis opere fabricatas, nec magis coruſcantes ſuperpoſitis lucernis, quàm ſuis gemmis. Quid putas in his omnibus quæritur? Pœnitentium compunctio, an intuentium admiratio? O vanitas vanitatum, ſed non vanior, quàm inſanior; quia nec rectus intenditur finis, nec debitus adhibetur modus: Intereſt enim multùm, *quomodo* res facienda ſit non ſolùm ob bonum finem, ſed etiam debito modo. Hunc modum non adhibent in decorandis templis, qui vel indecora afferunt ornamenta, vel decentia non diſponunt eo loco & ordine, quo debent eſſe. Ob hanc cauſam Cluniacenſes arguit Bernardus, quòd humi in pavimento pingerent Sanctorum figuras, & pingerent Angelorum imagines, cum ipſorum injuria. *Ut quid ſaltem Sanctorum imagines non reveremur, quibus utique ipſum quod pedibus conculcatur, ſcatet pavimentum? Sæpe ſpuitur in ore Angeli, ſæpè alicujus Sanctorum facies calcibus tunditur tranſeuntium; & ſi non ſacris his imaginibus, cur non parcitur vel pulchris coloribus? cur decoras, quod mox fœdandum eſt? cur depingis, quod neceſſe eſt conculcari? Quid ibi valent venuſta forma, ubi pulvere maculantur aſſiduo? Denique quid hæc ad pauperes, ad monachos, ad ſpirituales viros*, qui magnos expendunt ſumptus? Hoc ſatius eſſet pauperibus erogare, præſertim hac tempeſtate, in qua egeſtas & fames graſſatur. Et hæc eſt querela Bernardi adverſus Cluniacenſes: *Fulget Eccleſia in parietibus, & in pauperibus eget; ſuos lapides induit auro, & filios ſuos nudos deſerit. De ſumptibus egenorum ſervitur oculis divitum. Inveniunt curioſi quo delectentur, & non inveniunt miſeri, quo ſuſtententur.* Tempus enim obſervandum eſt, & quando quis tenetur juvare proximum; præſertim parentes aut filios, & non poteſt ſimul providere proximo, & donare templo: Tum non rectè facit, ſi neglectis parentibus vel proximis, ædificet vel ornet templa, Domino dicente: Miſericordiam volo, non ſacrificium: Imo tempore neceſſitatis non ſunt largienda Eccleſiæ ornamenta, cujus ſupellex eroganda eſt pauperibus & captivis. Nam ut fatur D. Ambroſius: *Ornatus ſacramentorum, redemptio captivorum eſt.* Verùm perpauci ſunt hac ætate, qui exceſſu peccent, multi è contra in ornandis templis, defectu delinquunt.

Oſeæ 6.

D. Amb. L. 2. Offic. c. 28.

3. Romanis adhuc Gentilibus ſic gratulatur Tertullianus, Judæorum & *Deum victimis, & templum donis, & gentem fœderibus aliquandiu honoraſtis*: quod factum Machabæorum tempore ſacer Textus commemorat. Suam in ſuperſtitione demonſtrabant pietatem Romani, *cùm auctis jam rebus religio profecerit*: Tum in ædificandis templis: Tum in magnificis donis, quibus eos decorabant: Tum in ſollicitudine, qua curabant ea, quæ ad ornatum, decorem, & templorum nitorem ſpectabant. Ex officio namque proconſules, ædes ſacras circumire præcipiebantur, inſpiciendi gratia, an ſarta eſſent, an aliqua refectione indigerent, dantes operam, ut quæ cœpta erant, conſummarentur. Hoc exemplo ſtimulantur Eccleſiaſtici, ut ſacrarum ædium magnam & ſollicitam curam gerant, nec viduari ſuo ſpleudore patiantur. Qua in re honeſtius utiliuſque eccleſiaſticas poſſunt impendere opes, quibus

Apolog. 25.

Tert. Apol. 25.

divino beneficio perfruuntur, quàm in auguſtis Dei ſacrariis decore inſigniendis, iiſdemque ſi quando erit opus, ſplendidè & magnificè inſtaurandis. Eſſet adhuc eorum pietati conſentaneum, circumire ædes ſacras, & omni ſtudio contendere, ne ullis rebus indigeant, quæ ad alendam in animis religionem & ſanctiſſimi Numinis cultum requiruntur.

Præſules & ſacerdotes pietate conſpicui, de decore domus Dei fuerunt ſolliciti. Tædioſum foret cunctos recenſere, tres duntaxat referam. Nimirum D. Leonem ſummum Pontificem, Patientem Epiſcopum Lugdunen-
Serm. 3. de Quadrageſ. ſem, & Nepotianum ſacerdotem. Suum S. Leo declarat ſtudium: *Ipſam quoque orationis domum propenſiore cum cura, & ampliore cultu, quantum poſſumus,*
Lib. 6 ep 12. *adornamus.* De hac cura Patientem Epiſcopum laudat Sidonius Apollinaris: *Omitto, te tanto cultu Eccleſiam tibi creditam convenuſtare, ut dubitet inſpector, meliuſne nova opera conſurgant, an vetuſta reparentur. Omitto per te plurimis locis baſilicarum fundamenta conſurgere, ornamenta duplicari.* Tantum Præſulem de quatuor commendat Sidonius. Quòd Eccleſias ædificaverit, quòd ruinam minitantes reparaverit, quòd tam ædificatas quàm reparatas ſplendidè ornaverit, & inſuper quòd tanta munificentia & humanitate in
Epiſt. 10. pauperes extiterit, *ut non minora bonæ conſcientiæ culmina levet.* In his Patiens eccleſiaſticos reditus inſumebat. Nepotianus non habens amplas facultates, quibus templa auro & gemmis ornaret, parietes picturis, variiſque
D. Hieron. Epiſt 2. coloribus inſigniebat: *Baſilicas Eccleſiæ, & Martyrum conciliabula, diverſis floribus, & arborum ramis, vitiumque pampinis adumbravit, ut quidquid placebat in Eccleſiæ tam diſpoſitione, quàm viſu, presbyteri laborem & ſtudium teſtaretur.* Neque ſolum modò Nepotianus ſacras ædes pulchris coloribus decorabat, ſed adhuc omni ſtudio elaborabat, ut ſacrarium eſſet mundum, nitidi parietes, vaſa luculenta, ipſumque pavimentum expolitum, & omnino ſordibus vacuum. Teſte namque D. Hieronymo, *erat ſollicitus, ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pavimenta terſa, ſi ſacrarium mundum, ſi vaſa luculenta, & in omnes ceremonias pia ſollicitudine diſpoſita.*

Hæc exempla non imitantur, qui pluris faciunt prophanam domum, quàm Dei templum, qui Eccleſiæ bonis opulentè ditati, ſumptuoſa palatia ædificant, perſæpè ſuperbiæ monumenta, & erga ſacras ædes nullum pietatis indicium demonſtrant, quod inter corruptos Eccleſiæ mores recen-
Serm. 33. in Cant. ſet D. Bernardus: [Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frænis, in ſellis, & calcaribus, & plus calcaria quàm altaria fulgent. Inde ſplendidæ menſæ & cibis & ſcyphis: inde cithara & lira & tibia: inde redundantia torcularia & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud: inde dolia pigmentaria: inde referta marſupia. Pro hujuſmodi volunt eſſe & ſunt Eccleſiarum Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Epiſcopi, Archiepiſcopi.] Hoc tentationis genus, dæmonium perambulans in tenebris appellat Bernardus. Similiter

Cardinalis Bellarminus templorum ſqualorem, & altarium ſordes recenſere ſolebat inter graviſſimas Eccleſiæ calamitates. Quid verò ſibi acciderit, ſic refert: (Ego cùm ex itinere apud Epiſcopum nobilem & prædivitem hoſpitarer, vidi aulam vaſis argenteis ſplendidam, & menſam omni genere præſtantium ciborum refertam, mappas quoque, & omnia reliqua nitida, & odorem ſuavem ſpirantia; ſed cùm die ſequenti ſummo mane ad Eccleſiam palatio contiguam deſcendiſſem, ut ſacris operarer, inveni omnia contraria; id eſt vilia & ſordida, ut vix auderem in tali loco, & cum tali apparatu divina celebrare myſteria.) Quid lugendum magis, quàm conſpicere ſaculares menſas nitentes, auro & argento relucentes, & ſordeſcere templa, araſque ſacratiores? Quid magis horrendum, quàm ſacro ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum reponi in anguſto, vili, malè materiato & ſemiruto templo, in quo omnia ſitu & ſquallore horrida, etiam ſubinde ipſa arcula, in qua reconditur ſacra pyxis, eaque quandoque è ſtanno, vel ære, in quo vix panem vel cibum reponeres? Taceo calicum immunditiem, veſtium ſacerdotalium vilitatem, & ſordes ipſius aræ, quæ verius hara dici poſſet, quàm ara. L. 3. de Gemit. Columb. c. 5.

Templorum ſquallor, ſacrarum ædium ſordes, aræ indignitas, ornamentorum vilitas, movit hac ætate plures Chriſtianos pietate famoſos, ut calices, pyxides argenteas, veſtes ſacerdotales, ornamenta decentia donarent Eccleſiis, renovantes antiquam conſuetudinem, qua dona quiſque ſua aris imponebat. Ita Valens Imperator, teſte Theodoreto, *altari conſueta obtulit dona.* Ita Gallus & Julianus regii juvenes, ſuam pietatem erga templa maximè prodiderunt: *Votivorum donorum munificentijs*, ut loquitur Gregorius Nazianzenus: Sic in templo Hieroſolymitano ædificato à Conſtantino Magno, erant *pulcherrima opulentia monumenta, & religioſa donaria.* Et ne longiùs inductionem traham, Chriſtiani ore Salviani ſic fantur: *Cùm à Deo bona accepimus, bona reddimus, ad domus videlicet dominicas ſtatim currimus; illuſtramus donarijs ſacra limina, aras muneribus implemus.* Ad quod hortatur fideles Chryſologus: *Offeramus munera, quia naſcenti regi ſemper publica paratur oblatio.* Chriſtus autem rex regum in Euchariſtia velut naſcitur: ibi enim reproducitur, vel adducitur: *Offeramus munera, quia inderotus ſatis eſt vacuus adorator:* denique noſtram oſtendamus devotionem: *Hoc probat Magus, qui onuſtus auro, ſuccenſus thure, ſacratus mirrha, Chriſti incunabulis inclinatur.* Hoc demonſtret fidelis onuſtus donis & muneribus, curvatus ante ſacro ſanctum Euchariſtiæ myſterium. *Quale eſt ſi quod fecit Magus, non faciat Chriſtianus? Doleo certè, doleo quando lego Chriſti cunabula Magos rigaſſe auro, & video altare Corporis Chriſti Chriſtianos vacuum reliquiſſe.* Quantum doleret purpuratus Doctor hac ætate, in qua rariſſimi ſunt, qui Deo munera offerant, quamvis nullus à tali debito ſeſe eximere poſſit! *Non habeo, nemo dicat, quando Deus ex eo quod habes, non ex eo quod non habes, quærit: quando duo æra viduæ in acceptum dignanter adſcribit.* Unuſquiſque pro ſua facultate largiatur, det parum, ut accipiat multum: *Devotiſſimus Creatori, ut nobis devota* Lib. 4. c. 17. Orat. 3. Sozom. l. 2. c. 26. L. 6. ad Eccleſ. Serm. 103.

CCcc 2 ſit

ſit creatura. Repleamus altare Dei, ut noſtra horrea repleat fructuum plenitudo. Certè ſi non damus, quia non accipimus, non quæramus. Date igitur, *ut Deus det vobis tam præſentia, quam futura bona.*

CONCIO SECUNDA.

Tert. lib 2. ad Nat. 8. DEUM *exiſtimo ubique præſentem, ubique dominantem, omnibus colendum, omnibus demerendum*, præſertim in locis ejus majeſtati ſacratis. D. Epiphanius Conſtantiæ Epiſcopus refert, hoc dogma ſuis diſcipulis reliquiſſe Zenonem Philoſophum: In Expoſit. *Templa dijs exſtrui non oportere, divinumque Numen ſola mente continendum.* Hujus Philoſophi effatum verum eſſet, ſi merè ſpirituales eſſemus, ſed quia ſumus ſpiritu & corpore compoſiti, Deum tum ſpiritu tum corpore venerari debemus. Inter externos autem cultus, quos Deo reddimus, non ultimum locum tenent templa, in quibus ferè omnia peraguntur, quæ ad externum Dei cultum pertinent: & licèt Deus, qui eſt ubique, ubique coli poſſit, Lib 7. Polit. ſpecialiter tamen in templis colendus eſt, quæ vult Ariſtoteles habere illuſtrem quamdam eminentiam & dignitatem. Cùm enim in hominum vita nihil ſit religione auguſtiùs, convenientiſſimum eſt, ut ſacræ ædes, in quibus exercetur religio, magnificentiæ habeant ſplendorem, quo & Deus religioſiùs colatur, & templum majori devotione veneretur: quod D. Paulinus Epiſt 12. bellè nuncupat *penum venerandam*: quia 1. rationabiliter veneratur: 2. quomodo venerandum ſit, declaratur: 3. templi irreverentia condemnatur.

I. PARS. Chriſtiani *Dei cultores* triplicem habent reſpectum: Unum ad Deum, Tert Apol. 42. cui ſuum deferunt cultum. Alium, ad cæteros Chriſtianos, cum quibus in eodem cultu conveniunt, ut ipſimet fatentur: Tert. Apol. 39. *Corpus ſumus de conſcientia religionis*. Tertium ad Templum, ſeu Eccleſiam, in qua conveniunt; quia ibi magnæ ſacratiſſimæque res geruntur, quæ in operibus religionis obtinent principatum. Ibi auguſtiſſimum Miſſæ offertur ſacrificium: ibi Sacramenta adminiſtrantur: ibi Concionatores verbum Dei annuntiant; ibi Eccleſiaſtici divinum officium decantant; ibi Sanctorum reliquiæ & imagines devotionem inſpirant; ibi fideles ſimul congregati magno cum fervore, ob tot pietatis monumenta, ad templa veneranda excitantur: quæ profectò ſunt veneratione digniſſima, ob 1. res ſacras, quæ ibi conſervantur: 2. Sacramenta, quæ adminiſtantur: 3. ſanctas actiones, quæ in illis operantur.

Tert lib de Cor. Mil 7. 1. Chriſtiani *Deum natura de proximo colentes*, Templum venerantur, Tert. ibid ob res ſacras, quæ ſunt *propria religionis pignora*. Inter quæ potiſſimùm recenſentur ſacra Euchariſtia, Dominica crux, reliquiæ & imagines Sanctorum. Euchariſtia eſt ſupremo cultu latriæ adoranda, quia in illa verè, realiter & ſubſtantialiter præſens eſt Chriſtus, homo Deus; tantò majori dignus veneratione, quantò magis in illo myſterio ſeſe dejicit: *Et ita Deus tunc maximè*

magnus,

magnus, cùm homini puſillus. Templum adhuc decoratur ſigno crucis, quam nuncupat D. Cyrillus Alexandrinus *Decus, & ornamentum Eccleſiæ*, quam Cyrillus Hieroſolymitanus vocitat, *Gloriam gloriarum*; quam D. Ambroſius appellat *patibulum triumphale.* Quia, ut fatur D. Hieronymus, *Gloria Salvatoris, patibulum triumphantis eſt*: quam tanti faciunt Reges, ut eam in fronte gerant: *Reges ſignum Crucis Chriſti in fronte jam portant: pretioſius ſignum, quàm qualibet gemma diadematis.* Addit D. Chryſoſtomus, *ea velut eximio ornatu gloriantes.* Aſſeverat Gregorius Nazianzenus, Chriſtum *attuliſſe ligno ſanctitatem*; & ob hanc cauſam, ut teſtatur Magnus Gregorius, Chriſtiani proſternuntur ante crucem. *Et nos non quaſi ante divinitatem, ante crucem proſternimur,* quæ eſt inſtrumentum, quo Chriſtus noſtram operatus eſt ſalutem.

Ter. l. 2. adv Marc. 2. — In c. ult. Soph — Catech. 13. — L. 10 in Luc — Epiſt 150. — D. Auguſt. in Pſal 32. — In Pſ 121. — Orat. 18. — L. 7 Ep: 53.

Si quis nos Religioſos crucis dixerit, conſecraneus erit noſter. Tertullianus Chriſtianos, religioſos crucis appellat; Vel quia cruce redempti ſunt, vel quia crucem religioſè venerantur; Vel quia de cruce gloriantur. *Filij Calvariæ, filij paſſionis Chriſti, filij crucis, portantes in fronte, quod inimici in loco Calvariæ fixerunt.* Vel quia cruce adverſus dæmonem armantur, *cujus ille aſpectu cohorreſcit*: Vel quia abſque ſigno crucis nihil faciunt. *Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcumque nos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.* Tandem templa de reliquiis Sanctorum, & de imaginum agmine venerantur. Antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus Chriſtianos *vultu ad imagines converſo*, in ædibus ſacris vota ſua fudiſſe aſſeverat Clemens Alexandrinus: quod cùm facerent, mentem referebant ad Sanctum in imagine repræſentatum, imò ad Deum, qui Sanctum fecerat gratia & gloria inſignem. *Perfecta devotio hoc debet imagini, quod debet & regi.* In imagine enim regis rex honoratur: *Ipſi Gentiles ob hoc ſimulachra finxerunt, ut in ipſis erroribus, oculis cernerent, quod colebant.* Honor qui redditur imagini, refertur ad Sanctum, cujus eſt imago, Deuſque ſibi arrogat honorem redditum Sancto. *Quicunque honorat Dominum, honorat & Sanctum.* Bellè D. Chryſoſtomus, *Non eſt parva virtus, Dei amicos honore afficere,* piaque veneratione ſibi conciliare Sanctorum benevolentiam, qui ſunt *legati potentiſſimi*, qui cauſam noſtram ſollicitè pertractant, *communes humani generis defenſores,* qui nos adverſus incurſus dæmonis protegunt, *ſpectatores vitæ actuumque noſtrorum*: qui, ut ait Petrus Damianus, *in ſapientia cui uniti ſunt, omnia ſciunt, in Omnipotente omnia poſſunt*; Ad amicitiam cum Sanctis ineundam Chriſtianos hortatur S. Leo: *Confirmate amicitiam cum ſanctis Angelis, intrate in civitatem Dei, cujus nobis ſpondetur habitatio, & Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus ſociamini.* Ut autem valeatis ſociari cum illis per beatitudinem, debetis priùs ſociari per devotionem: *Cum quibus enim fuerit nobis conſortium devotionis, erit & communio dignitatis.* Noſtram erga Sanctos & Martyres demonſtrabimus devotionem, ſi *tumulos Martyrum adore-*

Tert. Apol. 16. — D. Auguſt. in Tit: Pſ 41 — D Ignat. Ep ad Philip. — Tert lib de Cor Mil 5. — Tert. lib: de Spect. 7. — L. 7. Strom. — Chryſolog: Serm. 147. — D. Epiphan, Hæres 78. — In Pſ. 138. — D. Baſil Orat. in 40. Mart. — Epiſt. ad Blanch. — Serm 5 de Epiph. — D. Chryſoſt

adoremus. De hac devotione erga Sanctorum reliquias veteres Chriſtianos
Epiſt 171.
commendat D. Hieronymus: *Martyrum ubique ſepulchra veneramur, & ſan-
ctam ſavillam oculis apponentes, ſcilicet etiam ore contingimus*. Inde inſurgit
in Vigilantium, Sanctorum contemnentem reliquias. *Malè ſacit ergo Ro-
manus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum Petri & Pauli ſecundùm nos oſſa veneran-
da, ſecundùm te vilem pulviſculum, offert Domino ſacrificia, & tumulos etiam*
Epiſt 42 ad Madauſēſes
Chriſti arbitratur altaria: ante quæ proſtratos teſtatur D. Auguſtinus Impe-
ratores. *Videtis imperij nobiliſsimi eminentiſsimum culmen, ad ſepulchrum piſca-*
Serm de SS. Octavio adventore & Salvatore.
toris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare. Ut autem animadvertit D. Maxi-
mus; *Cuncti Martyres devotiſsimè percolendi ſunt, ſed ij præcipuè venerandi ſunt à
nobis, quorum reliquias poſsidemus* in templis: quæ veneranda ſunt ob res ſa-
cras, quæ in illis conſecrantur, & etiam

Tert lib 1 ad Nat 16.
2. *De Sacramentis noſtræ religionis*, quæ in illis adminiſtrantur. In Sacra-
mentis legis gratiæ ſimplicitas unita eſt cum magnificentia. Simplicitas ap-
paret in ſigno ſenſibili, quod videtur oculis corporeis. Magnificentia verò,
Tert. lib de Bapt. 2.
in effectu inviſibili, qui non perſpicitur. *Simplicitas divinorum operum, quæ
in actu videtur, & magnificentia, quæ in effectu repromittitur*. Quid ſimpliciùs
aquâ, quæ baptizato applicatur cum pauculis verbis? Quid magnificentiùs
effectu baptiſmi, qui emundat baptizatum à labe peccati originalis, gratia
ſanctificante decorat, in Filium Dei adoptat; eique jus ad æternitatem com-
municat? *Ut hic quoque, quoniam tanta ſimplicitate, ſine pompa, ſine apparatu no-
vo aliquo, denique ſine ſumptu, homo in aqua demiſſus, & inter pauca verba tin-
ctus, non multò vel nihilò mundior reſurgit, eò incredibilis exiſtimatur conſecutio
æternitatis*: ſcilicet à Gentilibus, ab infidelibus, quorum incredulitas, ut ſub-
jungit Tertullianus, *miratur ſimplicia quaſi vana, magnifica quaſi impoſsibi-
lia*: id eſt ſignum ſenſibile baptiſmi, aquam etiam, quæ eſt ejus materia,
contemnit, & effectum baptiſmi impoſſibilem credit. Veriùs Catholici cen-
ſent de Baptiſmo. Tanti olim illud faciebant Chriſtiani, quòd ſupra bapti-
ſteria columbas argenteas ponebant: tum ad ornatum ſplendoremque mag-
nificentiæ divinis rebus adjungendum: Tum ad ſancti Spiritus vim & dona
Tert: lib. de Bapt. 8.
ſignificanda, quia expiatoriis illis undis velut incubat. *Tunc ille ſanctiſsimus
Spiritus ſuper emundata & benedicta corpora libens à Patre deſcendit, ſuper bap-
tiſmi aquas, tanquam priſtinam ſedem recognoſcens, requieſcit*. Alludit Ter-
tullianus ad mundi creationem, in qua Spiritus ſanctus ſuper aquas requie-
viſſe dicitur; moxq; ſubjungit: (Quemadmodum poſt aquas diluvii, quibus
iniquitas antiqua purgata eſt, poſt baptiſmum ut ita dixerim mundi, pacem
cœleſtis iræ præco columba terris annuntiavit miſſa ex arca, & cum olea
reverſa: quod ſignum etiam apud nationes paci prætenditur: eadem diſpo-
ſitione ſpiritualis effectus terræ, id eſt carni noſtræ emergenti de lavacro
poſt vetera delicta, columba ſancti Spiritus advolat, pacem Dei afferens.) Ad
Anaſtaſ. in Hilar.
quod denotandum antiquitùs in baptiſteriis collocabantur columbæ au-
reæ vel argenteæ. Sic Hilarius ſummus Pontifex ad ſanctum D. Joannis fon-
tem,

tem, auream obtulit columbam, & in ſeptima Synodo œcumenica hæreticus Severus accuſatur, quòd columbas aureas & argenteas, quæ *ſupra divinos fontes* pendebant, diripuiſſet. Quod dicimus de baptiſmo, pari ratione dici debet de aliis Sacramentis, quæ nuncupantur à Patribus diviniſſima ſigna, quia à Deo inſtituta, gratiamque ſanctificantem, quæ deos efficit, vel conferunt, vel adaugent, ut bellè declarat Tertullianus, recenſens Sacramentorum effectus: ſcilicet, *Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima conſecretur; caro ſignatur, ut & anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur: caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.* Refert ſpirituales effectus Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis, Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis. Priora autem quatuor Sacramenta adminiſtrantur in templis, quæ ſunt adhuc veneranda, ob ſanctas actiones, quæ in illis exercentur. Act 7. L. de Reſ. 8.

3. Inter ſanctiores actiones, quæ in templis & Eccleſiis exercentur, quatuor præcipuæ mihi videntur, nempe ſacro-ſanctum Altaris myſterium, verbi Dei prædicatio, Pſalmodia, & Oratio. Non loquor in præſenti de Altaris myſterio, quod adeo eſt auguſtum, ut D. Ignatius illud *Dei gloriam* vocitet. Prædicationem verbi Dei commendat ipſemet Chriſtus, *docens non tanti facere matrem aut fratres, quanti Dei verbum.* Pſalmodia in qua divinæ decantantur laudes, nuncupatur à D. Dionyſio *religionis & divini cultus ſymbolum.* Tandem D. Auguſtinus ſic de Oratione fatur: *Quid eſt oratione præclariùs? quid in tota noſtra religione ſublimius?* Ejuſmodi elogium cuivis competit orationi, quæ mentem in Deum elevat, & voluntatem in eum transformat. Sed publica oratio, quæ à pluribus fit in Eccleſia, eſt privata longè efficacior. Quod probè adnotat Tertullianus, qui poſtquam prodidit Chriſtianos in cætum ad templa convenientes, Deumque quaſi manu facta precationibus ambientes, ſubjungit: *Hæc vis Deo grata eſt.* D. Thomas loquens de oratione à multis in Eccleſia facta, concludit: *Fit oratio magis exaudibilis.* Hac de cauſa *ſimul convenimus, complures concurrimus in Eccleſiam*; præſertim dum perſecutio graſſatur. Orationem in communi factam, velut murum Eccleſiæ & arma D. Epiphanius conſiderat. *Magna ſunt fratres arma, preces Eccleſiæ, magnus eſt murus conſentientium inter ſe plurimorum oratio.* D. verò Chryſoſtomus quàm ſit potens & efficax oratio communis Eccleſiæ, ex liberatione Petri demonſtrat. *Si Petrum Eccleſiæ adjuvit oratio, & illam è carcere columnam eduxit, quomodo tu ipſius potentiam contemnis?* Neque minori zelo æſtuat Chryſologus erga eos, qui communes Eccleſiæ depretiant preces: quos eloquenter redarguit ex his Chriſti Domini verbis: (Si duo ex vobis convenerint ſuper terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo. *Audiſtis quantum poſſit & prævaleat ſanctæ petitionis conſenſus: non dixit illud aut illud, ſed totum ſe promittit, quidquid unitas poſtulationis concupierit, præſtaturum,* cùm dixit de omni re quamcunque petierint, fiet illis. *Ubi ſunt, qui præſumunt, Eccleſiæ conventum poſſe contemni, & ſolitarias preces* vene-

Ep ad Eph. Tert lib. de Carn Chr 7. De Eccleſ. Hier. Tract. de Miſeric. Apolog 39. 2.2 q 84. a. a 3, ad 2. Tert. lib. de Fug in perſ. 3. Orat. de Reſ. Chr. Hom. 97. ad Pop. Serm. 132. Math 18.

veneranda congregationi autumant anteſerri 2. *ſi duobus vel tribus ſimul poſitis medium ſe ſuturum, & omnia ſe promittit, quæ poſtulatus ſuerit præſtaturum. Qui nihil negatum paucis, quid in conſiliis & congregationibus Sanctorum poſcentibus denegabit. Sic credens Propheta hoc adeptum ſe gloriatur, dum dicit:* Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in concilio juſtorum & congregatione: *Toto corde confitetur, qui totum ſibi in concilio Sanctorum, quod popoſcerit, audet eſſe præſtandum.* Invanum Patres Eccleſias, oratoria & *domos precatorias* vocitarent, ſi in illis ad orandum non congregarentur fideles, & à Deo poſtulata non obtinerent. *Salva tamen ea cautela & reverentia, ut à Deo, quæ Deo digna ſunt, poſtulentur: qui enim mala à Deo poſtulat, Deum mali judicat & ſentit authorem: & quia vilia & indigna precatur, præſtantis poteſtatem & potentiam degener petitor ignorat. Non ergo impia, ſed pia: non terrena, ſed cæleſtia: non illecebris, ſed virtuti congrua: non digna odiis, ſed apta concordiæ à tali ſemper exoranda ſunt largitore.* Quàm verò ſit utilis oratio in Eccleſia facta, declarat D. Chryſoſtomus objectioni ſibi factæ reſpondens, (Orate vel domi poſſumus, dicunt: ſed homiliam doctrinamque audire nonniſi in Eccleſia poſſumus. Te homo decipis. Nam etſi domi quoque orandi Deum eſt facultas, tamen fieri non poteſt, ut domi tam bene ores quàm in Eccleſia, ubi tot patres, ubi clamor felici ſocietate excitus, ad Deum immortalem referrur. Non pariter exoras, cùm ſolus Dominum obſecras, atque tuis cum fratribus. Eſt enim in hujuſmodi plus aliquid, verbi gratia concordia, conſpiratio, copula amoris & charitatis, ſacerdotum clamores. Præſunt enim ob eam rem ſacerdotes, ut populi orationes, quæ infirmiores per ſe ſunt validiores illas complexæ, ſimul in cœlum evehantur. Adde locus ipſe devotionem orandi excitat, propter Sanctos, qui ibidem vixerunt, reliquias, quæ ibi requieſcunt; miracula quæ patrata ſunt, præſentiam imaginum crucis, Euchariſtiæ, quæ omnia Eccleſias venerandas demonſtrant. Quomodo autem venerandæ ſint, nunc eſt oſtendendum.

Pſ. 110. — D. Baſil. — Chryſolog. — Hom. 5. de incompreh. Nat Dei

II. PARS.

In templis & Eccleſiis eſt *Deus ita colendus, ut diſciplina diſpoſita eſt Chriſtianorum.* Hæc autem cultus diſciplina & reverentiæ magiſterium, quæ adhibenda eſt in Eccleſiis, ab Apoſtolicis ediſcenda eſt Conſtitutionibus. Inſtitutum namque fuerat, ut in templis, cùm res divina fieret, ſacerdos clara voce clamaret: *In ſapientia attendamus, ſtemus honeſtè, ſtemus cum timore Dei:* hæc conſuetudo, quæ in liturgia Græca habetur, mutuata fuerat ab Apoſtolicis inſtitutionibus, quæ decernunt Diaconos, priuſquam inchoaretur ſacrum, denuntiare debere, *Stemus erecti Domino cum metu & tremore: ad offerendum.* Epiſcopum etiam dicere conſueviſſe, *Surſum mentem.* Tandem conſtitutiones Apoſtolicæ ſpecialiter decernunt, in templis ſtandùm eſſe *ſapienter, ſobriè & vigilanter*: ſeu ut aliis utar terminis, cum 1. puritate cordis: 2. ſilentio oris: 3. modeſtia corporis.

Tert. Apol. 24. — D. Clem. l. 8 Conſt Apoſtol 12. — L. 2 Cōſt 7.

1. *Debemus ita ingredi in diſciplina Domini ut dignum eſt.* Quod præſertim obſervandum eſt in Eccleſiis, juxta Sapientis monitum: *Cuſtodi pedem*

Tert. lib. de exh caſt. 10. — Eccleſ. 4.

pedem tuum ingrediens domum Dei. Quaſi dicat : *Ambula modeſtè & cautè: intraturus es aulam regiam & divinam : quare ſic diſpone & dirige greſſus tuos, ut habitus tuus, oculus tuus, mores tui, ingreſſus & progreſſus tuus, omnia ſint compoſita.* Pedem vocat affectum, quo animus inambulat, multaque levi motu peragrat. Ille animæ greſſus cuſtodiendus eſt, ingredienti templum, ne veniat pes ſuperbiæ, quem repudiat Regius Vates: Ne pes invidiæ, avaritiæ, libidinis & aliarum cupiditatum, quæ vim omnem pietatis exhauriunt. Præfatum Sapientis oraculum ſic illuſtrat Paraphraſtes Chaldæus: *Tu fili hominis cuſtodi pedes tuos, in tempore quo ieris in domum ſanctuarij ad adorandum, ne venias eò plenus peccatis ante Dominum.* Qui vitiis eſt turpatus, Deo eſt odioſus; neque ſpecioſa laus in ore peccatoris: Si enim, ut vult D. Chryſoſtomus, in aulis regiis nemo aſſumitur regiæ voluntatis interpres, *prava & corrupta vita corruptus*: quantum à fortiori peccator ſceleribus contaminatus, ineptus eſt ad divinas in templis decantandas laudes? Quem ſic alloquitur D. Auguſtinus : *Quid prodeſt, quia hymnum cantat lingua tua, ſi ſacrilegium exhalat vita tua?* Talis ſanè eſt oratio, qualis eſt conſcientia deprecantis. *Oratio de conſcientia procedit: Si conſcientia erubeſcat, erubeſcit oratio. Spiritus deducit orationem ad Deum; ſi ſpiritus reus apud ſe ſit conſcientiæ erubeſcentis, quomodo audebit orationem ducere ab illa, de qua erubeſcente, & ipſe ſuffunditur ſanctus miniſter?*

D. Chryſoſt. Hom. 15 in Ep. ad Heb.

In Pſal. 49.

In Pſal. 102.

Tert. lib. de exh. caſt. 10.

Tria ſunt potiſſimùm, quæ in templis deſiderant animum à vitiis emundatum. 1. Dei ſanctitas, qui colitur: *Etenim eſt prophetica vox veteris Teſtamenti; Sancti eritis, quia Deus ſanctus eſt.* 2. Sanctitas templi, quod ipſemet Deus Moyſem docuit: Solve calceamentum de pedibus tuis: Audi rationem: Locus in quo ſtas, terra ſancta eſt. Tali forſan oraculo edocti Gentiles ingredientes in fana, calceos deponere ſolebant. 3. Quia oratio, quæ eſt religionis actus, ut Deo ſit grata & accepta, in orante expoſtulat ſanctitatem : ſic divino ſpiritu *animata, ſuo privilegio aſcendit in cælum.* Ad ſanctitatem tam Dei quàm templi Regius attendens Vates, ingrediendam domum Dei cum timore & innocentia declarat: *Introibo in domum tuam, & adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.* Dei timor æditiuus eſt ſacrarii; & Chriſtiani piè timorati verentur, ne quid habeant in animo reconditum, quod auguſtam Dei offendat majeſtatem. Hac de cauſa ad inſtar Regii Vatis ingrediens Dei domum, omni ſtudio contendunt, ut eorum pes iret in directo, adhuc ut in Eccleſiis Deum valeant benedicere: *Pes meus ſtet in directo, in Eccleſiis benedicam te Domine.* D. Auguſtinus cum Septuaginta legit, *In rectitudine*: In ſacra templa ingrediens Deum adoraturus, ita ſuos debet componere affectus, ut in illis nihil ſit immundum, nihil exuberans, nihil inconcinnum, nihil indignum, nihil quod dedeceat & divinam majeſtatem, & templi ſanctitatem : ita ut poſſit dicere cum eodem Propheta, *Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum.* Innocentia denotat animum ab omni labe expurgatum & purum; qualis

Tert.

Exod. 3.

Juſtin. mart. Apolog. 2.

Tert. lib. de Orat. 9

Pſal. 5.

Pſal. 25.

ctionis prætextu, ſolitæ indulgeant garrulitati; ſed *in domo Dei, precibus vacent, & retinentes linguam, aures aperiant.* Verùm paucæ ſunt mulieres, quæ Apoſtolo obtemperent, & in Eccleſiis ſilentium ſervent. Sed econtra multæ loquacitati, & garrulitati ſtudent, minus obſequentes quàm ranæ, quæ, ut refert D. Ambroſius, ad Sacerdotis imperium ſilent. *Cùm plurima ranarum murmura, religioſæ auribus plebis obſtreperent, ſacerdotem Dei præcepiſſe, ut conticeſcerent, ac reverentiam ſacræ deferrent orationi; tunc ſubitò circumfuſos ſtrepitus quieviſſe.* Inde ad Chriſtianos & Chriſtianas orationem convertens D. Ambroſius, *Silent paludes, homines non ſilebunt? & irrationale animal per reverentiam recognoſcit, quod per naturam ignorat: hominum tanta eſt immodeſtia, ut plerique deferre neſciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati*, quod deferunt comœdiæ, quod deferunt cantilenæ, quod deferunt liræ, harmoniæ, quod deferunt oratoris & advocati facundiæ. *In foro ſilentium, & in Eccleſia clamor.* Minus defertur reverentiæ templo quàm foro, Eccleſiæ quàm comœdiæ. Proh dolor! *ranuncula vilis è ſua palude procedens ad thronum Regis regum, audet omnia incondito garritu complere*, nullumque defert honorem templo, quod debet venerari, & ſilentio oris, & modeſtia corporis.

Anſelm. — L. 3 de Virg. — D. Chryſoſt. Ho. de Bapt. Chriſt. — D. Bern. Ser. 4. de Mod. orand.

3. Chriſtiana religio *nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit*; præſertim in templis omni veneratione digniſſimis. Inter monita à Juliano Imperatore Philoſophis tradita, iſtud erat: *In licæo ac gymnaſio, ne reſpirandum quidem.* Tantam volebat deferri licæo reverentiam, tantamque expoſtulabat à Philoſophis modeſtiam, animi moderationem, & corporis compoſitionem; ut ſi fieri poſſet, ne reſpirarent quidem: ne ſcilicet aut debitæ magiſtro reverentiæ, aut loci venerationi, aut attentioni obeſſet vel ipſa reſpiratio. Quanto magis à fortiori Chriſtianus Chriſti diſcipulus, ſtudere debet modeſtiæ in templo, quod Euſebius appellat *venerandam & auguſtam virtutum ſcholam*: quod D. Chryſoſtomus cœlum ipſum vocitare non dubitat? Eccleſia, inquit, eſt *locus Angelorum, locus Archangelorum, regia cœli, cœlum ipſum. Quemadmodum igitur, ſi cœlum quiſpiam in anguſtum redactum illuc inducat; etiamſi patrem, etiamſi fratrem videas, tamen præ ſtupore non alloquĕre: ſic neque hic aliud quicquam, quàm ſancta ſonare decet.* Si olim à Sapientibus graviſſimè prohibitum erat, ne quis in Academia riſum ederet, quòd is locus non ad jocos, & fatuorum hominum ineptias, ſed ad decus, animi gravitatem, & corporis modeſtiam eſſet comparatus: Quid de templo dicemus venerationi conſecrato? Quid de ſacratiſſima Chriſtianorum ſchola, ubi divina ſapientia præſidet? Quid de Eccleſia, in qua Sacramenta adminiſtrantur, & incruentum Altaris offertur myſterium? quid de ſacrario, ubi eſt Divinitatis tabernaculum?

Tert. Apol. 39. — Zonar. to. 3. — Lib. de Vit. Conſt. c. 46. — Hom. 36. in 1. Cor. — Ælian. de Var. Hiſtor.

Ad modeſtiam illam & gravitatem corporis in templis ſervandam ſex deſiderat Tertullianus. 1. Veſtis moderationem. Nam *aut ſacrificium*

L. 2. de cult. Fœm. 1 b.

cium offertur, aut Dei ſermo adminiſtratur: Quodvis horum gravitatis & ſanctitatis negotium eſt, cui opus non ſit, habitu extraordinario, & compoſito, & ſoluto. 2. Vocis moderationem. *Sonos etiam vocis ſubjectos eſſe oportet:* qui enim clamitant, *proximis obſtrepunt.* 3. oculorum dejectionem, *ne vultu quidem in audaciam elato;* ſed oculis in terram humiliter dejectis, & *facie humi volutata.* Vel modeſtè in cœlum volutatis: *Illuc ſuſpicientes Chriſtiani orant,* ad inſtar Regii Vatis, qui Deum ſic alloquitur: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* 4. Manuum compoſitionem, vel eas jungendo, vel moderatè ad Deum elevando. *Atqui cum modeſtia & humilitate adorantes magis, commendabimus Deo preces noſtras, ne ipſis quidem manibus ſublimius elatis, ſed temperatè ac prope elatis;* vel eas devotè extendendo ad modum crucis, & effigiem Chriſti crucifixi: *Non attollimus tantùm, ſed etiam expandimus à Dominica paſſione modulatum, & orantes confitemur Chriſto.* 5. Contritam pectoris tunſionem, *& manibus cadentibus pectus;* quod faciunt tum ſacerdotes tum laici. Sacerdotes quidem, in quorum perſona ſic fatur D. Auguſtinus: *Quotidie tundimus pectus; quod nos quoque antiſtites ad altare aſſiſtentes cum omnibus facimus.* Idipſum de laicis teſtatur: *Vbi hoc verbum,* Confiteor, *lectoris ore ſonuerit, continuò ſtrepitus pius pectora tundentium conſequitur.* Utrique tundunt pectus, Tum quia ſe peccatores confitentur. *Certè, fratres, quia Deus voluit, ſacerdos ipſius ſum, vobiſcum pectus tundo, vobiſcum veniam rogo:* Tum quia à Deo poſtulant delictorum veniam & condonationem. *Hoc eſt quòd pectus tundimus, & dicimus in oratione Domino Deo noſtro:* Dimitte nobis *debita noſtra:* Tum quia ſic animi dolorem & contritionem denotant, *tunſio pectoris eſt obriſio cordis.* Tandem 6. humilem genuflexionem, *genibus poſitis.* Genuum flexionem *à temporibus Apoſtolorum* manaſſe, prodit Juſtinus Martyr. Conſtantinus Magnus ſcribens ad Saporem Perſarum regem, teſtatur ſe Deum venerari, *flexis ſumma devotione genibus.* Hac corporis demiſſione & Deus religioſiùs veneratur, & beneficia ab eo faciliùs impetrantur. Teſte namque D. Hieronymo, *Deum genu poſito ſuppliciter adoramus, & fixo in terram poplite, magis quod ab eo poſcimus, impetramus.* Quod exemplo Publicani declarat Tertullianus. *Nam ille Publicanus, qui non tantùm prece, ſed & vultu humiliatus atque dejectus orabat, juſtificatior Phariſæo procaciſſimo diſceſſit.*

L. de Or. 13. — Lib adv. Iud. 10. — Apol 30. — Pſ. 122. — L. de Or. 13. — L. de Or. 12. — L. adv. Iud. 10. — Lib. 50. hom hom. 19. — Pſal 117. — D Aug l 50 hô ho 42. — D. Aug l 50 Hom. 19. — D Aug in Pſ 31. — Lib. adv. Iud 10. — Quæſt. 115. ad Orthod. — Theodor. l. 1, c 25. — In Epiſt ad Epheſ. — L. de Or. 13.

Hos duos proponit Chriſtus Dominus in rectum vel perverſum adorationis modum, in prædeſtinationis vel reprobationis exemplum. *Cùm templum inducit, & duos adoratores diverſa mente deſcribit, Phariſæum in ſuperbia, Publicanum in humilitate; ideoque alterum reprobatum, alterum juſtificatum deſcendiſſe: utique docendo, qua diſciplina ſua orandum conſtituit; à quo relaturi eſſent eam orandi diſciplinam, ſive reprobatricem ſuperbiæ, ſive juſtificatricem humilitatis.* Phariſæum, non Publicanum imitantur, adorandique & orandi tenent, non juſtificatricem humilitatis, ſed reprobatricem ſuperbiæ, qui abſque ulla modeſtia veniunt in templum cum luxu veſtium, qui in ædi-

Tert l 4 adv Marc. 36.

bus

bus Deo ſacratis clamitant & garriunt; oculos hinc inde impudenter injiciunt, genua non flectunt, ſed abſque ulla reverentia, vel erecti, vel ſedentes in Eccleſia commorantur. *Iſta non competunt veræ religioni, & vero obſequio erga Deum verum.* Nam 1. luxus veſtium. Unde D. Chryſoſtomus increpat fœminam comptam & ornatam, ad templum venientem: (Quid dicis, Deum precatura pergis, & ornamenta aurea circunfers; an verò ad Eccleſiam ſaltatura pergis? Nunc ut tu tui ſpectaculum præbeas, adveniſti, ut Deum pro peccatis ſuppliciter depreceris, ut tuis ſceleribus veniam cum gemitu & lachrymis petas, ut Dominum tibi propitium facias, acceſſiſti: quid te ipſam ornare, improbo atque intempeſtivo ſtudio contendis? non iſte ſupplicis eſt habitus: quo enim pacto ingemiſcere putas, ac lachrymas fundere, atque intenſiſſimè ut decet orare, quæ ejuſmodi ornatu compta procedis? nam etſi lachrymas fuderis, riſum cernentibus hujuſmodi lachrymæ movebunt.) Venis cum Deo locutura, & veniam peccatorum petitura tuus non eſt ſupplicis habitus. Neque 2. clamor & garrulitas competit templo orationi conſecrato. *An quicquam indignius eſt, quàm oracula divina circunſtrepi, circunſonari ſacramenta confuſis vocibus, ut impediatur oratio pro ſalute deprompta omnium?* Neque 3: minus innocui ſunt, qui impudenter oculos emittunt, & nefanda ad ſcelera manus injiciunt, cùm in templo ſit modeſtè commorandum, *Non elevatis impudenter oculis, nec manibus inſolenter erectis.* Neque 4. inurbanè ſtans aut inciviliter ſedens. *Siquidem irreverens eſt aſſidere ſub conſpectu contraque conſpectum ejus, quem quàm maximè reverearis ac venereris. Quantò magis ſub ſub conſpectu Dei vivi, Angelo adhuc orationis aſtante, factum illud irreligioſum eſt, niſi exprobramus Deo, quòd nos oratio fatigaverit?* Quanta irreverentia, non ſolùm ſanctiſſimi viri, quales fuerunt Petrus, Paulus, Jacobus, Stephanus, aliique innumeri, flexis genibus orarunt, ſed etiam Principes, Reges, Cæſares, Imperatores ſupplicum induerunt perſonas, genua dimiſerunt, & homines de fæce plebis genua flectere recuſant? *Vellem ſcire, qui nec genua flectunt, nec inclinare capita volunt, ſi aliquid ſibi neceſſarium, aut à judice, aut aliqua potenti perſona expeterent, utrum ſtantes, & tecto capite, negligenter & tepidè ſupplicarent. Rem terrenam ab homine terreno quærimus; & prope uſque ad terram nos humiliter inclinamus; & à Deo remiſſionem peccatorum, & æternam requiem inquirentes, nec capita inclinare, nec genua ſubmittere dignamur.* Neque etiam ipſiuſmet Chriſti exemplum imitantur, quod quàm ſit indignum, declarat zelo excandeſcens Cæſarius: *Proſtratus in terram orat medicus, & non inclinatur ægrotus, orat judex, & orare diſſimulat judicandus.* Neque ſolius Chriſti, ſed adhuc Gentilium exemplo hujuſmodi immodeſtia & irreverentia condemnatur.

Tert. lib de Spect 2. — Hom. 8. in Ep ad Titū. — D. Amb. l. 3. de Virg. — D. Cyp. l. de Orat. — Tert lib de Orat. 12. — Cæſar. hom 30.

Eò apponitur & irreverentia crimen, quod ut queritur Maſſilienſis Salvianus: *Eccleſias, vel potius templa, atque altaria Dei, minoris reverentiæ quiddam habent, quàm cujuſlibet minimi, ac municipalis judicis domum.* Verùm ne quorundam immodeſtia alii ſumant anſam irreligioſè com-

III. PARS. — Tert. lib de Orat. 2. — Lib 3 de Gubern.

commorandi in Eccleſiis, impia illa irreverentia condemnatur exemplo 1. Chriſtianorum: 2. Judæorum: 3. Paganorum.

Tert. Apol. 24. 1. *Ne hoc irreligioſitatis elogium concurrat* in templis, conſideranda eſt reverentia Chriſtianorum, ut ipſimet fatentur apud D. Chryſoſtomum: *Ad decus & honeſtatem componentes accedimus*; ſeu, ut fatur Clemens Alexandrinus, *ad gravitatem & honeſtatem compoſiti*, in templis modeſtè remanebant orationi humiliter & attentè vacantes, ut de ipſomet teſtatur D. Auguſtinus: *Quotidie ad Eccleſiam curro, genua mihi trita ſunt in orationibus.* Gregorius Nazianzenus de tribus pietatem & reverentiam Nonnæ matris ſuæ laudat; 1. *Silentio, ſancta honoraviſſe*: 2. *Veneranda ara, numquam terga vertiſſe.* 3. *Nec in divinum pavimentum expuiſſe.* D. Chryſoſtomus nonnullos graviter reprehendit, qui communibus Eccleſiæ precibus aderant: *Fricantes, biantes, oſcitantes, torpeſcentes.* Chryſoſtomus declarat, quomodo Chriſtiani olim accedebant ad templa; Gregorius Nazianzenus oſtendit, quomodo in Eccleſiis ſe componebant; Tertullianus verò refert, quomodo diſcedebant à ſacris ædibus: *Inde diſceditur non in catervas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum, ſed ad eandem curam modeſtiæ & diſciplinæ.*

In Pſal. 4. — L. 1. Pædag. 11. — Tract. 3. in Joan. — Orat in laudem Patris ſui. — In Pſal. 5. — Apolog 39.

Quantum ſunt à veteribus Chriſtianis diſſimiles Chriſtiani hujus temporis, qui incompoſiti ad templa accedunt, immodeſtè in Eccleſia ſeſe gerunt, & abſque ulla gravitate ab ea recedunt! 1. Incompoſiti accedunt abſque ulla mentis præparatione, animi decore, corporis gravitate, ſed jocantes, ridentes, de laſcivia cum mulieribus, quas manu ducunt, colloquentes: Vultis noſſe ô fœminæ! ô puellæ! quo ductore in templum pergatis, *Diabolo ductore, in Eccleſia conventum pergitis*, qui pudicitiæ veſtræ inſidiatur. Et tu imprudens homuncio, ubinam eſt judicium tuum, fides tua, religio tua? accedis ad domum Dei cum animo peccandi, cum ſceleris committendi propoſito. Scelerate, *Aulam regiam intraturus, & habitu, & oculis, & inceſſu, cunctiſque alijs te componis & adornas: in Eccleſiam verò ingreſſurus, ubi verè eſt aula regia, & talis qualis cœleſtis eſt, rides*, demonſtraſque in faſtu arrogantiam, in inceſſu inſolentiam, in oculis inverecundiam; in ſermonibus laſciviam; & generatim in cunctis impudentiam & impietatem: & in divinæ majeſtatis contemptum in ejus domo immodeſtè te geris. Veteres Chriſtiani adeo erant moribus compoſiti, ac pietate decori, ut eadem modeſtia in domibus privatis, qua in Eccleſiis commorabantur, iiſdemque vacabant virtutis actionibus. Nunc autem Chriſtiani eodem modo ſe habent in templis ac in privatis domibus, neque minus in Eccleſiis quàm in privatis ædibus criminum laxant habenas. Quod cum magno dolore exprimit D. Chryſoſtomus. *Domus priſcis temporibus Eccleſiæ erant, nunc ipſa etiam Eccleſia in domum redacta eſt; nihil autem in privata domo carnale loquebantur; nihil nunc in Eccleſia ſpirituale memoratur. Cùmque Deus loquatur, non modò ipſum cum ſilentio non auditis, verùm etiam contraria inferentes, inculcatis. Quas ob res, acerbè fleo, & nunquam flendi finem facio.*

D. Auguſt. Serm. 251. de Temp. — D. Chryſoſt. Hom. 1. in Epiſt. Heb. — Hom. 33 in Matth.

Quas

Quas nunc non emitteret lachrymas Aureus Orator, ſi conſpiceret, quo faſtu & habitu Chriſtiani ingrediuntur in templa, qua incivilitate in domo Dei ſedent, qua licentia confabulantur, qua immodeſtia rident, qua impudentia impudicos injiciunt oculos: & in nutibus, ſermonibus, actionibus, & ut conqueritur D. Chryſoſtomus, univerſaliter in cunctis immodeſtiùs ſe habent quàm in plateis, in domibus privatis, in foro, in curia, in palatio, in aula. Hæc loca ſunt honeſtatis, timoris, & verecundiæ ſaltem civilis. Pergit D. Chryſoſtomus, maximèque dolet, quòd in Eccleſiis impudentiùs ſe gerant Chriſtiani, quàm in theatris, quàm in tonſtrinis, quàm in tabernis, aliiſque publicis conventibus, qui adeo inſolenter ſe habent in templis, inde exeunt abſque ulla gravitate, modeſtia, ſed egredientes confabulantur, jocantur, ſæpe diffidunt, pugnant, & ad perpetranda ſcelera, quæ in Eccleſiis conceperunt, properant, quorum impietas Judæorum condemnatur exemplo.

2. *Nos quoque ut Judaica religionis propinquos decet*, non minorem quàm ipſi templis deferre venerationem. Adeo Judæi templum à Salomone exſtructum venerabantur, ut ne parietes quidem auderent contingere. Quare Salomon, qui illud divino afflatu ædificaverat, foris in ambitu exſtrui curavit domunculas: Tum ad ſacra vaſa cuſtodienda: Tum, ait Procopius, ut nemo ex Levitis *parietes templi contrectaret*. Ipſemet etiam Salomon magna cum humilitate & modeſtia orabat in templo: *Factum eſt autem, cùm compleſſet Salomon orans Dominum, omnem orationem & deprecationem hanc, ſurrexit de conſpectu altaris Domini: utrùmque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum.* Alii autem reges ſi quando in templum ſe conferebant, erudiebantur, *nuſquam Deum magis eſſe, quàm in templo tam memorabili.* Ideo admonebantur inſolentis animi ſuperbiam, & & regale faſtigium eſſe abjiciendum in eo loco, ubi Deo cœli cultus adhibebatur. Satellites adhuc regem comitantes, templum ingreſſuri ante fores deponebant arma ſua. Quam ob cauſam, ut refert Procopius, extra templum ædificata fuit aula grandior, ubi arma reponebantur. Populus verò, nonniſi cum metu in magnificum illud Dei ingrediebatur domicilium, magnaque devotione marmoreas oſculabatur & contrectabat cruſtas. Cùmque Hebræi poſt diuturnam captivitatem, de reditu nuntium excepiſſent, lætati ſunt non tam quòd vineis, olivetis, ſuiſq; ædibus perfruerentur, quàm quòd *in domum Domini eſſent ituri.* Cùmque audiſſent Nicanorem cum valido exercitu irruiſſe in Judæam, *maximus timor erat pro ſanctitate templi.* Profectò tunc temporis metuere debebant ſævi tyranni crudelitatem, militum inſolentiam, infauſtum belli eventum; ne hoſtes victores exiſtentes campos devaſtarent, urbes deprædarent, fœminas violarent, libertatem auferrent, mortem inferrent: Tot clades timebant, ſed non ex æquo ac templi prophanationem. *Maximus timor erat pro ſanctitate templi.* Nonne Judæorum veneratio condemnat Chriſtianorum irreverentiam, qui Eccleſias prophanant? Templa vene-

Tert Apol 14.
Greg: Naz: Orat: 19
In 3 l Reg: c 6
L 3 Reg 8
Tert lib 1: ad Nat. 1:
In l 3 Reg. c. 14.
D: Chryſoſt in Pſal 125
L: 2 Machab 15

veneranda ſunt honeſto ſilentio, gravi corporis modeſtia, religioſo etiam metu, quem incutere nititur Dei oraculum: *Pavete ad ſanctuarium meum.* Hæc verba velut fulmina vibrantia, inſcribenda ſunt templi parietibus, aris, multò magis hominum mentibus. Nam *Vbi Deus, ibi metus in Deum, ubi metus in Deum, ibi gravitas honeſta, & diligentia attonita, & cura ſollicita, & proceſſio modeſta.* Qui verò in templis modeſtè non incedunt, neque honeſtam gravitatem oſtendunt, neque diligenti cura, omnem irreverentiam fugiunt, Deum in templis adeſſe non credunt, neque ejus majeſtatem metuunt. Impii tamen illi, qui Dei domum & ſanctuarium dedecorant, formidare debent Dei ultionem, æternamque in inferno ſuæ inſolentiæ punitionem. Timete inſolentes, qui *iſtic non precibus inſiſtitis, ſed fabulis, jocis, & alijs peccatis, cum ipſo dæmone, ad æterna pergitis tormenta*; quæ juſtè patiemini ob irreverentiam veſtram, quæ paganorum condemnatur exemplo; *cùm Gentiles idolis ſuis reverentiam tacendo deferant.*

Levit 26.
Tert lib de Præſc. Hæret. 43.
D Auguſtin Serm. 251 de Temp
D Ambr l 3. de Virg.

3. *Nam & illa Eleuſinia hæreſis, & ipſa Attica ſuperſtitionis, quod tacent, pudor eſt.* Loquitur Tertullianus: Tum de hæreſi Valentinianorum: Tum de ſacris in honorem Cereſis Eleuſinæ ab Eumolpo inſtitutis: Valentiniani exactum ſervabant ſilentium, exiſtimantes ex Bithon, & ſilentio cunctos proceſſiſſe Æonas: Qui verò ad ſacra Eleuſinæ admittuntur, *Aditum prius cruciant, diutiùs initiant, linguam conſignant*; nimirum victu triſtiore, ſilentio, humicubatione, caſtimonia, aliiſque hujuſmodi rigidioris diſciplinæ inſtitutis, ſacra honorant. Cæteros ethnicos ſacerdotes monebant calceos deponere; ſacrificaturi caput obtegebant, ne externis diſtraherentur objectis; cuncti ſilentium pertinaciſſimè obſervabant; & ſi D. Chryſoſtomo adhibeatur fides, depicta in templis videbatur ſilentii imago. Sed nemo melius refert, quomodo Gentiles ſe habuerint in ſuis fanis, quàm moralis Philoſophus, qui ore omnium ſic fatur: *Intramus templa compoſiti, ad ſacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus, togam adducimus, in omne argumentum modeſtiæ fingimur.* Annon Gentiles in templa ingredientes, & in delubris ſacrificantes, in omne modeſtiæ argumentum formati, condemnant Chriſtianos Eccleſias adeuntes in omne immodeſtiæ argumentum compoſitos, & in illis manentes, non ut pietati vacent, ſed ut alios ſua impietate ſcandalizent? Quàm verè ait Tertullianus: *Melior eſt fides Gentium in ſuam ſectam, quàm Chriſtianorum in ſuam.* Nam majorem exhibent reverentiam delubris falſis numinibus dicatis, quàm Chriſtiani templis vero Deo conſecratis; neque in illis per horam modeſtè & religioſè commorantes. *Centum ſexaginta horas habente hebdomada, unam & ſolam horam ſibi ſegregavit Deus, & hanc in opera ſæcularia, & in ridicula, & in conventicula, inſumis?* An tempus, an locum non habetis ad fabulandum, ad nugandum, ad ridendum, ad cachinnandum? an Eccleſias contemnitis, quas venerari debetis puritate cordis, ſilentio oris, modeſtia corporis; ne Judæi, ne Gentiles immodeſtiam veſtram condemnent: Si vultis divinum vitare judicium, revereamini templa maximè vene-

Tert lib adv Valent. 1.
Tert. lib de Præſc: Hæret. 40.
Tert l 4 adv Valent 1:
Juſtin mart Apolog. 2
Lib: 7 Nat Quæſt c 30
D Chryſoſt Hom 30 in c 10 Matth.

veneranda ob ſanctas actiones, quæ in illis operantur; ob res ſacras, quæ in illis continentur, ob Sacramenta quæ ibi adminiſtrantur, quæ ritè accedentes ſanctificant, eiſque jus ad vitam æternam communicant.

CONCIO TERTIA.

DEUS non eſt indigens aliquo, cùm ſit ſummè perfectus. Quare priuſquam creaturas de nihilo produceret? Et ut fatur Tertull. *Ante omnia Deus erat ſolus, ipſe ſibi mundus, & locus & omnia.* Quòd ſi inquiramus à D. Auguſtino, ubinam erat Deus, antequam crearet mundum, reſpondebit: *In ſeipſo habitabat.* Poſt mundi verò productionem *plena & occupata ſunt omnia ſuo authore; ſi vacat aliquid ſpatij alicujus divinitatis, in creaturis, plene falſa vacabat;* quia vera Divinitas nullos ſuæ præſentiæ patitur limites, utpote infinita & immenſa: quare verus *Deus ubique eſt.* Verùm etiamſi Deus ſit ubique per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: attamen uti elegit ex diebus ſabbatum; ex annis quinquageſimum; ex fructibus primitias; ex filiis Hebræorum primogenitos; ex duodecim tribubus, tribum Levi: ita ex locis nonnullos elegit, in quibus ſpeciali quadam ratione habitat, ejuſque præſentia 1. ſapienter recogitatur: 2. humiliter adoratur: 3. inſolenter aſpernatur. Lib adv. Prax 5. In Pſal. 121. Ter. l. 1 adv. Marc 11. Tert lib de Teſt. An 2.

De ipſa domus Dei gloria loquitur Propheta, cùm templum nuncupat *locum habitationis gloriæ ejus.* Verùm Regio Vati contradicit Apoſtolus aſſeverans: *Non in templis manufactis habitat.* Imo ipſemet Deus ajens per Evangelicum Prophetam, (Cœlum mihi thronus eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum: qualem mihi ædificabitis domum? aut quis locus requiei mei?) *Vt oſtendat, quoniam multò magis illum templum non capit, cùm mundus non capit.* Ut autem animadvertit ibidem dubius Tertullianus: *Hæc non ad ſui jactantiam, ſed ad noſtri ſcientiam refert;* ut nos erudiat, magnum eſſe diſcrimen inter ipſum, & falſos Gentilium deos: Tum quia hi ſunt artificum manibus effecti, ipſe verò eſt increatus. *Vt omnes cum ſuis figmentis Ethnicos excludat, probans Deum non eſſe, qui manu artificis factus ſit, non enim eſt Deus, cui ut ſit quærendus, eſt artifex:* Tum quia falſa Gentilium numina, ſeu idola artificum manibus fabricata, ſunt finita & limitata, adeoque intra ſua templa coarctata, ut alibi non ſint: Deus autem intra templa non comprehenditur, *in quo omnis locus, non ipſe in loco.* Quomodo intelligendus eſt Apoſtolus, & quo ſenſu Chriſtiani olim Gentilibus dicebant, *Sola vobis relinquimus templa;* in quibus clauduntur veſtra numina, Deus noſter ubique præſens eſt, qui licèt ſua immenſitate excludat limitationem, non tamen ſpecialem habitationem & præſentiam in 1. cœlo: 2. Salomonis templo: 3. Eccleſia ſeu ſacrario. I PARS. Ter lib 1. de cult. Fœm 2. Pſ 25. Act 17. Iſa 66. L. de Trin 3. Ter lib adv Prax 16. Apolog. 37.

Tert. lib. de Orat. 1. 1. *Conſideremus, benedicti, cœleſtem Chriſti ſophiam imprimis de præcepto adorandi*, quod tradit in oratione Dominica, quæ *incipit à teſtimonio Dei, cùm*
Tert lib. de Orat. 2. *dicimus:* Pater noſter qui es in cœlis. *Quamquam frequentiſſimè Dominus patrem nobis pronuntiavit Deum.* Multiplici autem de cauſa erudit nos Dominus, ut orantes dicamus; Pater noſter, qui es in cœlis. 1. Quia *terrenus pa-*
Chryſolog. Ser 19. *ter, cœleſti poſtponendus eſt patri;* & ob hanc cauſam Chriſtus *præcepit, ne*
Tert ibid. *quem in terris patrem vocemus, niſi quem habemus in cœlis.* 2. Ut nos à terrenis avocet, & ad amorem cœleſtium inducat: *Terram neſciat, amorem carnis*
Chryſolog. Serm 68. *ignoret, partem pulveris non requirat, nihil in ſe vitij licere permittat, qui Deum Patrem cœleſtem reperit ad naturam.* 3. Ut homo vitam ducat cœleſtem
Chryſolog. Serm 72. tanto parente dignam. *Qui ergo ſe tanti Patris filium confitetur & credit, reſpondeat vita generi, moribus patri, & mente atque actu aſſerat, quod cœleſtem conſecutus eſt per naturam.* 4. Hac orationis formula docet nos Chriſtus,
Chryſolog: Serm. 67. Deum ſpeciali quadam ratione manere in cœlo. *Cùm dicis* Pater noſter, qui es in cœlis, *non ſic habeas, quaſi non ſit in terris: non ſic intellige, quaſi ſit loco clauſus, qui claudit omnia;* ſed intellige, quòd quemadmodum Deus ſpecialiter manet in juſto per gratiam, juxta illud Apoſtolicum à Tertulliano relatum:
Lib 5 adv. Marc. 6. *Neſcitis, quòd templum Dei ſitis, & in vobis inhabitet ſpiritus Dei?* ita Deus in cœlo præſens eſt per gloriam: & hac ratione potiſſimùm docuit nos Salvator dicere in oratione Dominica: Pater noſter qui es in cœlis. Quod acutè
Epiſt. 57. animadvertit D. Auguſtinus: *Fatendum eſt, ubique eſſe Deum per divinitatis præſentiam, ſed non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem, ubi procul dubio gratia ejus dilectionis agnoſcitur, non dicimus, Pater noſter qui es ubique: cùm & hoc verum ſit;* Sed Pater noſter qui es in cœlis, *ut templum ejus potius in oratione commemoremus;* nempe cœlum, quod thronus ejus eſt, ut ipſemet in ſuperioribus per os Eſaiæ declaravit: Sicut enim rex potentiſſimus præſens quidem eſt omni loco, ad quem ſe contulerit: at modo quodam ſpeciali in palatio, atque in throno ſuæ poteſtatis, ubi à ſubditis princeps agnoſcitur, & tanquam rex & Dominus colitur: ibi famuli ei ſerviunt, amici diligunt, ſatellites circunſiſtunt, extranei venerantur, & in eo tandem loco omnia latè gubernat, & juſtè decernit: Ita Deus rex regum, omnibus quidem rebus & locis ratione ſuæ immenſitatis eſt neceſſariò præſens: At in cœlo eſt tanquam in regia baſilica, in templo ſancto ſuo, ubi ab Angelis & animabus beatis Deus & princeps cognoſcitur, ut pater & ſponſus diligitur, ut
D. Bern Ser. 6. de Dedic. Eccleſ. Dominus puris obſequiis ac cultibus adoratur: *Licèt enim in illo loco ſit, qui nullo clauditur loco, ſignanter tamen dicimus:* Pater noſter qui es in cœlis; *quòd aliter illic, & proprio quodammodo præſentem ſe exhibeat, non quidem ipſe diverſus, ſed diverſe diſtinguens.* Idcirco poſtquam Regius Vates congratulatus eſt
Pſ. 96. Angelis, quòd Deum majeſtatis venerantur: *Adorate eum omnes Angeli ejus:* eis potiſſimùm blanditur, quòd eum adorent in curia cœleſti: *Adorate Dominum*
Pſ. 95. *in atrio ſancto ejus.*

Ter lib adv Valent. 2. 2. Quantumvis *tota in aditis divinitas*, cujus exſtentiam & præſen-

tiam

tiam, ſua teſtantur opera; attamen quædam ſibi elegit loca, ad ſuam majeſtatem manifeſtandam, quæ *nuſquam magis quàm in ſacrario ſuo exhiberetur.* Tert. Apol. 16.
Sic in Tabernaculo ſpecialiter fuit præſens, ut ipſemet teſtatur Deus: *Ponam Tabernaculum meum in medio veſtri, & non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, vosque eritis populus meus.* Levit. 26. Quaſi dicat: In hoc tabernaculo præſens vobis adero, & illo per deſertum ambulante, vobiſcum & ego ambulabo: tantamque veſtri curam geram, ac ſi inter vos corporaliter undequaque ambularem, ut nullus vos impugnandi detur hoſtibus locus, cùm circumquaque vos protegens inambulem. Tabernaculum fœderis erat domus Dei, & quoddam quaſi templum mobile, in quo habitans Deus ambulabat cum Hebræis per deſertum in terram promiſſam. Erat autem ſanctum, quia per illud ibatur in ſanctum ſanctorum. Ad quod alludere videdetur Regius Vates: *Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei, regis mei, qui eſt in ſancto.* Pſ. 67.

Chriſtus *cùm in templum introit, ædem patris appellat,* quia in illo ſpecialiter inhabitabat Deus. Ter lib adv Prax. 21. Quod ipſemet declarat Salomoni, qui tanta magnificentia illud ædificaverat: *Sanctificavi domum hanc, quam ædificaſti, ut ponerem nomen meum ibi in ſempiternum.* L 3 Reg 9. Ac ſi diceret: Hanc domum quam mihi ædificaſti, elegi pro habitaculo meo, ibique ſanctum meum volo inhabitare nomen. Itaque *Dominus in templo ſancto ſuo*: Vatablus legit, *In ſacro ſancta regia ſua.* Pſal. 104. Ibi curia & regale palatium, ibi locus habitationis ejus: ſeu, ut fatur Regius Vates, *Locus habitationis gloriæ ſuæ*; ubi mirabilius & manifeſtius gloriam ſuam manifeſtat, ſive in nube aurea, luce clariſſima, quod in Moyſis olim tabernaculo; ſive in templo Salomonis; medio igne divinam præſentiam repræſentante, & hoſtias conſumente; ſive in propitiatorio, unde oracula divinitùs reddita accepimus; ſive in Chriſtianorum Eccleſia, in qua Deus tanquam in ſacrario reſidet. Pſal 25.

3. Tertullianus *domum Dei Eccleſiam* vocitat, Apoſtolum imitatus ad Timotheum ſic ſcribentem: *Hæc tibi ſcribo, ut ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei converſari.* L. de Pud 8. 1. Timoth. 3. Si tabernaculum & templum Judæorum fuerunt domus Dei, quantò magis Eccleſia? quod enim convenit umbræ & figuræ, denegari non debet realitati & veritati. *Cùm totus mundus Dei ſit, Eccleſia tamen domus ejus dicitur*: D Amb in 1. Timoth 3. & ut fatur aliorſum Mediolanenſis Antiſtes, *ſanctitatis domicilium, & ſacrarium Trinitatis.* Lib 3 Exam c. 1. Inde D. Chryſoſtomus omnes hortatur fideles, ut reverenter & ſanctè ſe gerant in Eccleſia, cogitantes ſe verſari non in aula regis, ſed in domo Dei, in qua præſens ejus majeſtas adoratur.

II. PARS.

Chriſtus *fidem hominis exigebat, ut Dei omnipotentis & conſpectum & auditum ſub tectis & in abditis etiam adeſſe conſideret: & modeſtiam fidei deſiderabat, ut quem ubique audire & videre ſideret, ei religionem ſuam offerret.* Tert. lib. de Orat. 2. Quod ipſi Gentiles ſolo rationis lumine ducti, non ignoraverunt. Quare Mitilenus Pittacus, unus è ſeptem Græci Sapientibus, *Divinum Numen ante omnia venerandum eſſe* dicebat; aſſeverans id eſſe

 præci-

[Tert lib de Reſ. 9.] præcipuum hominis munus, quem ideo ipſemet Deus *religionis ſuæ ſacerdotem* nuncupat. [L. 2. de Eccl.] Et quia, ut fatur Salvianus, *aſſumptio religioſi nominis, ſponſio eſt devotionis.* Chriſtiani *veræ religionis homines*, ut loquitur Tertullianus, ſunt [Apolog. 34.] præſertim Dei cultores. *Nihil ſumus aliud Chriſtiani, niſi magiſtro Chriſto, ſummi regis ac principis veneratores.* Et licèt Deus ubique ſit colendus & venerandus; attamen in Templo & Eccleſia, quæ eſt ejus domus, ſpecialiter [Tert. lib de Bapt 18.] vult venerari. Quod ſuo exemplo docet Candacis reginæ eunuchus, *ad templum orandi gratia profectus*; imò ipſemet Chriſtus ſanatum à lepra Samaritanum [Ter. l 4 adv Marc. 9.] mittens ad templum: *Significabat hominem quondam peccatorem, verbo mox Dei emaculatum offerre debere munus Deo apud templum, orationem ſcilicet & gratiarum actionem apud Eccleſiam*, quæ eſt domus Dei, in qua præſens ejus majeſtas humiliter 1. adoratur: 2. laudatur: 3. formidatur.

1. Inter propria orationis officia, *Venerationem Dei* recenſet Tertullianus: [L. de Orat. 1] Arnobius plus audet, & ea quæ ad cultum ſupremi numinis pertinent, [Arnob l. 1. cont. Gent.] *prima & præcipua* exiſtimat, vultque Dei adorationem eſſe velut finem omnium rerum, quæ fiunt in Chriſtianiſmo. *Hic propoſitus terminus divinorum officiorum, hic finis*: cuncta namque religionis officia huc ſpectant, ut ſuprema Dei majeſtas omni demiſſione veneretur. Et quia in tribus perſonis [Orat 32.] ſubſiſtit, Chriſtianos vocitat Gregorius Nazianzenus *Trinitatis adoratores*, quia Deum unum in tribus perſonis adorant in Eccleſia. De qua vaticinans [Iſa. 2.] Iſaias Propheta, ait: (Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & venient ad eum omnes Gentes.) Ubi Oleaſter: Venient, *non ut picturas, aut cælaturas ibi videant, aut ornatos aulæis parietes, ſed ad Dominum colendum. Unde non dixit Textus, Fluent ad eam, ſed ad eum omnes Gentes.* Non dicit Propheta, quòd Gentes properaturæ ſint ad domum Dei, ſcilicet ut videantur picturæ, ſculpturæ, marmora, ornamenta, [Tert. lib de Pall. 5.] ſed ad Deum in ſua domo præſentem colendum & adorandum. *Dominum conſequar; videbo quid ſtatim à limine properes*, an ad curioſè inſpicienda templi pretioſa quæque ac magnifica, an ad Deum humiliter adorandum: [S. Nilus Paræn. 1.] Si ad Deum colendum, *Eccleſiam non ſecus ac cœlum frequenta, nihilque in ea aut loquere, aut age, quod terram ſapiat.* Si mente ad inſtar Pauli nobis ad cœlum aſcendere liceret, & conſpicere cultum, quem Deo reddunt cœlicolæ, quantam videremus venerationem! Chriſtiane, eadem humilitate, qua in cœlo Sancti Deum adorant, tu eum venerare in Eccleſia, quæ eſt quaſi [D Bernardin to 1 Ser. 20 a 1 cap 7.] *parvulus paradiſus*; & ut fatur Paulinus, *beata cœleſtium præparatio manſionum.* [Ep 12.] Imitare reverentiam, quam exhibent Angeli Chriſto in Euchariſtia ſecundùm Divinitatem & humanitatem præſenti: [D Amb l. 1 in Luc.] *Non dubites aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus aſſiſtit, quando Chriſtus immolatur.* Neque duntaxat tempore conſecrationis, ſed poſt conſecrationem aſſiſtunt Angeli. [D. Chryſoſt Hom 1 de verb. Iſa.] *Non cogitas, quòd Angeli huic ſtupendæ aſſiſtunt menſæ, cumque reverentia hanc circumvallant?* Quomodo autem ante Chriſtum ſe habeant Angeli, declarat [Orat. de Occurſu.] Gregorius Nyſſenus; *Humilium more [illegible]rum, cervicem flectentes.* D. Bernardus

nardus ddolet quoſdam in Eccleſia ſomnum capere coram Angelis adſtantibus, *nec cœli cives revereri.* Tertullianus redarguit eos, qui erga *Angelum orationis* irreverentes ſunt. Quantum à fortiori increpandi ſunt, qui debitam Deo non reddunt venerationem in Eccleſia, in qua adoratur & deprecatur? Serm 7 in Cant L. de Orat. 11.

2. *Religio orationis* expoſtulat, ut in Eccleſia non tractentur negotia ſæcularia, ineantur confabulationes & vana colloquia, ſed Deum oratione veneremur, cum eo humiliter loquamur, ei indigentias noſtras manifeſtemus, & ab ejus bonitate poſtulemus, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria. Et ob hanc cauſam nuncupatur à Chriſto domus orationis. *Domus mea domus orationis vocabitur*; ut intelligamus, ad quem finem debeamus ire in Eccleſiam, & cui negotio nobis in ea incumbere liceat: Poterat eam alio honoris titulo inſignitam, ſibique conſecratam Eccleſiam declarare; poterat eam vocitare domum fidei, ſpei & charitatis, ſed domum orationis duntaxat appellavit, ad demonſtrandum, Eccleſiam eſſe locum non fabulandi, non ſæcularia negotia tractandi, non laſciviæ ſermones miſcendi, ſed Deum venerandi, Deum orandi, Deum laudandi, Dei magnalia mente & corpore decantandi; adinſtar Regii Vatis, qui p è Deum adoraturus, attendebat ad venerationem ab Angelis Deo redditam, ut quam illi præſtant in cœlo reverentiam, ſimilem ipſe exhiberet in templo. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Tert. lib de Orat. 9. Matth 21. Pſal. 137.

Dei laus, inter actus religionis non minorem tenet dignitatis gradum: Ad Deum laudandum Propheta cunctas invitans creaturas, incipit ab Angelis: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum omnes Angeli ejus.* Perfecti Chriſtiani Angelorum æmulantes cultum, Dei decantant laudes: *Laus ejus in Eccleſia Sanctorum.* Ad quod nos hortatur Tertullianus, qui poſtquam oſtendit Angelos divinis laudibus occupatos: *Illa Angelorum circunſtantia non ceſſant dicere Sanctus, Sanctus, Sanctus*; mox prodit Chriſtianos Angelorum velut candidatos, divinis laudibus intentos. *Proinde igitur & nos Angelorum ſi meminerimus candidati jam hinc cœleſtem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis ediſcimus.* D. Bernardus Angelos *cœli cantores* vocat, quos hominibus divinas laudes decantantibus intereſſe Petrus Bleſenſis aſſeverat: quòd *Angeli pſalmodiæ libenter interſunt ſi ordinata ſit, & ex devotione procedat*: Idcirco fratres, cùm ſtatis ad orandum vel pſallendum, *ſtate cum reverentia & devotione.* Oratio devotè & reverenter facta, eſt ſacrificium laudis, quod Deus velut ſibi honorificum deſiderat, Sacrificium laudis honorificabit me. Ejuſmodi ſacrificium quivis offerre poteſt, etſi non ſit ſacerdotali charactere inſignitus. *Sacrifica Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.* Hoſtiæ hujus ſacrificii non ſunt pecora, ſed vituli labiorum noſtrorum ferventes ſcilicet orationes. Hanc hoſtiam Deo immolat probus Chriſtianus, ſic loquens apud Tertullianum: *Ei offeram opimam hoſtiam, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu ſan-* Pſal. 148. Pſal. 149. L. de Orat. 3 Serm. 7 in Cant. Epiſt. 78. D. Bern. ib. Ter. lib. adv Jud 5. Apolog. 30.

ctoprofectam. Innocua illa victima potiſſimùm immolanda eſt in Eccleſia,
In Pſal.28. juxta iſtud Davidicum: *Adorate Dominum in aula ſancta ejus.* Ex Magno autem Baſilio multi ſunt, qui ſpeciem habitumque orantium præ ſe ferunt, nec tamen in aula ſunt, propter mentis evagationem & diſtractionem, quæ fit per
In Pſal. 54. inanes curas. Horum orationes *deſpicabiles, & Dei dignatione non dignas* ap-
Aul. Gell. pellat D. Hilarius. (Stare ſolitus Socrates dicitur pertinaci ſtudio perdius atque pernox, à ſummo lucis ortu, ad Solem aliorum orientem, inconcuſſus, immobilis iiſdem in veſtigiis, & ore atque oculis eundem in locum directis cogitabundus, tanquam quodam ſeceſſu mentis atque animi facto à corpore.) Socrates Gentilis, non Chriſtianus, in ſtudio ſuo, non in oratione; in domo ſua, non in Eccleſia; inter muros & parietes, non in conſpectu & præſentia Dei; ſpeculando, non orando: animo exiſtens adeo compoſito, recollecto, & intento, pudorem & confuſionem ingenerare debet Chriſtiano voluntariè diſtracto in oratione, in Eccleſia, ubi præſens Dei majeſtas adoratur, laudatur, & formidatur.

Tert lib de Pœn 7. 3. *Timor Domini, Dei honor eſt*: qui enim Deum honore proſequitur, ejus agnoſcit magnificentiam, auguſtiſſimam majeſtatem metuit, eique reverenter cervicem ſubmittit. *Dominum ſimul cognoveris, timeas: ſimul inſpe-*
Tert. lib. de Pœn. 6. *xeris, reverearis.* Timor ille, quo Deus honoratur, dicitur filialis, caſtus, ſanctus, reverentialis. *Filialis* quidem, quia eſt affectus bonorum filiorum proprius, qui timent offendere Deum, parentem optimum, omni honore digniſ-
Caſſian col lat 11 c 13. ſimum. *Caſtus* etiam, quia *quemadmodum conjugem conjux ſollicitè reveretur affectu, dum ejus non verbera, neque convitia, ſed vel tenuem amoris formidat offenſam: atque in omnibus non ſolùm actibus, verùm etiam verbis attonita ſemper pietate diſtenditur*; eodem modo verus Dei amator timet non ſupplicia, ſed divinam tantillum offendere benevolentiam. Deinde, ut loquitur Propheta,
Pſal. 18 *Timor Domini ſanctus.* In Græco habetur *caſtus, purus.* D. verò Hieronymus
Luc. 2. legit *mundus*; ſcilicet à peccato: ideoque in Evangelio Simeon *juſtus & timoratus* prædicatur: timida namque reverentia probi ac verecundi indicium eſt animi, qui Deum ut amabiliſſimum Dominum, gloriæ regem, ſupremum numen infinita majeſtate coruſcans, reveretur & honorat. Ex hac autem reverentia oritur timor ſanctus, admiratione & dimiſſione pleniſſimus.

Imò interdum timor ſumitur in ſacris paginis pro adoratione & reve-
Deuter 6. rentia Deo reddita; ſic in Deuteronomio, ubi legimus, *Deum tuum adorabis*: In Hebræo habetur *timebis*; hoc eſt revereberis: Sic ubi dicitur, *Num-*
Iob 1 *quid Iob fruſtra timet Deum?* in Græco habetur, *colit Deum.* Reverentialem illum timorem in Angelis recognoſcit Chryſologus: *Ante terrorem majeſtatis*
Serm. 6 *supernæ, Archangeli tremunt, pavent Angeli, Poteſtates metuunt, in faciem cœli*
D Th 1.2 q 67 a 4. ad 2 *proruunt ſeniores.* Timor filialis ſeu reverentialis duo importat: Unum, revereri Deum: aliud, ſeparationem ab eo timere. Iſtud non eſt in beatis Angelis; illud verò in æternum permanebit. *Eſt enim timor, quem foràs mittit*
D Bern: Ser 59. in Cant. *charitas; & eſt timor, quem mittit veritas; & eſt timor, quem intromittit charitas,*

tas, *& veritas. Primus cautus, ſecundus caſtus, ſed non permanens in ſæculum ſæculi; tertius & caſtus, & permanens*, & hic reperitur in cœlo. Nam & in ſuperno palatio glorioſi reges deponunt coronas ante majeſtatem ſupremi Numinis, & cœleſtes ſpiritus contremiſcunt & pavent ad nutum ejus] *Timor hic non perturbat, ſed confirmat*, quia nullus Beatorum *timet formidine criminis, ſed rubore puritatis, & firmitate virtutis*, qua ſupremum Dei agnoſcit dominium, infinitamque ejus veneratur majeſtatem. *Quis te non timebit, ô Rex gentium? Tuum eſt enim decus.* Dei decus eſt ſuprema ejus authoritas, infinita poteſtas, ſumma deitas, quæ *tanta eſt majeſtatis ſacræ, & tam tremendæ reverenti*, ut ea etiam, quæ pro religione dicimus, *cum grandi metu, & diſciplina dicere debeamus.* Apoc 15. Iob 26 D. Auguſt. Tract 43. in Ioan Ierem. 10 Salv. l 2. de Gubern.

Angelorum timor & reverentia nos ad Deum timendum & reverendum ſtimulat. Quod præfiguratum vult Cajetanus per ſcalam, quam in ſomnis vidit Jacob, qui evigilans, exclamavit: *Quàm terribilis eſt locus iſte! Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli.* Quemadmodum cùm primùm venimus in conſpectum & præſentiam maximi alicujus Regis, vehementer timemus, ne quid in nobis ſibi diſplicens videat. Sic Jacob timuit conſiderando ſeipſum cum reſpectu ad præſentiam Dei, & frequentiam Angelorum, metuens ne ſua ſibi peccata & defectus imputarentur. (Notandum quòd Jacob non ipſum Dominum, ſed locum expaveſcit, ac terribilem eſſe dicit. Sed quidnam terroris & pavoris per ſe locus ille poterat habere? An quia Dominum in eo loco viderat in quiete? Nempe & in aliis locis tam ipſi quâm patri, & avo ejus, idem Deus apparuerat. Ergo non dubium, quin hoc per ſpiritum propheticum præviderit, quidnam illo ſomnio ſignificaretur, & auguſtiorem alium ſanctioremque locum, cujus ille erat figura, pertimuerit. Talis autem locus Eccleſia Dei eſt, & in ea terribilia Dei opera patranda.) Viſionem Jacob elucidans D. Bernardus, in ea quatuor diſcriminat: 1. Dormiens Jacob vidit deſcendentes Angelos & aſcendentes. *Parum hoc eſt.* 2. *Etiam Dominum Angelorum adeſſe teſtatus eſt dicens:* Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. 3. Quia *tantus Patriarcha neſcire poterat, quòd non eſſet locus, ubi non eſſet Deus: ſed forte aliud eſſe miratus eſt, ubi ait:* Verè Dominus eſt in loco iſto. *Ibi verè eſt, & verè Dominus eſt, ubi in ejus nomine Angeli ſimul & homines congregantur.* Nimirum in Eccleſia, ad quam mentis oculos dirigens Jacob, 4. ſacro timore corripitur: *Miratur enim gratiam, & dignationis magnitudinem expaveſcit. Quàm terribilior eſt locus iſte, quàm evidentius certiusque Dominus eſt in loco iſto! ubi nimirum non modò duo aut tres, ſed tam multi in ipſius congregati nomine perſeverant.* Inde ad Dei venerationem, & timorem ex loci ſanctitate, & divinæ majeſtatis præſentia Chriſtianos inducere molitur. *Terribilis planè locus, & dignus omni reverentia, quem fideles viri inhabitant: quem Angeli ſancti frequentant; quem ſua quoque præſentia Dominus ipſe dignatur*, qui quantumvis ſit honore, & ſumma veneratione dignus, inſolenter tamen à multis Chriſtianis aſpernatur. Geneſ. 28 Rup l 7. in Gen. 28 Serm 6 de Ded Eccl.

Tertul-

Tertullianus poſtquam fusè retulit plura deorum facinora, diis ipſis quos colebant Romani contumelioſa, ſic concludit: *Singula iſta, ſi honorem inquietant divinitatis, ſi majeſtatu faſtigia aſſolant, de contemptu utique cenſentur, tam eorum qui ejuſmodi factitant, quàm eorum quibus factitant.* Si attentè conſideremus actiones, quas plures Chriſtiani faciunt in Eccleſia, de contemptu utique cenſebuntur tam eorum qui talia agunt, qui ſe oſtendunt impios: quàm Dei, cujus deſpiciunt 1. majeſtatem, quam colunt: 2. præſentiam, quam credunt: 3. perſpicaciam, quam omnia conſpicere certò cognoſcunt.

III. PARS. Apolog 14

Tert lib de Idol.

1. *Omnia colit humanus error, præter ipſum omnium Conditorem.* Philoſophorum gymnaſia, magnatum convivia, regum palatia, ipſaque idola, magno proſequuntur honore; ſoli vero Deo reverentia denegatur. Ælianus refert, olim graviſſimè fuiſſe prohibitum, ne quis in Academia riſum ederet, quòd is locus non ad jocos, & facetorum hominum ineptias, ſed ad decus & animi gravitatem eſſet comparatus. In conviviis olim Dominorum, *infœlicibus ſervis movere labia, ne in hoc quidem ut loquantur licet; virga omne murmur compeſcitur; & ne fortuita quidem excepta ſint, tuſſis, ſternutamentum, ſingultus, magno malo ulla voce interpellatum ſilentium luitur.* Turcæ, homines cæterùm efferi, coram Imperatore ſuo velut ſtatuæ conſiſtunt, nec quiſquam audet ſocio, vel oſculo annuere, vel verbum in aurem inſuſurrare. *In conſpectu ſemper Imperatoris vel ſubridere valde periculoſum eſt aliis, quàm valde familiaribus.* Ethnici omnem idolis ſuis venerationem exhibere ſolebant. Suevi vetuſtiſſimis temporibus nullum habentes fanum, ſed lucum tantùm religione conſecratum, ubi verſari numen opinabantur, præ reverentia nemo illuc ingrediebatur, *niſi vinculo ligatus; ut vim & poteſtatem numinis præ ſe ferens.* Diocletianus & Maximinianus crudeliſſimi chriſtianæ religionis perſecutores, & acerrimi idololatriæ propugnatores, laudantur à Claudio Mamertino de magnificentia in templis ornandis, & de veneratione erga deos. *Primum omnium, quanta veſtra eſt erga Deos pietas, quos aris, ſimulacris, templis, donariis, veſtris denique nominibus adſcriptis, adjunctis imaginibus ornaſtis, ſanctioreſque feciſtis exemplo veſtræ venerationis?* Soli Chriſtiani de irreverentia & contemptu culpantur; minus venerantes verum Deum, quàm Gentiles idola. Olim in Academia nefas erat ridere, & ipſi inſolenter in Eccleſia jocantur, quamvis *in Eccleſia jocari* inter mores impios hominis impudentis ponat Sidonius Apollinaris. Turcæ coram Sultano loqui non audent, & ipſi ante Dei majeſtatem immodeſti & inverecundi ſunt: *Stat ſacerdos Deo orationem offerens cunctorum: tu autem ridens, nihil timens, non contremiſcis, non colligis teipſum.* Gentiles falſa numina in ſuis fanis venerabantur, & ipſi Deum in ſuo templo contemnunt. *Templum ejus ſicut homo ignobilis:* Deus velut homo ignobilis, nihil æſtimatur, & in Eccleſia contemnitur.

Senec. ep. 47.

Philo Iud.

Tacit. de mor Germ.

L. 1. Epiſt 1.

D. Chryſoſt Hom 15 in Ep ad Heb.

L. 1. Machab 2.

Duplici de cauſa Romanos adhuc in idololatria verſantes, irreligioſos proclamat Tertullianus; 1. quia majorem Imperatoribus quàm diis defe-

deferebant honorem. *Adeò & in iſto irreligioſi erga deos veſtros deprehendimi-* Apolog: 28.
ni, cum plus timoris humano dominio dicatis. 2. Quia deos quos credebant,
& colere profitebantur, contemnebant. *Quo magis oneramini, credentes,* Lib: 1. ad Nat: 10.
& contemnentes; colentes, & deſpuentes; honorantes, & laceſſentes, Annon
potiori jure Chriſtiani de irreligioſitate erga verum Deum accuſari poſſunt?
quam 1. minus reverentur quam regem. Quod Romanis objicit Tertul-
lianus: *Siquidem majori formidine, & callidiori timiditate Cæſarem obſerva-* Apolog: 28.
tis, quam ipſum de olimpio Iovem. 2. Quia Deum, quem colere dicunt, aſper-
nantur. Quod ſi Gentiles inexcuſabiles pronuntiantur, quod verò Deo,
quem ex ſuis operibus debuerant cognoſcere ſupremum non exhibuerint cul-
tum: *Cùm etiam ignorantes Dominum; nulla exceptio tueatur à pœna: quia* Tert. lib de
Deum in aperto conſtitutum, & vel ex ipſis cæleſtibus bonis comprehenſibilem, igno- Pœn: 5.
rari non licet: quanto minus excuſari poſſunt inſolentes Chriſtiani, qui Dei
majeſtatem ratione & fide cognoſcentes non honorant; ſed contemnunt?
Quanto cognitum deſpici periculoſum eſt: deſpiciunt autem Dei majeſtatem
quam cognoſcunt, & præſentiam, quam credunt.

2. Dei majeſtas ubique eſt veneranda, præſertim in Eccleſia. *Et hoc reſpe-* Tert: Apol: 25.
ctu præſentaneæ poteſtatis, quia ibi ſpecialiter creditur præſens ſupremi Numi-
nis præſentia. Egregiam animi devotionem, ſingularem modeſtiam, & humi-
lem exigit reverentiam: *Certè munus eſt videre principem.* Quantum eſt be- Lib: 10.
neficium Chriſtianis collatum, qui in Eccleſiis Deum habent præſentem, & Ep: 18.
cum illo familiaria poſſunt inire colloquia! Singularis illa divinæ majeſtatis
præſentia, illos à peccato & ab irreverentia dimovere debet. Hac conſidera-
tione Joſephus blanditias laſcivientis dominæ rejecit, & caſtitatem illibatam
conſervavit. *Quomodo poſſum malum hoc facere, & peccare in Dominum meum?* Gen: 39.
Septuaginta vertunt: *Quomodo poſſum peccare coram Deo?* Qua ratione tam
fœdum ſcelus audebo committere in præſentia Dei? David poſt patratum
facinus fatetur temeritatem ſuam peccaſſe coram Deo: *Malum coram te feci.*
Quaſi dicat: *Non erubui ante te peccare.* Quia, ut animadvertit Chryſolo- Pſ. 50.
gus, *ſentit quantum ſit ſceleris, mali quantum, in ipſo Dei peccare conſpectu, &* Gloſſ
ideò clamat; Tibi ſoli peccavi & malum coram te feci, Tantum eſt facinus Serm. 2.
coram Deo peccare, ut de peccatoris impudentia ſtupefactus Jeremias illum
ſic alloquatur: *Feciſti mala, & potuiſti.* Quaſi impoſſibile ducat hominem Jerem: 3.
qui ſibi Deum præſentem conſiderat, poſſe peccare.

En tamen eſt peccatoris inſolentia, qui in domo Dei, & coram Deo im-
pudenter peccat. Dum ſubditi à rege deficiunt, ad longinquas provincias
ſe recipiunt: neque aulam regiam aggrediuntur, neque ſcelus ante regis
oculos perpetrant: at peccator multo inſolentior Deum in ſuo palatio offen-
dit, & in ejus præſentia ſcelera adeò audacter committit, *Tantum non præ-*
ſenti & aſpectante Deo fieri videntur. Nihil ita concitavit Aſſuerum regem Cyrill:
erga Aman, quam quod ſupra lectum reginæ lapſus ſit: *Etiam in domo mea,* Alex: in Amo. n 19.
me præſente, vult opprimere reginam? En peccatoris ſpecimen qui in Dei Eſther: 7.

domo, Deo præſente, Deum offendere non formidat, ſed ejus majeſtatem deſpiciens, adhuc ejus perſpicaciam contemnit.

Tert. lib. de Orat: 1. 3. Cuncta *Deum proſpicere certi ſumus.* Ejus namque ſcientia adæquat ſuæ naturæ perfectionem, utraque eſt infinita. Natura divina eſt ubique: ſcientia quoque divina cuncta quæ ſunt in quavis mundi parte, perſpicuè cognoſcit. Quod ex prodigo & Davide comprobat Chryſologus. Prodigus

Serm: 2. peregrè profectus eſt, & in regionem longinquam fugit: *ſed accuſatores ſuos, ſed teſtes ſuos, divini Patris oculos non refugit. Hoc David clarius aperuit, ſic di-*

Pſal: 138. *cendo*: Quo ibo à ſpiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Si aſcendero in cœlum tu illic es: ſi dicendero in infernum, ades: ſi ſumpſero pennas meas diluculo & habitavero in extremis maris. Etenim illuc deducet me manus tua, & tenebit me dextera tua. *Videt iſte per totum mundum nuda Dei oculis delicta conſiſtere: non cœlum, non terram, non maria, non abyſſum, non ipſam noctem, Deo velare poſſe peccata.* Cuncta loca ſpectat Deus, at oculos ſuos specialiter dirigit ad templum & ad habitantes in eo, ut ipſemet Salomoni teſtatur:

Lib: 3. Reg: 7. *Sanctificavi domum hanc, quam ædificaſti, ut ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Suos dicit oculos habere in templo, in Eccleſia, attenteque conſiderat cunctorum actiones, ſermones, cogitationes, motus, geſtus, modeſtiam, immodeſtiam, devo-

Tert: lib: de An: 9. tionem, irreverentiam. *Videt & audit Sacramenta*, ſacrilegia, pietatem & impietatem. Annon illa Dei perſpicacia deſiderat, ut ea quæ fiunt in templis,

Tert: lib: 2. ad Uxor: 3. *tanquam ſub oculis Dei modeſtè & moderatè tranſigantur?* Inſolens tamen peccator Dei oculos non veretur, ejus ſcientiam & perſpicaciam contemnit, quo nihil horribilius. Quod Turcæ, Arabes aut Scithæ, Dei conſpectum in Eccleſiis non revereantur, mirum non eſt; quia Deum ibi præſentem non exiſtimant. Quod autem Chriſtiani qui ibi Deum præſentem, & ſpeculantem certo ſciunt; abſque formidine eum offendant, eſt horribile dictu, & æternis gehennæ incendiis lugendum.

Meretricem refert Gregorius Nazianzenus, quæ à laſcivo quodam adoleſcente vocata, & in ſuas ædes adducta laſciviendi cauſa, cum in ingreſſu cubiculi, in imaginem Polemonis Philoſophi ſapientiſſimi injeciſſet oculos, ſtetit attonita, neque ulterius progredi voluit; ſed feſtinanter egreſſa, depravatos mutavit mores Proh dolor! conſpecta Polemonis imago me-

Tert Apol. 47. retricem à ſcelere revocat, & ad pœnitentiam inducit: *& nos qui ſub Deo omnium ſpeculatore diſpungimur*, non veremur ejus majeſtatem, præſentiam, perſpicaciam, ſed abſque ullo timore, ulla reverentia, in templo vitiis laxamus habenas.

Apocal. 11. Demandatum eſt Joanni Evangeliſtæ: *Surge, metire templum Dei, & altare, & habitantes in eo*; & examina & ſcrutare, num habeant modeſtiam, reverentiam, devotionem, ſanctitati loci conformem, divinæ majeſtati con-

Hom: 1 de Verb: Iſai. venientem. Imò ut vult D. Chryſoſtomus ipſemet Deus, *uniuſcujuſque motum metitur*, ſcrutatur interius, exterius, animam, corpus, & ſecundum

ſuam

ſuam menſuram aut præmiat, aut condemnat. Quos invenit reverentes & religioſos, æterna beatitudine dignos judicat, irreverentes verò & irreligioſos ad inferni ſupplicia deſtinat. Olim in electionibus Chriſtianorum *judicabatur cum magno pondere, ut apud certos de Dei conſpectu*. Fratres, ſtemus in Eccleſiis cum magno pondere, cum magna gravitate, magna veneratione: tanquam certi de Dei majeſtate, de Dei præſentia, de Dei conſpectu, qui nos metitur: Fugiamus immodeſtiam, irreverentiam, impietatem, quæ metitur menſura reprobationis, ſectemur modeſtiam, reverentiam, pietatem, quæ metitur menſura gloriæ & beatitudinis.

Tert. Apol. 19.

CONCIO QUARTA.

OB connexionem templi cum ſacrificio, templum ſacrificio commendandum duximus. *Sacrificii titulus* denotat oblationem externam factam ſoli Deo, qua ad teſtandam ſupremam ejus majeſtatem & humanam dependentiam, à legitimo miniſtro res aliqua ſenſibilis & permanens, ritu myſtico conſecratur & tranſmutatur. Prætermiſſis autem ſacrificiis, tum legis Naturæ, tum legis Moſaycæ, *Chriſtus eſt verum Dei templum*; illum adhuc nuncupat Tertullianus, *Catholicum patris ſacerdotem*. Subjungit alio ſum Tertullianus: *Hunc oportebat pro omnibus fieri ſacrificium*, id eſt hoſtiam in ſacrificio oblatam. Duplex autem ſacrificium obtulit Chriſtus: Cruentum unum, in quo *tanquam ovis ad victimam ductus eſt*, *& velut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum*. Incruentum aliud, in quo corpus & ſanguinem ſuum, ſub ſpeciebus panis & vini obtulit, ante ſuam paſſionem dum auguſtiſſimum inſtituit Altaris myſterium: quod eſt 1. demiſſe venerandum: 2. ſancte celebrandum: 3. devote audiendum.

Tert. lib: de Idol: 16.
Tert: lib: 1 adv Jud 13.
Lib 4 adv. Marc. 9.
L adv. Jud. 13.
Tert ibid.

De incruento altaris ſacrificio iſtud ipſemet Deus per os Malachiæ Prophetæ aſſeverat: *Ab ortu ſolis uſque ad occaſum, nomen meum glorificatum eſt in nationibus, & in omni loco ſacrificium nomini meo offertur, & ſacrificium mundum.* Nomen Dei glorificatum eſt ab ortu ſolis uſque ad occaſum, quia ubique annuntiatum & agnitum fuit; in omni loco ſacrificium illi offertur, quia nulla eſt natio apud quam non ſit alias oblatum, vel nunc offeratur, vel offerendum ſit ſacro-ſanctum Altaris ſacrificium: ideoque dicitur juge ſacrificium: quia ut refertur in jure Canonico, *ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſemetipſo, & tamen quotidie immolatur in Sacramento*. Tandem vocitatur mundum, ſeu ut fatur Magnus Baſilius, *magnificum & pretioſum ſacrificium*, excellens & præſtantiſſimum trina præſertim ratione: Scilicet ob 1. Dei, cui offertur majeſtatem: 2. Chriſti offerentis ſanctitatem: 3. hoſtiæ oblatæ dignitatem.

1. PARS.
Tert 1 3. a v. Marc. 22.
Canon. ſemel de Conſec. diſt. 2.
Epiſt: 17.

1. Majeſtas ſoli Deo propriè convenit: quo alludere videtur Tertullianus, dum Spiritum Sanctum nuncupat *tertium gradum majeſtatis*, quæ

L. adv. Prax. 10.

quæ eſt illi cum Patre & Filio communis. Cùm enim tres ſanctiſſimæ Trinitatis perſonæ, unam duntaxat habeant divinitatem, eadem polleant majeſtate. [L. de Trin. 30.] Nam ut fatur dubius Tertullianus, *eſt unus Deus, cujus majeſtati, quicquam, non dixerim præferri, ſed non comparari poteſt.* Unde dum principes & reges majeſtates nuncupantur, ejuſmodi elogium metaphoricè tantum & participativè eis convenit, quod ad Deum propriè & eſſentialiter pertinet, ſacrificio recognoſcitur, & honoratur. [Lib. 15. Civ. 7.] Ut enim ait D. Auguſtinus: *Rectè offertur ſacrificium cum offertur Deo vero, cui uni tantummodo ſacrificandum eſt.* Soli Deo oblatum Euchariſtiæ myſterium, à ſuprema illa majeſtate dignificatur, ſuamque adhuc mutuatur excellentiam ab offerentis ſanctitate.

[Tert: lib. adv. Jud. 6. Tert. lib. adv. Jud. 14. D. Chryſoſt: Hom. 83 in Matth.] 2. Chriſtus *novorum ſacrificiorum ſacerdos.* Licet enim multi ſacerdotes offerant auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium; attamen *verus ſummus ſacerdos Patris Chriſtus Ieſus*, per omnium ſacerdotum miniſterium ſemetipſum offert. *Non ſunt humanæ virtutis hæc opera. Qui tunc in illa cœna confecit, ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit, miniſtrorum nos ordinem tenemus.* Nos miniſtri ſummi illius Antiſtitis, primarii illius ſummi ſacerdotis. [D. Aug: in Pſal. 109. Greg. Nyſſ. Orat. in Bapt. Chr.] Sacerdotis autem fungitur officio, non inquantum Deus, ſed inquantum homo. Nam *ſecundum id quod natus eſt de Patre, Deus apud Deum coæternus gignenti, non ſacerdos: ſed ſacerdos propter carnem aſſumptam, propter victimam, quam pro nobis offerret à nobis aſſumptam.* Quod ſi miniſtri, ſi *ſacerdotis conſecratio illum reddit auguſtum & venerandum*, [Tert lib de Bapt. 7.] quanto magis conſecratio ſummi Pontificis, qui *Chriſtus dicitur à Chriſmate, quod eſt unctio*; reddit illum auguſtum & venerandum? Altaris ſacrificium venerandum efficitur ab auguſto illo & venerando Antiſtite, qui adhuc tanquam hoſtia oblata, admirabilem Euchariſtiæ largitur excellentiam.

[Tert lib. adv Jud. 14. D. Aug. in Pſal. 64.] 3. *Ipſe etiam effectus hoſtia.* Tam in cruento crucis ſacrificio, quam in incruento Altaris myſterio. Chriſtus eſt *ſacerdos & victima; oblator & oblatio.* [Lib. 20 cont Fauſt. 18.] Quemadmodum ſacrificia veteris legis ſacrificium novæ legis præfigurarunt; ita victimæ in illis oblatæ, fuere, ut ait D. Auguſtinus, *prophetia futuræ victimæ quam Chriſtus obtulit.* Quod confirmat Hugo Carenſis explicans [In Pſ 22. Prov. 9.] iſtud Sapientis: *Immolavit victimas ſuas*, id eſt, *ſeipſum: ſed pluraliter dicit victimas, quia hæc una victima Chriſtus, per multas hoſtias in lege figurata: illæ erant umbra, hæc fuit veritas illarum umbrarum*: quæ primo oblata fuit in cruce, cùm innocentiſſimus Agnus ad occiſionem ductus eſt; nunc verò in altaribus Eccleſiæ Catholicæ immolatur, [Seſſ 22 c. 1.] ut docet Tridentinum, declarans in Miſſa verè & propriè Deo offerri ſacrificium, in quo hoſtia oblata, eſt ipſemet Chriſtus, qui cum ſit ſupremo cultu adorandus, altaris myſterium efficit venerandum, & omni honore digniſſimum, non ſolum poſt conſecrationem, ſed etiam quandiu hoſtia conſecrata remanet in pixide. Euchariſtia eſt ſimul ſacrificium & Sacramentum. Ut ſacrificium, refertur ad Deum ejus majeſtatem honorat: ut Sacramentum, refertur ad homines, quibus augmentum gratiæ communicat. Chriſtus ut hoſtia

oblata conſumitur à ſacerdote in Miſſæ ſacrificio ; Chriſtus in ſacramento conſervatur: in quo Euchariſtiæ ſacramentum ab aliis ſacramentis diſcriminatur: Hæc enim nullum habent eſſe permanens, ſed duntaxat conſiſtunt in uſu: Euchariſtia vero habet eſſe permanens, Chriſtuſque tandiu eſt præſens in ſacramento, quandiu ſubſiſtunt ſpecies ſacramentales, & tam in uſu quam in ſuo eſſe permanens Euchariſtia, ob præſentiam Chriſti Dei & hominis, eſt ſupremo latriæ cultu adoranda. Quomodo D. Ambroſius intelligit iſtud Davidicum: Adorate ſcabellum pedum ejus. *Per ſcabellum terra intelligitur, per terram caro Chriſti, quæ hodie quoque in myſteriis adoratur, quam Apoſtoli in Ieſu adoraverunt.* Eadem caro Verbo divino hipoſtatice unita, quam viderunt Apoſtoli & adoraverunt; adoratur à fidelibus, accidentibus velata. Eodem modo ratiocinatur D. Auguſtinus: *Nemo carnem illam manducat, niſi prius adoraverit. Inventum eſt quomodo adoretur tale ſcabellum, & non ſolum non peccetur adorando, ſed peccetur non adorando.* Quam multi hac ætate peccant non adorando! tot ſcilicet, quot irreverenter ſe habent coram adorando Altaris myſterio. Pſal. 98. L. 3. de Spir. Sanct. c. 12. In Pſal. 98.

Chryſologus miratur cur Magi venientes de Arabia Chriſtum adoraturi ſciſcitantur: (Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum?) *Nam quid ab hominibus quærunt, qui per Deum noverant quod quærebant? Vt quid illis ad hoc humanæ demonſtrationis officium, quibus ad hoc cœli ſidera ſerviebant? quo illis lucerna templi, quibus cœli ſidus mirabile perlucebat?* Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum? Hoc non dicunt quaſi ignorantes præſepe in quo jacebat Chriſtus, ſed ut Judæis ſuam exprobrarent ingratitudinem & defectum adorationis. *Dicendo,* Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum? *non interrogant, ſed inſultant, quando ſcientes interrogant, neſcientes non ignorant, ſed negligentes arguunt, increpant deſides, malos produnt, contumaces verberant, ſervum Domino non occurriſſe cauſantur.* Quaſi dicant: Tot accepiſtis à Deo beneficia: Meſſias jam advenit, jacet in ſtabulo ; ubi eſt veſtra gratitudo, ubi reverentia illi debita? nemo ad eum videndum accurrit, nemo recognoſcit, nemo reveretur, nemo adorat, nemo ullum ei defert honorem: Si tempore quo offertur tremendum Altaris myſterium, infidelis aut Turca ingrederetur in Eccleſiam & conſpiceret quanta irreverentia plerique Chriſtiani aſſiſtunt Miſſæ; nonne poſſet dicere cum magis; Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum? Ubinam eſt ille Chriſtus? ſi illum verum eſſe Deum creditis, cur illum non ut Deum adoratis? veſtra irreverentia ſatis denotat vos illum credere, non verum, ſed fictitium Deum; cum illum velut regem theatri tractetis: *Numquid iſta theatrica ſunt?* Imo magis irreverenter ſe habent quam in theatro. In theatro enim ſilent in Eccleſia vero ſtrepunt, impediuntque ſacerdotem occupatum ad ſacrificium Altaris celebrandum. Matth. 2. Serm. 158. D. Chryſoſt. Hom 36. in 1. Cor.

Gentilium ſacrificia, triplici de cauſa erant immunda: Tum quia dæmonibus immolabantur; *Hæc enim dæmoniorum pabula ſunt*: Tum quia immundas offerebant victimas, quod illis exprobrat Tertullianus: II. PARS. Tert. lib ad Scap. 2.

Apolog 14. Tert Apol: 3C. Tert. l. 1. adv. Marc: 22 Tert lib. de Car: Chr: 15. *Enecta, & tabidoſa, & ſcabioſa quaque mactatis* : Tum quia eorum ſacerdotes erant ſceleratiſſimi, afferentes ad ſacrificia *poſt omnia inquinamenta, etiam conſcientiam ſpurcam* . Alteris è converſo ſacrificium vocitatur *mundum* : Tum quia offertur Deo, qui eſt eſſentialis puritas : Tum quia hoſtia oblata eſt puriſſima nempè Chriſtus; nam *quis verè ſanctus , quam Dei Filius* ? Tum quia ſacerdotes illud offerentes, fulgere debent 1. mentis puritate : 2. animæ ſanctitate : 3. carnis caſtitate.

Tert:lib de Exh Caſt. 11. 1. Frater ſacerdotali charactere inſignite, *aſcendet ſacrificium tuum libera fronte, & inter cateras voluntates bona mentis poſtulabis*, ſi illud cum puritate mentis, id eſt cum recta intentione obtuleris : Tum autem intentio tua erit pura & recta quando conformis erit fini ob quem inſtituta ſunt Sacramenta. Ob quadruplicem autem finem inſtituta fuerunt veteris Teſtamenti ſacrificia : nimirum ad divinam honorandam Majeſtatem, recognoſcendam liberalitatem, implorandam bonitatem, placandam juſtitiam & indignationem: &ob quatuor illos fines quadruplex erat ſacrificium, ſcilicet Latreuticum, Euchariſticum, Imperatorium, & Propitiatoriū. Quemadmodū autem radii uniuntur in ſole & lineæ in centro, ita cuncta Synagogæ ſacrificia continentur in Euchariſtia, quæ 1. eſt ſacrificium Latreuticum, ſeu Holocauſtum cedens in Dei honorem *gloria ſcilicet relatio* ; 2. Euchariſticum ſeu gratiarum actionis, Deum benedicens pro beneficiis acceptis : *In medio Eccleſia hymnum tibi dicam* : 3. Sacrificium Impetratorium, Deo offerens humilem deprecationem : *Sacrifica Deo ſacrificium laudis & redde Altiſſimo vota tua.* Tandem 4. Propitiatorium ſeu placationis, quod præfiguratum erat in lege Moyſis, ubi præceperat Deus *ut celebrarentur ſacrificia tam pro peccatis, quam pro animabus.* Heraclitus Gentilium ſacrificia *medicamenta* nuncupare ſolebat. Potiori jure dicitur à D. Ambroſio, *Euchariſtia medicina ſpiritualis, qua cum reverentia deguſtata purificat ſibi devotum.*

(Margin: Tert: l 3. adv: Marc: 22. Tert ibid. Tert lib adv Jud 5. Tert. ibid. Cœl: Rodig: l. 22. c 2.)

I.Conc.n. L. 3 myſter: Miſſ 5. Innocentius Tertius Pontifex maximus acutè animadvertit, quod ſacerdos ſacrificans ſæpè ſæpius dicit ; *Offerimus* ; quia eſt perſona publica, in nomine totius Eccleſiæ offerens, & præſertim eorum qui Miſſæ aſſiſtunt, ſuamque intentionem cum ſacerdotis intentione conjungunt : qui idcircò ait, *Pro quibus tibi offerimus , vel qui tibi offerunt* : quia cum ſacerdote offerentes, ſacerdotali quodammodo munere funguntur, ut vult Tertullianus Petri authoritate fultus : *Nonne & laici ſacerdotes ſumus ? Scriptum eſt , Regnum quoque nos , & ſacerdotes Deo & Patri ſuo fecit.* Veruntamen & ille qui verè eſt ſacerdos, & alius qui æquivocè duntaxat ſacerdos nuncupatur, ſacerdotis debet tenere diſciplinam, ut ritè ſacerdotis munere fungatur. *Igitur ſi habes jus ſacerdotis in temetipſo ubi neceſſe eſt, habeas oportet etiam diſciplinam ſacerdotis, ubi neceſſe ſit habere jus ſacerdotis.* Hæc autem ſacerdotalis diſciplina neceſſaria potiſſimum eſt in celebrando ſacro-ſanctæ Miſſæ ſacrificio, quod requirit ut ſacerdos fulgeat animi ſanctitate.

(Margin: L. de Exhort: Caſt: 7. Tert:)

2. De-

2. Debent eſſe *delictis omnibus expiati ſacerdotes Eccleſiæ.* Cuncti Chriſtiani ad ſanctitatem obligantur: Tum quia ſunt imagines Dei, cujus debent præ ſe ferre ſanctitatem: Tum quia in baptiſmate ſunt ad ſanctitatem velut initiati: Tum quia ſperant beatitudinem quæ nonniſi Sanctis promittitur. Verum ſanctitas ſpecialiter decet ſacerdotes. 1. Quia ſunt Dei ſancti miniſtri. Etenim ſi ex D. Thoma *decebat ut populus ille, ex quo Chriſtus naſciturus erat, quadam ſpeciali ſanctificatione polleret*; nonne decens eſt ut ſacerdotes ſpeciali fulgeant ſanctitate, *in quorum manibus, velut in utero Virginis, Filius Dei incarnatur?* 2. Quia ſacerdotes ſunt *Domini vicarii*: Adeo excellens eſt ſacerdotalis dignitas. *Hujus ordinis ſublimior honor eſt: hujuſmodi enim Chriſti vicarii ſunt.* Chriſtus autem ſummus Pontifex eſt *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* 3. Quia ad ſanctitatem initiati & conſecrati ſunt. Ut enim ait Clemens Alexandrinus, *Sanctus ſit initiatus.* Quanta autem debeat eſſe ſanctitas ſacerdotum, declarat Iſidorus Peluſiota, ajens: *Sacerdotes ſanctiores & puriores iis qui ad montes ſe contulerunt*; id eſt Monachis qui abdicatis mundi pompis & voluptatum blanditiis divinum quoddam amplectabuntur vitæ genus. Sacerdotes ob eximiam qua pollere debent ſanctitatem nuncupantur à D. Auguſtino *ſublimes Angeli Dei, quamvis adhuc in carne mortali.* 4. Quia ut ait Dionyſius Areopagita, *chariſſimi Deo ſunt, atque ejus numini religioſe conſecrati.* 5. Quia ſacris actionibus ſunt deputati; quos ut ait Ennodius *ad inſtar ſuperni dominatus vicarios ſuæ poteſtatis voluit eſſe mortalibus Deus*; quos ideo conſiderat S. Ignatius, *in Dei domo velut filios familias majores, divinorum bonorum œconomos, ſociosque Dei.* 6. Quia aliis debent præbere ſanctitas exempla: ideoque D. Ambroſius ſacerdotem vocat *ducem ſanctitatis.* Sacerdotes qui ſe non ſanctos demonſtrant, ſed peccatores, *falſos & erroneos ſacerdotes* appellat Zacharias Pontifex maximus. Eoſdem vocitat Gregorius Nazianzenus *ſpurios, nothos, & perperam adſcriptos ſacerdotes,* Illos dubius Chryſoſtomus ſacerdotes non re, ſed nomine tantum exiſtimat. *Multi ſacerdotes, pauci ſacerdotes: multi nomine, pauci re*; quia carent ſanctitate, ſine qua *inane nomen eſt ſacerdos.*

Tert lib. de Exh caſt. 7. — 1. 2. 90. 2. 4. — D. Au. Con 2, in Pſ 26. — D. Am in 1. Cor. 11. — D. Am in 1. ad Timot. 3 — Hebr. 7. — L. 2, Ep 284 — In Pſ. 103. — L. 1. de Eccl. Hier: c. 22. — In Vi. Epiph — Epi. ad Policap. — In 2. ad Timoth. c. 1. — Epiſt. ad Franc. — Orat. 21. — Hom. 83. in Matth. — Greg Naz. Orat. 1. — Pſal. 95.

Sacerdotes ubique & in cunctis debent eſſe ſanctitate fulgentes, ſed præſertim decet eos, *Sanctimonia in ſanctificatione ejus*: nimirum in templo quod eſt *Sanctuarium ſanctitatis*, ob ſpecialem Dei præſentiam, quia *Deus in loco ſancto ſuo*; ſeu ut legit Chaldæus, *in habitaculo domus majeſtatis ſancta ſua*: deinde dum ſacerdotale exercent munus, & pro populo deprecantur, vel ſacramenta adminiſtrant: *Omnes nos Deus ita vult diſpoſitos eſſe, ut ubique ſacramentis ejus obeundis, apti ſimus.* Sacerdotis crimínoſiſſimi preces, non pias animi Deo devoti obſecrationes, ſed *ſceleſtas maledictiones* nominandas, cenſet D. Dionyſius. Tandem dum in Altari ſacrificant, ſanctitas convenit præſertim ſacerdotibus. Qui vitiis contaminati ſcelerumque conſcii ad ſacra accedunt myſteria. *Dæmoniacis longe deteriores* cenſet D. Chryſoſtomus, quia

Ezech. 45. — Pſal. 67. — Tert. lib. de Exh. Caſt 7 — Epiſt. 8.

puras

Hom. 83. in Matth. D. Cyp. l. de Cœn. Dom.

puras ſinceraſque mentes, ſanctum quærit convivium, & Chriſtus qui eſt Filius Virginis debet offerri à ſacerdote Caſto, qui fulgeat puritate carnis.

Tert. l. 2. de Cult. Fœ. 1. Tert. Præd. to 2. Tract. de Caſt.

3. *Pudicitia inducenda & exigenda ſufficiunt inſtantia ubique divina præcepta.* De pudicitia aliorſum fuſe tractavimus, quam cunctis Chriſtianis neceſſariam demonſtravimus. *Nam cum omnes templum Dei ſimus, illato in nos & conſecrato Spiritu ſancto, ejus templi æditua & antiſtita pudicitia eſt, quæ nihil immundum nec profanum inferri ſinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam ſedem offenſus derelinquat.* Ultra hanc obligationem ſervandæ caſtitatis omnibus Chriſtianis communem, ſacerdotes ſunt ſpecialiter pudicitiæ addicti. 1.

Can. 3.

Quia in ſacra inauguratione caſtimoniam polliciti ſunt; & ut fatur Concilium Carthaginenſe cui interfuit D. Auguſtinus, *vinculo caſtitatis, per conſecrationem implicati ſunt.*

Dionyſ.

2. Quia conformari tenentur Chriſto, qui eſt *primus Pontifex, & ordinum initiator.* Chriſtus autem virginea puritate decoratur;

L. 5. Epiſt. 35. Ser. 17. de Temp. de Virg. c. 8. Catech. 12.

quem D. Ambroſius nuncupat *Verbum virginale.* D. Auguſtinus *magiſtrum caſtitatis*: Gregorius Nyſſenus *fontem incorruptæ & illibatæ caſtitatis*: Cyrillus Hieroſolimitanus *Deum caſtitatis & puriſſimum puritatis doctorem.* Sacerdotes autem ſunt illius illibati fontes rivuli; puri doctoris diſcipuli; incontaminati Pontificis vicarii; Dei caſtitatis miniſtri, & ſub omnibus his titulis tenentur *vexillum caſtitatis Ieſu tollere.*

D. Hier. l. 1. adv. Jovin.

3. Quia ſancta & pura Dei negotia pertractant. Ideo Moyſes Levitarum condens leges, Radant, inquit, pilos carnis ſuæ; quia *is qui in obſequiis divinis aſſumitur, debet ante Dei oculos, à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere.*

Rupert. l. 1. in num. 20.

Quod ſi carnis munditiem requirebat Deus in Levitis, novæ legis ſacerdotes *mundiores eſſe debent cæteris, quia actores ſunt Dei*, occupanturque in ſacris divini cultus actionibus. 4. Quia proprium ſacerdotum munus eſt, *ad Deum appropinquare.* Pudicitia autem facit proximum Deo: *ubi Deus, ibi pudicitia.*

D. Am. in 1. ad Timot. 3. Greg. Naz. Orat. 1. Tert. li. 2. de Cult. Fœ. 1.

5. Quia templa, altaria, reſque ſacras frequentant & contingunt; nihil autem magis decet altaria & religionem quam pudicitia & caſtitas. Hac de cauſa Dionyſius Areopagita hortatur Timotheum ut dicat initiatis, *Mundi ut munda contingant*, quos ipſemet Deus per os Iſaiæ ad munditiem ſtimulat: *Mundamini qui fertis vaſa Domini.*

L. de Eccleſ. Hier. c. 1. Iſa. 52.

6. Quia mundiſſimum altaris offerunt ſacrificium, caſtam Chriſti Domini manducant carnem, purumque ejus bibunt ſanguinem. *Quanta puritate oportet cuſtodire noſtri corporis atque animæ puritatem, quos neceſſe eſt quotidie ſacro-ſanctis Agni carnibus veſci?* Tot tantaſque rationes concludit Clemens Alexandrinus: *Soli ergo qui puram agunt vitam, vere ſunt Dei ſacerdotes*, digne celebrantes Miſſæ ſacrificium, quod laïci devote audire tenentur.

Caſſian. l. 6. c. 8. L. 4. Strom.

III. PARS.

Participatio ſacrificij expoſtulat ab aſſiſtentibus, ut audiant Miſſam cum 1. attentione mentis: 2 ſilentio oris: 3. modeſtia corporis.

Tert. lib. de Orat. 14. Tert. lib. ad Scap. 2.

1. *Cum & hoſtia ab animo libenti expoſtulentur.* Qui ſacro-ſancto aſſiſtunt Miſſæ ſacrificio, ſimulque cum ſacerdote offerunt Deo immaculatum agnum in magna attentione debet aſſiſtere. Ad hanc cordis attentio-

attentionem eos hortatur ſacerdos , ut bellè animadvertit D. Cyprianus:
Quomodo ſtamus ad orationem, fratres dilectiſſimi, *vigilare & incumbere ad pre-* Serm: 6 de
ces toto corde debemus, cogitatio omnis carnalis, & ſæcularis abſcedat, nec quid- Orat Dom.
quam tunc animus quam id ſolum cogitet quod precatur, ideò & ſacerdos ante ora-
tionem præfatione præmiſſa parat fratrum mentes, dicendo, Surſum corda, ut dum
reſpondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur, nihil ſe aliud quam Dominum
cogitare debere : claudatur contra adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad
ſe hoſtem Dei tempore orationis adire patiatur. Plura ſunt quæ ad illam mentis
intentionem incitant. 1. Dei cum quo loquendum eſt majeſtas. *Cogita ad* D. Chry-
quem accedis , & ſuffi.iet ad inducendam vigilantiam atque excitandam , ejus ſoſt: in
dignitas unde gratiam expectamus. 2. Sacrificii Miſſæ excellentia & dignitas, Pſal: 145
profecto *ſacrum hoc & divinum opus* , totam mentis attentionem deſiderat. Greg Nyſſ.
3. Quæ expectatur de ſacro ſancto illo myſterio utilitas. Qui *ex ipſius men-* Orat: 1. de
tis penetralibus , aſſiſtunt Miſſæ, multum proficiunt : Illi autem , *quorum os* Orat:
quidem reſonat, cor autem eſt mane, nullum fructum reportant. 4. Peccatum D. Chry-
& infœlicitas eorum qui abſque ulla mentis attentione interſunt divinis. *Ma-* ſoſt: in
ledictus qui facit opus Dei negligenter. Verè maledictione digni, utpote Deo Pſal: 129.
contumelioſi, ſibique noxii. D. Chryſoſt: in Pſal: 140. Jerem: 48.

Quot ſunt qui vibratam à Propheta debent metuere maledictionem, qui
ſponte cogitationes circumvagari permittunt , voluntariè mentem ſuam à
Deo revocant, & velut ex propoſito animum deflectunt ad vana, terrena, &
aliquando ſceleroſa ? *Ubi erit cor tuum, illic erit & theſaurus tuus.* Qui non de Tert: lib.
Deo, ſed de terrenis ultrò cogitant, in terrenis , non in Deo habent cor ſuum. ad Matt: 2.
Eos qui Miſſæ ſacrificio interſunt, nec mentem ad divina illa elevant myſteria;
ſed in alia atque aliena voluntariè diſtrahuntur , ſic pungit Anaſtaſius Sinaita:
Dicis : Habemus ad Dominum; quid ais? quid agis ? Attende oro, ne fortè non ha- Orat. de
beas ſurſum cor ad Dominum, ſed deorſum ad diabolum. Mens ad caduca & mor- ſanct.
talia hac ſuſpenſa hæret , pecuniiſque & opibus et voluptatibus ; et litibus forenſi- Sinax.
bus vacat, et dicis : Habemus ad Dominum. Sanè totus tanto ſacrificio adeſſe
debet, quia adeſt : alienum valdè eſt, ſi ſe ſinat ad aliena rapi, cum incruentum
Miſſæ ſacrificium Deo offertur, audiendum eſt cum attentione mentis, & cu-
ſtodia oris.

2. Si ullo in loco requiritur *ſignaculum linguæ*, maximè in templis, tempore Tert lib.
quo ſacro ſanctum Miſſæ celebratur myſterium. Quia in ſuperioribus de ſi- adv
lentio in Eccleſiis ſervando multa diximus, ad illorum confirmationem addu- Valent. 2.
cemus duntaxat teſtimonium Philonis Judæi , Caſſiani , divique Ambroſii.
Philo Chriſtianorum cœtus ſub nomine Eſſenorum Alexandrinorum refe-
rens, aſſeverat tantum in eis fuiſſe ſilentium, *ut ne mutire quidem cuiquam lice-* Lib. 12.
ret , aut reſpirare vehementius. Idipſum teſtatur Caſſianus de innumerabili c. 20.
multitudine fratrum, ſub ejus diſciplina viventium, qui ad ſacras celebrandas
Sinaxes ſimul conveniebant. *Cùm igitur prædictas ſolemnitates , quas ipſi Si-*
naxes vocant celebraturi conveniunt; tantum à cunctis ſilentium præbetur, ut cum

in unum tam numeroſa fratrum multitudo conveniat, præter illum qui conſurgens Pſalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adeſſe credatur; ac præcipuè cùm conſummatur oratio; in qua non ſputum emittitur, non excreatio obſtrepit, non tuſſis interſonat, non oſcitatio ſomnolenta diſſitis malis & hiantibus trahitur, nulli gemitus, nulla ſuſpiria, etiam adſtantes impeditura promuntur; nulla vox abſque ſacerdotis precem concludentis auditur. Nunc omnia ſunt immutata, miſcentur ſacra profanis; in templis, tuſſis, garritus, infantum vociferatus, canum latratus, adſtantium riſus ac fabulæ perſonant, & ſacris operantem, & audientium turbam graviſſimè perturbant. Quos D. Ambroſius Ephœbi
L. 3. de Virg. Gentilis exemplo increpat. [Proditur Alexandro Macedonum rege ſacrificante, puerulum barbarum, thuribulo arrepto, brachio carbonem ardentem excepiſſe, atque aduſto corpore manſiſſe immobilem, nec dolorem prodidiſſe gemitu, nec tacito pœnam indicaſſe fletu: tanta puero barbaro fuit diſciplinæ reverentia; ut naturam vinceret, & tu miniſteriis Dei virgo, ſereatus, tuſſes,
D. Chryſoſt. Hom. 36 in 1. Cor. riſus abſtine] Et tu mercator, tu advocatus, tu miles, tu nobilis, tu uxoratus, tu mulier, tu juvenis, tu ſenex, & *nos ſub horam terribilis illius ac myſticæ menſæ, in vana loquentiæ conventiculis occupati ſumus*, & aſſiſtimus irreverenter Miſſæ ſacrificio quod eſt audiendum cum compoſitione & modeſtia corporis.

Tert lib. de vel. Virg 16. L. 1. Offic. 18 3. *Nihil eſt Deo carius humilitate, nihil acceptius modeſtia.* Modeſtia dicta, ut vult D. Ambroſius à modo, *Modeſtiam à modo ſcientiæ quod deceret appellatam arbitror*, eſt generalis quædam virtus ab animo benè compoſito manans, in ore, geſtu, corpore velut concinnam efficiens harmoniam, qua animi intuentium mirificè recreantur, & ad honeſta omnia invitantur. Ad exemplarem hanc modeſtiam pudicitiæ comitem & teſtem, Chriſtianas mu-
L. 2. de Cult. Fœm: 11. lieres hortatur Tertullianus. *Pudicitiæ Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, verùm & videri. Tanta enim debet eſſe plenitudo ejus, ut emanet ab animo ad habitum, & eructet à conſcientia in ſuperficiem, ut & à foris inſpiciat quaſi ſupellectilem ſuam, quæ conveniat fidei continendæ in perpetuum.* Modeſtiam ſapientes etiam profani, pulcherrimis commendarunt elogiis. Romanus orator de ea ſic
L. de B. Vita Diſput 3. ait: *Ut volet quiſque accipiat: ego tamen modeſtiam virtutem eſſe maximam judico.* Ciceronis effatum referens D. Auguſtinus, ſubjicit: *prorſus doctiſſimè, ac decentiſſimè.* Modeſtiam commendabant Gentiles: Chriſtiani
In Octav: verò ſeſe modeſtia manifeſtabant, quam bellè Minutius Fœlix inter Chriſtianorum inſignia recenſet; qua ſeſe adinvicem dignoſcebant: unde ſic alloquebantur Gentiles: *Nos non notaculo corporis, ut putatis, ſed innocentia ac modeſtia ſigno, facilè dignoſcimus.* Illud religionis inſignè didicerant Chriſtiani, à Chriſto Domino & Magiſtro. Teſte namque Mag. Greg.
In præfat Decret: *Rex pacificus pia miſeratione diſpoſuit ſibi ſubditos fore pudicos, pacificos, & modeſtos*; modeſtiam docens non ſolum verbo, ſed adhuc exemplo. Quem ideò Gregorius Nyſſenus prodit tanquam *modeſtiæ exemplum, hominum vitæ propoſitum.* Chriſtus eſt omnium perfectionum exemplar. Sunt tamen quædam

quædam in illo perfectiones, quas homines non poſſunt imitari ut poteſtas, authoritas, ſapientia: At nemo eſt qui non poſſit imitari modeſtiam. Idcircò *qui primas non potuit habere ſapientiæ, ſecundas habeat partes modeſtiæ*: qua & Chriſti imaginem præ ſe ferat aliiſque Chriſtianis modeſtiæ exemplum præbeat. Nam *modeſtia eſt per quam pudor honeſtus claram & ſtabilem comparat authoritatem*. Ad quam neceſſarium exiſtimat D. Hieronymus *ut ipſe inceſſus, & motus, vultus, ſermo, ſilentium; quamdam decoris ſacri præferant dignitatem*. Modeſtiam *dignam gravitatem* nuncupat Apoſtolus, dignam equidem homine, quia eſt rationi conformis; dignam Chriſtiano, quia ejus religionem denotat; dignam Chriſto, qui eam verbo & exemplo docere voluit. Dignam Deo: *nam ubi Deus, ibi pudicitia, ibi gravitas adjutrix, & ſocia ejus*. Neque ſolum Deus eſt ubi eſt gravitas, ſed adhuc modeſtiam apud Deum, divitem, Deique portionem declarat D. Ambroſius: *Magna igitur modeſtia, quæ dives eſt apud Deum, apud quem nemo dives. Dives eſt modeſtia, quia portio Dei eſt*. Quid auguſtius poteſt de modeſtia prædicari quam quod ſit Dei portio, qui cunctas in univerſum perfectiones vel formaliter, vel eminenter continet? Quid efficacius ad inducendum modeſtiæ affectum quam opulentia *modeſti ſpiritus qui eſt in conſpectu Dei locuples*? Modeſtiam opponit Apoſtolorum princeps levitati, petulantiæ, inconſtantiæ, garrulitati, murmurationi, in quæ vitia naturaliter propendent mulieres ornatum externum ſectantes, internum negligentes.

D. Aug: in Prolog: Retract: — D. Aug. l. 83 Quæſt: qu. 31. — In Epiſt. ad Tit: — Ad Tit: 2. — Tert. lib. 2. de Cult. Fœm: 8. — Ibid. — 1. Pet. 3.

Belle docet Philoſophus *mores hominum corporis geſtu prodi & ſignificari*. Quod eleganter declarat Tertullianus, qui poſtquam de patientia tantum in animo conſtituta diſſeruit, eandem in corpore commendat, virtutis nomine, meritique dignam demonſtrat. *Siquidem rector animus facilè communicat ſpiritus invecta cum habitaculo ſuo*. Corpus eſt animi habitaculum, id eſt proprium domicilium, cum quo animus communicat ſpiritus invecta; hoc eſt, ea quæ à ſpiritu in animam importantur, quæ anima foras emittit, & per geſtum atque actiones hominum oculis objicit. Itaque *de exterioris hominis motu, interioris ſtatus agnoſcitur*: an ſcilicet ſit compoſitus, an incompoſitus. *Quod vox quædam ſit animi corporis motus. Habitus enim mentis, in corporis ſtatu cernitur. Hinc homo cordis noſtri abſconditus; aut levior, aut jactantior, aut turbidior: aut contra gravior, & conſtantior, & purior, & maturior æſtimatur*. Exterius modeſtum grave, bene compoſitum, compoſitæ *ſimulachrum eſt mentis, figura probitatis*. At è converſo exterius, leve, immodeſtum, incompoſitum, denotat animum levem, immodeſtum, incompoſitum. *Quo ergo pacto pudicitiam ſine inſtrumento ſuo, id eſt ſine gravitate tractabimus? Quomodo autem gravitatem adminiſtranda pudicitiæ adhibebimus, niſi & in facie, & in cultu, & in totius hominis contemplatione, ſeveritas circumferatur?*

L. 4. Ethic. 14. — Lib. de Pat. 3. — Caſſian. l. 12. cap. 29. — D. Amb l. 1. Offic. 18. — D. Amb. l. 2 de Virg. — Tert. lib. 2. de Cult: Fœm: 8.

Illum *pudorem modeſtum*, ut fatur Gregorius Nyſſenus, ſeu ut ait Ignatius Martyr, religionis Chriſtianæ *magnam diſciplinam* ubique ſervare debent fideles, præſertim in Eccleſiis dum ſacro-ſanctum Miſſæ *ſacrificium offertur*. Cui tanta devotione aſſiſtebat S. Ludovicus Galliæ rex, quod

In Vit. Moyſ. — Ep. ad Trall. — Tert: lib. 2. de Cult. Fœm: 11.

quod nefas erat Miſſæ intentum, vel minimo temporis articulo revocare. Illic enim præpotens & B. rex meditatione ſanguinis Christi percuſſus, effuſus in lachrymas, nonniſi madens, domum ſuam ab Eccleſia repetebat. Taceo aliorum exempla, ut prodam probos & pios Chriſtianos, quomodo tempore Miſſæ in Eccleſia ſe habeant, declarantes: *Ibi in ſilentio, et modeſtia agimus,* ut aliorſum teſtantur *Sacrificamus, ſed quomodo præcepit Deus, pura prece,* ſcilicet cum oratione de carne pudica, de anima innocente, & attenta, producta.

Jovin. in Vit. S. Ludovici c. 17. Tert: lib: ad Scap. 2. Tertull: ibid:

Horum exemplum & pietatem non imitantur: 1. Qui Miſſæ ſacrificium audire contemnunt, etiam diebus Feſtis & Dominicis, quamquam præcepto Eccleſiæ teneantur. *Ignorantes quantum bonum in celebrandis Miſſis agatur:* 2. Qui aſſiſtunt non mente, ſed corpore, nec attendunt quod magis requiritur animi quam corporis præſentia. *Tantum ſpectator ſacrificii* non audit Miſſam, neque ſatisfacit Eccleſiæ præcepto, ſi ſit corpore quidem præſens, corde verò abſens. 3. Qui venatorum ſectantur Miſſas, neque integro aſſiſtunt ſacrificio. *Quibus non ſufficit, quod toto tempore pro corporali neceſſitate, aut quod verius eſt pro cupiditate jugiter occupantur, & per unius horæ ſpatium, quo magis corpore quam corde conveniunt ad Eccleſiam non morantur: ſed vertentes dorſa ſacrificiis vel ſacerdotibus Dei, ad explendas voluptates ſæculi, ſine mora aliqua revertuntur, non agnoſcentes quid expectent, & quid requirant.* Quo nihil indecentius merito exiſtimat D. Auguſtinus. *Nam ſi rex aut potens perſona vocaſſet ad prandium, nullus diſcederet niſi prius totum compleretur. Et ſi de conviviis hominum non diſcedimus, niſi ventrem plusquam expedit impleamus, & hominem lædere formidamus, cur de convivio divino tam cito diſcedimus?* 4. Qui ſunt in Eccleſiis abſque modeſtia quam debent domo Dei, adſtantibus Angelis, ſpectantibus hominibus; præſentiæ divinæ majeſtatis; & auguſtiſſimo quod offertur altaris myſterio. Quos hortor ut momenti Auguſtino præbeant auditum, qui de duobus eos admonet. Primò, ut integro interſint Miſſæ ſacrificio. *Moneo & paterna charitate conteſtor, ut ſaltem quolibet Dominico die, & præcipuis feſtivitatibus, donec ſacra myſteria compleantur, de Eccleſia nullus diſcedat, niſi quos aut infirmitas, aut publica neceſſitas ſtare diutius non permittit. Ipſi tamen in conſcientia ſua videant, utrum neceſſitas retrahat, aut voluptas.* Secundò, ut in Eccleſiis non immodeſtè, ſed modeſtè ſe gerant. *Iterum quod rogo, ut dum divina celebrantur myſteria, nullus ſe otioſis vel terrenis fabulis occupet, ſed humiliter & devotè cum contrito corde benedictionem accipiat, attendens, quod ſi quis me contemnit præconem, Chriſtum ſentiet judicem.* Chriſtum profectò ſentiet judicem, qui tempore Miſſæ fabulis occupatur. Qui autem *humiliato corpore, & compuncto corde ſe in Eccleſia continet,* ſentiet Chriſtum, non ultorem, ſed remuneratorem; non luet pœnam immodeſtis, & irreverentibus debitam, ſed accipiet interminabilem cœli beatitudinem modeſtis promiſſam.

D. Aug: Ser: 19. in Comm: Tert: lib. de Idol. 16. D. Aug: ibid:

CON-

CONCIO QUINTA.

PRopter *Eccleſiæ honorem* ſancitum olim fuit ut Chriſtiani cum innocentia templum adirent, magnaque in eo cum innocentia remanerent. Et ob hanc cauſam ipſæ Eccleſiarum portæ, ſacris reliquiis, & martyrum exuviis honeſtabantur, ut jam inde ingredientium animi ſancto metu & religione perfuſi, ad modeſtiam & pietatem commoverentur. Innuit ejuſmodi ritum Ludovicus pius Imperator in conſtitutione quæ incipit; *Si in Eccleſia, cujus porta reliquiis Sanctorum conſecrata eſt, ejuſmodi homicidium perpetratum fuerit.* Aliam non minus laudabilem refert Salvianus conſuetudinem, ſcilicet Eccleſiarum januis aſtitiſſe oſtiarios, qui arcerent indignos, eos etiam de quibus poterat eſſe ſuſpicio, quod reliquos pietati incumbentes eſſent perturbaturi. In veteri lege Moyſes, ex Dei præcepto ſex inſtituerat refugii loca, ad quæ rei confugerent, & in eis tuti remanerent: *Non autem in templis aperiuntur immundis aſila, ne immundis inficerentur.* Quod ſi quæramus ab Hugone Cardinale cur Chriſtus Dominus qui hominem ſalutem erat ſua paſſione operaturus, dum Judæi (tulerunt lapides ut jacerent in eum, abſcondit ſe & exivit de templo?) reſpondebit: Jeſus abſcondit ſe;) *non quod mori non cuperet, cum ad hoc in mundum venerit; ſed ne tanto ſacrilegio domus illa pollueretur.* Eadem de cauſa Salvator inſtituere volens Euchariſtiæ myſterium dixit duobus ex diſcipulis: Ite in civitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, ſequimini eum, tacuit nomen ex ignorantia: *Sciebat autem Dominus nomen ejus, cujus ſciebat myſterium & occurſum.* Cur autem ſuppreſſerit illius hominis nomen? (Dicunt quidam, quod ideo non dixit nomen hominis, ne proditor cognito nomine domum panderet Phariſæis, qui venientes cepiſſent eum.) Ut autem ait belle ad propoſitum Origenes, *non conveniebat ut ibi caperetur, ubi cum diſcipulis paſcha celebrabat.* Nam cœnaculum in quo Chriſtus paſcha celebravit, fuit, ut aſſeverat Flavius Lucius, conſecratum in Eccleſiam, *Cœnaculum grande, Eccleſia magna eſt*, in qua Apoſtolos Dominus in Sacerdotes & Epiſcopos ordinavit, & Euchariſtiæ myſterium inſtituit: quæ ideo non debebat proditione profanari, & effuſione ſanguinis pollui. Hæc Salvatoris cautela condemnat ſceleroſos Chriſtianos, qui Eccleſias profanant, 1. vanis cogitationibus: 2. injuſtis devaſtationibus: 3. fœdis & obſcœnis actionibus.

> Tert. lib. de Bapt. 17. — Capitul. Franc lib. 4 c. 13. — L. 3. de Provid. — Num 35. — Joan. 8. — D. Am. l. 10. in Luc. — Theophila. in Cat. D. Thom. ad c. 12. Luc. — D. Hiero. in Cat. D. Tho. ad 14. Marc.

In Eccleſiis benedicite Dominum; & ut illud probe exequi valeatis, intrate in cubiculum cordis veſtri. Ad quod quemlibet Chriſtianum hortatur ipſemet Chriſtus. Frater *cubiculum tuum, mentis arcanum, animique ſecretum eſt. In hoc cubiculum tuum intra, hoc eſt egredere de corporis tui exteriori veſtibulo, & totus intra in alta præcordia cordis tui,*

> II PARS. — Ter. l. 3. adv. Marc 22. — Matth 6. — D. Am l. 1. de Abel c. 9.

D. Bern. Ser. 23. in Cant. *& claude oſtium*, ne forte avocet, aut perturbet, *vel ſenſus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certe quæ difficilius amoventur, irreverentia imaginum corporearum phantaſmata.* Qui in Eccleſiis demoratur in cubiculo cordis ſui, Deum ut fas eſt, benedicit; illumque fœlicem prædicat D. Ignatius. Epiſt. ad Hieronem. *Fœlix cui præſens ibi animus, & certus contigit.* Non fœlices ſed infœlices ſunt qui Eccleſias profanant cogitationibus vanis, terrenis & ſceleroſis. Nam 1. non curant ullam animi attentionem: 2. in terrenis occupant mentis cogitationem: 3. habent ſceleroſam cordis affectionem.

Tert. l. 3 adv Marc 22. 1. Ut quis valeat dicere cum Regio Vate: *A te laus mihi in Eccleſia magna*; magna animi attentione coram Deo ſtandum illi eſt; quod ut aſſequi valeat Iſido. Peluſ. l. Ep. 171. *animo vigilanti* indiget, ut removere valeat turbam diſtractionum, quæ animi impediunt attentionem. Ejuſmodi autem diſtractiones eveniunt tum à naturæ corruptæ imbecillitate; tum à diaboli malitia. Illas humanæ corruptioni attribuit D. Auguſtinus: In Pſ. 102. *Ad ipſum Deum cogitandum, ſicut dignum eſt ab homine cogitari Deum, quanta impediunt veluti interpellantia de neceſſitate corruptionis humanæ? quanta revocant? quanta intentione detorquent? quanta interpellant? quæ turba phantaſmatum? qui populi ſuggeſtionum? Totum hoc in corde humano tanquam de vermibus hujus corruptionis ſcatet.* Caſſianus ſimiliter quantum Coll. 7. c. 3. prona ſit ad mentis evagationem humana fragilitas ſic declarat: *Per momenta ſingula, lubricis diſcurſibus animus evagatur.* Quod anguillæ declarat exemplo: In Pſal. 141. *In ipſo conatu noſtro, ocius quam anguilla de receſſibus mentis elabitur.* Adde fragilitati naturæ *diaboli fraudem & machinamentum.* Sic D. Chryſoſtomus diſtractiones nuncupat: quapropter qui Deum in Eccleſia magna benedicere deſiderat, ſollicite vitare debet & evagationes mentis quæ veniunt ex labilitate & infirmitate naturæ, & diſtractiones fraudulenter à diabolo immiſſas. Illi ſolerter pugnandum eſt, & contra ſeipſum, & contra inſidiantem inimicum. Orig. l. 10. in c. 10. Rom. *Quare magnus agon eſt orationis, ut obſiſtentibus inimicis, & orantis ſenſum in diverſa rapientibus, fixa ad Deum ſemper mens ſtabili intentione contendat.* Multi autem fixam in Deum non habent in oratione mentem, tantum abeſt ut ſint de attentione ſolliciti, quin imo ſponte divagantur & ulto in vanis & terrenis occupant mentis cogitationem.

Tert. lib. ad Marc. 2. 2. *Totum hominem animus circunfert, & quo velit transfert.* In cœlum aſcendit, terram circumgirat, cœleſtia recogitat, terrena mente volvit. Quem hortatur Tertullianus ut ad Deum, & ad cœlum ſuas dirigat cogitationes, ubi theſaurum perennem, & veram beatitudinem poterit invenire. *Illic ergo ſit cor noſtrum ubi volumus habere theſaurum.* Non in Deo neque in cœlo habent cor ſuum, qui tantummodo poſt vana & D. Am. l. 6. de Sacr. c. 5. terrena inhiant, & inter orandum nihil aliud recogitant, deſiderant, & amant. *Plerumque negotiator venit ad orationem, & avarus de pecunia cogitat, alter de lucro, alter de honore, alter de cupiditate, & putas Deum eum poſſit audire?* Hujuſmodi homines in Eccleſiam ad Deum colendum & orandum venientes, & voluntarie ad alia omnia ſe convertentes, divinæ

næ majeſtati contumeliam irrogant, ejuſque juſtitiam irritant.

3. Sunt equidem Deo injurioſi, ſibique noxii, qui tempore orationis ultro ad vana, caduca & terrena duntaxat mentis occupant cogitationem; ſed multo magis Deo ſunt contumelioſi, graviorique pœna digni, qui ſceleroſas in corde fovent affectiones, qui perſeverant in deſiderio ambitionis, affectu avaritiæ, ardore libidinis; deliberata voluntate vindictæ vel alterius inordinatæ paſſionis. Miratur Tertullianus cur Romani viſcera victimarum traderent examinanda vitioſiſſimis ſacerdotibus. *Vt mirer cur boſtia probantur penes vos, à vitioſiſſimis ſacerdotibus; cur præcordia potius victimarum, quam ipſorum ſacrificantium examinantur.* Si liceret conſpicere & examinare præcordia eorum qui ſunt in templo, dum ſacro ſanctum offertur Miſſæ ſacrificium, quot pravas in illis cerneremus mentis cogitationes; quot ſceleroſas conſpiceremus cordis affectiones; quot videremus abominationes? Quas præfiguratas vult Tertullianus in Ezechielis viſione, quam ordinate refert Propheta, à minoribus peccatis ad majora progrediens, triaque occulta ſceleta recenſens, quæ in templo potiſſimum perpetrantur. 1. Ex Dei præcepto fodiens parietem vidit ibi reptilia, & animalia, & idola domus Iſrael, depicta circumquaque in pariete, & ſeptuaginta ſeniores iis incenſum adolentes. *Et dixit Dominus ad me: Fili hominis vidiſti, quæ ſeniores Iſrael faciunt, unuſquiſque eorum in tenebris, unuſquiſque in cubiculo abſconſo: quoniam dixerunt: Non videbit nos Dominus, dereliquit Dominus terram.* Reptilia & idola in pariete templi depicta, denotant occulta vitiorum portenta in animo peccatoris depicta, quæ velut numina veneratur. *Sine dubio idololatriam committit, quicumque delinquit.* Neque plebeii duntaxat in templo colunt idola, ſed magnates, & adhuc magno in numero, falſo credentes quod Deus cordis non tueatur abſcondita: ſed veniet tempus in quo Deus revelabit abſcondita tenebrarum, & de idololatris illis ſumet vindictam. *Iuro vobis, peccatores, quod in diem ſanguinis, perditionis juſtitia parata eſt. Qui ſervitis lapidibus, & qui imagines facitis aureas, & ſervitis phantaſmatibus, & omnibus erroribus non ſecundum ſcientiam.* Sed redeamus ad Prophetam, cui majores 2. adhuc Deus manifeſtavit abominationes. *Adhuc converſus videbis facinora majora, quæ iſti faciunt. Et introduxit me ad limina januæ domus Domini quæ aſpicit ad aquilonem, & ecce illic mulieres ſedentes, & plangentes Thamnus*; id eſt Adonidem. Alludit ad infamia Gentilium ſacra, inſtituta ad plangendam mortem Adonidis amaſii Veneris. Adonidem plangunt laſcivæ mulieres, quæ in templo revocant ad memoriam admiſſas jam impudicitias, & adhuc Veneri vacare decreverunt. [Et dixit Dominus ad me, Fili hominis vidiſti? Numqu id modica domui Iudæ, ut faciant facinora quæ fecerunt: & adhuc viſurus es affectiones majores eorum. Et introduxit me in ædem domus Domini interiorem, & ecce in liminibus templi Domini, inter medium clam, & inter medium altaris, quaſi viginti quinque viri poſteriora ſua dederunt ad templum Domini, & facies ſuas contra orientem, hi adorabant ſolem.] Recenſet majorem

Apolog. 30.

Ezech. 8.

L. adv. Jud. 11.

Tert. lib de Idol. 1.

Tert lib de Idol. 4.

Tert. li. adv. Iud. 11.

majorem idololatriam qu Judæi Gentilium more adorabant ſolem: illi ſolem orientem adorant, qui quia ſunt juvenes impudentius Deum offendunt: vel innui: peccata ſacerdotum qui exiſtentes inter veſtibulum & altare, ſui miniſterii immemores terga vertunt altari, ſuiſque profanationibus templum devaſtant.

II PARS. Ter. I ad ludi 8. *Et in ſancto execratio vaſtationis.* Tria potiſſimum hominum genera templum devaſtant, ſcilicet hæretici, raptores, & ſacerdotes avari, turpis lucri cupidi: hæretici, templa deſtruunt; raptores, deſpoliant: ſacerdotes cupidi, in illo mercaturam negotiantur; itaque templum devaſtant, & devaſtando prophanant, 1. hæretici deſtructores: 2. latrones deprædatores: 3. ſacerdotes nundinatores.

2.Cor.13. 1. Quantumvis Apoſtolus clamitet datam ſibi poteſtatem à Domino, in ædificationem, & non deſtructionem: Hæretici tamen uſurpatam, non collatam à Deo poteſtatem adhibent non in ædificationem, ſed *in ruinam* & deſtructionem. Duplicem ruinam efficere moliuntur; ſpiritualem unam; materialem alteram: Spiritualem, nitentes fidelium mentes avertere à veritate, & inducere in errorem. *Hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi jacentibus elevationem operentur; quoniam & ipſum opus eorum non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de veritatis deſtructione.* Materialem, templa Deo conſecrata evertentes. *Ita fit ut ruinas facilius operentur ſtantium ædificiorum, quam exſtructiones jacentium ruinarum*; in quo ſeſe ſacrilegos & impios demonſtrant; impios, deſtruentes magnifica templa, quæ fidelium & principum pietas exſtruxerat: Sacrilegos, demolientes templa Deo dicata, & frangentes altaria in quibus offertur auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium. Hanc impietatem Donatiſtis objicit Optatus Milevitanus: *Quid tam ſacrilegum quam altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtuliſtis frangere?* Nam quid eſt altare, niſi ſedes corporis & ſanguinis Domini, neque altare tantummodo, ſed *fregiſtis etiam calices ſanguinis portatores.* Nonne hæc increpatio cadit in Calviniſtas, qui pro impietate qua erant ſuccenſi, ſacrilege demoliti ſunt tot Eccleſias, tot altaria, tot monaſteria, quorum etiamnum ruinæ cum dolore & fidelium lachrymis videntur. Et quod eſt lugendum magis, infauſto belli tempore, quo exulat pietas: *Si quid adverſi urbibus accidit, eadem clades templorum quæ & mœnium*: quod eſt ſtupore & lachrymis digniſſimum, etiam Catholici ſunt templorum deſtructores & deprædatores.

Tert. lib. de Præſc. Hær. 1 / Præſc. Hæret. 42. / Lib 2. cont. Parmen. / Apolog 40

2. Nonnullos Romanorum magnitudinem eorum religioſitati tribuentes, ſic confutat Tertullianus: *Quomodo ob religionem magni, quibus magnitudo de irreligioſitate provenit. Porro bella & victoria captis & everſis plurimũ urbibus conſtant. Id negotium ſine deorum injuria non eſt. Eadem ſtrages mœnium & templorum: pares cædes civium & ſacerdotum: nec diſſimiles rapinæ ſacrarum divitiarũ & profanarum. Tot igitur ſacrilegia Romanorum, quot trophæa: tot de deis, quot de gentibus triumphi: tot manubiæ, quot manent adhuc ſimulacra captivorum deorum.*

Apolog. 25.

Quod de Romanis Gentilibus refert Tertullianus, nullo negotio aptari poteſt

pluribus

pluribus Chriſtianis, qui jure belli abutentes templa deſpoliant; ſacras res non ſecùs ac prophanas rapiunt, & de ſacrilegio & irreligioſitate injuſtè ditantur. De quibus vaticinans regius Propheta ait: (Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam.) Id eſt, explicat Hugo Cardinalis, *fecerunt eam deſertam, ablatis omnibus bonis ejus.* Quos condemnat Procopius exemplo Alarici Gothorum regis etiam Ariani, de quo ait: Alaricus Gothorum rex Romam obſidet, turbat, irrumpit, dato tamen priùs præcepto, ut ſi qui in ſancta loca, præcipuè in SS. Apoſtolorum Petri & Pauli baſilicas confugiſſent, hos imprimis inviolatos, ſecurosq; eſſe ſinerent. Accidit autem, quòd, dum Barbari Romanorum deprædantur domos, miles quidam locum ſacrum ingreſſus invaſit Eccleſiæ theſaurum, quem ad regem deferens, Alaricus continuò reportari ad Apoſtoli baſilicam univerſa, ut erant, imperavit. Rex Arianus devaſtari Eccleſias prohibet; & oblatos templi theſauros illuc reportari jubet, & exercituum duces, qui ſe Catholicos profitentur, Eccleſias devaſtant, templa deſpoliant; res ſacras auferunt; & de rapinis & ſacrilegiis gloriantur, ultricem tamen Dei manum formidare debent ſacrorum deprædatores & nundinatores.

Pſal. 78. Procop. l. 7. hiſt. c. 39.

3. *His accommodantur ſacrificia.* Qui ſacerdotale ſumunt miniſterium, non tàm ut Deo ſerviant, quam ut de bonis Eccleſiæ locupletentur. *Qui ſacrificiorum onera* ſuſcipiunt non ex pietate, ſed ex lucro. In ſacerdote *paupertatem cupiditatum* deſiderat Clemens Alexandrinus. Porrò terrenorum appetitio & habendi ſitis dedecent hominem ſacris initiatum, & divinis addictum, & Eccleſiæ inſervientem. *Sunt autem multi in ea, non ſicut decet, ſpiritualiter viventes, ſed ſecundùm carnem militantes; qui & domum Dei faciunt ſpeluncam latronum, ſed ſpeluncam latronum per actus ſuos, non Dei Eccleſia dignos.*

Romanos ex religione lucrum captantes acerrimè inſequitur Tertullianus: *Majeſtas quæſtuaria efficitur, circuit cauponas religio mendicans. Exigitis mercedem pro ſolo templi, pro aditu ſacri non licet Deos noſſe gratis; venales ſunt.* Turpiſſimum Gentilium arguit lucrum, apud quos ſacerdotes Cibeles ſtipem oſtiatim exigebant. Quantum à fortiori redarguendi Chriſti ſacerdotes avaritiæ dediti, poſt lucrum hiantes, *qui arbitrantur quæſtum eſſe pietatem, & cùm deberent de cura vivere, ſecundùm quod vivere decet ſervos Dei, non faciunt; ſed divitias, & multas divitias acquirunt*, ut ſatisfaciant habendi, quâ æſtuant, cupiditati, quam ut expleant, Eccleſiam profanant.

Tert. lib. de Idol. 16. Tert. l. 2. adv. Marc. 18 L. 2. pædag. 3. D. Aug. ſer. 15. de com. Apolog. 13. D. Aug. ibid. III. PARS.

Attamen *Apoſtolus & templo ſanciendo, purificandoque aditualem legem ſcripſit: Si quis templum Dei vitiaverit, vitiabit illum Deus.* Dei autem templum polluunt in conſpectu Dei, 1. irreverenter ſe habentes: 2. inſolenter ridentes: 3. impudenter laſcivientes.

Tert. lib. de pud. 16.

1. Chriſtiani in Eccleſiis, *afferte Deo claritatem & honorem, afferte ſacrificium nomini ejus.* Aliorſum declarat Tertullianus, quale ſacrificium

Tert. lib. adv. Jud. 5.

L. de afferre debeatis, ſcilicet *humiliationis ſacrificium*, quod ſupremæ ejus debetur
Pat. 12. majeſtati. Si cum rege colloqui, vel Imperatore, exiſtimatum fuit olim mu-
nus divinum, ad quod ingens reverentia inſignisque requirebatur cultus.
Lib. 3. Hinc Rex Theodoricus ſic fatur apud Caſſiodorum: *Cuilibet habere noſtra*
ep. 22. *colloquia, munera credit eſſe divina*: quantò major eſt divina quàm regia maje-
ſtas, tantò majori reverentia Deus in oratione alloquendus eſt. Porrò cùm
D. Bern. ad Deum accedimus, imprimis opus eſt *verecundia comitari precem, commen-*
ſer. 7. in *dare precantem*: Opus eſt reverentia & ſancto quodam pavore filiorum Dei
Cant. proprio. Nam ut ait Lactantius: *Summus colendi ritus eſt ex ore juſti hominis ad*
Lib. 6. c. *Deum directa laudatio: quæ tamen ipſa ut Deo ſit accepta, & humilitate, & timo-*
ult. *re, & devotione maxima opus eſt.* Ferventem illam devotionem, ſanctum illum
timorem, humilem cordis demiſſionem, debitam majeſtati divinæ reve-
rentiam non habent; qui in Eccleſia ſtant non flexis genibus, ſed ſedentes ad
L. de O- confabulandum, & ut fatur Tertullianus, *ad ordinem narrationis, non ad ordi-*
rat. 12. *nem diſciplinæ.* Profectò ſi ejusmodi loquaces Deo ſuum cultum reddere cu-
Tert. lib. rarent, *alius fuiſſet, & locus, & tempus, & ordo ſermonis*, neque Eccleſiam pro-
de Car. fanarent, Deumque inhonorarent inſolenter ridentes.
Chr. 7. 2. Chriſtianus in Eccleſiis *Deum obſervet* neceſsè eſt, ejusque præſen-
Tert. lib. tiam & conſpectum veneretur, dicens cum Regio Vate: (Effundo in conſpe-
2. ad u- ctu ejus orationem meam) Ubi D Hilarius: *Effunditur in conſpectu Dei ora-*
xor 3. *tio, non negligenter, neque ex ſecuritate, ſed tanquam Deo præſente.* Addit paulo-
Pſal. 141. pòſt Pictavienſis Antiſtes, Deum præſentem *non abſentis diſſimulatione, ſed*
præſentis honore reverendum eſſe. Dei præſentiam ejusque conſpectum non
conſiderant inſolenter ridentes in Eccleſiis, riſus ejusmodi divinæ majeſta-
Tert. lib. tis contemptum, eorumque impietatem denotat: *Quoniam impleverunt im-*
adv. Jud. *pietates ſuas, & ecce ipſi quaſi ſubſannantes*, Deum ludibrio habentes, ejusque
11. templum profanantes. *Plena eſt omnis terra gloria ejus*, ait Iſaias Propheta &
Iſa. 6. ut fatur D. Hieronymus, *inſenſibilia timent, & ſentiunt majeſtatem Creatoris*,
In c. 8. & homines ratione præditi, Dei imagine inſigniti, & de religione eruditi
Matth. eum in ſuo templo derident, majeſtatem ejus inhonorant, deferunt *honores*
L. 1. Ma- *ejus in nihilum*, tantamque illi irrogant injuriam, quanta ei debetur vene-
chab. 2. ratio. *Secundùm gloriam ejus multiplicata eſt ignominia ejus*: contumelia enim
& ignominia afficitur, tum ab inſolenter in templo ridentibus: tum ab im-
pudenter in Eccleſia laſcivientibus.
L. de 3. Pudicitiam nuncupat Tertullianus *principalem Chriſtiani nominis di-*
pud. 1. *ſciplinam.* Caſtitas ubique ſervanda eſt, præſertim in Eccleſiis. Nam ut de-
Lib. 5. cantat Clemens Alexandrinus; *Eſſe decet purum Sancti qui limina templi in-*
Strom. *greditur.* Quod non ignorans Romanus Orator in ipſa ſuperſtitionis obſcu-
Cic. l. 2. ritate pronuntiat: *Ad Deos caſtè adeunto.* Cui arridens Latinus Poëta canit:
de eg. *Caſta placent ſuperis.* Quemadmodum Deus benevolè eos aſpicit, qui caſti-
D. Ambr tate nitent; ita eos conſpicere dedignatur, qui impudicitia contaminantur.
in Pſ. 118 *Si turpes lenonum meretricumque perſona à conſpectu vel Iudicis, vel Imperatoris*
arcen-

arcentur, ne turpiſſimorum viſus offendat vultus regis claritatem: quantum à fortiori arceri deberent à templis, ne ſupremi judicis & regis regum offendant præſentiam & conſpectum? Apud Gentiles denegabatur templi ingreſſus meretricibus, *quaſi quibus in lupanari, vel carcere locus dabatur, illas indignißi mum ſit in templo recipere.* Annon indigniſſimum magis, ut Chriſtiani & Chriſtianæ veniant in Eccleſias, ut in eis luxuriam negotientur? Pub.Agri.

Sex autem potiſſimùm modis fœdum illud pertractant negotium: 1. In luxu veſtium, fuco, minio, fuligine, pigmentis, aliiſq; ejusmodi. Hac de cauſa obſervatur tempus, quo dicitur, aiunt: pulchra Miſſa, non ob decorem ſacrificii, ſed ob venuſtatem & luxum adſtantium. *Propter iſtos conventus, & mutuum videre ac videri, omnes pompa in publicum proferuntur, ut aut luxuria negotietur, aut gloria inſoleſcat.* 2. Nuditate manuum, brachiorum, uberum, vultûs, capitis. *Ipſa concupiſcentia non latendi; non eſt pudica.* 3. Laſcivis aſpectibus & nutibus oculorum. *Profectò non eſt ſatis animus pudicus, cujus oculus eſt impudicus.* 4. Verbis æquivocis ad libidinem intentis, vel apertis impudicitiæ ſermonibus. Porrò mulier *pudica carebit etiam aurium maculis,* neque auditum præbebit ulli verbo impudicitiam redolenti. *Sed hoc & in Eccleſia pronuntiatur.* 5. Lenocinio; ex pacto enim convenitur in templa. *Sciunt luci mei, & mei montes, & viva aqua, ipſaque in urbibus templa, quantum evertendæ pudicitiæ procuremus.* Hic matres filias, mariti uxores, heræ famulas, lenæ vendunt pudicas fœminas; ubi ſtuprum negotiatur, adulterium paciſcitur, mœchiæ pretia taxantur, totque nefanda commercia ſub pietatis & religionis opportunitate peraguntur. *Malorum morum licentia pietas erit: occaſio luxuriæ religio deputabitur.* Tandem 6. ad tantam ſceleroſi feruntur impudicitiam, ut in Eccleſiis libidinem ſuam opere conſummare non formident. Quod Gentilium ſacerdotibus objicit Tertullianus: *Caeterùm ſi adjiciam, quòd non minùs conſcientiæ omnium recognoſcent in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipſis plerumque æditorum & ſacerdotum tabernaculis, ſub iiſdem vittis & apicibus, & purpuris, thure flagrante, libidinem expungi.* Idipſum improperat Minutius Fœlix idolorum ſacerdotibus, impiis ſimul & libidinoſis, qui in ipſis numinum delubris non tam ſacris quàm nefandis vacabant voluptatibus. *Ubi magis à ſacerdotibus quàm inter aras & delubra conducuntur ſtupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur?* Simile ſcelus teſtatur D. Hieronymus admiſſum à Sabiniano presbytero, qui in Eccleſiam, ubi quondam Dominicum fuerat præſepe, impudenter irruit, non ut ſacrificium offerret, ſed ut ſacrilegium patraret. Quàm grave ſit tale facinus, eloquenter declarat Hieronymus, nefarium illum increpans ſacerdotem. *O infœliciſſime mortalium, ſpeluncam illam, in qua Dei Filius natus eſt;* Veritas de terra orta eſt, & terra dedit fructum ſuum, *de ſtupro condicturus ingrederis? Non times ne de præſepi Infans vagiat, ne puerpera Virgo te videat, ne mater Domini*

Tert. l. 2. de cult. fœ. 11. — Tert. lib. de vel. Virg. 14 — Baſil. Sel — Tert. lib. de Pud. 1 — Tert. ib. — Tert. lib. de Pud. 1 — Tert. Apol. 35. — Apol. 14 — in octav. — Epiſt 48 ad Sabin

contempletur? Angeli clamant, Paſtores currunt, ſtella deſuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hieroſolyma turbatur. In cubiculum Virginis decepturus Virginem irrepis? paveo miſer, & tam mente quàm corpore perhorreſco, ponere tibi volens ante oculos opus tuum. Quod adeò eſt nefandum & horribile, ut nulla illud eloquentia ſatis valeat enarrare. *Proh nefas! Non poſſum ultrà progredi: prorumpunt lachrymæ antequam verba; & indignatione pariter ac dolore in ipſo meatu faucium ſpiritus coarctatur.* Ubi mare illud *eloquentia Tulliana?* Ubi *torrens fluvius* Demoſthenes? *nunc profectò muti eſſetis ambo, & veſtra lingua torpeſceret. Inventa eſt res, quam nulla eloquentia explicare queat, repertum eſt facinus, quod nec ſcurra ludere, nec ullatenus poſſit effari.* Quaſi dicat: Ceſſit eloquentia malitiæ: nam neq; in roſtris, ubi res figuris ſuis augentur & amplificantur: neque in theatris, ubi majora veris finguntur; ſacrilegium tam nefandum ſatis poteſt repræſentari.

Plura ſunt, quæ oſtendunt, quàm ſit enorme eorum ſcelus, qui vel opere, vel mente, & deſiderio in templis ſcortantur. Tale crimen comitantur quatuor circumſtantiæ, quæ illius gravitatem demonſtrant. Nimirùm ingratitudo, profanatio, impietas & infœlicitas. 1. Ingratitudo; nam Chriſtianus Deo pro multis beneficiis ſpecialiter addictus illud perpetrat. De illa ingra-
Jere. 11. titudine conqueritur ipſemet Deus: *Quid eſt, quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?* Dilectus meus, cui innumera dedi dilectionis meæ indicia,
Liran. & ingratus ille tot fecit ſcelera in domo mea; *in templo nomini meo conſecrato*, quod temerariè profanat. 2. Profanatio eſt ſecunda circumſtantia aggravans nefandum laſcivientium crimen. Unde poſtquam D. Chryſoſto-
Hom. 74 mus aſſeruit, quòd *multi ad formas mulierum aſpiciendas, ad adoleſcentulorum*
in Matth. *pulchritudinem curioſiùs intuendam in Eccleſiam veniunt*, quàm ſit gravis talis profanatio declarat. *Quid facis homo? Mulieris ſpeciem curioſiùs in Eccleſia perſcrutaris, nec horreſcis, tanta Dei templum afficiens contumelia? Proſtibulum tibi videtur Eccleſia, & foro ignobilior: nam in foro erubeſcis, etiam times, ne quis te videat mulierem ſectari, in Eccleſia verò Dei, cùm ipſe Deus te alloquatur, & ab iſtis deterreat, eo ipſo tempore maximè fornicatione & adulterio uteris; quo tibi magna voce intonatur, ut ab his fugias, nec horreſcis, nec ſtupes?* Sed 3. Profanationi adjungis impietatem, impudicos aſpectus injiciens, obſcœna verba proferens animo & voluntate laſciviens, tempore quo exercentur pietatis
Pſal. 73. opera. *Quanta malignatus eſt inimicus in ſancto?* Tanta, ut Regius Vates etſi cœleſti ſapientiâ illuſtratus vix valeat enarrare, quot pravæ mentis cogitationes, inordinatæ cordis affectiones, perverſa voluntatis deſideria; geſtus immodeſti, motus inſolentes, aſpectus impudici, ſermones obſcœni, ſollicitationes venereæ. *Et gloriati ſunt, qui oderunt te in medio ſolemnitatis tuæ*; ſeu ut in Hebræo legitur, *in medio templi, in quo agitur ſolemnitas*: eodem tempore quo juſti orationi vacant; quo probi Chriſtiani virtutis exempla præſtant; Eccleſiaſtici divinum Officium decantant; Prædicatores verbum Dei annuntiant; Confeſſarii peccatores Deo reconciliant; Paſtores ſacra-

mentum

mentum Baptiſmi adminiſtrant; Sacerdotes in altari ſacrificant, *ſordent ta-* L. 2. de
ſibus Eccleſia. Quis non execretur impietatem Adriani Imp. qui in ſtabulo cult.
Bethlemitico Adonidis erexit ſtatuam, *ut in ſpecu, ubi Chriſtus parvulus vagiit,* fœm. 8.
Veneris amaſius plangeretur? At non minùs deteſtanda eſt eorum impietas, D. Hierō.
qui in templis, ubi Chriſtus non per menſes aliquot, ſed ad annos & ſæcula ep. ad
corporaliter requieſcit, tot Adonides in oculis & corde formant, quot ob- Paulin.
ſcœnas cogitationes & turpia fingunt deſideria. Quæ 4. pœna tandem &
infœlicitate mulctantur; ut experientiâ doctus Auguſtinus fatetur: *Auſus ſum* L. 3. Cō-
in celebritate ſolemnitatum tuarum intra parietes Eccleſiæ tuæ concupiſcere, & feſſ. 3.
agere negotium procurandi fructus mortis. Cum gemitu & dolore recenſet D.
Auguſtinus ardores libidinis, quibus in adoleſcentia & juventute exarſit e-
tiam in Eccleſiis; refertque adhuc pœnas, quas ob obſcœna & ſacrilega deſi-
deria paſſus eſt. *Unde me verberaſti gravibus pœnis: ſed nihil ad culpam.* Quæ
enim pœna par illi eſſe poteſt, qui in eo loco procurat fructus mortis, ubi
vitam animæ debuerat adipiſci? Quod ſi interdum impudenter in Eccleſia
laſcivientes Deus in hac vita non punit, tantò majora in inferno ſuſtine-
bunt ſupplicia, quantò magis dilata fuit debita ſuis ſacrilegiis pœna. *Non* D. Chry-
miraris quomodò undique fulmina non deferuntur? Quomodò cuncta funditùs non ſoſt. hō.
evertuntur? Hæc enim non fulminibus ſolùm; ſed etiam gehenna ſupplicio digniſſi- 74. in
ma ſunt. Sicut autem, qui templa profanant, interminabili pœna ſunt digni, Matth.
ſic qui ea honorant, æternam merentur beatitudinem.

CONCIO SEXTA.

Tert. l. 4.
DEum facturum vindictam de profanatoribus templi, certò credendum adv.
eſt. In templo divina majeſtas eſt honoranda; liberalitas reco- Marc. 36
gnoſcenda; ſeveritas pertimeſcenda: at profanatores templi 1. Dei Ma- Tert. A-
jeſtatem inhonorant; quorum irreverentiæ *de contemptu utique cenſen-* pol. 14.
tur. 2. Erga ejus liberalitatem ſeſe ingratos demonſtrant. Nam *quæ Dei* Tert. lib.
mentio; quæ Chriſti invocatio, quæ gratiarum actio? Tandem 3. Dei ſeve- 2. de
ritatem non formidant. Nam *ubi metus in Deum; ibi gravitas honeſta*: cult.
ipſi verò nullam oſtentant gravitatem; nullam modeſtiam, ſed fœm. 6.
inſolentiam, impudentiam, temeritatem, quam punit Deus, 1. tem- Tert. lib.
pli ſui honorem zelans: 2. profanatores reprobans: 3. juſto ſupplicio de præſc
mulctans. hæret.

Planè Deus zelotes. Zelotes Chriſtus intrans in templum, docendi cau- 43.
ſa; in eoque reperiens vendentes & ementes; pro zelo venerationis I. PARS.
templi, quo æſtuabat, 1. nummulariorum effudit æs, menſasque ever- Tert. l. 3.
tit; 2. vendentes & ementes de templo ejecit: 3. illos acriter reprehendit. adv.

 1. Cùm Marc. 23

Lib. 4. 1. Cùm Deus non ſit Deus *everſionis*, qua de cauſa ita indignatus eſt
adv. Chriſtus, ut *ineat everſionem*? Hujus duplicem rationem ſubminiſtrat Aba-
Marc. 4. lenſis: Unam, quia negotiatio illicita eſt in domo Dei. Hanc rationem in-
Tert. lib. nuit ipſemet Chriſtus: (Nolite facere domum Patris mei domum negotia-
de præſc. tionis.) Alteram, quia communiter inter vendentes & ementes intercedit
hæret. 16 dolus & mendacium. Hæc autem in omni loco illicita ſunt, ſed in domo
In c. 2. Dei deteſtabiliora. Secundam iſtam rationem inſinuat adhuc Chriſtus: Do-
Joann. mus mea domus orationis eſt, & vos feciſtis eam ſpeluncam latronum: *Ter-*
Tert. lib. *renum Dei templum ſpelunca latronum appellari potuit à Domino*; quia in illo
de pud. c dolus & fraus exercebantur. Ad quod alludere videtur D. Cyprianus: *Inter*
Epiſt. 2. *ipſas leges delinquitur, inter jura peccatur, & innocentia nec illic, ubi defenditur,*
conſervatur. Si uſquam abſtinendum à peccato, maximè in templo, ubi pro-
hibetur: ſi uſquam innocentia cuſtodienda eſt, maximè in templo, ubi con-
D. Bern. fertur: *Ibi plus pecco, ubi peccata mea emendare debeo.* Chriſtus itaque tam ex
Tert. lib. zelo gloriæ domus Dei, quæ negotiatione contemnitur, quàm ex amore
de fug. hominis, qui peccando *evertitur de ſalute*, injuſtos negotiatores ejecit.
in perſ. 4 2. Profanatores de templo *ſine dubio ejiciendos* nemo dubitat, ſed prorſ-
Tert lib. ſùs eſt ſtupendum, quòd Chriſtus confecto de funiculis flagello eos percu-
de pud. tiendo expellat. Etenim ſi Apoſtolus non vult Epiſcopum percuſſorem, *quia*
15. *turpè eſt Epiſcopo etiam juſtè percutere: debet enim aliena, non propria manu per-*
Cajet. *cutere delinquentes*; quantò magis hoc videtur indignum ſummo Pontifice
Chriſto? Præſertim *quia*, ut docet D. Auguſtinus, *Deus non per ſeipſum punit,*
ſed per Angelos. Angelus primos parentes de paradiſo terreno ejecit: mi-
lites Sennacherib percuſſit, Sodomam & Gomorrham ſuccendit.
Lib. de Philo Judæus ſciſcitatur, cur tres cœleſtes legati ſub peregrinorum ſpecie
Abrah. venerunt ad Abraham; & duo tantùm adhibentur ad incendium Pen-
tapolis. Acutè reſpondet, ex illis tribus duos fuiſſe Angelos, tertium
verò Angelorum creatorem, qui per ſemetipſum bona largitur, per
ſuos verò miniſtros infligit pœnam. *Æquum judicans, ut bona per ſeipſum*
largiretur, contraria verò exequenda ſuis potentiis relinqueret, & ſic ſolùm ſuo-
rum bonorum auctor præcipuus, mali verò nullus exiſtimaretur: id quod
mihi videtur reges ad imitationem divinæ naturæ facere, dum per ſeipſos gratias
porrigunt, pœnas per alios ſanciunt. Chriſtus autem non per Angelos,
neque per Diſcipulos templi percutiens profanatores, quàm ſit grave ſce-
D. Vin- lus, templi profanatio apertè demonſtrat. In toto Evangelio *non legitur,*
cẽt. Ferr *quòd Chriſtus unquam peccata correxerit, niſi hîc.* Hinc apparet quantùm
ei diſpliceat templi profanatio. Quod ſi tantam ſeveritatem demonſtra-
V. Bed. vit Dominus erga vendentes & ementes; (quia videbantur licitè vendi in
in c. 2. templo, quæ ad hoc emebantur, ut in eodem templo offerrentur Domino:
Joann. ſed nolens ipſe Dominus aliquid in domo ſua terrenæ negotiationis, omnes
ejecit. Quid ergò fratres mei, quid putamus faceret Dominus, ſi fa-
bulis vacantes, riſu diſſolutos, vel alio quolibet ſcelere reperiret irretitos!)

Si Chriſtus flagellat eos, qui vendebant & emebant columbas divinæ Maje- Tert. lib.
ſtati mactandas, *quam caſtigationem merebuntur quæ inter pſalmos, vel in qua-* de vel.
cumq; Dei mentione libidinem negotiantur? *Caveamus ne nos flagellet, ne nos de* Virg. 16
Eccleſia ſua ejiciat Dominus, qui acriter vendentes & ementes redarguit. Alcuin.

3. *Deus & lenis & mitis.* Chriſtus etiam ſe mititatis magiſtrum & exem- Tert. l. 4.
plum proponit. Auguſtus inter omnes Imperatores de manſuetudine potiſ- adv.
ſimùm commendatur : at in iracundiam concitatur erga ſubditos irreve- Marc. 35
renter ingredientes in cubiculum ſuum, quod, ait Flaccus, erat *ſanctuarium*
Principis. Chriſtus Dominus mititatis magiſter innumera præſtiterat lenita-
tis magiſteria & exempla. Verùm templi profanatio *in iracundiam provoca-* Tert. l. 3.
vit ſanctum Iſraël. Chriſtus Dominus pacatè patitur injurias, detractiones, adv.
calumnias, falſa teſtimonia. A Juda venditur, oſculo traditur, nec queritur. Marc. 23
Apprehenditur, ligatur, vapulat: flagellatur, ſpinis coronatur, crucifigitur,
nec ullam emittit vocem : erga peccatores quantumvis ſceleroſos non con-
citatur: at contra ſolos templi profanatores indignatur. Dum alios hortatur
peccatores, id agit benignè, ſuaviter, absq; ullo ægritudinis verbo: at dum
in templi profanatores inſurgit, eos acriter redarguit, arrepto flagello velut
immundos de templo ejicit. *Quæſitu dignum eſt: qua de cauſa Chriſtus bis adeò* D. Chry-
indignatus eſt, cùm aliàs injuriis contumeliisq; affectus nihil tale fecerit? Scilicet ut ſoſt. hō.
oſtenderet, quantùm zelaret honorem domus Dei, & quantùm peccarent 21. in
illam profanantes. Joann.

Jonathas exercitum Philiſtinorum, gravi clade illata, in fugam egit; quod
adeò fuit ſtupendum, ut ſacer textus dicat *accidiſſe quaſi miraculum à Deo.* Lib. 1.
Inter miracula, quæ egit Dominus, maximum videtur D. Hieronymo ven- Reg. 14.
dentes & ementes ejeciſſe de templo. *Inter omnia ſigna, quæ fecit Dominus, hoc*
mirabilius aſſero; quod unus homo illo tempore contemptibilis potuerit ad unius fla-
gelli verbera tantam ejicere multitudinem. Ignitum enim quiddam radiabat ex
oculis, & divinitatis radios evibrabat. Idcircò nemo ſeſe ei opponere auſus eſt.
Tale miraculum majus exiſtimat Origenes eo, quod patravit in Cana Gali-
læz. *Hoc eſſe majus miraculum eo, quo aqua converſa eſt in vinum; eò quòd iſtic ina-*
nimata ſubſiſtit materia, hic verò tot millia hominum damnantur ingenia. Chriſti
indignatio denotat quàm ſint ſceleroſi templi profanatores, quos Deus ob
illorum impietatem reprobat.

Ipſe erit vindex qui & judex. Trinum eſt judicis munus. Unum diligenter II. PARS.
examinare crimen, quod debet judicare: Aliud, reos interrogare, ab eisq; fa- Tert. l. 4.
cti veritatem indagare: Tertium, adversùs ſceleroſos ſententiam ferre, eosq; adv.
ad ſupplicium damnare. Id obſervat judex Deus, dum de violatione templi Marc. 36
proceſſum inſtruit. Nam 1. intrantes examinat: 2. ſtantes attentè conſide-
rat: 3. profanantes reprobat.

1. *Examinatio criminis* non ſemper fit à ſupremo judice, ſed interdum Tert. a-
à commiſſario ab illo delegato. Templum ideò dictum exiſtimat Varro, pol. 2.
à tuendo, quod Deus quaſi domum ſuam intuetur, curat, & tuetur:

Ex

Epiſt.191 Ex magno autem Baſilio *Angelorum ſolerti cura concredita eſt Eccleſiarum*
Ezech. 9 *præfectura* ; & ob hanc cauſam aliorsùm nuncupat Angelum *Eccleſiæ præſi-*
dem & cuſtodem. Quod demonſtratum eſt Ezechiëli Prophetæ, qui vidit An-
gelùm ſub ſpecie hominis habentis *atramenta ſcriptoris ad renes ejus, & ſtetiſ*
ante altare æreum. Ad quid, niſi ut intrantes aſpiceret & examinaret, eorum-
In pſal. que delicta ſcriberet. Ut enim ait Magnus Baſilius : *Aſſiſtunt Angeli verba de-*
28. *ſcribentes, adeſt & Dominus affectus intrantium conſiderans.*

Tert. A- 2. *Iam ſi peccatoribus ad tranſlucendum quandam ſpecularem materiam na-*
pol. 35. *tura obduxiſſet, cujus non præcordia inſculpta apparerent* vanis cogitationibus,
perverſis affectionibus ; licèt homo carne materiatus aliorum non poſſit
Tert. lib. conſpicere præcordia, Deus tamen illa clarè perſpicit. *Neque enim ſi voluntas*
de pœn. *humana facta ſolùm judicat; quia voluntatis par non eſt : idcircò crimina ejus et-*
3. *iam ſub Deo negligamus*; qui ea quantumvis occulta & ſecreta penetrat, præ-
ſertim in Eccleſiis: unde peccatorem in corde crimina meditantem ſic allo-
D. Chry- quitur D. Chryſoſtomus. *Non cogitas ipſum hîc adeſſe inviſibiliter Dominum, qui*
ſoſt. in id *uniuſcujuſque motum metitur, & conſcientia rationem habet?* Ut enim ſubjun-
Eſa. Vidi git Tertullianus: *Nihil à conſpectu ejus remotum, undè omninò delinquitur. Quia*
Dñum. *non ignorat, nec omittit, quominùs in judicium decernat* fœdas cordis affectio-
nes, quas in animo volvunt templi profanatores, quos ob ſua ſcelera re-
probat.

Tert. l. 3. 3. *Honeſtiore & glorioſiore regni ſui regione violata, ipſa aula ſua & arce cal-*
adv. *cata.* Violatores, conculcatores aulæ ſuæ, profanatores regiæ ſuæ reprobat
Marc. 23. Deus: & ad pœnam tum damni, tum ſensûs, condemnat. Et quidem ad pœ-
1. Cor. 3. nam ſensûs: Apoſtolo namque teſte, *Si quis templum Dei violaverit, diſperdet*
illum Dominus. Quomodò autem illum Deus diſperdat, expendit S. Antoni-
nus Florentinus præſul; *Perdet animam ſuam, ad inferos judicando,* æternoque
igni tradendo. Ad pœnam adhuc damni, quæ conſiſtit in privatione viſionis
Iſa. 26. Dei. *In terra Sanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Dei*; qua fruuntur
In id, ec- in cœlo Beati. *Durus eſt hic ſermo, & comminatio valdè terribilis*, exclamat D.
ce nos Bernardus: *Non videbit gloriam Dei.* Terribilem illam comminationem me-
relin- tuere debent templi profanatores, quos Deus condemnat, & juſtè pœna
quimus mulctat.
omnia.

III. PARS *Si quis templum Dei vitiaverit, vitiabitur utique & à Deo templi.* Tres
Tert. l. 5. ſunt Dei domus, in quibus ſpecialiter inhabitat; nimirùm ædes ſibi dica-
adv. ta, Eccleſia luce veritatis illuſtrata; & anima gratiâ ſanctificata. Chri-
Marc. 6. ſtus primam domum deſignat, vendentes & ementes increpans : *Do-*
Luc. 19. *mus mea domus orationis vocabitur, & vos feciſtis illam ſpeluncam latronum.*
Prov. 9. Sapiens ſecundam Dei domum commemorat, ajens : *Sapientia ædifica-*
vit ſibi domum, excidit columnas ſeptem; ſeptem ſcilicet Eccleſiæ Sacra-
Hebr. 3. menta. Tertiam Apoſtolus declarat, dicens: *Chriſtus tanquam filius in do-*
mo ſua : quæ domus ſumus nos. Deus autem juſtè punit violantes trinam il-
lam domum, profanantes 1. ſacram ædem ſibi dicatam : 2. Eccleſiam

luce

luce veritatis illuſtratam: 3. animam gratiâ ſanctificatam.

1. *Ipſe templi Dei vitiator in templum Dei convenit*; non ad orandum, adorandum, gratias agendum, Deumque colendum, ſed ad fabulandum, ridendum, *ad libidinis illecebras* & admittendas fœditates, quas vidit Ezechiël: ob quas Deus ad indignationem provocatus terribile comminatur ſupplicium, ut ipſemet Propheta declarat. *Vides fili hominis? Numquid puſilla domus Iuda, ut faciant facinora, quæ fecerunt hic? Ego faciam cum indignatione mea, non parcet oculus meus: approximavit vindicta civitatis hujus, & unusquiſq; habuit vaſa exterminii in manu ſua.* — Tert. lib. de Pud. 15. Tert. Apol. 35. Tert. lib. adv. Jud. 11.

Neque Judæi duntaxat ob templi profanationem fuerunt ſeverè puniti, ſed adhuc plures alii fuêre pœna mulctati. Quis neſciat Heliodorum ab Angelis verberatum ob profanationem templi? Balthaſar de vivis ſublatum dum in convivio ſacris templi abuteretur vaſis? (In eadem hora apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum, in ſuperficie parietis aulæ regiæ.) *Eadem hora dicitur, ut oſtendatur manifeſtè, propter quid erat Dei vindicta, ſcilicet propter contemptum Dei in abuſu vaſorum ſacrorum.* Qui plura voluerit diſcere divinæ juſtitiæ monumenta erga profanatores templi, legat Baronium. Neque immunes fuerunt à Dei vindicta violantes ſecundam Dei domum, ſcilicet Eccleſiam luce veritatis illuſtratam. — Dan. 5. Gloſſ. An. 480. 844. 846. 902. 917

2. *Qui templum Dei vitiaverit, vitiabit illum Deus.* Hunc locum ab Apoſtolo mutuatum refert Tertullianus, juxtaque Græcum legit, vitiabit, ſeu corrumpet. Loquitur autem eo in loco Paulus præſertim de corruptione, quæ fit docendo & perſuadendo falſam doctrinam: ſchiſmata per invidiam aut ſuperbiam concitando. Quod novatores & hæretici attentantes, æterno nec-non temporali mulctati ſunt ſupplicio. Quis neſciat linguam Neſtorii à vermibus corroſam? Arium ventrem purgare volentem inteſtina projeciſſe? Olimpium adversùs Sanctiſſimam Trinitatem blaſphemantem, tribus jaculis de cœlo miſſis vulneratum, animam efflaſſe? Taceo cæteros ſupernè punitos. *Quæ cùm ita ſint, audiant ſacrilega ſchiſmata, vel hæreſes impiæ:* audiant peccatores profanantes animam gratiâ ſanctificatam. — Tert. lib. de Pud. 18. D. Aug. l. 5. contr. Parmé. 6. Tert. lib de Pud. 16.

3. *Vos enim eſtis templum Dei vivi*, quod peculiariter tribus convenit perſonis: nempè Sacerdotibus, Regularibus, & Chriſtianis gratia ſanctificante decoratis. Sacerdotes ſunt templum Dei vivi; & ut ipſimet fatentur apud Tertullianum: *Nos enim ſumus & templa Dei, & altaria, & luminaria, & vaſa.* 2. Regulares ſunt templum Dei vivi. Hac de cauſa virgines Deo ſacratas nuncupat D. Ignatius, modò *ſacerdotes Chriſti*, modò *altare Dei*, quia a ſæculo ad religionem transferuntur. *Quaſi ſtatum conſecratione mutantes.* Votorum namque vis efficit, *ut ſimus templum Dei.* Nam ut docet D. Thomas: *Solemnitas voti attenditur ſecundùm aliquod ſpirituale, quod ad Deum pertineat, id eſt, ſecundùm aliquam ſpiritalem benedictionem, vel conſecrationem*, quæ regulares à mundo ſemotos ſpecialiter Deo conſecrat: Hac ratione Magnus — Lib. de Cor. Mil 10. Epiſt. ad Tarſ. Tert. Apol. 12. D. Aug. in Pſ. 131. 2.2. q. 88 a. 7.

Baſilius aſſeverat; (Cùm quis ſeculo nuntium remiſit, divinum quoddam
vas effectum eſſe, idque ei cavendum, ne vitioſo uſu polluatur, ſeque ipſum
cuſtodire debere, tanquam rem dicatam, ne in ſacrilegii ſcelus incurrat, ſi
corpus animumque Deo ſacratum rursùs miniſterio vitæ ſecularis conta-
Serm. 1. minet.) D. Bernardus regularium conſecrationi dedicationis Eccleſiæ ritus
de mo- accommodat. *Veſtra eſt, Fratres chariſſimi, veſtra eſt hodierna feſtivitas. Vos de-*
naſt. inſt. *dicati eſtis Domino, vos elegit & aſſumpſit in proprios.* Tibi, inquit Propheta,
Serm. 1. derelictus eſt pauper: orphano tu eris adjutor. *Quàm bene commutaſtis, dile-*
de De- *ctiſſimi, quicquid habere potuiſtis in ſeculo, quando nunc relinquendo ea proprii eſſe*
dic. Eccleſ *meruiſtis authores ſeculi, & eum habere propriam poſſeſſionem, qui ſine dubio*
Pſal. 9. *portio & hereditas eſt ſuorum: Neque enim, ſicut dixerunt filii iniquitatis:* Beatus
Pſ. 143. populus, cui hæc ſunt; *temporalia ſcilicet, quæ præmiſerat:* Promptuaria eructã-
tia ex hoc in illud, oves fœtoſæ & ſimilia. *Non, inquam,* beatus populus, cui
hæc ſunt, *ſed* beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. *Videte er-*
gò ſi non dignum ſit, ut feſtum agamus diem, quo nos aſſumpſit in proprios, & inve-
ſtivit ſe per miniſteriales & vicarios ſuos, ut fiat, ſicut olim jam promiſe-
Zachar. 2 *rat.* Ego in medio eorum ero eorum Deus: nos autem populus ejus, &
oves paſcuæ ejus. *Quando enim domus iſta per manus Pontificum dedicata*
eſt Domino, propter nos ſine dubio factum eſt, non ſolùm qui præſentes ſumus, ſed
& quicumque uſque in finem ſeculi Domino ſunt in hoc loco militaturi. Pro-
ſequitur Bernardus applicans religioſis quinque, quæ in dedicandis Ec-
cleſiis adhibentur: ſuntque *aſperſio, inſcriptio, inunctio, illuminatio & benedi-*
ctio. Nam Chriſtus Pontifex maximus 1. lavat nos in confeſſione, lavat
nos lachrymarum imbre, lavat nos ſudore pœnitentiæ. 2. Inſcribit legem
ſuam non in tabulis lapideis, ſed in corde novo, quod ipſe dat contritum
& humiliatum. 3. Obſervantiarum & multimodæ pœnitentiæ cruces de-
votionis ſuæ gratiâ liniens adjuvat infirmitatem noſtram: quia nec ſine
cruce ſequi Chriſtum, & ſine unctione crucis aſperitatem ferre quis poſſet.
4. Poſtquam unctio gratiæ præceſſerit, lucernam ſuam ponit ſuper
candelabrum, ut luceat virtutum exemplo. 5. In benedictione tota comple-
bitur gratia ſanctificationis, quando jam in domum tranſibimus, in do-
mum æternam in cœlis.

Tert. lib. de pud. 16. Tandem 3. cuncti Chriſtiani gratiâ ſanctificante decorati ſunt tem-
plum Dei. *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Ut enim ait D. Au-
Lib. de guſtinus, *Templum ſanctum eſt Deo mens pura, & altare optimum eſt cor mun-*
Nat. & *dum, & ſine peccato.* Quod confirmat Hipponenſis Antiſtes elucidans iſtud
Grat. c. Davidicum: (Sanctum eſt templum tuum mirabile in juſtitia tua:) *Non di-*
64. *cit, Templum tuum ſanctum mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mira-*
Pſ. 64. *bile in tectis auratis, ſed mirabile in juſtitia.* Inde Dei benignitatem præ-
Serm. 2. dicat D. Bernardus & animarum dignitatem. *Quanta enim Dei benignitas,*
de Dedic *quanta dignatio, quanta dignitas, quanta gloria animarum, quòd Dominus uni-*
Ec[illegible] *verſorum, & qui nullam habet indigentiam, templum ſibi fieri jubet in illis?* Hujus

ſpiri-

ſpiritualis templi dedicatio in ſacramento Baptiſmi ritè peragitur, quo interior illa domus profana à maligno ſpiritu polluta & contaminata per ceremonias Eccleſiaſticas, fugato maligno ſpiritu, expiatur, & advocato S. Spiritu, Deo conſecratur; renatus enim *excipitur à Spiritu ſancto, ſicut in priſtina nativitate à ſpiritu profano.* Illa autem animæ conſecratio eſt longè majori lætitia & reverentia celebranda quàm Eccleſiæ dedicatio, quia non mortuum & inanimatum, ſed vivens & animatum Deo dedicatur templum. Imò, ut vult D. Bernardus, Eccleſiarum dedicatio ad animarum conſecrationem refertur, & parietes ſanctificantur ad denotandam animarum ſanctitatem. *Licèt enim parietes hos, & dici ſanctos, & eſſe faciat conſecratio Epiſcoporum, frequentatio Scripturarum, inſtantia orationum, reliquia Sanctorum, viſitatio Angelorum; minimè tamen eorum ſanctitas propter ſe credenda eſt honorari, quos nec propter ſe certum eſt ſanctificari. Quinimò ſancta eſt propter corpora domus, corpora propter animas, anima propter ſpiritum inhabitantem.* Et ob hanc cauſam quoties celebratur dedicationis Eccleſiæ feſtivitas, celebrandam cenſet D. Bernardus ſanctarum animarum, quæ ſunt domus Dei, ſolemnitatem.

Tert. lib. de An. 41

Serm. 4. de dedic Eccleſ.

Serm. 5. de dedic Eccleſ.

Si quis templum Dei vitiaverit, vitiabit illum Deus. Hanc comminationem timere debent ſacerdotes ſceleroſi, qui ſanctum Ordinis profanant characterem; pravi Regulares, qui profeſſionis ſuæ violant votum; impudici Chriſtiani, qui corpora ſua pudicitiæ conſecrata contaminant: *Nemo ſe fallat & dicat; Templum Dei animus meus eſt, non corpus meum, Apoſtoli eſt ſententia.* Neſcitis, quòd corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, quem habetis à Deo? *Contemnebas corporale peccatum, contemnas quod peccas in templum: ipſum corpus tuum templum in te eſt ſpiritus Dei. Iam vide quid facias de templo Dei. Si eligeres in Eccleſia facere adulterium intra iſtos parietes, quid te eſſet ſceleratius? Modò autem tu ipſe es templum Dei, templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum ſurgis. Vide quid agas, vide ne offendas templi habitatorem, ne deſerat te, & in ruinam vertaris.* Neque duntaxat laſcivientes, corpus ſuum maculantes, templum polluunt, ſpiritum Dei inhabitantem offendunt, ruinam incurrunt; ſed etiam cuncti peccatores animam ſuam, quæ eſt Dei templum, ſceleribus profanantes. *Quoties aliquod peccatum aut cogitando, aut loquendo, aut etiam operando perficimus, templum Dei deſtruimus*, ſuppliciumque meremur. *Qui malè vivunt in Eccleſia Catholica, quantum in eis eſt, domum Dei volunt facere ſpeluncam latronum, veniet tempus, quando in vindictam peccatorum ſuorum foràs mittentur*, inviſibiliterque ſimile patientur ſupplicium, ac ſacerdos criminoſus degradatus & traditus foro ſeculari puniendus. Sacerdos criminoſus ad ſpectaculum & ignominiam multitudini objicitur; peccator exponitur Angelorum & Beatorum conſpectui. Ille ſacerdotalibus exuitur ornamentis, quibus accedebat ad altare ſacrificaturus; iſte exuitur gratia ſanctificante & virtutibus, quæ ejus animam decorabant. Ille de ſacrorum Ordinum

Tert. lib. de Pud. 16.

D. Aug. ſer. 26. de Verb. Dom.

1. Cor. 6

D. Aug. ſerm. 210. de Temp.

D. Aug. in proœm. Pſ. 130.

 gradu

gradu deponitur, iſte de juſti & filii Dei dignitate degradatur. Ille brachio ſæculari puniendus traditur, iſte dæmonibus traditur in æternum cruciandus. Horremus ad ſacerdotis degradationem, pertimeſcamus animæ devaſtationem, timor tanti ſupplicii nobis ingerat horrorem peccati, & arceat à nobis omnem cogitationem, ſermonem & actionem, quæ tantisper ſpirituale Dei templum poſſet profanare; illiusque ſanctitatem omni diligentia cuſtodiamus; nam animæ, quæ per gratiam ſunt templum Dei, merentur fieri templum ejus per gloriam.

VERBUM DEI
CONCIONATORIUM.

SCHOLIUM.

Demonſtranda eſt Verbi Dei 1. Indigentia & neceſſitas: 2. Deſiderium & aviditas: 3. Excellentia & dignitas: 4. Vis & efficacitas: 5. Fructus & utilitas: 6. Contemptus & vilitas.

CONCIO PRIMA.

TRinum eſt Dei verbum, mentis ſcilicet, cordis, & oris: Primum ab æterno Patre producitur: ſecundum ex divina dilectione in utero Virginis humanatur: tertium authoribus Canonicis inſpiratur: & hoc *locutus eſt Deus ore ſanctorum Prophetarum*, Apoſtolorum & Evangeliſtarum; eſtque à Chriſtianis neceſſariò, 1. appetendum: 2. ſumendum: 3. digerendum. Tert. lib. de Reſ. 23.

I. PARS

Fames eſt appetitus alimenti ad vitam conſervandam neceſſarii. Quemadmodum enim oleum neceſſarium eſt lampadi ad lucendum; ita alimentum viventibus ad vitæ conſervationem. *Panis eſt ſermo Dei vivi.* Hic panis 1. ſapienter appetitur: 2. miſerè faſtiditur: 3. infœliciter rejicitur. Tert. lib. de Orat. 6.

1. Inter *cauſas neceſſitatis, cibi famem, & potus ſitim*, meritò recenſet Tertullianus: Homo ex corpore & anima conſtitutus duplici indiget alimento, his duabus partibus quibus eſſentialiter componitur convenienti: Materiali uno, quo ſuſtentetur corpus: Spirituali altero, *ne anima pars melior oppreſſa fame obruteſcat.* Duplex illud alimentum deſignat Chriſtus Dominus. Materiale quidem, docens nos in Oratione Dominica petere panem noſtrum quotidianum; ſpiritale alterum, rejiciens diabolum & dicens; (Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni

L. de Reſ. 61.

Baſil. Sel

omni verbo, quod procedit de ore Dei.) Fœlices, qui ſpiritualis cibi famelici ſunt : hac tamen fame perpauci laborant, neque cibum quærunt ſpiritualem; nimia ſollicitudine corporale quærentes alimentum : quo nihil abſur-
Orat. dius exiſtimat D. Chryſoſtomus. *Quomodò ergò non abſurdum, pro repellenda*
cont. A- *fa ne corporali omnia attentare : animæ autem famem ſpontè quærere?* Uti cibus
nomæos ſpiritualis pro explenda animæ fame ſapienter appetitur : ita miſerè faſtiditur.

Tert. lib. 2. *Sublatâ morte, victus fulcimenta ad præſidia vitæ* ampliùs neceſſaria non
de reſ. 61 *erunt, nos quoque, ut poſſumus, os cibo excuſamus*: Perpauci tamen ſunt in hac victûs moderatione, multi è converſo gulæ indulgent, & totum ſuum ſtudium adhibent in quærendis variis & delicatis cibis, quibus nutriatur corpus; mi-
D. Bern. ſerè faſtidientes animæ cibum ; *Sermo Dei cibus eſt noſter*, ſimiles Judæis de
ſer. 24. manna dicentibus: Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo. Pariter
de Di- illis faſtidio eſt Dei ſermo; vel quia ægrè ferunt concionantem, *Paſtorem fa-*
verſ. *ſtidioſum*, ut ajunt; vel quia concio nimis illis frequens videtur, *Semper abun-*
Tert. A- *dantia in ſemetipſum contumelioſa eſt.* Verùm quavis ratione faſtidiant Dei
pol. 14. ſermonem, infœliciter rejicitur.

Tert. lib. 3. *Fides famem non timet. Didicit non reſpicere vitam, quantò magis victum?*
de Idol. Verùm, etſi non timeat corporis famem propter Deum toleratam, quæ im-
12. mortalem meretur vitam, timere tamen debet animæ famem. Sicut enim ait Dionyſius Carthuſianus, corporalis periclitatur hominis vita alimenta nauſeantis & reſpuentis. Ita animæ vita periclitatur, quæ cibum ſpiritua-
Amos. 8. lem rejicit. Nam in pœnam faſtidii, quod demonſtrat, patietur cibi ſibi ne-
Tert. lib. ceſſarii famem, juxta comminationem à Deo factam : *Dabo eis non famem*
adv. Jud *panis & vini, ſed famem audiendi verbum Dei.* Hac pœna mulctati fuêre Judæi
13. *ſiti pereuntes, id eſt, Verbi divini potu privati.* Fratres, timeamus comminatam
II. Pars. à Deo pœnam, & ne nobis adveniat, appetamus, & ſumamus Dei ſer-
Tert. lib. monem.
de Bapt. *Dominus quadraginta dierum jejunia emenſus oſtendit non pane vivere homi-*
20. *nem Dei, ſed Dei verbo.* Dei verbo indigent cuncti Chriſtiani; nam *verbi Dei*
Clement. *propoſitio eſt ad ſalutem neceſſaria*: ſed præſertim 1. infantibus; 2. convaleſcen-
tin. l. de tibus: 3. itinerantibus.
pœn. & 1. *Catuli infantiæ* potiſſimùm indigent alimento; quia innato abundan-
remiſſ. tes calore quantociùs cibos digerunt. Ex Clemente Alexandrino Chriſtiani
Tert. lib. in ſacris paginis pueri & puſilli nuncupantur; & hoc, Vel quia puerilem de-
de pœn. bent imitari ſinceritatem, humilitatem, puritatem, ſine qua non intrabunt
6. in regnum cœlorum: Vel quia in hac vita in ſanctitate exiſtentes ſunt veluti
1. Pœdag infantes: *Facti ſumus ſicut parvuli in medio veſtri* : in futura verò reſurrectione
c. 4. erunt viri formati in ætatem plenitudinis Chriſti. Idcircò princeps Apoſto-
Math. 18 lorum Petrus Chriſtianos velut infantes conſiderat, quos ad concupiſcen-
1. Theſſ. 2 dum lac hortatur *Sicut modò geniti infantes lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in*
1. Petr. 2. *ſalutem.* Et vas electionis Corinthiis cunctiſque Chriſtianis velut parvulis

lac

lac cœleſtis doctrinæ præbuit, *tanquam parvulis in Chriſto lac potum vobis dedi.* 1. Cor. 3
2. Neque infantibus duntaxat: ſed etiam infirmantibus & convaleſcentibus neceſſarium eſt alimentum, quod innuit etiam Apoſtolus Timotheum *propter ſtomachum & aſſiduas imbecillitates modico vino monens uti.* Convaleſcentes indigent cibo, ut reperiant quæ perdiderunt, & vacuum à morbo cauſatum repleant. Peccata ſunt infirmitates animæ, & quantumvis ſanata ſit per pœnitentiæ medelam, morbi perſentit adhuc reliquias; nonnulloſque patitur adhuc languores. Idcircò ne idem illi adveniat, quod Regio Vati, qui ut ipſe teſtatur, *aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum*, reficienda eſt ſermone Dei, qui eſt etiam itinerantibus neceſſarius. Tert. lib. de jejû. 9 Pſ. 101.
3. *Quadraginta diebus Moyſes & Elias jejunio functi ſolo Deo alebantur. Iam tunc enim dedicabatur; Non in ſolo pane vivet homo, ſed in Dei verbo.* Verùm dum ad montem properaret Elias, cibo indiguit, ſine quo iter peragere non potuiſſet Quare Angelus de cœlo miſſus obtulit ei panem, dicens: *Surge & manduca: grande enim tibi reſtat via.* Et ob eamdem rationem Chriſtus Dominus miraculosè multiplicavit panem ad cibandos tot millia hominum, qui eum ſecuti fuerant in deſertum, ne ſcilicet redeuntes in itinere deficerent: *Si dimiſero eos jejunos, deficient in via.* Quamdiu ſumus in hoc ſeculo, ſumus viatores & itinerantes: Verbum Dei nobis eſt neceſſarium, ut iter noſtrum valeamus perficere. Cur autem tot videmus in via deficientes? Hoc accidit, vel quia cibum illis neceſſarium non ſumunt: *Eſurientes & ſitientes anima eorum in ipſis defecit*: vel quia etſi cibum ſumant, illum tamen non digerunt. Tert. lib. de reſ. 61 L. 3. de Reſ. 19. Matth. 8. Pſ. 106.
Sermo Dei eſt *fide digerendus:* Ad hoc ut alimentum proficiat, eſt in ore comedendum, ad ſtomachum trajiciendum, & ab ſtomacho digerendum. Sermo Dei ſimiliter eſt 1. in aure recipiendus: 2. ad intellectum transmittendus: 3. in corde digerendus. III. PARS. Tert. lib. de reſ. 37
1. In auribus ſeſe mulieres ornare moliuntur, & ſæpè ſæpiùs *graciles aurium cutes calendarium expendunt.* At quantumvis ſint pretioſæ uniones, quas deferunt, meritò Tertullianus prædicat, *vera ornamenta aurium, Dei voces.* Unde poſtquam fucum & luxum à Chriſtianis mulieribus removere conatus eſt, pulchriores & ornatiores illi videntur non rubore aut mimio depictæ, ſed *inſerentes in aures ſermones Dei.* Ideò ſponſæ dotem in auditu ſitam cenſet Divus Chryſoſtomus, expendens iſtud Davidicum, (Audi filia.) *Dos ſponſa in auditu erat*; quod innuit ſacer ſponſus ſponſam alloquens, *Dedi circulos auribus.* In Hebræo habetur, *globulos inaures*, ſeu uniones rotundas, aures ornantes & decorantes. Ut autem acutè animadvertit Divus Bernardus, Regius Vates gradatim procedit ab auditu ad viſionem, Audi filia & vide. Quaſi dicat: *Videre deſideras, ſed audi priùs: gradus eſt auditus ad viſum; proinde audi, & inclina aurem tuam, ut per auditus obedientiam ad gloriam pervenias viſionis.* Non ſufficit, ut ſermo Dei in auditu Tert. l. 1. de cult. fœm. 8. Scorp. 3. L. 2. de cult. fœm. 13 Pſal. 44. Hom. ad Eutrop. Ezech. 16. Serm. 41 in Cant.

ditu recipiatur,ſed requiritur adhuc ut ad intellectum transmittatur.

Tert. 2. *Verba non ſono ſolo ſapient,ſed & ſenſu*:ideoque ultrà aurium auditus
Scorp.7. apponenda eſt mentis intelligentia. Duas aures habemus in corpore ad
L.6. de audiendum diſpoſitas. Imò ex Galeno naturæ author Deus cordi etiam
part.c.15 duas dedit aures, ut faciliùs cœli poſſet percipere documenta Aures tum corporis; tum cordis ex D. Hieronymo ſacer denotat textus,
In cap. dicens: *Auribus percipe terra.* Solus namque intellectus percipere poteſt
Tert. ſenſum verborum, quæ *nec auribus tantummodò audienda ſunt,ſed & mentibus:*
Scorp.7 aures audiunt ſonum, mens verò penetrat ſenſum. Hæc duo inter præ-
Deut.29 cipua Dei dona collocant ſacræ paginæ, ſcilicet *aures, qua audire poßint, & cor intelligens.*

L.1.Mor Ut autem benè ait ad propoſitum Magnus Gregorius: *Verba Dei tunc veriùs mens intelligit, cùm in eis ſeipſam quærit*, & qualis ſit attentè conſiderat,
Lib. 50. ad quod Chriſtianum ſtimulat D. Auguſtinus: *Amas verbum Dei, & libenter*
Hom. *audis,Ecce quod propono,in eo te examina,in eo te appende,in eo aſcende ad men-*
Hom.9. *tis tuæ tribunal, & conſtitue te ante te; & ſi pravum inveneris te, corrige te.* Si bonum te cognoſcis, ora Deum, poſtula ſuam gratiam, ut in bonitate valeas
D. Bern. perſeverare. *Sic ſerva ſermonem Dei, quomodo meliùs ſervare potes cibum cor-*
ſer.5. de *poris tui. Nam & ille panis vivus eſt,& cibus mentis. Panis terrenus, dum in arca*
Advent. *eſt,poteſt à fure tolli,poteſt à mure corrodi,poteſt vetuſtate corrumpi.Ubi verò comederis illum,quid horum timeas?hoc modo cuſtodi verbum Dei.* Beati enim,qui cuſtodiunt illud.Quod ut meliùs exequatur, in corde digerendus eſt.

Tert. lib. 3. Cibi corporei digeruntur in ſtomacho, Dei verò ſermones *in*
de ſpect. *ipſo ſpiritu & anima digeruntur*; alimenta in ſtomacho digeruntur, &
13. converſa in ſanguinem ad cunctas corporis partes mittuntur. Frater,
D. Bern. verbum Dei, quod eſt ſpirituale alimentum, *trajiciatur in viſcera*
ibid. *quædam animæ tuæ, tranſeat in affectiones tuas, & in mores tuos*, ut eos benè componas. Cibus corporeus quantumvis guſtui gratus, ni-
Lib.12. hil proficit, ſi ab ſtomacho non digeritur. Eodem modo ait Magnus
Mor.c. Gregorius Dei ſermo, qui eſt animæ cibus, nihil vel parum proficit, niſi
ult. digeratur in corde. Idcircò, Fratres, *benè comedite, ſed cùm audieritis,*
D. Aug. *benè digerite: benè manducat & malè digerit, qui audit verbum Dei &*
ſer.13.in *non facit: non enim ducit utilem ſuccum, ſed crudum ructat in digeſtione faſti-*
Comm. *dium.* Quemadmodum autem infirmitatis & morbi periculoſi indicium eſt, dum ſtomachus alimenta non digerit, ſed cruda & indigeſta egerit; ita languentis animi ſignum eſt, dum verbum Dei non digerit, ſed fa-
Tert.lib. ſtidit. Nam *quomodò id obſervabimus, ſi faſtiditi* illud ejiciamus qua ſupra
de pat. re? Sic ratiocinatur Magnus Gregorius: *Cibus enim mentis eſt ſermo*
10. *Dei, & quaſi acceptus cibus ſtomacho languente ejicitur, quando auditus ſermo*
Hom. *in mente non retinetur: ſed quiquis alimenta non retinet, hujus profectò vita*
Sup. E- *deſperatur.*
vang. Unde procedit quod corpus non digerit alimenta, ea non digerit, ſed

ſed ejicit: hoc evenit neceſſariò vel ex qualitate ciborum, vel ex diſpoſitione ſumentis. Non ex qualitate ciborum, qui ſunt optimi & ſuaviſſimi: ergò ex indiſpoſitione ſumentis. Eodem modo in præſenti materia ratiocinatur D. Auguſtinus: *Sanis ſuavis eſt panis. Quid melius & præclarius pane cæleſti? Sed non obſtupeſacit dentes iniquitas, Scriptura enim dixit:* Sicut uva acerba dentibus noxia eſt, ſic iniquitas utentibus ea. *Quid prodeſt quia panem laudatis, ſi malè vivitis? quod laudatis, non manducatis. Cùm ergò audis verbum juſtitiæ & veritatis, & laudas, multò laudabilius eſt ſi facias. Fac ergò quod laudas. An dicturus es. Volo, & non valeo? Quare non vales? quia ſanitas tibi non eſt? Vnde ſanitatem perdidiſti, niſi quia peccando creatorem offendiſti? Ergò ut ejus panem, quem laudas, cum ſuavitate, id eſt, cum ſanitate manduces;* age pœnitentiam, acquire gratiam, præbe aures verbo Dei, illud ad intellectum transmitte, in corde tuo digere; defectus tuos corrige, virtutibus ſtude, & mereberis uti cibô inviſibili, quo nutriuntur in cœlo Angeli.

Serm. 4. de verb. Apoſt. Prov. 10.

CONCIO SECUNDA.

CHriſtus Dominus *ſermonem conſtituens vivificatorem* nonnullas requirit in homine diſpoſitiones, ut vitam à vivificatore Dei ſermone conſequatur. Tria autem ſunt tempora, quibus homo ad Dei ſermonem referri poteſt. Unum præcedit concionem, aliud eam comitatur; tertium ſequitur. Dei ſermo eſt 1. ante concionem avidè appetendus: 2. tempore concionis devotè audiendus: 3. poſt concionem ſedulò cuſtodiendus.

Tert lib. de Rel. 37.

Sermo Dei *proindè in cauſam vitæ appetendus.* Et ut fatur D. Bernardus, Dei verba *nonniſi magno ſuſcipienda ſunt deſiderio. Etenim ſi corporis cibus, cùm abſque appetitu illum ſumis, non modò non prodeſt, ſed & nocet plurimùm, multò magis panis animæ cum faſtidio ſumptus non ſcientiæ detrimentum, ſed magis tormentum conſcientiæ importabit.* Profectò *ſicut eſurire corporalis ſanitatis indicium eſt; ita ſtudio magno audire verbum Dei bonæ animæ valetudinis certiſſimum eſt argumentum.* Tria ſunt potiſſimùm, quæ omnes homines naturaliter deſiderant, nempè à malo liberari, bono perfrui, beatitudine donari. Verbum autem Dei ritè auditum 1. à malo liberat: 2. bonum præſtat: 3. beatitudinem comparat.

I. PARS. Tert. ibid. ſerm. 35. in Cant. D. Chryſoſt. hom. 4. in Gen.

1. Nullus eſt qui liberari à malo non deſideret; quapropter in oratione dominica poſtulamus, *libera nos à malo.* Ex D. autem Auguſtino, *liberat à laqueo verbum Dei in corde, liberat à via prava verbum Dei in corde; liberat à ruina verbum Dei in corde. Tecum eſt, cujus verbum à te non recedit. Quid enim mali patitur, quem cuſtodit Deus?* Neque duntaxat à malo liberat, & à lapſu præſervat verbum Dei; ſed adhuc in adverſitate poſitos conſolatur, ut patet

Tert. lib. de orat 8. In Pſal. 36

L. 1. Machab. 12. ex Machabæis & primipilis Chriſtianis. Quod Machabæi de ſemetipſis teſtantur, *habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris.* Idipſum aſſeverant primipili Chriſtiani perſecutionis fluctibus jactati: *Si quid præſentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoſcere; certè fidem ſanctis vocibus paſcimus*, id eſt, ſacrarum literarum lectione. *Ibidem etiam exhortationes* quibus ad tyrannorum ſævitiam patienter tolerandam inducimur. Hac de cauſa ait D. Auguſtinus: *Vnumquemque Chriſtianum in rerum tranquillitate, quam ſignificat æſtas, colligat verbum Dei, ut in adverſitate & tribulationibus, quæ hyemis nomine ſignificantur, habeat unde ſpiritualiter vivat.* Alludit ad formicam, quæ æſtatis tempore frumentum colligit, quo hiberno nutritur tempore: *Si autem hoc eos movet, quod in terra condit formica, quod colligit: iraſcantur etiam illi theſauro, quem Dominus autem dicit in agro inventum*, quem deſideratum Dei verbum lucratur.

Tert. Apol 39.

Lib. cont. Adimant. c. 24.

L. de jejun. 5. 2. Manna *cœlum fragrare* docet Tertullianus: fortaſſè quia ſicut cœlum omne bonum continet, ita Manna omne delectamentum in ſe habet. Philo autem Judæus non immeritò opinatur Manna eſſe verum verbi Dei ſymbolum: quia ſicut Manna in ſe complectebatur delectamentum cujusvis generis, quo Hebræi frui deſiderabant, ita verbum Dei omnia ſecum affert dona quæ homo juſtus poteſt in hoc mundo deſiderare. Idcircò beati, qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud. *Vultis noſſe quàm beati? primùm quidem ſonans in auribus animæ vox divina conturbat, terret, dijudicatque: ſed continuò, ſi benè adverteris, vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus noſter eſt, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies, reſurrectio quoque & conſummatio noſtra.* Quivis nullo negotio valet enucleare tot bona verbo Dei comparanda. Subjungit Divus Bernardus: *Nec mireris, quod verbum Dei jam nunc inveniatur omnia in omnibus eſſe, quantùm ſpectat ad juſtificationem, ſiquidem futurum eſt omnia in omnibus ad glorificationem* & beatitudinem, quæ per verbum Dei auditum & obſervatum conſequitur.

L. 2 Allegor. Luc. 11. D. Bern. Ser. 24. de Divers.

L. de reſ. 37. 3. Ut enim ait ipſemet Chriſtus à Tertulliano relatus: *Qui audit ſermones meos, habet vitam æternam.* Quamdiu vivimus in hoc ſeculo, infallibilem (abſque Dei revelatione) de ſalute noſtra non habemus certitudinem. *Et quis ſcit, ſi eſt dignus amore vel odio?* at inter probabilitates & conjecturas aſſequendæ beatitudinis princeps abſque dubio eſt auditus verbi Dei. Nam ut ſubjungit D. Bernardus, *tunc maximè memor eſto verbi tui ſervo tuo, Domine, in quo mihi ſpem dediſti, ut ab auditione mala non timeam, ſed beata magis auditio perducat ad viſionem.* Hæc fiducia ſolido innititur fundamento: nimirùm ipſiusmet Chriſti oraculo, qui interdum ait: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: interdum verò, qui audit ſermones meos habet vitam æternam: Hoc fulcro innixus D. Bernardus exclamat: *Magna mihi conſolatio eſt, fratres mei, in verba iſta Domini*: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit; *quia auditø*

D Bern. Ser. 24. de Diverſ.

Ser. 1. Septuageſ.

dire verbum Dei & ſalutis indicium eſt, & argumentum prædeſtinationis.

In Licia erat fons, ex quo deſumebatur fauſtum vel infauſtum vaticinium: Si enim piſces in illo exiſtentes injectum panem avidè deglutiebant, erat proſperitatis omen. Si verò illum duntaxat roſtro afflabant & caudâ dejiciebant, erat adverſitatis vaticinium. Verùm relicta hiſtoria naturali de falſitate ſuſpecta ex deſiderio verbi Dei ſumitur prædeſtinationis ſignum, ſicut ex faſtidio & contemptu reprobationis argumentum. At proh dolor! quàm multi faſtidiunt verbum Dei, & quàm pauci illud audire deſiderant. Omnes naturaliter exoptant eximi à malo, bonum adipiſci & beatitudinem conſequi: & non deſiderant audire verbum Dei, per quod hæc omnia acquiruntur. Utinam Chriſtiani hujuſce tempeſtatis imitarentur illos nobiles in Actibus Apoſtolorum relatos. Ubi Paulus & Silas venerunt Boœtiam, *Nobiliores ſuſceperunt verbum Dei cum omni aviditate.* Nihil ſimile videmus hac ætate apud homines, qui avidè terrena deſiderant bona, ardenter mundanam ſectantur fortunæ fœlicitatem: & nullo æſtuant ardore pro obtinendis ſpiritualibus bonis, pro immortali adipiſcenda beatitudine. Quos ſic inſequitur D. Auguſtinus: *Vellem ſcire, ſi ab illa hora, quâ verbum Dei prædicari cœperit, ſemper pretioſiſſimas gemmas, & inaures, vel annulos aureos, erogare vellemus, utrum ſtare, aut accipere vellent filiæ veſtræ: ſine ulla dubitatione cum grandi ambitione, quæ illis offerrentur, acciperent. Nos ergò quia ornamenta corporalia offerre non poſſumus, nec debemus, ideò non libenter audimur, ſed non eſt juſtum, ut ſpiritualia miniſtrantes ſuperflui judicemur: qui enim verbum Dei libenter audit, inaures animæ de patria paradiſi tranſmiſſas ſe ſuſcepiſſe non dubitet.* Quæ cùm ita ſint, nonne Dei ſermo eſt avidè appetendus & devotè audiendus?

Plin. l.31. c.2. — Act.17. — L.50. hõ. hom.26.

Seu, ut fatur Tertullianus, *devorandus auditu.* Ad quod tria præſertim requiruntur, nimirùm ut audiatur 1. attentè & ſilenter: 2. modeſtè & graviter: 3. demiſsè & reverenter.

II. PARS. L. de Rel. 37.

1. Tempore concionis debent Chriſtiani *divinis ſermonibus aures rigare,* & cum ſilentio magnaque adhibita attentione verbo Dei auditum præbere. *Si enim, cùm regiæ leguntur literæ, ubique eſt ſilentium, omnium aures arriguntur, ut ſciant, quæ regiis literis manifeſtantur: & quiquis vel parùm tumultuatus fuerit, in magno periculo eſt: multò magis cum magno timore & tremore adſtandum eſt, & altum ſilentium habendum, & pellendæ cogitationes turbulentæ, ut verba Dei intelligere poſſimus, quò Deus, approbatâ obedientiâ noſtrâ, majoribus nos muneribus remunerare dignetur.* Si quis poſſet incurabiles ſanare morbos, nobiſque præbere arma ad repellendos cunctos hoſtium incurſus; modum ſubminiſtrare, tum fugandæ omnis adverſitatis: tum adipiſcendæ magnæ proſperitatis, omnes eum magna cum attentione audirent. Verbum Dei eſt medicina quaſcumque infirmitates ſanans; enſis omnes inimicos profligans, theſaurus opulentè locupletans. Illud

Tert. lib. de pœn. 6. D.Chryſoſt. hom. 14. in Gen.

Euſeb. lib. de vit. Conſt. c. 4

tamen plerique abſque ulla attentione audiunt. Conſtantinus Magnus Cæſarienſem Euſebium concionantem ſtans audire ſolebat, dicens: *Debere à ſtantibus verbum Dei audiri, ut animo altiùs inſideret.* Nonne tanti Imperatoris exemplum condemnat tot Chriſtianos in concione dormientes, aut garrientes, nec ullum prædicatori auditum præbentes? Nam ut conqueritur D. Auguſtinus: *Vbi verbum Dei cœperit recitari, quaſi in lectulo ſuo ita jacere volunt: atque utinam vel jacerent tantummodò, & tacentes verbum Dei ſitienti corde ſuſciperent, non ita ſe otioſis fabulis occuparent, ut quod prædicatur, nec ipſi audiant, nec aliis audire permittant;* adeò altâ voce garriunt & fabulantur.

Demoſthenes de ſalute Græciæ ſeriò diſſerens, auditoresque ſomnolentos, oſcitantes, aut invicem colloquentes conſpiciens, mox ſermonis ſtylum vertens, de umbra aſini loquens, ſomnolentos evigilavit, & garrientium ſibi attentionem conciliavit. Demoſthenis auditoribus ſimiles multi Chriſtiani, qui concionatori denegant auditum, dum de Deo, animarum ſalute, virtutis decore, vitii deformitate, morte, ultimo judicio, inferno loquitur; rigant verò aures, ſi vana, fabuloſa, aut ridicula referat. De quibus vaticinans

2. Tim. 4

Apoſtolus ait: *Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt: ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Loquitur equidem Apoſtolus de illis, qui novas & erroneas ſententias veræ doctrinæ præponunt, ſed pungit etiam eos, qui majorem præſtant attentionem fabulis, quàm Chriſtianis veritatibus, quæ audiendæ ſunt attentè & modeſtè.

Tert. lib. 2 de cult. fœ. 11.

2. Etenim dum *Dei ſermo adminiſtratur, gravitatis & ſanctitatis negotium eſt.* Gravitas autem verbo Dei debita complectitur modeſtam corporis compoſitionem, quæ denotet attentam mentis cogitationem, quam meretur magnitudo negotii, de quo tractatur. Quia verò in ſuperiori tractatu multa de modeſtia & gravitate in templo ſervanda diximus: verbum Dei audiendum eſt non ſolùm modeſtè & graviter, ſed adhuc demiſsè & reverenter, & ut fatur Tertullianus

Scorp 5.

3. *Auditu devotionis.* Hanc attentionem, gravitatem, devotionem & reverentiam Dei verbo debent auditores: Ut enim ait D. Auguſtinus, *Benignè audiendum, devotè ſuſcipiendum, ſollicitè cuſtodiendum; quidquid ad ſalutem animarum pertinet; & non ſicut verbum hominis, ſed ſicut verbum Dei.* Ex D. Auguſtino duplici præſertim de cauſa benignè audiendum & devotè ſuſcipiendum eſt Dei verbum: unâ, quia ad ſalutem animarum pertinet: porrò animæ

Tert. lib. de Reſ. 2.

ſalus ſollicitè eſt curanda *Sub obtentu quaſi urgentioris cauſa, id eſt, ipſius humanæ ſalutis ante omnia requirendæ*: alterâ, quia audiendum eſt, non ſicut verbum hominis, ſed ſicut verbum Dei. Quemadmodum reges interdum per ſemetipſos loquuntur; interdum per literas voluntatem ſuam declarant, interdum verò mittunt legatos ſuam majeſtatem repræſentantes: Eodem modo, ait

Hom 2. in Geneſ.

D. Chryſoſtomus, Deus ab initio per ſeipſum hominibus loquebatur. *Sic enim ad Adam venit; ſic Cain increpavit; ſic cum Noë locutus eſt; ſic apud Abraham hoſpita-*

hoſpitatus eſt: & ſuam erga illos amicitiam innovare volens, quaſi abſentibus literas miſit; conciliaturus ſibi univerſam humanam naturam; & has quidem literas dedit Deus, attulit autem Moyſes, attulerunt eas in veteri teſtamento Prophetæ, Apoſtoli & Evangeliſtæ in novo. Nam *quid eſt Scriptura niſi quædam Epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam?* Hac epiſtola hortatur nos Deus ad fugam vitii, ad virtutis ſtudium. *Ex illa civitate, unde peregrinamur, literæ nobis venerunt, ipſæ ſunt Scripturæ, nos hortantur, ut benè vivamus.* Literæ à regibus miſſæ magno in honore habentur, magnâque reverentiâ leguntur & audiuntur: epiſtolæ, quas ad nos mittit Deus, à Concionatoribus leguntur, tantòque majorem expoſtulant reverentiam quàm literæ regiæ, quantò Deus cunctos reges in majeſtate ſuperat. Unde non eſt attendendum quid aut qualis ſit Concionator, ſed quantum & quale ſit verbum Dei ab illo pronuntiatum. Nam ut ait D. Auguſtinus redarguens eos, qui magis attendunt ad qualitatem concionatoris, quàm ad cœleſtem verbi Dei doctrinam: *Ego quid ſum, niſi cophinus ſeminatoris? ille in me ponere dignatus eſt, quæ vobis ſpargo: nolite attendere ad vilitatem cophini, ſed ad claritatem ſeminis & poteſtatem ſeminatoris.*

D. Greg. l. 4 epiſt. 84

D. Auguſt in Pſal. 90

L. 50. hom. 26.

Legatus à rege miſſus reverenter auditur, quia regis repræſentat dignitatem, in cujus perſona loquitur. Prædicatores ſunt Dei legati, per quos nobis loquitur Deus: *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Quapropter exhortatio noſtra accipienda eſt reverenter, quaſi eſſet à Deo facta. De hac reverentia verbo Dei præſtita Theſſalonicenſes laudat Apoſtolus. *Cùm accepiſſetis à nobis verbum auditûs Dei*, id eſt, verbum, quod à Deo nos audivimus & accepimus; *accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed ut verbum Dei.* Sicut enim verbum legati cum honore recipitur ab iis, ad quos mittitur, non quia legati verbum eſt, ſed quia eſt verbum regis, qui legatum miſit ad hoc verbum proloquendum, ita ut non tam legatus, quàm rex per legatum loquatur: Sic verbum Concionatoris cum reverentia auditur, non quia Concionatoris, ſed quia Dei verbum; qui nobis per os Concionatoris loquitur. At proh dolor! regum legati majori in honore habentur quàm legati Dei, & quæ ab illis dicuntur majori excipiuntur reverentia, quàm ea, quæ nobis Deus per Concionatores proponit. *Itane, ſi à rege quiſpiam miſſus veniat, omnes attenditis: à Deo autem venit, atque ex ipſis cœlis loquitur Propheta, & nemo eſt, qui attendat? Aut non creditis, quæ dicuntur hîc à Deo ſint: Epiſtolæ illæ ſunt à Deo miſſæ*; unde ſermo Dei à ſuo legato prolatus eſt devorandus auditu.

2. Cor. 5.

1. Theſſ. 2

D. Chryſoſt. hom. 8 in epiſt. ad Theſſ.

Ruminandus intellectu. Concione peracta Dei ſermo eſt 1. memoriâ retinendus: 2. mente volvendus: 3. ad morum compoſitionem dirigendus.

III. PARS

Tert. lib. de reſ. 37.

1. *Memoriam & ipſe Plato ſenſuum & intellectuum ſalutem* exiſtimat, quia eſt velut receptaculum ſpecierum, quæ ſenſu & intellectu ſunt comparatæ. In hoc receptaculo recipiendum eſt verbum Dei. Verbum

Tert. lib. de An. 14.

Dei peccati odium & Dei amorem ingenerat; utrumque in ſua memoria re-
tinet pius auditor: Odium quidem peccati, ut numquam Deum offendat.
Pſal 118. *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Dei etiam amorem: Ut
Joan. 14. enim ait ipſemet Dei Filius: (Si quis diligit me, ſermones meos ſervabit.)
D Bern. *Ubi ergò ſervandi ſunt? Haud dubium, quia in corde*, in memoria; ſiquidem *mini-*
ſerm. 3. de Adv. *ſtrum atque arbitrum pectoris invenio ſermonem.* Non ſufficit, ut in aure reci-
Tert. lib. piatur, ſed adhuc, ut ad pectus deducatur, in memoria diligenter ſervetur,
adv. prax. 22. mente volvatur & reflexione ruminetur.

2. *Sermo ſpiritu inſtructus eſt, & ut ita dixerim, ſermonis corpus eſt ſpiritus,*
Tert lib. adv. prax. 8. Ibi corpus Tertullianus, ſicut pluribus aliis in locis, ſumit pro vero eſſe, oppoſito non enti & nihilo. Quaſi dicat, nihil eſſe ſermonem Dei ſine ſpiritu, id eſt, niſi recogitetur, & per reflexionem quaſi perpendatur, ad inſtar
Luc. 2. Beatiſſimæ Virginis, quæ, auditâ Angeli deputatione, *conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Eodem modo memoriæ conſignanda & in
Deuter 6. corde conferenda cuncta Concionatoris verba. Præceperat olim Judæis
Deut. 11. Deus, ut Dei legem in manibus ligarent, ſuprà frontem portarent, in introitu ædium ſcriberent; meditarenturque ſedentes, ambulantes, ſerò, manè, omnique in loco & tempore, mente & cogitatione volverent. Non diſſimiliter Chriſtiani Dei ſermonem ſemper & ubique debent recogitare.
Prov. 21. *Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis: vir autem ſtultus glutit illud.*
In Pſ 121. Sapientem ſic expendit D. Auguſtinus: *Admonemus charitatem veſtram, ut ea, quæ audienda, tanquam ventre, memoriâ conditis, rursùsque revolvenda & co-*
Levit. 11. *gitanda quodammodò ruminetis,* hoc eſt enim theſaurus deſiderabilis: *breviter dicis, ſapiens ruminat, ſtultus non ruminat,* id eſt, *ſapiens cogitat ea, quæ audierit, ſtultus autem audita oblivioni tradit. Neque enim propter aliud in lege munda ea dicta ſunt animalia, quæ ruminant, immunda, quæ non ruminant.* Quod ſignificatione intelligendum cenſet ibidem Hipponenſis Antiſtes. Nam *creatura omnis munda eſt artifici Deo: tam mundus eſt porcus, quàm agnus.*
Geneſ. 4. Creavit enim omnia valdè bona, & *omnis creatura bona eſt*, & omnia
Iſa 4. munda mundis: *Cùm ergò in natura utrumque ſit mundum: ſignificatione agnus ſignificat mundum; porcus immundum: Agnus ſignificat innocentiam ſapientiæ ruminantis; porcus ſignificat immunditiam ſtultitiæ obliviſcentis.* Bellè ex animantibus ruminantibus & non ruminantibus diſcriminat Divus Auguſtinus Chriſtianos, qui verbum Dei recogitant, & non recogitant: hi nullatenùs mente revolvunt, quæ audierunt. illi verò memoriæ conſignant, ſeriò recogitant, per ea vitam ſuam componunt, moresque inſtaurant.

Tert. lib. de præſc. Hæret. 26 3. *Ne unum verbum Dei ſine fructu reſervarent*, ſed ad componendos bonos mores adhiberent. Verum tempus Adventûs & Quadrageſimæ, in quo verbum Dei annuntiatur, conſiderat D. Auguſtinus, tanquam meſſis
Serm 66. de Temp. & vindemiarum tempus, quo colligendi ſunt fructus per totum annum ad conſervationem vitæ neceſſarii. *Sicut tempore meſſium vel vindemiarum, undè*

undè caro noſtra poſſit ſuſtentari,colligitur:ita undè anima noſtra in æternum poſſit vivere, congregetur : quia ſicut negligens quiſque, ſi tempore meſſis & vindemiæ nihil collegerit, per totum anni ſpatium fame torquebitur, ita qui hoc tempore ſpiritale triticum & cæleſte muſtum congregare neglexerit, duriſſimam ſitim & crudelem inopiam ſuſtinebit. Idipſum Aquantium comparatione declarat D. Chryſoſtomus, *Aquantes non tantùm apud fontem habent vaſa repleta, domum autem redeuntes evacuant;ſed illud etiam maxima cum cautela reponunt, ne ſubvertantur, & labor fiat inanis.* Subjungit aureus Orator, alia ſimilitudine, quid poſt auditam concionem agendum ſit, declarans: *Numquid aliquis ad fontem cribrum defert, ut aquam aſportet? Num vaſa rimis plena quæ retineant? doctrinam,quam hoc tempore audis,recondere debes, ſervare,quæ tibi de eleëmoſyna dicuntur,ut videns pauperem quid agendum ſit, ſcias: quæ de charitate & remiſſione injuriæ, ut lacesſitus opprobrio continere poſſis à vindicta?* In aliis ſimiliter occaſionibus redigendum eſt ad praxim verbum Dei, quod audivimus, quod memoriæ conſignavimus.

Hom 10. ad pop.

Tria ſunt hominum genera, qui nullum fructum de verbo Dei reportant. Quidam quæ audiunt nullo modo conſiderant; ſuntque, ait Tertullianus, *aurium tacti.* Nonnulli memoriæ non conſignant, quamvis eos hortetur Chriſtus apud D. Bernardum: *Ipſa quoque colligite fragmenta, ne pereant.* Alii verò, ait Magnus Gregorius, (libenter verba Dei ſuſcipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur, ſed poſt lachrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. Hi profectò verba Dei non audiunt, quia hæc exercere opere contemnunt. Fratres, *eſtote factores verbi, & non auditores tantùm.* Nam *ſcopus Chriſtianæ religionis eſt, ut, quæ ex doctrina veritatis didicimus, opere impleamus!* Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur. *Fallentes vosmetipſos*, ſubjungit Jacobus. Ita hodie plurimi ſeipſos fallunt: Auditoribus enim verbi Dei plena ſunt templa, ſed factoribus vacua. Verumtamen *ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo.* Verbum Dei eſt ſpeculum, in quo nos inſpicimus & animæ contemplamur faciem, ut videamus quantùm à virtutis perfectione diſtemus, & animæ intuentes maculas, eas abſtergamus & eluamus. *Evangelium ſpeculum veritatis nemini blanditur,nullum ſeducit: talem in eo ſe quiſque reperiet, qualis fuerit*; quia ſine fuco & adulatione virtutum oſtendit præcepta, vitiorum prohibitiones declarat;addens illis promiſſa & præmia, his verò minas & ſupplicia: ut ad illas inducat,ab his removeat.Inde colligit D.Bernardus: *Nos autem, fratres, conſideremus in ea,quam audivimus,ſancti Evangelii lectione,ut proficiamus ex ea, & corrigamus, ſiqua in nobis deprehendimus corrigenda.* Conſideremus autem nos non obiter,ſed cum reflexione,verbum Dei memoriâ retinentes,in corde imprimentes, in mente feriò revolventes, illo voluntatem ſuccendentes, & ad praxim, quæ docet redigentes. Neque imitemur ſtultum illum, de quo loquitur Jacobus; *Conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus*

Lib.de An. 10.
Serm. 2. de SS. Apoſt.Pet. & Paul.
Hom.18. in Evang.
Jacob.1.
D. Aug. Ser. de blaſph.in Spir.S.
D. Bern. ſer.1. de 7. panibus.

eſt

eſt qualis fuerit. Quaſi dicat: Obiter & in tranſitu contemplatus eſt ſe in ſpeculo. Ideoque abiens, & in alia objecta incurrens, oblitus eſt, qualem ſeſe in ſpeculo viderit, unde nec macula eluere, nec incompoſita componere curavit. Similiter qui obiter verbum Dei audit, & illicò ad terrena negotia resque caducas animum transfert, ſtatim obliviſcitur & ſpeculi, & ſui, ſcilicet & verbi Dei, & morum ſuorum, quos nullo modo corrigere, & juxta verbum Dei regulare nititur. *Qui autem perſpexerit in legem perfectam*, id eſt, qui fixis intentisque oculis proſpexerit, quæ docet lex annuntiata per verbum Dei, *& permanſerit in ea*, eam aſſiduè contemplando, meditando, exercendo, *non auditor obliviosus factus*, tradens ultrò oblivioni, quæ in concione didicit, *hic beatus in facto ſuo erit.* Beatus, non in nuda & ſterili contemplatione, ſed in operis executione: Qui enim legem obſervat, & verbum Dei ad praxim redigit, inchoata vitæ fruitur beatitudine, quæ ducit illum ad beatitudinem patriæ.

CONCIO TERTIA.

Tert. lib. de præſc. hær. 3.

CONſtat *Chriſtum vitæ eſſe verbum:* Et quidem verbum ſive conſideretur in Trinitate, ſive in Incarnatione, ſive in Euchariſtia. In Trinitate eſt verbum vitæ, quia à Patre divinam accipit vitam: In Incarnatione etiam eſt verbum vitæ, quod ideò humanatum eſt, ut hominibus per peccatum mortuis tribueret vitam. Tandem in Euchariſtia eſt verbum vitæ, largiens ritè communicantibus ſemen vitæ æternæ. Verbi autem Dei concionatorii dignitas magis commendari non poteſt, quàm ex analogia cum verbo Dei, in 1. Trinitatis myſterio: 2. Incarnationis ſacramento: 3. Altaris ſacrificio.

I. PARS. Tert. Apol. 21.

Verbum in Trinitatis myſterio *ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum; idcircò & Filium Dei & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ.* Eſtque illuminans, ſufflammans & operans: Verbum concionatorium Verbi increati velut æmulans excellentiam & dignitatem eſt etiam 1. illuminans: 2. ſufflammans: 3. operans.

Tert. lib. adv. Hermog. 18. D. Aug. l. de Fid. & Sim. c. 4. Lib. 8. ep. 62. Pſal. 118.

1. *Sophia, eadem Dei ſermo; ſenſu ſophia:* Tum quia in Dei Filio abſconditi ſunt theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei: Tum quia *verbum Patris ideò dictum eſt, quia per ipſum innoteſcit Pater.* Verbum autem Dei concionatorium *reſplendens veritatis coruſco & ſapientiæ ſermone:* ut ait D. Ambroſius, illuminat, quod probè ſciens regius Vates ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum:* & adhuc *declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis:* quos amore virtutis & ardore charitatis ſufflammat.

Tert. Apol. 21. L. Trin. 11

2. Verbum increatum procedit à Patre ut *lumen de lumine accenſum:* Tum quia, ut docet D. Auguſtinus, *verbum eſt notitia placita, digneque amata;* Tum quia à Patre accepit in ſua generatione voluntatem fœcun-

dam

dam & ardentem, quâ ſimul cum Patre ſpirat Spiritum ſanctum, qui proprio charactere amor, & ſuper Apoſtolos in linguis igneis deſcendit ad innuendam vim calefaciendi ſermonis Dei, quod non ignorans Propheta Deo confitetur: (Ignitum eloquium tuum vehementer & ſervus tuus dilexit illud.) Pſal 118. Ubi D. Ambroſius, *Ignitum eſt verbum Dei, quem miſit, qui ſecretos mentium divinæ ardore cognitionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei & devotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet; bonus ignis, qui calefacere novit, neſcit exurere niſi ſola peccata: Hoc igne ſuper bonum fundamentum poſito Apoſtolicum illud aurum probatur; hoc igne illud morum vel operum examinatur argentum; hoc igne illi lapides pretioſi illuminantur; hoc igne urebatur, & non exurebatur; urit enim ſermo divinus, ut corrigat conſcientiam peccatoris, non exurit, ut perdat.* Serm. 8. in Pſal. 118. Multus eſt D. Ambroſius in dinumerandis eloquii divini ardoribus, nam & peccata exurit, & vitiorum ardores extinguit, virtutum cupiditatem accendit, & ad benè operandum inducit, æmulans verbum Dei illuminans, ſufflammans, & operans.

3. Verbum Dei adeò eſt operans, ut Deus mundi conditor *univerſa de nihilo produxerit per verbum ſuum.* Tert. lib. de præſc. Hæret. 13. Verbi divini operationem æmulans ſermo concionatorius benè operantem expoſtulat & prædicatorem & auditorem: Prædicatorem quidem: nam *factorem quærit Deus factorum ſuorum, non pictorem.* D. Aug. l. 50. Hom. hom. 31. Auditorem etiam: quia *audire veritatem nihil prodeſt, ſi homo non ſuprà petram ædificet. Qui ædificat ſuper petram, ipſe eſt, qui audit & facit: Qui autem audit & non facit, ædificat ſuper arenam.* D. Aug. in Pſ. 57. Fratres, ut ſuper petram ædificemus, *lucernas ardentes habere debemus, id eſt, mentes à fide accenſas & operibus veritatis relucentes.* Tert. l. 2. adv. Marc. 29. Sic nobis perutiliſſimus erit ſermo concionatorius æmulans Verbum increatum in Trinitatis myſterio, & imitans Verbum humanatum in Incarnationis ſacramento.

II. PARS. Ad divini *ſermonis exiſtimationem* multùm conducit ſimilitudo, quæ intercedit inter illum, & Verbi incarnationem; nam Verbum Dei in utero Virginis humanatur, Maria Deipara prædicatur; & de parturitione beatificatur: Tert. l. 5. adv. Marc. 20. Similiter, qui audiunt Verbum Dei, 1. de ejus conceptu gloriantur: 2. Chriſti matres prædicantur: 3. beatificantur.

1. Dei Verbum à Maria concipitur, & *in utero ejus caro figuratur.* Tert. Apol 21. Similiter concipitur ab audientibus Dei ſermonem, non in utero, ſed in corde; non per carnem, ſed per fidem. Nam *Chriſtus in corde fides Chriſti eſt.* D. Auguſt. in P. 120. Ait enim Apoſtolus habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris: Epheſ. 3. Inde ſic ratiocinatur D. Auguſtinus: *Si fides in nobis, Chriſtus in nobis. Quid enim aliud*, ait Apoſtolus, habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris? *Ergò fides tua de Chriſto Chriſtus eſt in corde tuo.* Tract. 49. in Joann. Undè hæc conceptio Chriſti in corde audientibus verbum Dei convenit cum conceptione Mariæ, & disconvenit. Convenit, quia Maria etiam concepit Dei verbum in corde per fidem; ideoque prædicatur ab Elizabeth beata, eò quòd crediderit. Diſconvenit, quia ultrà conceptum in corde per fidem Maria illud adhuc concepit in utero

D. Aug. l. l. Quæſt. vet. & nov. teſtā q 92. L. de Reſ. 39.

per operationem Spiritûs ſancti. *Verbum caro factum eſt: hoc eſt, miniſtro ſancto Spiritu incarnatum eſt ex Maria virgine.* Hanc convenientiam & diſconvenientiam bellè declarat Tertullianus expendens Apoſtolum. *Apoſtolus habitare Chriſtum ſignificavit per fidem & in cordibus, & in dilectione; fidem quidem & dilectionem, non ſubſtantiva animæ ponens, ſed conceptiva.* Mariæ conceptio fuit ſimul & ſemel conceptiva & ſubſtantiva: Conceptiva, quia fide & dilectione Dei verbum concepit: Subſtantiva, quia de ſua ſubſtantia carnem illi dedit. Aliorum conceptio non eſt ſubſtantiva, ſed duntaxat conceptiva. Intellectus enim intra ſemetipſum trahit vel objectum, vel ſaltem ejus imaginem. Fides autem eſt actus intellectûs, quæ dat eſſe ſpirituale rebus, quas credit; quia tamen fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei audientes illud in mente concipiunt, ejusque matres prædicantur.

Lib de Carn. Chr. 21. D Chryſoſt. H m de S. r. S. Tert. ib. de Carn. Chr. 17. 1. Petr. 1. Matth 12.

2. Maria verè eſt Verbi Dei mater. Aliàs, ut benè animadvertit Tertullianus, Elizabeth *ſine cauſâ dicit: Et unde mihi, ut mater Domini mei veniat ad me:* titulus matris Dei eſt fundamentum marianæ dignitatis, cujus quodammodò ſunt participes audientes verbum Dei: *Audis horribile & metuendum quiddam ſermo dicere homines Deiparos.* Maria eſt Deipara, quia in utero concepit non ex viri ſemine, ſed ex Dei operatione: *Vacabat enim viri ſemen apud habentem Dei ſemen.* Chriſtiani ſunt Deipari, quia Chriſtum in corde concipiunt *non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei.* Hanc maternitatem recognoſcit ipſemet Chriſtus, dicens: Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe mihi frater, & ſoror, & mater eſt.] Chriſto ad docendum intento relatum eſt ei, quòd mater & fratres ejus foris ſtarent; ipſe autem velut indignabundus dixit: Quæ mihi mater, aut qui fratres? Ex hoc loco anſam ſumunt Manichæi & Marcionitæ denegandi

Lib. de Carn. Chr. 7.

Mariæ divinam maternitatem, ſed immeritò, ut multiplici ratione demonſtrat Tertullianus: tum quia *Mater æquè non demonſtratur adhæſiſſe illi; cùm Martha & Mariæ aliæ in commercio ejus frequentantur.* Tum quia hoc dictum ejus eſt *non ad negandam nativitatem, ſed ad percutiendam incredulitatem foris ſtantium, vel ad excutiendam importunitatem ab opere revocantium:* Tum quia, *cùm indignatio parentes negat, non negat, ſed objurgat* eorum incredulitatem: nam fratres Domini non crediderant in illum, ut in Evangelio continetur: Tum quia increpat eorum abſentiam, *cùm doceret viam vitæ, cùm Dei regnum prædicaret, cùm languoribus & vitiis medendis operaretur, extranei defixi in illum proximi aberant:* Tum maximè quia *potiores fecit alios, & meritum prælationis oſtendens, audientiam ſcilicet verbi Dei, demonſtrat qua ratione negaverit matrem & fratres.* Tum quia *ſolet id etiam adimplere Chriſtus, quod alios docet.* Quale ergò erat, ſi docens non tanti faceret matrem aut fratres, *quanti Dei verbum, ipſe Dei verbum nuntiata maternitate & fraternitate deſereret? Negavit itaque parentes, quomodò docuit, negandos pro Dei opere.* Tum quia *figura eſt Sinagoga in matre abjuncta: & Iudæorum in fratribus incredulis. Foris erat in illis Iſraël; diſcipuli autem novi intùs audien-*

tes, & credentes, & cohærentes Chriſto, Eccleſiam delineabant, quam potentiorem matrem & digniorem fraternitatem, recuſato carnali genere, recuſavit. Tot rationibus oſtendit Tertullianus Chriſtum non negaſſe Mariæ maternitatem, ſed affirmaſſe & quodammodò prætuliſſe maternitatem audientium verbum Dei.

3. *Eodem ſenſu & illi exclamationi reſpondebit: non matris uterum & ubera negans, ſed feliciores deſignans, qui verbum Dei audiunt.* Alludit Tertullianus ad mulierem, quæ Chriſtum concionantem audiens exclamavit: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti: cui reſpondit Dominus: Quin imò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Hac de cauſa ex D. Auguſtino fuit *beatior Maria, percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti.* Ex his colligenda eſt verbi Dei dignitas, non ſolùm, quia Chriſtus matri & fratribus *auditores & obſecutores Dei præfert*; neque adhuc, quia *fœlicitatem ab utero & uberibus matris ſuæ tranſtulit in diſcipulos*; ſed etiam ex analogia, quam habet Dei ſermo cum Altaris ſacrificio. Tert. ibid. Luc. 11. L. de S. virginit. c. 3. Tert. lib 4 adv. Marc. 27. Tert. ibid.

III. PARS Sibi arrogat Apoſtolus gratiam *manifeſtandi ſacramenti in operatione viri.* Sacramento autem de quo gloriatur, eſt Dei ſermo, qui mirè nobilitatur ex conformitate cum Altaris ſacrificio. In Altaris ſacrificio tria diſtinguenda ſunt; ſcilicet miniſter, offerens res oblatas, & oblatio, hæc tria in verbo Dei ſunt diſcriminanda: ſed quia hæc conſideratio aliorsùm eſt elucidata, explanabo duntaxat Apoſtolum ſic loquentem: *Propter gratiam, quæ data eſt mihi à Deo, ut ſim miniſter Chriſti Ieſu in Gentibus: ſanctificans Evangelium Dei: ut fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto.* Gratiam Apoſtolatus ſui in memoriam Romanorum reducit Paulus: *Miniſter Chriſti Ieſu,* ſupple ſacrorum: In Græco enim habetur Sacerdos *ſacrificans Evangelium.* Septuaginta vertunt, *ſacrificans.* D. verò Auguſtinus *conſecrans Evangelium,* id eſt, Evangelii prædicationem: *Vt fiat oblatio Gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu ſancto.* Ad hoc ſum ſacerdos myſticus & præco Evangelii, ut per meam prædicationem Gentiles placeant Deo, & ſanctificentur per Spiritum ſanctum, & quaſi victima munda & acceptiſſima Deo offerantur, & conſecrentur, ipſiq; deinde opera ſancta, quaſi victimas Deo offerant. Itaque ſacrificium, de quo hîc fatur Apoſtolus, eſt ipſa Gentium converſio & oblatio facta Deo. Sacerdos eſt Paulus, & quivis Evangelii præco; conſecratio eſt ipſa prædicatio Evangelii, quâ Gentes convertuntur, & Deo ſacrificantur. Eodem modo ratiocinandum de aliis verbi Dei præconibus, qui convertentes animas ſunt ſacerdotes; labor docendi & concionandi eſt conſecratio: victimæ ſunt ipſæ animæ; ſacrificium eſt earum converſio. Tert. lib. 5. adv. marc. 19. Tert. Præ-dic. to. 2. Tract. apoſt. Cóc. 6. Rom. 15.

Indè adhortantur concionatores eodem ſtudio, eadem puritate & religione debere ſuas tractare conciones; ac ſi ſacrificarent & ſacris operarentur. Pariter hortantur auditores, quâ reverentiâ debent audire verbum Dei, quos ſic alloquitur D. Auguſtinus: *Quid vobis plus eſſe videtur, verbum Dei, an corpus Chriſti? Si verum vultis reſpondere, hoc* Lib. 50. Hom. hom 26.

 utique

utique dicere debetis, quòd non ſit minus Dei verbum, quàm corpus Chriſti: & ideò quanta ſollicitudine obſervamus, ne verbum Domini, quod nobis erogatur, de corde noſtro pereat. Quantâ reverentiâ accedendum eſt ad ſacram menſam, tantâ vult D. Auguſtinus, ut audiatur verbum Dei. Cauſa, quam ſubjungit, metum irreverentibus debet ingenerare; *quia non minùs reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui corpus Chriſti in terram cadere negligentiâ ſuâ permiſerit.* Ad tale tonitru pavete, verbum Dei reverenter audite, & illud opere implete, ſic ſupplicium non timebitis, ſed potiùs gaudebitis *de ſpe repoſita in cœlis, quam audiſtis in ſermone veritatis Evangelii.*

Tert.l.5. adv. marc. 19.

CONCIO QUARTA.

Tert. l 4. adv. marc. 9. Tert præ dic.to.1. Tract. de Apoſt To. 6. Tract. de Relig Seraph.Côc. 4. Tract. de Pat. Reg. Conc. 5. I PARS.

UNdè magis dignoſcitur Chriſtus creatoris, quàm ex verbi poteſtate, quo morbos ſanabat, & ignaros cœleſtem docebat doctrinam? Verbi poteſtas & efficacia non ſolùm enituit in Chriſto, ſed etiam in Apoſtolis, qui ſua prædicatione debellârunt errorem, & idololatriam everterunt, ut fusè aliorsùm demonſtratum eſt; ſed etiam in viris Apoſtolicis, ut conſtat ex eis, quæ in ſuperioribus diximus, quanta autem ſit ſermonis divini efficacia, tribus vocibus oſtendit Tertullianus, nuncupans illud verbum 1. inſultatorium: 2. triumphatorium: 3. vitæ extructorium.

Dei ſermo eſt *verbum inſultatorium* 1. non blandiens, ſed 2. corripiens: 3. nemini parcens.

Tert. l. 5. adv. marc. 11. Tert l. 4. adv. marc. 9. Tert. prædic.to. 1. Tract.de Adulat. Tert. Apol 34.

1. *Poteſtas creatoris verbo remedium vitii operata eſt*, non blandiens peccatoribus. Sceleroſi in ſuis criminibus *pernitioſa adulatione* detinentur, ut fusè aliorsùm demonſtratum eſt: at verbum Dei à ſceleroſa illa adulatione immune eſt: *Atquin nullis vitiis adulor*, peccatores blanditiis adulatorum deliniti à ſuis vitiis non ſanantur: at Dei ſermo morbos animi non palpans eos ſanat, ut fatetur nonnemo apud Tertullianum: *ſermone me ſuaſiſti, medicamine ſapientiſſimo.* Alludit ad Medicos & ad medicinas, quæ corporalibus morbis adhibentur. Medicus indulgens & palpans non ſanat infirmitatem: adhibens verò remedia quantumvis amara ſanat infirmum: *Verbum tuum, Domine, ſanitas eſt; ubi acceſſerit, fugit dolor, infirmitas mox recedit*, quod non eſt blandiens, ſed corripiens.

Ter. lib. de Pall. 5. Chryſol. ſer. 13. Tert. Scorp 5. Pſal 54. Serm. 97. de diverſ.

2. *Dominus remedia compoſuit, omnes fidei diſciplinas, & ipſas amulas vitio; verbum mortis, verbo vitæ reſcindentes auditum transgreſſionis, auditu devotionis limitantes.* Sermonem Dominicum ſermoni diabolico opponit Tertullianus. Dæmon ad transgreſſionem legis incitat; Dominus ad obſervantiam legis ſtimulat; dæmonis ſermones ſpecie tenus dulces mortali veneno pleni ſunt: *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum; ſed ipſi ſunt jacula*: Ut autem acutè animadvertit D. Bernardus, *pulchrè non molles, ſed molliti dicuntur ſermones vel*

ſuaſoris

ſuaſoris, adulatoris, vel ſuaſoris iniqui; ſiquidem ipſi ſunt jacula, & feriunt ad mortem. Quid ſuavius quàm ſectari honores, acquirere divitias, gulæ vacare? At ſuperbi extolluntur ut dejiciantur, avari terrenis ditati cœleſtibus privantur; libidinoſi impuro igne æſtuantes in gehenna cruciantur. Chriſti è converſo ſermones ſub duritia apparenti miram continent ſuavitatem: *Mel & lac ſub lingua ejus.* Subjungit Bernardus, *labor in lingua*, Cant. 4. *mel ſub lingua*; addit; *durus equidem ſermo; durus in cortice, ſed ſuaviſſimus in medulla.*

Peccatores tamen libentiùs audiunt mollitas diaboli blanditias, quàm utiles Domini ſermones. *Ecce enim quid loquitur Deus?* Pœnitentiam agite, D. Bern. *& diſſimulant multi, & continent aures ſuas, & dicunt:* Durus eſt hic ſermo. ibid. *Non ſic impii, non ſic diſſimulare poteritis, cùm ſonabit aſperum illud verbum &* Matth 4. *auditio mala:* Ite maledicti in ignem æternum. *Videtis, fratres, quàm ſalubriter* Matth. 25 *admoneat Propheta.* Ut ſi vocem ejus audierimus hodiè, non obduremus Pſal. 94. corda. *Vtilius namque & multò ſalubrius eſt hodiè audire eum conſulentem, conſolantem, admonentem, docentem, & ut multùm arguentem, increpantem, corripientem: quàm in die illa tam amara, tam lugubri, tam tenebroſa audire illum judicantem, indignantem, ulciſcentem, ſævientem, condemnantem. Bonum, inquam, mihi, ut humiliter*, ut corripiat me juſtus in miſericordia & increpet me, quàm Pſal. 140. ut oleum peccatoris impinguet caput meum. Quàm infœlix peccator volens lætari cùm malefecerit; & exultare in rebus peſſimis! fugit & abſcondit ſe in ſimilitudine prævaricationis Adæ. *Audiens vocem hujuſmodi gaudia nullatenùs approbantem, ſed deteſtantem, ſed arguentem, ſed condemnantem, ſed* nemini parcentem.

3. In Chriſti ſchola eruditi Apoſtoli nemini parcebant; *Neminem verebantur, non Iudæorum vim, non Ethnicorum: quò magis utique in Eccleſia liberè prædicabant, qui in Synagogis & in locis publicis non tacebant. Imò neque Iudæos convertere, neque Ethnicos inducere potuiſſent, niſi, quod credi ab eis volebant, ordine exponerent.* Et hæc eſt multorum infœlicitas, qui in ſuis ſceleribus obdurantur, quia nullus eos increpare audet. Qui etiam Magnates veretur, nec etiam eos de criminibus, quæ ſcandaloſè perpetrant, admonet, miniſterio ſuo derogat. Nam concionatoris malè fungitur officio; quem ſic hortatur Deus per os Iſaiæ Prophetæ: *Exclama in vigore, & ne peperceris; exalta ut tuba vocem tuam, & annuntia plebi meæ facinora ipſorum, & domui Iacob delicta eorum.* Salutis auxilium denegat, quia ſalus nequit conſequi, niſi delicta eliminentur: delicta eliminari nequeunt, niſi cognoſcantur; cognoſci non poſſunt, niſi ea arguat prædicator verbi Dei, quod eſt triumphatorium.

Tert. lib. de præſc. Hæret. 26.

Tert. lib. adv. Jud. 9

II. PARS.

Adverſus tres hoſtes nobis pugnandum eſt; ſcilicet adverſus dæmonis aſtutias, mundi fallacias, carnis blanditias: at eſt Dei *verbum triumphatorium* de 1. diaboli aſtutiis: 2 mundi fallaciis: 3. carnis blanditiis. Tert l. 5. adv. Marc. 11.

1. *Cum ſpiritualibus nequitia luctatio eſt nobis.* Nihil non tentat diabolus, ut Tert. lib. de præſc. Hæret. 39.

peccatores à pœnitentia dimoveat, ut pœnitentes ad lapſum inducat; ut
Tert. lib. de pœn 7. perfectos negligentes reddat. *Sed enim pervicaciſſimus hoſtis ille nunquam malitiæ ſuæ otium facit. Atquin tunc maximè ſævit, cùm hominem plenè ſentit liberatum: tunc plurimùm accenditur, dum extinguitur. Itaque obſervat, oppugnat, obſidet: ſi qua poſſit aut oculos concupiſcentia carnali ferire; aut animum illecebris ſecularibus irretire; aut fidem terrenæ poteſtatis formidine evertere; aut à via certa terrenis traditionibus detorquere: non ſcandalis cedit, non tentationibus deficit.* Bellè Tertullianus hoſtilem diaboli adversùs Chriſtianos malitiam demonſtrat, variosque modos, quibus eos debellare nititur, dinumerat: At
Tert. lib. de Idol. 2. verbum Dei triumphatorium eos *adversùs diaboli latitudines munit*, & inſuper de mundi fallaciis victores reddit.

Tert. Scorp. 6. Tert. lib. de Cor. Mil. 13. Tract. de Reg. Pat. Conc. 1. 2. *Adverſarii inſidias, rerum fallacias, ſeculi retia* ſuperat verbum Dei triumphatorium, oſtendens *omnia imaginaria in ſeculo & nihil veri.* Quàm autem ſit vanum, inconſtans, lubricum, periculoſum & noxium ſeculum, in ſuperioribus habes demonſtratum. Quoties autem, Chriſtiane, mundus te aggreditur, arripe clypeum verbi Dei. *ſcuto circumdabit te veritas ejus:* ſume pariter gladium ſermonis Dei, quo debellabis carnis blanditias.

Tert. l. 3. adv. Marc. 14. 3. Nam *Apoſtolus Ioannes in Apocalypſi enſem deſcribit de ore Dei prodeuntem, bis acutum præacutum, quem intelligi oportet ſermonem divinum bis acutum, duobus Teſtamentis legis & Evangelii, acutum ſapientiâ, infeſtum diabolo, armantem nos adversùs hoſtes ſpiritalis nequitiæ & concupiſcentiæ omnis.* Diabolus, quò faciliùs de homine triumphet, ſibi ſubjungit duas ſpecies imbecillitatis hu-
Tert. lib. 2. ad uxor. 4. manæ: Unam, *de concupiſcentia ſeculi:* alteram *potentiſſimam, quæ venit de concupiſcentiis carnis.* At Chriſtianus enſe ſermonis Dei armatus utramque rejicit, probè ſciens concupiſcentiam rejiciendam à ſervis Dei, qui ſectantur non carnis mollitiem, ſed animi fortitudinem; quâ aſſequantur æternam beatitudinem, ad quam eos ſtimulat verbum Dei vitæ ſtructorium.

III. PARS Tert. lib. de Car. Chr. 7. Duplex verbum adinvicem opponit Tertullianus: diaboli ſcilicet & Dei. Eſt diaboli *verbum ædificatorium mortis:* Dei verò *verbum extructorium vitæ.* Diabolus verbo ædificatorio mortis protoparentes ad legis inobedientiam induxit; ex legis tranſgreſſione natura corrupta in cuncta vitia incidit; deinde damnationem incurrit. Verbum autem Dei eſt vitæ extructorium: 1. ad legis obſervantiam inducens: 2. virtutem accendens: 3. immortalis gloriæ acquiſitionem ſuadens.

Tert. lib. de præſc. Hæret. 14. D. Bern. ſer. 14. de diverſ. 1. *Habes legem & ſalutem de obſervatione legis.* Lex complectitur præcepta affirmativa, quæ bonum præcipiunt; & negativa, quæ malum prohibent: hæc fugienda ſunt, illa verò obſervanda, ut de obſervatione legis ſalutem conſequamur. Ad utrumque inducit ſermo Dei *Sermo Dei duo operari decet, & animas vitioſas ſanare, & bonas admonere. Vitioſas dico, non omnes, quibus ineſt vitium, ſed quæ vitio ex voluntate conſentiunt, nec reſiſtunt quantùm poſſunt: Tali*
Matth. 5. *animæ loquitur veritas in Evangelio, dicens:* Eſto conſentiens adverſario tuo, quamdiu cum illo es in via. *Non dixit vitio, ſed adverſario. Adverſarius iſte ſermo*

Dei eſt, qui ſemper vitiis adverſatur. Huic conſentit, qui cum Propheta dicere poßit: Peccatum meum contra me eſt ſemper. *Bonas dico animas, non ſolùm perfectas, ſed incipientes; quæ licèt vitium habeant, non tamen conſentiunt, ſed repugnant.* Pſal. 50.

Propheta Evangelicus proponit Dei legem velut viam, in qua ambulare debemus. [Hæc eſt via, ambulate in ea.] Ex D. autem Bernardo, *primus hujus viæ gradus eſt recta voluntas, ſecundus valida, tertius devota. In primo gradu anima mente legi Dei conſentit; ſed carne repugnante, bonum quod diligit, perficere non invenit: ſed ſæpè malum, quod odit, per infirmitatem facit. In hoc tamen recta eſt ejus voluntas, quod adverſario ſuo conſentiens in ſe odit, quod ille reprehendit. In ſecundo gradu, anima non ſolùm malum, quod odit, non agit, ſed etiam bonum, quod diligit, licèt cum gravedine, fortiter tamen perficit, dicens cum Propheta:* Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras. *In tertio gradu jam dilatato corde currit viam mandatorum Dei.* Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâſti cor meum, & virtutes proſequitur, ad quas ſermo Dei accendit. Iſa. 30. Pſal. 16. Pſal. 118.

2. Originalis culpa, ad quam protoparentes induxit diabolus eſt *matrix in omne delictum diffundens de ſuo fonte varias criminum venas*, diverſaq; vitia, ad quæ propendet natura corrupta, quæ nunquam efficaciùs eradicantur quam verbo Dei, quod ad virtutis amorem accendit: Ideò Centurio ait Chriſto: Dic tantùm verbo; quia ut acutè animadvertit Chryſologus: *Iſte credidit in verbo omnes manere virtutes*; forſitan quia accendit charitatis ignem, quæ cunctas complectitur virtutes. *Fœlix, in quo amoris mundani deſiccatus eſt humor & vigor deficit, in eo facilè ignitis verbi vis operatur. Verbum Dei & lucet, & ardet. Neutra in te virtute privetur, ſed geminum de iſto ſemine concipit fœtum. Sterilis reputatur uterus, qui iſtis fœtibus non gravidatur. Bonus planè fœtus dilectio*: Tum quia charitas in fructibus Spiritûs ſancti connumeratur: tum quia in dilectione Dei & proximi tota lex pendet & Prophetæ: tum quia finis præcepti charitas: tum quia charitas eſt vinculum perfectionis: tum quia eſt via ad beatitudinem, cujus acquiſitionem ſuadet Dei verbum extructorium vitæ. Tert. lib. de Pat. 5. Serm. 15. Gilebert. ſerm. 24. in Cant. Matth. 22. 1. Tim 1. Coloſſ. 3.

3. Beatitudo præceptorum obſervantiâ comparatur: cujus acquiſitionem ſermo Dei & *veritas docendo perſuadet*. Et quod eſt prorsùs ſtupendum, non ſolùm Chriſtus ſuo ſermone docet modum adipiſcendæ fœlicitatis, ejuſque conſecutionem ſuadet; ſed adhuc gratiam, quâ poſſit acquiri, confert. *Utique enim eloquium divinum & gratiam præſtat*, ipſumque Dei Filium in cordibus ingenerat. *Chriſtum enim, quem Eccleſia prædicans offert auribus, gratia illuminans infert cordibus.* Quapropter Chriſtiani, ſi immortalem deſideratis conſequi vitam, *abjicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, ſuſcipite inſitum verbum.* Beda, Cajetanus, pluresque alii per verbum inſitum intelligunt verbum Dei, puta Scripturam & Evangelium. Dicitur inſitum, quia Tert lib. adv. Valent. 2. Tert. lib. 4 adv. Marc. 7. Guerric. ſerm. 3. de Purif. Jacob. 1.

per

per Concionatorum prædicationem & audientium fidem animis credentium à Spiritu ſancto inſeritur & inſpiratur. Concilium Viennenſe per verbum inſitum intelligit Chriſtum: nam ſicut ramus per inſitionem arbori inſeritur, ita Chriſtus per prædicationem & fidem menti inditur: Suſcipite igitur inſitum verbum, *quod poteſt ſalvare animas veſtras*. Sirus legit, *vivificare animas veſtras*; tribuendo vitam gratiæ ſupernaturalem, per quam gloria & beatitudo comparatur.

CONCIO QUINTA.

Tert. lib. de ſpect. 10.

AD cognoſcendam verbi Dei utilitatem neceſſè eſt, *ut & titulos conſideremus*. Inter quos tres tantùm conſidero, quibus præcipuè inſignitur; nam 1. ſol appellatur: 2. talentum vocitatur: 3. ſemen nuncupatur.

I. PARS. Lib. 2. adv. Marc. 2. Serm. 24. de diverſ.

Sol optimus & utilis meritò prædicatur à Tertulliano. Verùm quantumvis magno mundo utilis ſit ſol materialis; microcoſmo ſeu homini utilior eſt ſermo Dei. Multimodam ejus utilitatem refert D. Bernardus. *Omnia namque cordis ſecreta rimatur atque dijudicat ſermo vivus & efficax, cordium atque cogitationum perſcrutator. Vndè & licèt mortuus in peccato, ſi audieris vocem Filii Dei, vives.* Sermo enim, quem loquitur, ſpiritus & vita eſt. *Si cor tuum induratum eſt, memento Scripturæ dicentis*; Emittet verbum ſuum & liquefaciet ea. *Si tepidus es, & evomi jam formidas, non diſcedas ab eloquio Domini, & inflammabit te:* quia eloquium ejus ignitum valdè. *Si tenebras ignorantiæ plangis*, diligenter audi, quid loquatur in te Dominus Deus, & erit lucerna pedibus tuis verbum Domini, & lumen ſemitis tuis. Plures alias refert D. Bernardus utilitates verbi Dei. Sed utilis prædicatur trina præcipuè de cauſa: ſcilicet ob lucem, quam ſpargit, calorem, quem infundit, fœcunditatem, quam producit. Ob eaſdem rationes utiliſſimus eſt ſermo Dei, qui eſt ſol 1. illuminans: 2. ſufflammans: 3. fœcundans.

Pſal. 147.

Tert. l. 2. adv. Marc. 2. Tert. l. 4. adv. Marc. 12. Apoc. 3. 21. Tert. apol. 1.

1. *Sol mundum hunc temperat*; noctis tenebras ab eo fugat, *operum differentiam illuminat*, eorumque decorem aut fœditatem, utilitatem aut pernitiem hominum manifeſtat. Sermo Dei *illuminator* ignorantiæ tenebras à mentibus fugat: peccatum intellectum obtenebrat, hominesque adeò excæcat, ut brutorum conditionem redolere videantur. Quos ideò Judas Apoſtolus in ſua Canonica *muta animalia* vocitat. Gregorius Nyſſenus de Incarnatione diſſerens ait, quod, accedente verbo, naturæ noſtræ brutalitas eſt deleta. Quod de incarnato ſcribit Nyſſenus, de prædicato verbo dicendum eſt, per quod (homo, comparatus jumentis inſipientibus, & ſimilis illis factus,) deletâ brutalitate, ad naturæ ſuæ dignitatem revocatur. *Illuminantibus tenebras* peccati gratiæ ſplendoribus. Homo abſque fidei lumine præcipua Chriſtianæ diſciplinæ myſteria recognoſcere nequit. At ſermo Dei

tania

tantæ religionis illuminator, ſublimiſſima quæque Chriſtianiſmi detegit ſacramenta. Homo in tanta noctis verſatur caligine, ut dicat bonum malum, & malum bonum, neſciatque diſcernere quid ſibi ſit utile, quid noxium: at Dei *verbum illuminat quid proſit*, quidve noceat: neque ſolummodò mentem illuminat, ſed adhuc voluntatem ſufflammat. Tert. lib. 4 adv. Marc. 17. Tert. lib. de Reſ. 37.

2. *Siquidem ſol ignis:* calor namque a luce velut dimanat. Uti ſplendor ſolis præcedit ejus calorem, ita lux mentis voluntatis ardorem. Illuminata autem mente per verbum Dei ſufflammatur voluntas. *Ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea.* Quaſi dicat Propheta; Ubi anima verbo Dei imbuta eſt, illicò exarſit, ut conſtat ex diſcipulis euntibus in Emaüs, qui audito Chriſto de myſterio paſſionis diſſerente illicò exarſerunt, ut ipſimet fatentur: *Nonne cor noſtrum erat ardens in via, dum loqueretur nobis?* Patet etiam ex iis fidelibus, qui in exordio naſcentis Eccleſiæ, ubi audierunt Apoſtolum prædicantem, Spiritu ſancto illabente in eos protinùs exarſerunt. His ſimiles plures Chriſtiani, qui audito verbo Dei ſufflammantur illo igne ab ipſomet Chriſto in terram miſſo: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut ſuccendatur? Tert. lib. de An. 8. Jerem. 11. Luc. ult.

Verbo Dei & *lux, & æſtus ſpargitur ſuper terram.* Verùm, ut meritò conqueritur Gillebertus Abbas, *neſcio quo pacto dilexerunt homines magis lucem, quàm fervorem, niſi quod ipſi magis ſibi de luce placent, qui idipſum quod lucet, non amplectuntur. Annon tibi videtur perdidiſſe aut dedidiciſſe naturam ignis non ſuccendendo? Cùm audis aliquem quaſi gloriantem & dicentem: Non me ille Scriptura ſacra ſermo ædificat, quid aliud videtur tibi dicere, quàm, perdidit in me efficaciam verbum ignitum, non me ſuccendit, non inflammat, non exercet in me vim genitalem. Sterilitatem ſuam imputat verbo, quod quantum in ſe eſt, creſcit & fructificat,* quia eſt ſol illuminans, ſufflammans & fœcundans. Job. 38. Serm. 24. in Cant.

3. Varro refert à Gentilibus *creditam elementorum divinitatem, quòd nihil omninò ſine ſuffragio illorum gigni, ali, provehi poſſit ad vitæ humanæ & terræ ſationem.* Eadem ratione Deos exiſtimârunt ſidera præſertim *Solem, qui diei de ſuo cumulet, fruges caloribus procuret, & annum ſtationibus ſervet.* Sermo concionatorius non eſt Deus; divinam tamen imitatur fœcunditatem, tum internam, tum externam. Interna duplex eſt; una lucis, per quam Pater in ſplendoribus generat Verbum: altera ardoris, per quam Pater & Filius ſpirant amorem perſonalem. Fœcunditatem internam tam lucis, quàm ardoris æmulatur Dei ſermo. *Sterilitas reputatur, ſi vel uno fueris fœtu contentus. Si potuiſti ad ſacratum aliquem in Scripturis intellectum pertingere; unum jam peperiſti fœtum. Bonus profectus & ingens, ſed inſufficiens ſacrato ſenſui, ſi affectus non reſpondeat. Sterilis eſt intelligentia, quam non coæva & germana comitatur devotio. Ubique tibi in Scripturis ſpargitur quaſi ſemen quoddam, unde gemellum hunc poſſis fœtum concipere. Non tantùm ſubtilia, ſed & ſuavia ibi ſunt omnia.* Et præceptum Domini lucidum eſt, & ignitum eloquium. *Sterile eſt in te verbum Dei, ex qua parte horum alterutrum non operatur. Si per intelligentiam vides, ſed* Tert. l. 2. ad Nat. 5. Gilleb. ib. Pſal. 18.

gelido adhuc riges affectu; nonne ſterilis & ineffi.ax reputatur in te verbi Dei virtus
ignea? Denique & ſi ad ignem ſpectat ut illuminet, multò ampliùs ut ſuccendat.
Iſa. 55. Verbum, inquit Dominus, quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me
vacuum, ſed faciet, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud. Tunc autem
fœliciter proſperabitur, ſi imitatur externam Dei fœcunditatem: opera
enim Trinitatis ad extra ſunt indiviſa: Multùm eſt, quòd ſermo Dei produ-
cat lucem in intellectu; magis adhuc, quòd producat ardorem in volunta-
D. Bern. ſerm. 2. in Feſt. SS. Apoſt. Pet. & Paul. te, ad ſuum complementum debet transire ad bonum opus. *Fructus vitæ ſunt*
verba Dei, non folia: & ſi folia, ſed aurea ſunt: proindè non parvipendantur, non
pertranseant, non prætervolẽt; ſed virtutum proferant fructus: Terra enim, quæ
ſæpiùs ſupervenientem ſuſceperit imbrem, & non fecerit fructum, terra re-
Hebr 6. proba eſt proxima maledicto: ſic & ea, quę in Evangelio ſterilis, ficulnea legi-
Tert. lib. de reſ. 33. tur. Exemplum prodit *arboris fici, dilatæ in ſpem, ad inſtar Iudaicæ infructuoſita-*
Luc. 13. *tis*. Si, poſteaquam foderit circa eam vineæ cultor, atq; miſerit ſtercora, nihi-
lominùs ſterilis inventa fuerit, nonne jam ſecuris ad radicem illius arboris
Matth. 21. eſt ponenda? Annon paterfamilias exiget rationem ab infideli & negligen-
ti ſervo, qui nullum retulit fructum de illi commiſſo verbi Dei talento?

II. PARS. *Non drachma, ſed talentum* eſt verbum Dei, quod Dominus apud ſervum
Tert. lib. de Jud. 6. ſuum depoſuit, ea lege, ut daret ad uſuram, non autem reponeret in ſu-
dario. Tres autem ſervos denotat Evangeliſta. [Nequam unum, qui de
Matth. 25. talento ſibi commiſſo nullum retulit fructum; alium quidem fidelem, qui
aliqualem reportavit fructum: tertium fidelem & negotioſum, qui multum
lucrum ex ſua negotiatione accepit. Tres illi ſervi tres verbi Dei audito-
Serm. 41. res deſignant: quos nuncupat Petrus Bleſenſis 1. pigros; 2. activos; 3. con-
templativos.

Tert. lib. de præſc. Hæret. 26. 1. Pigri inſtructi *de verbo Dei & Chriſti ſacramento*, quæ audierunt, *non*
adimpleverunt, ſed contempſerunt. Audito namque verbo Dei, de morte, de
judicio, de inferno, non inde fiunt meliores, neque de via ſua prava conver-
tuntur, ſed ita ſunt ſeculi concupiſcentiis ac peccatis addicti, ac ſi nullo mo-
D. Aug. ſerm. 3. de verb. Dom. do Dei verbum audiſſent. Servus nequam à Domino punitus fuit, ſimiliter
diſcipulus contemptor inexcuſatus erit, qui facienda didicit, & contempſit. [Audiet
enim, quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens cum
uſuris exegiſſem eam?] Ubi V. Beda: *Qui verbi pecuniam à Doctore percipit,*
emitq; credendo, necesſè eſt eam cum uſuris ſolvat operando, ut quod auditu didicit,
ſequatur & actu. Hanc operis uſuram jure depoſcit à ſervo Dominus, qui ta-
lenti negotiationem & lucrum ei commiſit. *Nec mutuum puta, ſed fœnus; nec*
talentum ſolùm, ſed & talenti quæſtum, ait bellè ad propoſitum Gregorius Na-
zianzenus Orat. cùm reverter. ex agro. Chriſtiane, acceptum à Chriſto ver-
bi Dei talentum redde cum uſura & fœnore; reddes autem, ſi, quæ audis,
mox in rem transferas; & ſic diſcas, ut, quæ fuerunt verba, ſint opera. Sic diſcunt
activi, qui auditis obediunt, & quæ in concione didicerunt, adimplent.

Tert. Apol 46. 2. *Chriſtianus eſt verborum & factorum operator*, opere exequens, quod à

verbo

verbo Dei didicit: Tum prædicator, tum auditor bonis debent vacare operibus; prædicator tenetur adimplere, quod docet, auditor ad praxim redigere, quod didicit, ad hoc ille accepit talentum prædicationis, & iſte talentum verbi Dei. Quod bellè quamvis fusè declarat D. Auguſtinus: *Cùm nobis pro officio competat dicere, vobis autem conveniat pro devotione audire, quid tam neceſſarium tamq; pertinens poterit utrisq; contingere, quàm ut, quod religiosè dicitur, & devotè auditur, obſequiis competentibus teneatur? Nam ſi religioſa non tacere lucrum eſt, tacere diſpendium: quantò itaque potiora lucra poterunt provenire, cùm operis effectu monſtratur, quicquid magiſteriis cœleſtibus & diſcitur, & tenetur?* Multùm lucratur auditor activus, qui auditis obedit, & contemplativus, qui in amplexu obdormit. Ibid.

3. Chriſtianus eſt *negotiator ſalutis.* Salus autem poteſt comparari tum in vita activa, tum in contemplativa; & utramq; vitam in Martha & Magdalena videre eſt. Activam in Martha, contemplativam in Magdalena quæ ſedens ſecùs pedes Domini audiebat in quiete & ſilentio verbum Dei. Binam invenio contemplationem: Beatorum ſcilicet in patria; Juſtorum in via. Uti autem gratia eſt diſpoſitio ad gloriam; ita contemplatio viæ ducit ad contemplationem patriæ. Contemplativus ſervus in ſilentio audiens Dei verbum meretur Deum in cœlo contemplari: & ob hanc cauſam Tertullianus conſiderat *hominem accipientem ſemen regni & ſeminantem in horto cordis ſui:* ejusmodi autem ſemen eſt verbum Dei. Lib. 4. adv. Marc. 30.

III. PARS

Ex triginta duabus parabolis, quæ reperiuntur in Evangelio, præcipua ſanè eſt *de ſeminatore in verbi adminiſtratione:* tum quia eſt prima, quam protulit Chriſtus: tum quia ab ipſomet ediſſerata, apertè dicente ſemen illud eſſe verbum Dei, quod 1. ſecùs viam conculcatur: 2. inter ſpinas ſuffocatur: 3. in bonam terram injectum fœcundatur. Tert. lib. de reſ. 33.

Verbum Dei ſeminis ſimilitudo eſt. Ex cœleſti illo ſemine *aliud cecidit ſecùs viam, & conculcatum eſt;* & volucres cœli comederunt illud: *aliud cecidit ſuprà petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.* Alibi explicatum eſt, quid intelligendum ſit per viam, in quam cecidit verbum Dei, & per volucres cœli, qui comederunt illud. Illa autem via eſt via peccatorum, qui ſeculi ſequentes dogmata verbum Dei contemnunt, & pedib' conculcant; petra verò, in quam incidit ſemen, eſt peccator in ſuis ſceleribus obduratus, qui reſiſtit gratiæ, neque ullo modo mollitur, ſed ut petra magis ac magis dureſcit. Tert. lib. de præſc. Hær. 31. Tert. Præ. dic. to. 2. Tract. de Apoſt. Conc. 6.

2. *Quale eſt, quod leniſſimi Dei regnum ſignificet ſemen, quod etiam judicii fervor lacrymoſa auſteritate ſubſequitur;* præſertim in mundanos, qui verbum Dei contemnunt; obduratos, qui illud rejiciunt, & avaros, qui illud ſuffocant? Nam ex illo *aliud cecidit inter ſpinas, quæ ſuffocaverunt illud:* per ſpinas autem divitias intelligit Salvator, quæ bellè comparantur ſpinis: Tum quia ut *ſpinæ ſteriles, ita divitiæ:* tum, ſubjungit D. Chryſoſtomus, *quia ut inter ſpinas fera, vipera, ſcorpii deliteſcunt: ita & hic in fraudibus divitiarum* alia crimina latent: Tum quia maximè Tert. l. 4. adv. Marc. 30. D. Chryſoſt. Hom. 32. in Joann.

mè, ait Magnus Gregorius, *cogitationum ſuarum punctionibus lacerant.* Spinæ carnem pungunt, divitiæ mentem: & ut fatur Hugo Cardinalis, *cùm acquiruntur, pungunt per laborem; cùm habentur, pungunt per timorem; cum perduntur, pungunt per dolorem*; & ut ſubjungit purpuratus præſul: *quantò magis divitiæ cordi inſeruntur per amorem: tantò magis pungunt per dolorem.* Tum maximè, quia ſicut ſpinæ igne comburuntur; ita Iniqui divitiarum poſſeſſores gehennæ inſidiis traduntur. Chriſtiane, *non ſis ampliùs ſecùs viam, nec terra petroſa, nec ſpinoſa*, ſed potiùs à ſemita communi benè ſejuncta, mollis, ſubjecta, ſpinis vacans: *Sic enim paratur ager*, ait D. Auguſtinus: & terra bona, in quam cœleſte ſemen injiciat Chriſtus.

In Pſal. 31.

D. Aug. Ser. 1. de Apoſt.

Tert. l. 4. adv. marc. 30.

3. *Qui accepit à Patre ſemen regni, ſermonem ſcilicet Evangelii, & ſeminavit in horto ſuo, utique in mundo, puta nunc in homine*, ex quo aliud cecidit in terram bonam; hoc eſt, in cor bonum & optimum. Cor bonum à fide ſeu lumine divino; optimum à gratia & ſanctitate; bonum à legis obſervatione; optimum à cœleſtium contemplatione; bonum, id eſt, mundum à crimine; optimum à perfecta cum divina voluntate conſenſione: Si in ejuſmodi cor humile, purum, fidele, ſanctum Dei verbum inciderit, fructum afferet ingenti cum fœnore: uti enim una terra, quæ ſemen admiſit, interdum pro uno grano triginta reddit; alia ſexaginta; quædam centum, pro alia atque alia ſoli bonitate atque cultura; ita in uno corde ſeminatum verbum Dei affert trigeſimum; in alio ſexageſimum; in iſto centeſimum. *Porrò ut frugum ſeminibus una generis cujuſque forma eſt, proceſſus tamen varii; alia integro ſtatu evadunt, alia etiam meliora reſpondent, alia degenerant pro conditione cœli & ſoli; pro ratione operis & curæ; pro temporum eventu; pro licentia caſuum*; ita ſemen degenerat, aut proficit pro conditione ſoli, in quod projicitur, & pro varietate curæ & ſollicitudinis quæ adhibetur. Infructuoſum eſt, quando cadit ſuper petram: fœcundum eſt, dum cadit in terram bonam. *Exieram planè ſeminare ſemen, non meum, ſed Dei, & cadens in terram bonam ſemen bonum fructum fecit centuplum & tempeſtivum.* Faxit Deus, ut ſimus terra bona, & feramus fructus æterna fœlicitate dignos.

Tert. lib. de An. 20.

D. Bern. Ep. 129.

CONCIO SEXTA.

CUm loquimur de contemptu & utilitate ſermonis Dei, hoc non eſt ita intelligendum, quaſi in ſe ſit vilis & contemnendus, ſed quia à ſceleroſis Chriſtianis vilis habetur & contemnitur. In ſe enim eſt dignitate ſublimis, magno in pretio habendus, & ſummo honore venerandus: ipſi autem Dei ſermonem exiſtimandum, honorandum, & amandum 1. dedignantur: 2. aſpernantur: 3. averſantur.

I. PARS.

Tert. lib. de ſpect. 15.

Dedignatio verbi Dei eſt prorsùs injuſta & ſceleroſa. Verbum Dei eſt in magno pretio habendum, avidè appetendum, diligenter audiendum. Chri-

ſtiani criminoſi & dedignantes illud 1. parvipendunt: 2. non appetunt: 3. audire negligunt.

1. Ad ſermonis Dei exiſtimationem ſat eſt ſcire, quòd ſuam à Deo trahat originem. *Hæc eſt nativitas perfecta ſermonis, dum ex Deo procedit.* Sublimem verbi Dei originem ejusque eminentem dignitatem ſapienter à Chriſtianis recogitandam deſiderat D. Auguſtinus. *Intelligite ſapienter hoc, quod auditis, quantum ſit, & quale ſit, cogitate.* Non ſapientes ſunt, qui verbum Dei parvipendunt, nec quale ſit, nec quanta ejus dignitas, cogitant. Quod D. Bernardo timorem ingenerat. *Ego unum timeo, ne toties audita verba ſalutis vileſcere vobis incipiant tanquam verba. Vilis ſiquidem & volatilis res verbum hominis, nullius momenti, nullius ponderis, nullius pretii, nullius ſoliditatis.* Aërem verberat, undè & verbum dicitur; & ſicut folium, quod vento rapitur, effluit, & non eſt qui conſideret. *Nemo veſtrûm, fratres, ſic accipiat, imò nemo ſic deſpiciat verbum Dei. Fructus vitæ ſunt verba Dei, non folia: & ſi folia, ſed aurea ſunt; proindè non parvi pendantur, non pertranſeant, non prætervolent:* Verùm quantumvis ſit aureum, pretioſum & exiſtimandum Dei verbum, à multis tamen parvi penditur, & quantumvis deſiderabile, non appetitur.

Tert. lib. adv. Prax. 7.
Serm. 13. de Comm.
Serm. 2. de SS. Apoſt. Pet. & Pauli.

2. *Quæ voluntas ſine concupiſcentiæ ſtimulo eſt?* Concupiſcentia eſt vehemens deſiderium, quod bonum appetit, & quò majus eſt bonum, eò majori deſiderio in illud fertur: *Deſiderandus eſt Dei ſermo, & ad eum inhiandum:* tum ob eminentem dignitatem, quam continet: tum ob multiplicem utilitatem, quam affert: tum ob valoris & pretii magnitudinem. *Sed utinam verbum, quod nobis proponitur, nulla vilitatis vel contemptûs offuſcaret obductio, ſed arctiùs charitate obnexum, id eſt, carum fieret, clareſceret vobis ſuper lapidem pretioſum, & dulciùs ſaperet in veſtri cordis palato ſuper omnia mella, & ſuper quemlibet favum.* At proh dolor! quamplures Chriſtiani, tantùm abeſt, ut Dei verbum dulcius ſuper mel & favum, & omni lapide pretioſo pretioſius exiſtiment, deſiderent, & ament, quin imò illud faſtidiunt. Si illud exiſtimarent, deſiderarent; nam deſiderium voluntatis ex exiſtimatione mentis naſcitur & ſi deſiderarent, quærerent; deſiderium enim ſtimulat ad proſecutionem rei, quæ appetitur. *Sed & cura accedet voluntati? Quis volet, quod non concupiſcet? Quis enim volet quid, & concupiſcet, & non curabit?* Ipſi verò, quia verbum Dei non concupiſcunt, illud non curant, ſed audire negligunt.

Tert. l. 11. adv. Marc. 25.
D. Bern. ſer. 13. de Comm.
D. Bern. ſer. de ult. cœn.
Tert. ibid.

3. *Quotidianâ diligentiâ* homines terrena bona ſectantur, lucrum captant; victum & potum corporalem quærunt; imò *diligentiâ delictorum* ſuis concupiſcentiis ſatisfacere ſatagunt; nec tamen ullam diligentiam adhibent ad audiendum verbum Dei, quod eſt animæ alimentum, cœleſtis theſaurus opulenter ditans, & bonum univerſale omnes boni ſpecies communicans. *Piâ diligentiâ verba divina tractanda ſunt*, imò & audienda. Plerique tamen non ſolùm non audiunt, ſed audire negligunt. At cur in primis Eccleſiæ temporibus verbum Dei tanta avi-

Tert. lib. 2 ad uxor. 8
Tert. l. adv Valent. 30
D. Aug. lib. quæſt. 65.

ditate exciperetur? cur ad audiendam concionem fideles confluerent? cur pretioſius ſuper aurum & lapidem pretioſum? Audi Tertullianum de auro & gemmis loquentem. *Hæc omnia de raritate & peregrinitate ſola gratiam poſſident.* Similiter in exordio naſcentis Eccleſiæ, quia erat rarum verbum Dei, erat pretioſum; nunc verò vileſcit; *Facit namque faſtidium copia*: & ut fatur Tertullianus, optima quæque vina *poſteriore quoque uſu depretiantur.* Sic verbum Dei aſſiduitate viluit, & à pravis Chriſtianis aſpernatur.

L. 1. de cult. fœm. 6. Livi. L. de an. 17.

II. PARS. Tert. l. 5. adv. marc. 11.

Inter pœnas, quas Judæis comminatur Deus, non parva hæc mihi videtur: *Aure audietis, & non audietis.* Eadem pœna mulctantur plures Chriſtiani aure audientes, & non audientes. Verbum Dei eſt 1. attentè audiendum: 2. mente percipiendum: 3. ſibi attribuendum; ipſi verò illud 1. attentè non audiunt: 2. mente non percipiunt: 3. ſibi non attribuunt.

Tert. lib. de pud. 7. Luc. 8.

1. *Quando enim non transgreſſor legis Iudæus aure audiens, & non audiens?* Nonne eodem crimine reus eſt perverſus Chriſtianus, abſque ulla reverentia, ulla attentione verbum Dei audiens? *Qui habet aures audiendi, audiat.* Chriſtus Dominus quinquies hæc protulit verba, & ſemper cum clamore protulit. Sapiens non clamat abſque fundamento: Chriſtus ipſamet Dei ſapientia magna de cauſa clamat: Salvator *neque contendit, neque clamavit, neq; audita eſt foris vox ejus,* dum calumniis denigratur, injuriis laceſſitur, plagis dilaceratur; & alta voce clamat: *Qui habet aures audiendi, audiat:* impertinenter tamen loqui videtur: nam ſurdi duntaxat non audiunt; qui verò habent aures ad auditum diſpoſitas audiunt: neque enim clamor & ſonus niſi aure auditur. *Puto autem naturæ Dominus Deus noſter eſt, qui figuravit hominem & fructibus rerum appetendis, judicandis, conſequendis certos in eo ſenſus ordinavit per propria membrorum quodammodò organa. Auditum in auribus fodit, viſum in oculis accendit, guſtum in ore concluſit, odoratum in naribus ventilavit, contactum in manibus ventilavit.* Perverſi Chriſtiani illum pervertunt ordinem, in concionem venientes ut videant, ut aliquam deguſtent novitatem, ut Concionatorem cenſurâ tangant, ut mellitum & ſuavem afflent ſermonem, non ut verbum attentè audiant & mente percipiant.

Tert. lib. adv. Jud. 9

Tert. lib. de Cor. Mil. 5.

Epiſt. de cibis Jud. c. 3.

2. Ex dubio Tertulliano, *in animalibus mores depinguntur humani, & actus, & voluntates. Mundi ſi ruminent, id eſt, in ore ſemper habeant quaſi cibum præcepta divina: immundi ſunt, quorum nec divinorum præceptorum in ore nullius ruminationis teritur cibus.* Dixit in ſuperioribus indubitatus Tertullianus, quòd Sermo divinus eſt *in cauſam vitæ appetendus, & devorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus:* Perverſi autem Chriſtiani illum non appetunt, nec auditu devorant, nec ruminant intellectu, nec fide digerunt, neque ſibi attribuunt.

L. de Reſ. 37.

Apol. 21.

3. Judæos *mulctatos intelligentia & aurium fruge* prodit Tertullianus, quibus ſimiles plures Chriſtiani verbi Dei ſenſum non intelligentes, neque, quæ in concione audierunt, ſibi, ſed aliis attribuentes. Quod obplorat D. Bernardus;

dus: *Nonnullos enim ſic interdum audientes invenies, ac ſi nihil omninò ad illos per-* Serm 1. in
tineant, quæ dicuntur; non intrare cor ſuum, non diſcutere mores ſuos, non cogita- ſent.
re, ne fortè quod audiunt, dictum ſit propter eos. Magis autem, ſi fortè ſermo Dei vi-
vus & efficax (qui ſuo & non ejus, qui loquitur, arbitrio fertur, quocumque volue-
rit) ſi inquam manifeſtè adversùs vitia proceſſerit, quibus ſeſe illi ſentiunt obliga-
tos, diſſimulant, & avertunt oculos cordis, aut qualibet adinventione palliant vi-
tia, & ſeducunt miſeri ſemetipſos. Fusè quidem, ſed bellè D. Bernardus depin-
git Chriſtianos, qui ſibi verbum Dei, quod audiunt, non appropriant, quos
miſeros prædicat, ſed multò infœliciores, qui verbum Dei averſantur.

Infœlices ſanè Chriſtiani, qui *aſpernamento habent ſermonem ſanctum.* Sed III. PARS
multò infœliciores, qui 1. reluctantur: 2. dedignantur: 3. averſantur. Tert. lib.

1. Sceleroſi in ſuis criminibus obſtinati durum prædicant verbum Dei, de pud. 7.
ſimiles Capharnaitis, qui *durum exiſtimaverunt ſermonem Chriſti*; in quo ſe Tert. lib. de Reſ. 17.
animales & carnales demonſtrant. Nam ut ratiocinatur dubius Auguſtinus Hom. 8.
expendens iſtud: [Faciet amaricare ventrem tuum, ſed in ore tuo erit tan- ſup. apoc.
quam mel dulce.] *In ore intelliguntur boni & ſpirituales Chriſtiani: in ventre*
carnales & luxurioſi. Inde eſt, quòd, quando verbum Dei prædicatur, ſpiritualibus
dulce eſt; carnalibus verò, quorum Deus venter eſt, *amarum videtur & aſperum.*
Et quia carnalem nolunt relinquere vitam, verbo Dei reluctantur, illud- Philip. 3.
que dedignantur.

2. Sceleroſos Chriſtianos increpare debent concionatores ad inſtar
Joannis Baptiſtæ, qui audacter Herodem redarguebat: Non licet tibi habe-
re uxorem fratris tui: ad inſtar Apoſtoli criminoſos redarguentis: *Hoc enim* Tert. lib.
dicimus vobis in ſermone Domini, quos imitantur concionatores zelo ſalutis de rel. 24.
animarum ſuccenſi, ſic loquentes apud D. Auguſtinum: *Prædicamus omninò in* Lib. 1 cōt.
adjutorio Domini Dei noſtri Chriſtianæ veritatis voluntatem, pietatem, ſanctita- Creſcon.
tem. Prædicamus volentibus opportunè, renitentibus importunè. Quia, ut c. 6.
vult D. Bernardus, *arguere & increpare interdum neceſſè eſt*, præſertim Serm. 1. in
quando vitium eſt publicum & ſcandaloſum: licèt *verbum increpatorium*, ut Feſt de A-
fatur Doctor mellifluus, ab obſtinatis & ſcandaloſis peccatoribus dedigne- poſt. Petr.
tur & averſetur. & Paul.

3. Prædicatorem ſic hortatur Propheta: *Exclama in vigore, & ne pe-* Tert. lib.
percerit; exalta ut tuba vocem tuam, & annuntia plebi meo facinora eorum, adv. Jud. 9
& domui Iacob delicta eorum. Chriſtiani de ſua ſalute ſolliciti patienter fe-
runt verbum Dei increpatorium; & inde ſumunt anſam ſeſe corrigen-
di: ſceleroſi verò in ſuis criminibus perſeverare volentes ægrè ferunt re-
dargui, & increpantem averſantur veritatem: quorum *injuſtum eſt* Tert. lib.
odium & evidens reprobationis indicium. *In his ſalutis ſigna non video, ma-* de ſpect.
gis autem vereor, ne fortè propterea non audiant verbum Dei, quia non ſunt 16
ipſi ex Deo. Nam ſi ex teſtimonio ipſiusmet Chriſti, Qui non audit ver- D. Bern. ibid.
bum Dei, ex Deo non eſt, quantò minùs ex Deo ſunt, qui verbum Dei Joan. 8.
averſantur? Quamdiu ſumus in hoc ſeculo, ignoramus, an ſimus de nu-

mero

D.Bern. mero electorum aut præſcitorum. Nam *quis poteſt dicere: Ego de electis ſum: ego*
ibid. *de prædeſtinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis, inquam, dicere poteſt, re-*
Eccleſ.9. *clamante nimirùm Scripturâ:* Neſcit homo, ſi ſit dignus amore, an odio? *Cer-*
titudinem utique non habemus, ſed ſpei fiducia conſolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitùs cruciemur. Propter hoc data ſunt ſigna quædam & indicia manifeſta ſalutis, ut indubitabile ſit eum eſſe de numero electorum, in quo ea ſigna permanſerint. Porrò inter ea, quæ fiduciam præſtant & materiam ſpei, unum illud maximum eſt: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Totis præcordiis exopto, ut Conciones Tertulliani Prædicantis cum fructu legantur, prædicentur, audiantur ad gloriam Dei & animarum ſalutem, ſubjiciens cuncta, quæ in eis continentur, auctoritati & cenſuræ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quam ut columnam veritatis recognoſco & veneror.

F I N I S.

INDEX MATERIARUM

QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A.

ABAILLARDI errores declarantur. Pag. 201
Adam princeps generis & delicti 28
Alimentum duplex à Chriſto Domino deſignatum 641
Alimento quinam potiſſime indigeant. 642. 645. aliàs 643
Ambitio imperii ad certamen inducit 28
Ambitio ſepulchri 418
Ambitio crudelis 314
Amor transformat in amatum 209
Amans objecti amati ſumit proprietates. ib.
Amor terrenorum cor contaminat ib
Amor probatur paſſionibus 265
Amor omnia ſuperat 357
Animæ quantitas, charitate menſuratur. 409
Anima morbo affecta, Deo proxima eſt. 358
B. Anna dives theſaurus 362
Anna dives pretioſo vitæ theſauro ibid.
Anna omnium virtutum genere florens. ib.
Anna ditior Mariano theſauro 364
Anna magna gratia donatur 368
Anna ditiſſima Dominico theſauro 370
Anna Chriſtum amans 373
Annæ authoritas in Mariam & Chriſtum. 374
Antonius divitiarum concupiſcentiam vincit 106
Antonius ſenſuum voluptatem ſuperat 112
Antonius perfectionis ſtudioſus 114
Antonius in qua æſtimatione habitus 111
Antonius in ſolitudinem ſe recepit, & cur. 117
Antonius cum diabolo prældiatur 121
quilibet Apoſtolus aliqua prærogativa eminet 409
Apoſtoli per duodecim gemmas denotati. 411
Apoſtolorum faſtigium 408
Arbores viventes & mortuæ 544
Aſtrologia judiciaria culpatur 9
Avaritia multum culpatur 107
Arii mors ſtupenda 637
Auguſtinus Auguſtino opponitur 118
Auguſtinus à Deo illuminatur 129
Auguſtini ſapientia declaratur 130
Auguſtinus ſoli comparatus 131
magna Auguſtini humilitas libros retractans 133
Auguſtinus ingenii ſubtilitate commendatus 134
Auguſtinus de hæreticis triumphat ib.
Auguſtini peccata quanta 135
Auguſtini gratia multiplex, peccatorum multitudinem vincens 136
Auguſtini gratia fortis, peccatorum obſtinationem ſuperans 137
Auguſtinus impudentiam peccatorum publica ipſorum confeſſione mulctat 139
Auguſtinus ſagittis amoris vulneratus 140
Auguſtinus ex amore pœnitenti lachrymatur 141
Auguſtinus ex amore gratitudinis Deum laudat 142
Auguſtinus ardenter Deum amans 143
Auguſtinus proximi ſalutem zelans 145
Aureola triplex 294
Aurium quænam ſint vera ornamenta 645 aliàs 643
Aures corporis & cordis 646
Aure audire & non audire 670
Auroræ venuſtas 367
Aurum, ignis 358

B.

Balthaſar de vivis ſublatus, cum in convivio ſacris templi abutitur vaſis 637
Bartholomæus regia ſtirpe oriundus 439
Bartholomæus Chriſto ſimillimus ibid.
Bartholomæus in oratione pernoctat 440
Bartholomæus idololatras convertit 443
Bartholomæus ſacerdotum invidia damnatur 445
Bartholomæus excoriatur 446
Bartholomæi pellis multos condemnat. 449
Beatitudo præceptorum obſervantia comparatur 661
Benedictus ſuperne illuſtratus 147
Benedictus quomodo mundum conſpexit. 149
Benedicti charitas denotatur 152
Benedictus pauper & dives 153
Benedictus Jacobi accepit benedictionem. 155.156
in Benedicto coadunatæ Sanctorum dotes. ibid.
Benedictus multorum parens 159
Benedictus multos habet filios ſanctitate illuſtres 161
Bernardus Benedicto ſimillimus 162
Bernardus in ſolitudine eruditus 163
Bernardus columba repræſentatur ibid.
Bernardi pœnitentia grandis 165
Bernardi charitas 188
Bernardus religionem fœcundans 189
Bernardus ſtellis coronatus 190
Bernardus pluribus commendatus 191
Bernardus à Chriſto, Deipara, & Spiritu ſancto eruditus 193
Bernardus miraculis clarus 194
Bernardus Eccleſiæ columna 195
Bernardi authoritas 196
Bernardus cunctos increpat ſceleroſos. 204
Bonaventura Ordinem Seraphicum propugnat, reformat, & recte gubernat 25
Bonaventura ad reformandum Ordinem quatuor adhibuit 26
Bonaventura Franciſci ſapit ſpiritum 27
Bonaventura à Doctoribus hujuſce ætatis diſcriminatur 32

C.

Calamitas beata 358
Calamitas, diſciplina virtutis ibid.
Charitas miſerias potentes efficit ibid.
Canis proprietates 211
Carcer ædificandus 42
Caro luſit ante Chriſtum 5
Caſtitas principalis nominis diſciplina, ibid.
ſatis Caſtus habetur, qui minus caſtus fuerit ibid.
Charitatis ignis 167
Charitas animæ pulchritudo 164
Charitas Dei donum 209
Chriſtiani religioſi crucis 22
Chriſtiani filii Calvariæ, filii Paſſionis, filii Crucis ibid.
Chriſtianus ſalvis oculis fœminas nō videt. 5
Chriſtianus animo adverſus libidinem cæcus ibid.
Chriſtus titulo Filii hominis cenſetur 1
Chriſtus propinat calicem paſſionis 410
Chriſtus in fornace regi Babylonico apparuit 1
Chriſtus ſignaculum prophetarum 327
Chriſtus apparuit in carne nondum nata 1
Chriſtus in humilitate inceſſit ut damnaret ſuperbiam & faſtum mundi 2
Chriſtus eo perfectior, quo integrior 5
Chriſtus ſignaculū omnium prophetarū. 14
Chriſtus nocte naſcitur lux veritatis futurus ibid.
Chriſtus novæ nativitatis dedicatur 18
Chriſtus pauper 229
Chriſtus miraculis cognoſcitur 237
Chriſti poteſtas in elementa ibid.
Chriſtus ægrotos ſanans 241
Chriſto famulantur reges 243
Chriſtus magiſter 245
Cibi ſpiritualis fœlices famelici 643
Cilicii uſus 101
Clypeus ſolis 414
Collo Maria comparatur 368
Columba commendatur 163
Columbæ proprietates conſiderantur. ibid.
Columbæ volatus 166
per Columbam denotatur Spiritus ſanct. 253
Concupiſcentia carnis potentiſſima 137
Concupiſcentiæ ſtimulus 699
Confeſſio oris male pudorata 139
Converſio peccatoris difficillima 70
Converſatio verbis periclitatur 249
Converſationis humanæ inquinamentum. ibid.
Crux tollenda 96
Crucis figura 97

D.

DEdicationis Eccleſiæ ritus conſecrationi Religioſorum accommodati. 6 8
Defunctorum corpora pigmentis condita. 418
Deſiderantur naturaliter à cunctis hominibus potiſſimum tria, & quænam illa ſint. 647
Deſperatio vitanda 557
Deſperantes ſunt Deo contumelioſi 558
Deſperantes multum ſibi damnum afferunt. ibid.
Demoſthenis auditoribus ſimiles multi Chriſtiani 650
Deus mundi univerſitatem verbo molitus eſt 17
Dei operatione, univerſa conſiſtunt 23
Deus commendatur bonus bene dicere, & bene facere 24
Deus magnitudo dicitur 38
Deus in omnibus perfectus ibid.
Deus tam maxime magnus, quàm homini puſillus 49
Deus miraculorum auctor 61
Dei potentia ordinaria & abſoluta 68
Deus conſpector cordis 73
Deus bonus 76
Deus beneficus 78
Deus quare ſuper Cherubim ſedere dicatur. 151
Deus liberalis 153
ſine Dei permiſſione nullũ evenit malũ. 312
Diabolus furatur divinitatem 72
Diaboli malitia deſcribitur 121
cum Diabolo magnum initur prælium. ibid.
Diabolus eſt aſturiſſimus 122
Diaboli multiplex tentatio 123
Diabolus quomodo vincendus 124
Diabolus idololatriã & hæreſim induxit. 126
Diſcendi ardor, nobilitas magiſtri 245
Diſcere magis, quàm docere cœpit ib.
quod Diſcitur à Deo totum eſt 257
Dilectio ſummum fidei ſacramentum 260
Dilectionis fortitudo 267
Dilectio Dei, Patris dilectioni præferenda. 261
Dilectio non requirit ſua 262
Dilectio proximi commendatur 301
Dilectio martyrem excudit 409
Dilectio patiens 341
Dilectio foras mittit timorem 342
Dilectio Dei à mundi dilectione diſcriminatur 350
Diligentia delictorum 649
Divitiæ ex ſe non ſunt criminoſæ 153
Divitiæ cum ſpinis comparatæ. 667 668
Divites ſunt Dei diſpenſatores 354
Doctrinæ judex, diſciplina eſt 257
Dolor amoris [illegible] menſuratur 388
Dominicus virginitate ſancitus 206
Dominicus ſanctitate decoratus 208
Dominicus ſpecialiter à Deo adoptatus. ib.
Dominicus Dei Filio aſſimilatus ibid.
Dominicus charitate ſufflammatus 209
Dominicus lucerna Eccleſiæ 210
Dominicus ſtella notatus 211
Dominicus auſpicatus 214
Dominicus charitate ignitus 220
Dominici & Franciſci cõmune negotiũ. 221
Dominicus ad cuſtodiam Eccleſiæ deputatus ib.

E.

In Eccleſia erant depoſita pietatis 338
Eccleſiæ Romanæ primatus 28
Eccleſia exuritur de figura rubi 223
Egyptus idololatriæ & vitio dedita 508
Eleazar moriens in tormentis, factus eſt magiſterium perſeverantiæ 410
Electio Dei ab hominum electione diſcriminatur 484
Elementorum divinitatem quare crediderint Gentiles 661
Epiſcopus ad ſervitiũ Eccleſiæ deſtinatus 35
Epiſcopus ſacerdotis ſuperior 49
Epiſcopus ipſo rege major ib.
Epiſcopatus indecenter ambitur 58
qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat ib.
Epiſcopatum fugiebant Sancti 53
ad Epiſcopatum volentes non ſunt eligendi, ſed nolentes 56
Epiſcopi ſanctitas 57
Epiſcopi authoritas 60
Epiſcopi miniſterium 63
Epiſcopus virtutis exemplar 65
Evangeliſtæ denotantur 484
Evangeliſtæ ſibi non contrariantur ib.
Evangelium majeſtate commendatum 485
Evangelii veritas infallibilis 483
Evangelii magna utilitas 501
Evangelium regula morum ib.
Evangelium in injuſtitia retentum 502
Exempli authoritas 317

Exul vitæ 353
Exul à libertatis & lætitiæ fœlicitate ibid.

F.

FAcies occultorum ea quæ apparent. 211
Familiaritas Dei 251
Febris hominem cruciat 357
Fides famem non timet nec mortem 358
Filius Dei ſplendor Patris 87
Filiis ſuis Saturnus non pepercit 317
In Filio mater recognoſcitur 368
Flos fructus quia per florem 275
Fœcunditas in cœlibatu 251
Fortitudo Chriſtiana declaratur 341
Fons in Licia, ex quo deſumebatur fauſtum vel infauſtum vaticinium 649
Franciſcus velut alter Chriſtus 1
Franciſcus judex mundum condemnans, fulcrum Eccleſiam ſuſtentans, imago Chriſtum repræſentans 2
Franciſci humilitas oppoſita mũdi ſuperbiæ. 3
Franciſcus Eccleſiam ſuſtentat, reparat, fœcundat 12
Franciſcus repræſentat Chriſtum naſcentem, viventem, morientem 319
Fuga Chriſti in Ægyptum myſterio plena, 319
Fulmine hauſti 414

G.

GEnovefa Paſtorali officio dedita 398
Genovefa virginitati conſecrata. ibid.
Genovefæ humilitas 99
Genovefæ dilectio 400
Genovefæ pœnitentia 401
Genovefa lepra afflicta 402
Genovefa calumniis denigrata 403
Genovefæ mira patientia 404
Genovefa miraculis commendata ibid.
Genovefæ reliquiæ morbum ardentem extinguunt 405
Genus ad originem ſuam refert cenſum. 38
Gloria exaltationis ingenium 532
homines Gloriæ ſolius libidinoſi ibid.
Gratiæ triplex cauſa: principalis, meritoria, diſpenſatrix 357
Gratiæ abyſſus, Maria 368

H.

HAbitus proprius uniuſcujuſque eſt ad honorem & dignitatem 314
Herodis erga innocentes crudelitas 318
Herodes multiplici crimine famoſus ibid.
Herodes filii ſui interfector 317
Herodes malus omnibus ſibi peſſimus. ibid.
Hæreſes perverſitate doctrinæ Eccleſiam laceſcunt 15
Hæretici fideles evertere nituntur ib.
Hæreſis falſitas devenuſtatur 128
Hæretici ſuperbia tumidi 132
Hæreſes ad languorem & interitum fidei productæ 133
Hæretici Catholicos ſubvertere ſatagunt. ibid.
Hæreticorum cum Philoſophis ſocietas. ib.
Hæretici pacem cum omnibus miſcent. 200
Hæretici per noctem denotati 215
Heliodorus ab Angelo verberatus ob profanationem templi 637
Hominis trina origo 38
Homines hæreditarii rei 39
Homines naſcuntur criminoſi de reatu generali 38
Homines cœleſtes & terreſtres 912
Hominis origo ab Adamo ignobilis 39
Homini ob trinum finem data lingua 142
Homo in via, nequit videre Deum 150
Homo ſibi ipſi imperare debet 243
Homicida Deus quomodo dicitur 329
ab Homero omnis unda & æquor 135
Hoſpitalitas Chriſtianorum 415
Hoſtia pro omnibus hominibus Chriſtus. 328
Hoſtiæ coronantur 319
Humilitas cordis, oris, operis 3
Humilitatis tres gradus, primus nolle dominari, ſecundus velle ſubjici, tertius in ſubjectione lætanter injurias pati ibid.
Humilitas ſufficiens, abundans, ſuperabundans 4
Humiles ſublimitate mutantur ibid.
quanto quis Humilior, tanto capacior. ibid.
Humilitatis profeſſoribus gloria non competit 34
Humilem efficit gratia ibid.
in Humilitate magnitudo probatur 48
quanto quis Humilior, tanto apud Deum major 49
Humilitas magnitudine menſuratur 232
Humilis eſt honoris impatiens 233
Humiles ſublimitate mutantur ibid.

I.

IAcobus magnitudine commendatus. 407

Jacobus inter Apoſtolos primus Martyr. 409
Jacobus in Hiſpania prædicavit 412
Jacobus Cæſarauguſtæ ædem Deiparæ erexit 413
Jacobus nubes ibid.
Jacobus Ramiro regi apparet 414
Jacobus Hiſpaniæ protector ibid.
Jacobi equites crucigeri nuncupati 415
Jacobi corpus Compoſtellæ ſepultum 417
Idololatria culpatur 336
Infans adhuc tener qui neſciat mortem, qui ſub cultro rideat 312
Infans nullius inimicus, nullius reus, omnium amicus ibid.
Infantes teſtimonium Chriſto ſuo ſanguine litaverunt 331
Infans vitam vagitu ſalutans 331
Infanticidii ſacramentum 318
Infantes in Africa Saturno immolabatur. 327
Jeſu nomen annuntiatum ab Angelo 80
Ignis per fulgura proficiſcitur 414
ſumma ignis pœna 333
ſol Ignis 412
Ignes ſancti, ignes decori 413
Imbres de cœlo ruunt ibid.
cum Imbribus miſſilia ibid.
Imperator nonniſi poſt apotheſim Deus conſecrabatur 349
Imperator abſque ſuffragio ſenatus Deum non poterat conſecrare ibid.
Imperator omni nomine major, ſolo Deo minor 49
Ingenium carnificis in tormentis 333
Innocentes pro Chriſto occiſi 312
in Innocentium nece matres paſſæ ſunt. 314
Innocentium matres, corde dilaniatæ 315
Innocentes in ſuo ſanguine baptizati 317
Innocentiæ commendatio 319
Innocentes veri martyres ibid.
Innocentium martyrium elucidatur 320
Innocentiæ Chriſtianæ tyrannorum crudelitas 323
Innocentes Chriſti Ephæbi candore rubeo ſplendentes 325
Innocentes Chriſti milites 326
Innocentes martyrii prætulerunt formam. 327
Innocentes victimæ Deo oblatæ 328
Innocentia obſervatione tenenda 230
Job operarius victoriæ Dei 236
in Jovis manu fulmen poſitum 413
Judæi vagantur per orbem 355
Judas multiplici crimine culpatur 474
Judas merito reprobatus 475
Judæi ob templi profanationem ſeverè puniti 457
Judæi mulctati intelligentia & aurium ſrugi. 670
Judicii origo eſt à delicto 2
Judicum magna authoritas 408
Judicis qualitates 314
Judici quæ obſervanda ibid.
Juſti ſunt filii Dei 236
Juventus caſtitatis inimica 352

L.

Lachrymæ gratiam habent baptiſmatis. 316
Lavacrum duplex, fluminis & ſanguinis. ib.
Laurentii triumphus propalatur 332
Laurentius igne examinatus 333
Laurentius igne probatus 335
Laurentius fidem propagavit 336
Laurentius pauperibus erogat Eccleſiæ theſauros 339
Laurentius ardenter martyrium deſiderat. ibid.
Laurentius patienter martyrium tolerat. 340
Laurentius tyranno inſultat 343
Laurentius lætatur in tormentis ibid.
Laurentius igne charitatis accenſus, de ignis triumphat ardoribus 346
Laurentius lauro comparatus 347
Lancea ſolis 414
Lex complectitur præcepta affirmativa & negativa: & quid inde referendum 660
Liberorum vita, chara parentibus 314
Liberos magis diligunt parentes, quàm ſeipſos ibid.
Libertas hominis vindicatur 321
Libertas indifferentiæ probatur 323
Libido monſtrum haberetur ſine gula 5
Libidinis fundamenta, comeſſationes & ebrietates ibid.
Libidini accidere concupiſcentiam ibid.
Lues pertimeſcenda 355
Lumina lapillorum quibus monilia variantur 412
Luminaria ardentia igne divino ibid.
Luminaria in firmamento cœli, verbum vitæ habentia ibid.
Lunæ ſpecula redornantur 296

confitetur Luna quantum amiſerit, cùm reſumit 271
Luna excelſa & humilis ibid.
Luna quanto longius abit à ſole, tanto largius illuminatur ibid.
à Luce venuſtatur mundus 212
Lucendum eſt virtutis exemplo 217
Lux Doctoris Catholici indicium 215

M.

Mathias Judæ ſubrogatus 479
Mathias à Deo prædeſtinatus 482
Mathias à diſcipulis electus 484
Mathias ſorte declaratus 485
Mathias ad Apoſtolatum ſublimatur 488
Mathias Apoſtolico munere probe functus. 492
Matthæi vocatio elucidatur 422
Matthæus immutatur 424
Matthæi hoſpitalitas commendatur 425
Matthæus pauper efficitur 426
Matthæus inter Evangeliſtas primus 432
Matthæus Angelo aſſimilatur 434
Matthæus hoſtia virginitatis & pietatis. 436
Maceratio fœlix 243
Magi munera offerentes idololatriam à Chriſto debellatam denotant 325
Magi, Chriſtum primi remuneraverunt. 326
Magdalena ſecus pedes Domini 376
Magdalena ſceleribus turpata ib.
Magdalenæ pœnitentia prompta 377
Magdalenæ pœnitentia vera 379
Magdalenæ pœnitentia juſta 383
Magdalena Chriſto patienti compatitur. 385
amans Magdalena nihil niſi Chriſtum cogitat 391
Magdalena in antro velut in cœlo commoratur 396
Magnitudo virtutis 408
Mali magiſtri male docent 252.256
Mala ultoria à Deo immiſſa 311
Manna verbi Dei ſymbolum 648
Mariæ ſanctiſſimæ Deiparæ notanda commendatio 656
de Martyriis candida coronandus 325
Martyrii præſtantia 320
Martyrium incruentum 119
Martyrii indignos ſe credebant Chriſtiani. 410
Martyrio maculæ candidantur 325
Martyria coronata 341
Martyres nominis cauſa torquentur. 332
Martyria fidei examinatoria 338
Martyres ex dilectione Dei patientes 334
Martyrii debitrix fides 336
Medici per inſuavitatem medentur 352
Meditatio animæ vita 254
Memoria ſenſuum & intellectuum ſalus ex Platone 651
Militia eſt vita hominis ſuper terram 185
Militiæ caſtrenſes 326
Militia regiarum familiarum ibid.
Miracula cur à Sanctis patrata 68
Miracula æmulatur dæmon ibid.
Miracula coruſcant 413
Miſſa demiſſe veneranda 615
Miſſa ſancte celebranda 618
Miſſa devote audienda 621
Monſtris naturalium forma turbatur 246
in Monumentis corpora ſepeliuntur 418
Mors disjunctio animæ & corporis 120
Mors porta ad Deum, dicitur 157
Mortificatio commendatur 96
cur Mortificationi vacandum 165
Moyſes vult deleri de libro vitæ, ne populus pereat 262
Mundialis vita in quo conſiſtit 2
Mundus phyſice & naturaliter ſumptus. 105
Mundus Ægyptus & etiam ſepulchrum dicitur 106
Mundi mundialis elementa referuntur. 113
in Mundo malitiæ plurimum, ſapientiæ minimum 121
Mundi contemptus ſuadetur 280
Mutius dexteram ſuam in ara cremavit. 332
Mutii conſtantia prædicatur ib.

N.

Neceſſitatis inter cauſas cibi fames & potus ſitis meritò recenſitæ 641
Negotiatio eſt aliquid amittere ut majora lucreris 351
Nero primus in Chriſtianos Cæſariano gladio ferociens 318
Neronis portio de crudelitate ibid.
Neſtorii lingua à vermibus corroſa 657
Nobilitatis humanæ genus triplex 39
ad veram Nobilitatem quatuor concurrunt, ibid.

Nobilitas Chriſtiana præponitur carnis nobilitati 43
Nobiles ſceleroſi, ſunt ignobiles, econtra ſervi ſtudioſi nobiles 45
Nubiloſum cœlum 413
Nubes concionatores denotant 246
Nubis proles quadruplex 413
de Nube coruſca emicat ſplendor ib.
in Nube intus eſt quod tonat, fulgurat, coruſcat ibid.
Nubes Dei Apoſtoli ibid.
Nullus ſcit an ſit amore vel odio dignus. 548

O.

Oculorum Dei efficacitas 420
ſextuplex Oculorum Chriſti utilitas 421
Oculorum præſtantia & neceſſitas 94
Oculorum cuſtodia 99
Oculorum acie pollens Strabo 148
Olympius cœlitus percuſſus & interemptus 637
bona Opera ad ſalutem neceſſaria 544
Oratio, divinæ gloriæ demonſtratio 148
in Oratione Moyſes vidit Dei gloriam. ib.
Orandi modum docuit Dominus 254
Oratio ſpiritu Dei animata, ſuo privilegio aſcendit in cœlum ibid.
Oratio juſti clavis eſt cœli ibid.
Ordine Deus conſummavit opera ſua, 271
Ordinis ſumma 407
Ovis Chriſtianus 107

P.

Palmata toga 347
Pandora Heſiodi locupletata 155
Papa orbis magiſter 245
in Parabolis loquutus Chriſtus 361
Parabolarum interpretes ibid.
Parabola theſauri in agro abſconditi elucidata ibid.
Parentes prius peremptores, quàm parentes 365
Parvulos diligit Deus 314
Paſtor Chriſtus 397
Paſtorale officium nobilitatur ib.
Patientia Chriſtiana à Gentili diſtincta. 275
Patientia miſericordiæ mater 355
ad Patientiam quæ requiſita 276
Patientia pœnitentiæ miniſtrat 278
Patientiæ præſtantia declaratur 340
Pauli Æmilii corpus à Macedonibus legatis in ſepulchrum delatum 417
Paulus Romæ renaſcitur martyrii generoſitate 329
Pauperes Chriſtus juſtificat, divites prædamnat 310
Paupertas commendatur 351
Paupertatis voluntariæ tres gradus ibid.
Paupertas caſtitati patrocinatur 352
Paupertas Evangelica commendatur 679
Pauperum amator 7
Paupertatis amor 8
Paupertatis Evangelicæ indicium 11
Pauperes veri perpauci 109
Pauperes ſunt in triplici differentia ibid.
Paupertas probata & ſancta 153
Pauperes ſpiritu quales 230
Peccator debiti ſui ſcribit litteras 72
Peccator mortem vivit 120
Peregrinus mundi hujus 416
Peregrinos ſeſe exiſtimabant Patriarchæ, ibid.
Peregrini qualitates ibid.
ad Perfectionem properandum 114
Periturus theſaurus 414
Perſecutores Chriſtianorum à dæmone ſubornati ad omnem ſæviendi iniquitatem 312
Perſecutio, probatio & reprobatio fidei. 313
Perſeverantia Dei donum 550
Pietas commendatur 281
Piſcatores in Apoſtolos elegit Chriſtus. 430
Pollux & Caſtor apparuiſſe de cœlo dicuntur 414
Pœnitentiæ natus 98
Pœnitentiæ actus 100. 105
Pœnitentia externa 278
Prædicator ſit concha non canalis 91
Prædicatoris fœcunditas 90
Prædicator ſit ardens 89
Prædicator orationis ſtudioſus 87
Prædicator Chriſto animas lucratur 83
Prædicatoris conditiones 80. 213
Prælia parvulorum 326
Præſtigia formæ ibid.
Præſumptio rea vanitatis, temeritatis, falſæ ſecuritatis 549
Præſumptio innocentiam, juſtitiam, & perſeverantiam ſibi arrogat 548

Probantur Chriſtiani perſecutionibus. 333
in Procella nonnumquam portus oſtenditur proſpero errore 283
Prophetæ de officio præfandi 72
Providentia eſt ſcientia ut dirigens, voluntas ut imperans, patientia ut exequens. 311
Providentia propria divinitatis ibid.
Providentiam negans intolerabilis ibid.
Proximi compaſſio ſapit martyrium 356
Prudentia cum ſimplicitate conjuncta. 253
Publicani infames apud Judæos 428
Purgatorium ad Eccleſiam pertinet 303
Purpura, dignitatis inſigne 314
à Purpura purpurati dicti 315

R.

novæ Religionis illuminator 269
Religioſus crucis 96
Religioſa aſſumptio, ſponſio eſt devotionis. 283
Reſurrectio à Philoſophis negata 70
Rochus ſuffragiis populorum canonizatus. 350
Rochus altiſſima paupertate decoratur. 352
Rochus angelica caſtitate præditus ibid.
Rochus pœnitentiæ ſtudioſus ibid.
Rochus peregrinus 353
Rochus ad xenodochia ſe recipit 355
Rochus pauperibus ægrotis opitulatur. ib.
Rochus peſtiferis ſervit ib.
Rochus peſtiferos ſanat 356
Rochus ardentiori febre laborans 357
Rochus ſagitta confoſſus, canis miniſterio nutritur 358
Rochus ut explorator incarceratur 359
Rochus peſte percuſſus moritur 360
Rochus tempore peſtis imploratur. ibid.

S.

Sacerdos rege major 40
Sacerdos cur coronam defert 232
Sacerdotis criminoſi & brachio ſæculari tradito degradationis ritus. 639. 640
non qui in ſæculo, ſed qui ſæculi crimina ſectantur, à Deo excidunt 513
Sæculum contemnendum 512
Sæculum totum verſiforme ibid.
In Sæculo omnia imaginaria 514
ad Sæculi contemptum Scripturis admonemur 512
Sapientia divina ſex viis comparatur 259
Saturnus homo mortalis 328
Schiſma ab unitate divellit 15
Schiſma culpatur 196
in Sacramento Altaris triadiſtinguenda. 657
Salutis hac in vita nulla certitudo 649
Salus quomodo poſſit comparari 647
Sancti apparebunt in judicio comitati iis quos converterunt 285
Sapientia genita Dei filius 72
Sapientia Dei ſola hoc nomine digna 86
Semen eſt ſanguis Chriſtianorum 337
Semen eſt verbum Dei 667
Sermones Dei ubinam digerantur 646
Sermo vivificator 647
tria tempora quibus homo ad Dei Sermonem referri poteſt ib.
Sermonis corpus eſt ſpiritus, & quo ſenſu. 632
ad Sermonis divini exiſtimationem multum conducit ſimilitudo quæ intercedit inter illum & Verbi incarnationem. 655
Sermo Dei mire nobilitatur ex conformitate cum Altaris ſacrificio 697
Sermo Dei verbum inſultatorium 658. verbum triumphatorium. 659. verbum vitæ extructorium 660
Sermo Dei non modo producit ordinem in intellectu, ſed & ardorem in voluntate. 666
Sermo Dei dignitate ſublimis, magno in pretio habendus, & ſummo honore venerandus 668
Sermo Dei durus à Capharnaitis & ſceleroſis Chriſtianis exiſtimatus. 671. Vide *Verbum*.
Servi tres Evangelici quibus talenta ſunt depoſita
Silvicola & exules vitæ 162
Simplicitas commendatur 253
Sol divinitatis imago 206
unicus eſt Sol temperans mundum ibid.
Sol cœnoſis non inquinatur ibid.
ſi Sol non eſſet, ſupervacaneus eſſet oculus. 246
careni Sol 273
Sol mundum temperat ibid.

So-

673

Solis lancea 274
Solis clypeus ibid.
cum Sole verbum Dei comparatum 662
Sol ignis 665
Somni neceſſitas 102
Sperandum non eſt in ſæculi bonis 512
Sperandum non eſt in hominibus 515
Sperandum non eſt in vanis operibus 517
Spes mundana vana 513
Spes Chriſtianorum, Deus 518
Spei neceſſitas demonſtratur 519
Spei dignitas commendatur 522
Spei utilitas declaratur 524
Spei ad bonum arduum futurum terminatur 527
Spei certitudo à Dei liberalitate, fidelitate, poteſtate ſumitur 530
Spes ad Deum ut hominis bonum terminatur. 534. Merces ſperatur 535
Spei gratiam requirit & merita admittit. 536
Spes veniæ, gratiæ, gloriæ 538
Spes veniæ innititur divinæ miſerationi, pollicitationi, juratinni 538
Spes gratiæ, fundatur in Dei miſeratione Chriſti paſſione, pœnitentiæ ſuſceptione. 540
Spes gloriæ fulcitur divinis promiſſionibus, bonis operationibus, & toleratis ob juſtitiam paſſionibus 542
Spes innititur Trinitatis operationi 557
Spes myſteriis Chriſti ſolidatur 565
Spes beatorum patrocinio fulcitur 572
Sponſa Chriſti 285
Stella ducens Magos 211
de Stellis homines non vivunt ibid.
Stellæ nullam homini imponunt neceſſitatem ibid.
per Stellas Angeli denotantur ibid.
Stigmata Chriſti detulit Franciſcus 21
Stigmata in triplici differentia 23

T.

TAlenta Evangelica 666
Templorum dedicatio demonſtratur. 577
Templorum ſanctitas explicatur 582
Templorum ornatus vindicatur 585
Templa religioſe venerantur 598
quomodo Templa veneranda ſint, explicatur 596
Irreverentia in Templis condemnatur. 602
in Templis Dei præſentia ſapienter recogitatur 605
in Templis præſentia Dei majeſtatis humiliter adoratur 608
in Templis præſens Dei majeſtas inſolenter contemnitur 612
Templum profanatur vanis cogitationibus. 625
Templum profanatur devaſtationibus. 628
Templum profanatur fœdis actionibus ibid.
Templum profanatur fœdis actionibus. 630
Templum profanant irreverenter ſe habentes, inſolenter ridentes, impudenter laſcivientes ibid.
in Templo ſex modis luxuria negotiatur. 631
triplicis Templi profanatio punitur 636
anima eſt Dei Templum, cujus profanatio juſte punitur 647
Templi honorem zelans Chriſtus nummulariorum menſas evertit, vendentes & ementes de Templo ejecit, acriter reprehendit 635
Templi profanatores Deus examinat, conſiderat, reprobat 635
Templi profanatio quàm ſevere in pluribus caſtigata 637
Templum eſſe Dei cunctos Chriſtianos gratia ſanctificante decoratos 638
Templi Dei violatoribus quas Deus intentavit minas, quinam præcipue debeant timere 639
Tempora Adventus & Quadrageſimæ quaſi tempora meſſis & vindemiarum 652
Tentatio potentiſſima venit de concupiſcentia carnis 5
Terræ bona inſtabilia 512
Terrena à cœleſtibus avocant 513
Terrena deſpicit, cœleſtia recogitans. 512
Thomas abyſſus nequitiæ & incredulitatis, 451
Thomas invocat abyſſum divinæ miſericordiæ 458
Thomas abyſſus crudelitatis & conſtantiæ. 467
Tonitrua mugiunt 413

V.

Verbum Dei triplex 641
ad Verbum Dei auditu devorandum tria requiruntur 649
Verbi Dei notandum encomium ibid.
Verbum Dei duplici præſertim de cauſa benigne audiendum, & devote ſuſcipiendum 650
Verbum Dei quid in homine operetur. 651. 652
de Verbo Dei qui nullum fructum reportant, tria hominum genera 655
Verbum Dei in Trinitate, in Incarnatione, in Euchariſtia 654
Verbi Dei concionatoris dignitas quomodo præcipuè poſſit commendari ibid.
ad Verbi Dei cognoſcendam utilitatem neceſſarii tres tituli 662
Verbo accedente, naturæ humanæ brutalitas eſt deleta ibid.
Verbum Dei, non dragma, ſed talentum. 666
Verbum Dei eſt in magno pretio habendum, avide appetendum, diligenter audiendum 668. 669
Vide *Sermo*.
Veritatis hoſtes extranei & domeſtici 24
Veritas mendacio patet 128
Veritas nihil erubeſcit niſi abſcondi 201
Veritas Chriſtiana martyrio probata 332
pro Veritate certant martyres 341
Via lata ducit ad infernum 463
Victoria ſuiipſius præſtantiſſima 116
Victoria ſuiipſius quomodo obtineatur. 119
Vini abſtinentia 103
Virginitas commendatur 408
Virginis principalis ſanctitas ibid.
Virgines de familia Angelica deputantur. 146. 106
Virginitas multis commendatur 158
Virginitas cum fœcunditate conjuncta. ibid.
Virgo mater 251
Sine maſculo mater 283
Virgo ſponſa Chriſti 284
Virginitas periclitatur à quatuor 296
Unio cum Deo, per quid fiat 299
Viſiones eveniunt in ſomno, in extaſi, in revelatione 12
de Vitiis peſſima 16
Vitia exercitata uſu viriosa 17
Vita hominis trina, ſocialis, animalis, rationalis 116
Vitæ naturalis amor 120
Vivendum Deo ibid.
Voluptas ſæculi exitioſa 109
Voluptas ſæculi à Chriſtiano aliena 110
Voluptas difficillime ſuperatur 118
Voluptas carnis labore, & jejunio vincitur. 113
Voluptas infœlix 143

Z.

Zelus de amore venit 80
Zelus ſalutis animarum multiplex incentivum 223

FINIS.

Permiſſio Reverendi Patris Provincialis.

FRATER Agathaugelus Petit Provinciæ Recollectorum in Aquitania Miniſter Provincialis, & ſervus, R. P. MICHAELI VIVIEN ejuſdem Provinciæ alumno, ſacræ Theologiæ Lectori, nec non antiquo Cuſtodum Cuſtodi, ſalutem. Cùm Liber *Tertullianus Prædicans* nuncupatus in ſex Tomos diſtributus, ſit jam maxima ex parte typis mandatus, & fœliciter à Doctoribus quibusque approbatus, licentiam tibi facimus ut præclarum illud opus perficias, & denuo typis mandes, ſive in quarto, ſive in folio, prout melius tibi viſum fuerit. In cujus fidem præſentem Licentiam propria manu ſubſcripſimus, & parvo officii noſtri ſigillo munivimus. Datum in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ de Gratia Burdigalæ, die 19. Februarii, Anno 1677.

F. AGATHANGELUS PETIT,
Miniſter Provincialis.

Approbationes Lectorum Theologiæ.

Libri cui titulus eſt, *Tertullianus Prædicans*, ſecundum & tertium Tomum fruſtra commendarem; Primus ſiquidem & reliquos & eorum authorem ſatis commendat; qui illum legerunt videndi quod in lucem edendum ſupererat vehementi flagrabant deſiderio; neque fallet eos opinio, ibi enim maximam ingenii ubertatem obſervabunt, ac materiarum abundantiam cum præclara methodo, quæ Tertulliani operibus deerat claritate mirabuntur. Hæc ipſe perlegendo miratus ſum, ideoque Opus dignum judico quod typis quamprimum mandetur, utpote quod nihil contineat fidei aut bonis moribus contrarium, quin potius futurum ſit utiliſſimum tum cæteris omnibus, tum præcipuè divini verbi Præconibus. Quod teſtor in hoc Conventu Recollectorum ſanctæ Valeriæ propè Lemovicas, die 22. menſis Julii Anni 1673.

F. GERMANUS DEYR, Lector ſacræ Theologiæ, & Guardianus Conventus Recollectorum ſanctæ Valeriæ prope Lemovicas.

Ego

EGo infra ſcriptus ſacræ Theologiæ Lector, ſumma cum delectatione attentè perlegi librum (cui titulus *Tertullianus Prædicans*) in quo Tertulliani doctrina licèt ex ſe ſatis commendata, mire tamen commendatur, tum ob ſelectas Patrum ſententias, quibus adornatur, tum ob ſubtiles Theologorum rationes, quibus ab Authore ſolidatur. Ipſum ergo typis digniſſimum judico, non ſolum quia nihil in ipſo, quod Catholicæ fidei ſectatoribus adverſetur, ſed etiam quia nihil in ipſo, quod Chriſtianæ veritatis Præconibus non multum patrocinetur, quibus Tertullianus Prædicans, erit Tertullianus docens methodum, clarè, breviter, & nervoſe ſermones conficiendi. In lucem igitur prodeat opus, & prælo quàm citius mandetur tanquam communi Concionatorum bono utiliſſimum, cenſeo & peropto. Datum in Conventu ſancti Leonardi, die 8. Junii anni 1673.

F. GABRIEL BARRIERE S. Theologiæ Lector.

[illegible]
[illegible]